BEATI

PETRI CANISII,

SOCIETATIS IESU,

EPISTULAE ET ACTA.

VOL. I.

BEATI

PETRI CANISII,

SOCIETATIS IESU,

EPISTULAE ET ACTA.

COLLEGIT ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

OTTO BRAUNSBERGER, W

EIUSDEM SOCIETATIS SACERDOS.

VOLUMEN PRIMUM.

1541—1556.

CUM EFFIGIE BEATI PETRI CANISII.

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCVI.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

Cum opus, cui titulus est: *Beati Petri Canisii, Societatis Iesu, Epistulae et Acta. Collegit et adnotationibus illustravit Otto Braunsberger, eiusdem Societatis sacerdos. Volumen primum.* Censores, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaeten, die 1. Ianuarii 1896.

Henricus Haan S. J.

(L. S.)

Praep. Prov. Germ.

Protestatio editoris.

Ut legibus ab Urbano VIII. summo pontifice 13. Martii 1625, 5. Iunii 1631 etc. latis ac decretis Sacrae Rituum Congregationis satisfiat, editor profitetur quaecumque in hoc volumine narrantur de hominum illustrium virtutibus, miraculis, revelationibus, et si quae alia referuntur, quae naturae vim et condicionem excedere videantur, ita se velle intellegi, ut a privata tantum auctoritate profecta et humana tantum fide digna esse censeantur, nisi a sancta ecclesia diserte approbata sint.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

PRAEFATIO.

Quae Canisius egerit et scripserit, quid eius epistulae prosint tum ad res illorum temporum cognoscendas tum ad pietatem augendam, qua ratione nunc typis describantur: haec omnia in prooemio generali totius huius operis et in specialibus singulorum voluminum prooemiis copiose enarrabuntur. Ideo pauca hic notare satis erit.

Effigiem Canisii, huic volumini additam, ex maiore imagine exprimendam curavimus, quam clarissimus vir Eduardus de Steinle anno 1885 pinxit, propositis sibi imprimis figuris Canisii, quas initio saeculi septimi et decimi Raphaël Sadeler et Dominicus Custos, chalcographi haud ignobiles, in aes inciderant. Qui nostram hanc imaginem Canisii cum antiquis illis contulerit, quae pigmentis oleatis depictae Coloniae et Friburgi Helvetiorum atque in domibus quibusdam Societatis nostrae supersunt, Eduardum de Steinle veram Canisii reddidisse imaginem intelleget. Nefas certe fuisset, figuram in hoc opere non ponere, quam vir ille catholica pietate insignis et de arte christiana optime meritus hoc ipso consilio, ut epistulis canisianis praefigeretur, paulo ante mortem expressit et mihi quasi testamento reliquit. Quodsi quis imaginem quaeret, quae ex ipsis illis picturis antiquis expressa sit, biographiam Canisii figuris illustratam evolvat, quam hisce diebus R. P. Ludovicus Michel S. J. gallico sermone evulgandam parat.

Grato animo recordor in primi huius voluminis epistulis colligendis et illustrandis me a multis adiutum esse opera, consilio, hospitio, codicibus subministratis. Horum nonnullos in ipso opere suis locis nominabo; omnes nominatim recensere longum est. Plurimum me debere profiteor eminentissimo cardinali Andreae Steinhuber S. J., reverendissimo P. Henrico Denifle O. Pr., archivi vaticani subpraefecto, excell. D. Alfredo de Arneth, caesarei archivi vindobonensis directori, D. Doctori Georgio de Laubmann, regiae bibliothecae monacensis summo moderatori, reverendo D. Doctori Francisco Xaverio Pfeifer,

regiae bibliothecae dilinganae praefecto, D. professori K. A. Barack, praefecto bibliothecae argentoratensis. E Societate quoque nostra fraternam operam suam mihi commodaverunt reverendi PP. Ioannes Baptista van Meurs, Carolus Sommervogel, Hermannus Allard, Ioseph Eugenius de Uriarte, Franciscus Ehrle, alii multi. Quibus omnibus summas ago gratias.

Etsi epistulas canisianas multis locis quaesivi, dubitare non possum, quin nonnullae earum hodie quoque in bibliothecis et domibus privatis lateant. Omnes itaque impense rogo, ut, si fortasse eiusmodi epistulam vel aliquid aliud ad Canisium quacumque ratione spectans deprehenderint, mihi significent.

Exaeten prope Roermond (in Hollandia), die 4. Aprilis 1896.

Editor.

I.

CONSPECTUS

totius voluminis et index chronologicus epistularum eius.

II.

PROOEMIUM GENERALE TOTIUS OPERIS.

1. De rebus a Canisio gestis ac scriptis.

De Petri Canisii vita plus quam 40 diversi editi sunt libri libellique, iique conscripti linguis non solum latina et germanica, sed etiam anglica, gallica, hispanica, hollandica, italica, polonica, ac vel ipsa arabica; ex quibus libris complures iterum ac saepius prelum subierunt. Itaque opus non est, multis hic verbis Canisii vitam narrare; lineamenta tantum aliqua proponam.

Patria Canisio fuit Noviomagum (Nijmegen) Geldriae urbs, quae nunc quidem est regni neerlandici, tunc autem erat civitas libera imperii germanici. Natus est Petrus die 8. Maii anni 1521 patre opulento et consulari. Sub annum 1536 Coloniam missus, in gymnasio montano sub disciplina Nicolai Eschii (van Esche) sacerdotis valde pii in doctrina et pietate multum profecit, familiaris praeclaro illi Ioanni Groppero canonico et monachis carthusianis atque etiam Laurentio Surio, adulescenti lubeccensi, qui postea et ipse Carthusianus fuit. Anno 1540 votum perpetuae castitatis fecit et in academia coloniensi magister philosophiae creatus est; atque haud multo post Moguntiam accurrit ad Beatum Petrum Fabrum (Favre, Lefèvre), primum S. Ignatii de Loyola sodalem, quo duce „exercitia spiritualia", quae dicuntur, peregit, atque 8. Maii 1543, Germanorum primus, Societati Iesu modo natae nomen dedit. Coloniam dein remissus et studia theologica prosecutus, anno 1546 sacerdotium suscepit, et sub idem tempus a clero et universitate coloniensi in Belgium et in Suebiam ad Carolum V. caesarem et Leodium ad Georgium Austriacum episcopum missus est, ut suppetias peteret contra Hermannum a Weda archiepiscopum, protestantismum Coloniae intrudere conantem. Ab Ottone autem Truchsessio cardinali et episcopo augustano initio anni 1547 socius additus est P. Claudio Iaio (Le Jay) S. J., quem Otto ad tridentinum concilium miserat, procuratoris sui nomine insignitum. Atque cum ipsa synodo Canisius Bononiam transmigravit, et inde paulo post Romam evocatus, ab ipso Societatis Iesu sancto parente per quinque menses pietatis exercitationibus excultus est. Mense vero Aprili anni 1548 in Siciliam advectus, pueris collegii messanensis praecepta artis dicendi tradidit; proximo anno Romam redire iussus, die 4. Septembris coram S. Ignatio sollemnia vota nuncupavit. Mense Octobri in academia bononiensi doctor theologiae factus, Novembri postulante Guilielmo IV. Bavariae duce iubenteque S. Ignatio Ingolstadium cum PP. Claudio Iaio et Alphonso Salmerone venit et in universitate theologiam docere coepit; anno 1550 ibidem populum quoque contionibus et catechesibus erudiendum suscepit atque academiae rector electus est. Unde Viennam arcessitus anno 1552, theologiam profitetur in universitate, orationes sacras habet et in aula Ferdinandi I., Ro-

manorum regis sibi addictissimi, et in ecclesia cathedrali, ac contubernio praeest adulescentium „archiducali". Episcopatu autem viennensi constanter recusato, 3. Novembris 1554 a Iulio III. pontifice eandem ecclesiam per annum administrare iubetur, atque aliquot mensibus post Pragae et Ingolstadii collegiorum Societatis Iesu prima fundamenta iacit. Vere anni 1555 „Summam doctrinae christianae" petente Ferdinando rege a se compositam in lucem emittit. Primus Societatis Iesu per Germaniam superiorem praepositus provincialis constituitur a S. Ignatio 7. Iunii 1556. Eodem anno Ratisbonam concessit ad contiones in ecclesia cathedrali habendas proceresque in comitiis congregatos fulciendos. In colloquio autem religionis anno 1557 Vormatiae habito Canisius catholicorum fere antesignanus Melanchthoni protestantium coryphaeo acriter obstitit. Annus porro 1558 Canisium vidit Alsatiam et Suebiam peragrantem, Straubingae, rogante Alberto V. Bavariae duce, abducendo ab haeresi populo incumbentem, Romam ad congregationem generalem ordinis sui accurrentem, inde iussu Pauli IV. cum Camillo Mentuato nuntio apostolico in Poloniam ad comitia piotrcoviensia proficiscentem. E Polonia a Ferdinando Augustam Vindelicorum revocatus ad conventum imperii, ecclesiae cathedralis augustanae contionatorem ordinarium agere coepit anno 1559, urgente admodum capitulo, atque eo in munere per complures annos persistens, multos protestantes ad ecclesiam catholicam reduxit ac catholicorum animos fervoremque paene exstinctos excitavit atque accendit, carus praesertim insignibus illis familiis Fuggerorum et Welserorum. Simul magnam operam posuit in condendis Societatis Iesu collegiis Monachii, Oeniponte, Dilingae; cuius quidem civitatis academiam, ab Ottone cardinali Truchsessio constitutam, nomine Societatis Iesu anno 1564 suscepit regendam. Atque iam anno 1562 synodo tridentinae, ab eiusdem praesidibus evocatus, iterum brevi tempore interfuerat; eidem concilio haud parum profuit anno proxime secuto, dum Oeniponte in coetu theologorum a Ferdinando imperatore coacto sententiam dicit caesaremque privatis quoque monitis et precibus a sinistris consiliis abstrahit. Anno 1565 denuo Romam venit ad congregationem generalem, quae S. Francisco Borgiae suprema Societatis Iesu gubernacula commisit. Post quae, anno iam ad finem vergente, a Borgia visitator sui ordinis per provinciam rhenanam nominatus, et a Pio IV. pontifice nuntii apostolici munere auctus, Herbipolim, Moguntiam, Coloniam, Cliviam, Osnaburgum adiit, ut leges tridentinas promulgaret observandasque curaret. A qua legatione Pii IV. morte absolutus est, nec tamen quieti se dedit. Nam anno 1566 inter comitia imperii augustana, cum cardinali Commendono Pii V. legato una cum aliis quibusdam a consiliis esset, multum fausteque laboravit, ne „pax religionis" augustana a summo pontifice tunc cum summo rei catholicae periculo reiceretur. Eodem anno Udalrico a Helfenstein dynastae suebo persuasit, ut a Lutheranismo ad fidem catholicam reverti statueret. Sequenti autem anno Ottonem cardinalem augustanum in synodo Dilingae celebranda adiuvit, S. Stanislaum Kostkam Dilingae recepit Romamque in tirocinium Societatis Iesu transmisit, Herbipoli et Spirae ad instituenda eiusdem Societatis collegia operam contulit, ingolstadiensibus philosophiae professoribus pacis arbiter fuit. Officio praepositi provincialis tandem anno 1569 liberatus est, quo liberius Dilingae vacare posset refutationi centuriatorum magdeburgensium

a S. Pio V. sibi impositae; cuius laboris fructus annis 1571 et 1577 nata sunt opera De S. Ioanne Baptista ac „De Maria Virgine incomparabili", saepius deinceps edita. Attamen Dilinga Oenipontem Canisio demigrandum fuit ad sermones sacros et apud populum et in aula Ferdinandi II. archiducis habendos. Magdalena quoque Ferdinandi soror Canisii consiliis frequenter utebatur, cum Halae virginum collegium quoddam atque etiam Societatis Iesu scholas condendas curaret. Eundem Ferdinandum et Albertum V. Bavariae ducem Canisius ad negotia religionis tractanda anno 1573 auctoritate Gregorii XIII. pontificis convenit. A quo Romam quoque eodem anno accitus et de causa religionis in Germania promovenda consultus est; ubi Canisius inter alia collegium germanicum, quod ab eius initiis impense foverat, pontificis liberalitati commendavit, eundemque, ut eiusmodi seminaria in ipsa etiam Germania conderet, admonuit. Cardinali autem Morono in consilium datus est Canisius anno 1576, cum ille in ratisbonensibus comitiis legatione pontificis fungeretur. Ac tandem Canisius, cum annis 1578 et 1579 per sacrum ieiunii maioris tempus Landishuti coram Guilielmo duce e suggestu dixisset, exeunte anno 1580 a Ioanne Francisco Bonhomio episcopo vercellensi nuntioque pontificis deductus est Friburgum in Helvetiam, ibique senex et decrepitus scholas aperuit, collegii fundamenta iecit, sodalitates Beatissimae Virginis instituit, contiones et catecheses habuit; ibidem vita decessit 21. Decembris 1597, meritorum sane plenissimus.

Nam praeter orationes sacras et catechismi explicationes, quibus Bavariam, Austriam, Alsatiam, Franconiam, Tirolim, Bohemiam, Helvetiam variis locis excoluerat, praeter consilia ac monita, quibus multos primores et sacros et civiles munierat, calamum scriptorium Canisius inde a 23. suae aetatis anno ad mortem usque numquam deposuit.

SS. Cyrilli Alexandrini et Leonis Magni opera anno 1546 Coloniae edidit, ibidemque — hoc saltem vero simillimum est — Ioannis quoque Tauleri, decoris illius dominicanae familiae, scripta germanica prelo subiecit ipso anno 1543, paulo postquam Societati Iesu nomen dedit, sicque ceteris omnibus, qui in eadem Societate libros edidere, longo tempore praecucurrit. S. Hieronymi quoque epistulas in usum scholarum selegit et distinxit, cuius operis circiter 40 editiones hodie notae sunt. Libros precationum tum germanica lingua tum latina contexuit complures: pro pueris, aegrotis, litterarum studiosis, principibus; inter quos libros „Manuale Catholicorum" plus quam trigesies variis in linguis editum est. Contra centuriatores quae scripserit, iam dictum est. Lectiones evangelicas diebus dominicis et festis in ecclesia recitari solitas duobus magnis voluminibus, in usum maxime sacerdotum, docte ac pie explanavit. Libris germanicis iisque ad populi captum accommodatis sanctorum Helvetiae patronorum vitas exposuit: Beati, Mauritii, Ursi, Fridolini, Iddae Toggenburgensis, B. Nicolai de Rupe (von der Flue). Ac praeter alios, quos ipse scripsit, libellos, aliorum quoque lucubrationes aut recognovit aut praefationibus ornavit aut denuo in lucem emisit, ut catechismi romani versionem germanicam, martyrologium romanum germanice editum, Stanislai Hosii scriptum Contra Brentium, Petri Busaei opus catechisticum, Andreae Vegae O. S. Fr. grandem tractatum „De iustificatione", „Agendam" archidioecesis salisburgensis, Hannibalis Codretti S. J. Grammaticam latinam.

Quod vero caput est, Lutheri catechismo per Germaniam usitatissimo Canisius Catechismum suum opposuit triplicem: primo quidem Summam, quam diximus, doctrinae christianae; quam eximius quidam nostrae aetatis theologus saeculo XVI. idem fere valuisse putat, quod pro medio aevo Petrus

Lombardus suis „Libris sententiarum" praestiterit [1]; secundo pro parvulis ac rudibus „minimum" illum e Summa sua extraxit catechismum, qui posterioribus saeculis simpliciter „Canisius" seu „Canisi" dici consuevit; tertio uberius quoddam Summae suae compendium conscripsit pro adulescentibus litterarum studiosis, illudque „Parvum catechismum Catholicorum" vel etiam „Institutiones Christianae pietatis" vocari voluit. Minimus catechismus in lucem primo prodiit latine Ingolstadii a. 1556, germanice (Dilingae?) a. 1556 vel 1557, parvus autem latine Coloniae, ut videtur, sub a. 1558, germanice Dilingae a. 1560 [2].

Opus catechisticum Canisii Odoricus Raynaldus scribit „catholicae eruditionis puritate radiare" [3], et Caesar Cantù inter catechismos, quos post Lutheri catechismum catholici scripserint, (romanum saltem si excipias) censet esse celeberrimum [4]. Quem Andreas Serraus (Serrao) „magno ubique doctorum et procerum plausu" exceptum esse asserit [5], ac Maximilianus I. Bavariae dux imperiique elector summo pontifici de eodem libro scribere voluit: „Tota Europa non modo legitur, sed explicatur; a juventute ediscitur; principes imperii Romani hinc fidei et religionis initia duxerunt; in omnes singularum nationum linguas vernaculas liber ille translatus est." [6] Ac sane ipsis illis 42 annis, qui inter primam eius editionem et mortem Canisii intercessere, multo plus quam ducenties prelo subiectus et e latina in 12 saltem alias linguas translatus est [7]. Proinde haud immerito Paquot affirmavit infinita bona ex hoc opere in ecclesiam manasse [8], atque inter protestantes etiam inveniuntur, qui illud laudent vel admirentur [9].

---

[1] „Die Summa doctrinae christianae mit ihren reichen Belegen aus der heil. Schrift und den Vätern kann als das den Bedürfnissen der Zeit entsprechende ‚Sentenzenbuch' betrachtet werden": *Jos. Scheeben,* Handbuch der katholischen Dogmatik I (Freiburg i. Br. 1873), § 1081, p. 446.

[2] Non anno 1563, quod editor in libello infra memorando affirmaverat. Vide, quae hac de re disseruit *I. B. Reiser* in „Theologisch-praktische Monats-Schrift" V (Passau 1895), 135—137, et in „Katholik" 75. Jahrg. I (Mainz 1895), 189—192.

[3] Annales ecclesiastici tom. XIV. ad a. 1555, n. 52.

[4] Storia universale l. 15, c. 20 (Torino 1857, tom. IX, P. I, p. 512). Similiter *Georgius Weber,* Allgemeine Weltgeschichte XI (2. Aufl., Leipzig 1886), 18. Ac *Fr. X. Schöberl* censet inter catechetas Germaniae Canisium certe esse illustrissimum: Lehrbuch der katholischen Katechetik (Kempten 1890) p. 210.

[5] De claris catechistis ad Ferdinandum IV. Regem libri III (Viennae 1777) p. 167.

[6] Huius epistulae apographum eodem tempore scriptum aut commentarium est Monachii, in tabulario regio (Reichsarchiv), Iesuitica in genere Fasc. 13, No. 214. Cf. etiam *Zeitschrift für katholische Theologie* 14. Jahrg. (Innsbruck 1890), p. 729.

[7] Cf. *O. Braunsberger,* Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius (Freiburg i. Br. 1893) p. 169. 170. *Sorbonna* parisiensis, Iesuitis haud ita amica, catechismum nostrum ipso saeculo XVI. ter probavit. Cf. ibidem p. 45. 46. 134. 146. Quid summi pontifices de eodem senserint, ibidem p. 47—49. 133.

[8] „Le Catéchisme de Canisius . . . a fait des biens infinis dans l'Église": Mémoires pour servir à l'histoire littéraire des dix-sept provinces des Pays-Bas etc. tom. III (Louvain 1770), 136—139. *Martinus Philippson* scribit: „Un bon catéchisme, court, concis et pourtant complet, bien fait et pourtant compréhensible aux intelligences médiocres, était d'une grande nécessité pour les populations qui étaient encore restées catholiques. Canisius le termina en peu de temps et avec tant d'habileté, que son petit livre est devenu un des ouvrages typiques de ses correligionnaires": La Contre-révolution religieuse au XVIe siècle (Bruxelles 1884) p. 87.

[9] Ita v. g. *Leopoldus de Ranke,* Die römischen Päpste II (6. Aufl., Leipzig

Haec de Canisii vita et scriptis. Plura docebunt ipsius „Confessiones" et „Testamentum", quae epistulis praefigentur, atque etiam tabula vitae eius, quae diarii seu potius itinerarii instar disponetur ac singulis voluminibus inseretur iis pro annis, quibus eorum epistulae scriptae sunt.

Auctoritate Canisius pollebat haud exigua. Eum Otto Truchsessius et Stanislaus Hosius, inter cardinales tum praecipui, sincera amicitia complectebantur, Beatus Petrus Faber, Sancti Ignatius et Franciscus Borgias magni faciebant [1], S. Carolus Borromaeus in administrando munere pastorali sibi adesse voluit [2], S. Franciscus Salesius velut magistrum consuluit asseruitque rebus „pro Christo gestis, dictis, scriptis universis Christi fidelibus innotuisse." [3] Quod et Caesar cardinalis Baronius confirmavit [4], praeconium illud apostolicum in Canisium accommodans: „Cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias." [5] Atque viventis etiamtum Canisii laudem libris consignarunt Ioannes Cochlaeus [6], Ioannes Fabri O. Pr. [7], Fridericus Staphylus [8],

---

1874), 23. *Wolfg. Menzel,* Allgemeine Weltgeschichte VII (Stuttgart 1863), 176. *Io. Georg. Walch,* Bibliotheca theologica selecta I (Ienae 1757), 494. „Lexicon für Theologie und Kirchenwesen" von *H. Holtzmann* und *R. Zöpffel* (Leipzig 1882), in v. „Canisius". — *P. Rouffet* scribit: „Canisius est justement célèbre par son Catéchisme, véritable arsenal de la doctrine romaine . . . Aucun ouvrage peut-être, la Bible exceptée, n'a eu plus de réimpressions et de traductions dans toutes les langues de l'Europe" (Encyclopédie des sciences religieuses publiée sous la direction de *F. Lichtenberger,* Doyen de la Faculté protestante de Paris, II [Paris 1878], 576 ad 577). *G. Kawerau:* „Die Katechismen", inquit, „des Canisius haben für die Kirche der Gegenreformation sicher eine ebenso grosse Bedeutung, wie die Luther's für die Kirche der Reformation" (Theologische Literaturzeitung, herausgegeben von *A. Harnack* und *E. Schürer,* 19. Jahrg. [Leipzig 1894], col. 84). *Idem* alio loco de „Summa" Canisii: „Ohne directe Polemik, mit zahlreichen Bibelstellen und Kirchenväterzeugnissen, besonders aus Augustin, und in kluger Umgehung der Scholastiker, war hier klar und bestimmt, in der Form mild und erbaulich, die kath. Lehre im Gegensatz zu allen Neuerungen vorgetragen. Ein kleinster (1556) und dann auch ein reichhaltigerer kleiner Katechismus (1559) — lateinisch und deutsch — schufen dem kath. Jugendunterricht feste Normen und machten Canisius zum wirksamen Lehrmeister des kath. Deutschland" (Lehrbuch der Kirchengeschichte von Dr. *Wilh. Möller,* III. Bd., bearbeitet von Dr. *G. Kawerau* [Freiburg i. B. und Leipzig 1894], p. 340). Atque *Gerhardus de Zezschwitz,* qui Erlangae in protestantium academia theologiam docuit et complura opera composuit catechetica, catechismi canisiani sermonem adeo esse perspicuum fatetur et proprium, ut in exemplum assumi possit (Die Katechese als erotematischer Religionsunterricht [Leipzig 1872] p. 87. 88. Der Katechismus oder der kirchlich-katechetische Unterricht nach seinem Stoffe [2. Aufl., Leipzig 1872] p. 295).

[1] Haec ex ipsis eorum epistulis intellegentur.

[2] *Gius. Boero,* Vita del Beato Pietro Canisio (Roma 1864), p. 385. *Flor. Riess,* Der selige Petrus Canisius (Freiburg i. Br. 1865) p. 482.

[3] Oeuvres complètes de Saint *François de Sales* VIII (7e éd., Paris 1885), 72—77.

[4] Annales ecclesiastici tom. I. ad a. 9, n. 1.

[5] 2 Cor. 8, 18.

[6] In dedicatione opusculi „S. Bernardi tres sermones ac novem epistolae (Ingolstadii 1545)": *Nic. Paulus,* Der Augustinermönch Johannes Hoffmeister (Freiburg i. Br. 1891) p. 192 [1]. 387.

[7] Antwort auff das . . . geschwetz Mathie Flaccii Jllyrici (Dilingen 1558); v. *„Der Katholik"* 72. Jahrg., I (Mainz 1892), 124.

[8] S. Marcus Anachoretes, versus ex graeca lingua in latinam (Nissae Silesiorum 1555) fol. A 2a—A 5a.

Albertus Wimpinensis [1], Guilielmus Eisengrein [2], Ioannes Schwayger [3], Samuel Quichelbergus [4], Georgius Eder [5], Gaspar Cardillus de Villalpando [6], Ioannes Perellius [7], Cornelius Loos [8], Valentinus Rotmar [9], Stanislaus Rescius [10], Ioannes Engerd [11], Ioannes Molanus [12], e protestantibus Henricus Pantaleon medicus basileensis [13]. Mortuum autem Sebastianus Verronius, ecclesiae S. Nicolai Friburgi in Helvetia praepositus, anno 1599 appellavit „toto Christiano orbe notissimum", „Ecclesiae per Helvetiam patriarcham, fidei Catholicae per Germaniam columnam" [14]; Aubertus Miraeus, canonicus antverpiensis, anno 1602 affirmavit eum „saeculi sui Hieronymum" dictum esse [15]; Laurentius Beyerlink, canonicus item antverpiensis, anno 1611 „alterum sui saeculi Augustinum" [16], Gallus Alt, abbas monasterii benedictini sangallensis, anno 1658 „Ecclesiae Doctorem" eum vocavit [17], atque Paulus etiam Freherus protestans norimbergensis anno 1688 concessit fuisse „pietate animi et candore priscis Patribus comparandum" [18]. Cum his encomiis concordant illa, quae eodem saeculo in Canisium congessit Andreas Saussagius (du Saussay) parisinus, regis Galliae contionator ac postmodum episcopus tullensis [19].

---

[1] Bericht von der Gesellschaft Jesu (Ingolstadt 1563) fol. 54—55.

[2] Catalogus testium veritatis (Dilingae 1565) fol. 208—209.

[3] Divi Aurelii Augustini Confessionum libri XIII in Epitomen redacti (Coloniae 1569) praef.

[4] Apophthegmata biblica (Coloniae 1571) f. A 2[b].

[5] Partitiones catechismi catholici (Coloniae 1582) epist. nuncup. f. *A 4[a].

[6] Canonicus is erat complutensis atque in concilio tridentino ob insignem doctrinam theologus summi pontificis nominatus est. Cardillus in versione castiliana catechismi canisiani a se facta Canisium vocat „varon santo y doto" hisque verbis laudationem Canisii adiungit longam atque eximiam: Suma de dotrina Christiana, que compuso en Latin el Dotor Pedro Canisio etc. (En Alcala. 1576) f. 3. non signato. Exemplum huius editionis est in bibliotheca escuriacensi (Escorial) 21. V. 28.

[7] Ein Gespräch von der Jesuiter lehr vnd wesen (Ingolstadt 1576) fol. E 5[b]—F 2.

[8] Illustrium Germaniae Scriptorum Catalogus (Moguntiae 1581) fol. N[a]—N 4[b].

[9] Annales Ingolstadiensis Academiae (Ingolstadii 1580) f. 116[b]—117[a].

[10] D. Stanislai Hosii vita l. 1, c. 20 (edita primum latine Romae 1587, deinde germanice Ingolstadii 1591). Vide opus „Stanislai Hosii Epistolae, Orationes, Legationes", edd. *Fr. Hipler* et *Vinc. Zakrzewski*, I (Cracoviae 1879), p. XXVII.

[11] Almae Ingolstadiensis Academiae Tomus primus (Ingolstadii 1581) f. 108[b]—110[a].

[12] Mortuus a. 1585: „De Canonicis Libri tres" (Lovanii 1670) p. 239.

[13] Prosopographia heroum atque illustrium virorum totius Germaniae P. 3 (Basileae 1566), p. 501.

[14] Chronica Ecclesiae et Monarchiarum (Friburgi in Helvetia 1599) p. 472.

[15] Elogia Illustrium Belgii Scriptorum (Antverpiae 1602) p. 84—86. Similia sunt in eiusdem „Bibliotheca Ecclesiastica" P. 2., ed. ab *Auberto van den Eede* (Antverpiae 1649), p. 146—147.

[16] Opus Chronographicum orbis universi ab anno M.D.LXXII. ad usque M.DC.XI. II (Antverpiae 1611), 224.

[17] Canisius erat — sic e monasterio S. Galli Kalendis Octobribus 1658 ad Alexandrum VII. scripsit — „Germaniae splendidum sidus, propter doctissimos libros, quos edidit, Ecclesiae Doctor" (Apographum saec. XVII. aut ineuntis XVIII., in „*Actis Beatificationis B. Petri Canisii* P. IV. contin.", X. H b [1], A. 23; cf. infra p. XXV).

[18] Theatrum virorum eruditione clarorum (Noribergae 1688) p. 303—304.

[19] Martyrologium Gallicanum I (Lutetiae Parisiorum 1637), p. LXIV; item in opere „Libri de Scriptoribus Ecclesiasticis Cardinalis Bellarmini Continuatio" (Coloniae 1684) p. 38.

Neque posterioribus saeculis hic canisiani nominis splendor elanguit [1], atque e recentioribus etiam protestantibus complures de Canisio verbis loquuntur amplissimis, veluti Ioannes Fabricius, professor et abbas lutheranus [2], Ernestus Salomon Cyprianus, protosynedrii gothani praeses vicarius [3], Ioannes Matthias Schröckh, historiae professor in universitate vitembergensi [4], Ludovicus Philippus van den Bergh, regni neerlandici archivista primarius [5],

---

[1] Canisium magnis laudibus ornavit etiam *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson* O. Pr., theologus notissimus: Historia ecclesiastica variis colloquiis digesta VII (Augusta Vind. et Graecii 1726), coll. 5, p. 122. Idem praestitit *Natalis Alexander* O. Pr., Historia ecclesiastica, saec. XV. et XVI., art. 2, n. 81 (ed. *C. Roncaglia*, IX [Venetiis 1778], 154). Atque in universitate catholica Friburgi Helvetiorum sub auspiciis summi pontificis Leonis XIII. nuper instituta facultas theologica, praeter communem omnium scholarum patronum Doctorem Angelicum, Beatum nostrum Canisium peculiarem sibi elegit patronum una cum Beato Alberto Magno O. Pr.; quod etiam legibus eiusdem facultatis insertum est, ab eodem summo pontifice 19. Iunii 1890 approbatis (Statuta facultatis theologicae Friburgens. apud Helvetios c. 1, n. 2). Qui vero reipublicae friburgensis historiam conscripsit, quantumvis falso indulgeret liberalismo, fassus tamen est: „Jamais vie ne fut plus utilement et plus laborieusement remplie. Elle fut constamment marquée au coin de l'abnégation la plus chrétienne. Orateur éloquent, écrivain distingué, négociateur infatigable, le P. Canisius joignait au zèle de l'apôtre l'habileté du diplomate, l'humilité d'un saint et l'érudition d'un savant“ (Histoire du Canton de Fribourg, par le Docteur *Berchtold* [2e partie, Fribourg en Suisse 1845], p. 271—273). Canisium de Societate Iesu in Germania omnium optime meritum esse clarum est et ab omnibus agnoscitur, v. g. a *K. Fr. Eichhorn*, Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte 4. Thl. (4. Aufl., Göttingen 1836), p. 176°, et ab *Eberh. Zirngiebl*, Studien über das Institut der Gesellschaft Jesu (Leipzig 1870) p. 262.

[2] Historiae bibliothecae fabricianae Pars III (Wolfenbuttelii 1719), p. 366—367.

[3] „Et eruditione singulari et in pontifices Romanos studio obsequiove et labore incredibili in cathedra cum academica tum ecclesiastica ac itineribus plurimis, scribendis etiam catechesi et aliis operibus tolerato summoque haereticorum odio in tantam apud suos claritudinem pervenit Canisius, ut Romae omnibus aetatis illius theologis anteponeretur“ (Tabularium ecclesiae Romanae seculi decimi sexti [Francofurti et Lipsiae 1743] p. 33).

[4] „Keiner unter seinen Ordensgenossen in Deutschland hat mit so vielem Eifer durch Predigten, Unterricht der Jugend, Schriften und Einfluss am Hofe die Anzahl der Anhänger der evangelischen Religion, . . . nicht ohne beträchtlichen Erfolg, zu vermindern gesucht“ (Christliche Kirchengeschichte seit der Reformation 3. Thl. [Leipzig 1805] p. 550).

[5] „Welk eene kerkelijke rigting men ook toegedaan zij, kan men niet anders dan met bewondering op dezen man staren, die zijn geheele leven en alle krachten van ligchaam en ziel toewijdde aan hetgeen hij voor waar en regt hield. Een der hechtste steunpilaren van het katholicisme in die stormachtige eeuw, rigtte hij vooral zijne aandacht op den verwaarloosden staat van het onderwijs en heeft dit dan ook, schoon geheel in kerkelijken zin, door het stichten van een aantal collegien en door eigen leer en voorbeeld krachtig bevorderd. . . . Het protestantisme dat hij zijn geheele leven lang bestreed, kan hem slechts als een dapperen vijand beschouwen, maar zal ten minste aan zijnen onbezweken ijver, zijne groote bekwaamheden en zijn eervol karakter zijne achting niet ontzeggen“ (Het Nijmeegsche Geslacht Kanis, in „Bijdragen voor vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde“. Verzameld en uitgegeven door Mr. *Is. An. Nijhoff*, vervolgd door *P. Nijhoff*. Nieuwe Reeks, Vierde Deel [Arnhem 1866], p. 160—161). Separatim quoque haec commentatio edita est.

Carolus Augustus Hase, inter „polemicos" protestantes nostrae aetatis in Germania facile princeps [1]. Ioannes Janssen Canisium inter celeberrimos et validissimos reformatores numerat, quos ecclesia catholica saeculo XVI. habuerit [2]. Alii Sancto Bonifatio eum comparavere [3] vel in numero apostolorum Germaniae reposuere [4].

---

[1] *Hase* Canisium virum fuisse dicit, qui „prudenter et impigre" laboraverit, quique, „vertraut mit den Kirchenvätern wie mit dem Sinn und Bedürfniss des Volks, in Köln, Baiern, Böhmen, Östreich und überall wo seine Kirche bedroht war, ein langes Leben durch nur diesem einen Gedanken gelebt hat, mittels einer frommen katholischen Glaubens- und Lebens-Ordnung den Protestantismus zurückzudrängen" (Kirchengeschichte [11. Aufl., Leipzig 1886] p. 479).

[2] Geschichte des deutschen Volkes IV (13. Aufl., Freiburg i. Br. 1890), p. 390. Cf. etiam *L. Pastor*, Johannes Janssen (Freiburg i. Br. 1892) p. 122.

[3] Ita fortis ille fidei confessor, *Hermannus de Vicari*, archiepiscopus friburgensis, Friburgo Brisgoviae 25. Martii 1859 Pio IX. scripsit: „Vere dici potest Petrus Canisius, qui in mediis haeresum procellis religionem et sanam doctrinam labescentem in Germania stabilivit, dignus S. Bonifacii, Germanorum Apostoli, aemulus et comes, siquidem bonam plantationem jamjam perituram ab interitu vindicare consimilis laus est, quam eamdem primum instituisse" (Sacra Rit. Congr. Lausanen. Beat. et Can. Ven. Servi Dei Petri Canisii. *Positio super miraculis* [Romae 1860] Summar. addit. p. 1—2). Similiter *Ioannes Baptista Heinrich*, theologiae professor et ecclesiae cathedralis moguntinae decanus; ex cuius sententia „in Wahrheit nächst dem heil. Bonifacius kein Mensch so sehr die Dankbarkeit, Verehrung und Liebe des katholischen Deutschlands verdient, als unser Petrus Canisius" (Der selige Petrus Canisius. Eine Predigt zur Feier seiner Seligsprechung gehalten im Münster zu Strassburg [Mainz 1865] p. 13).

[4] Ita v. g. *Henricus de Knöringen*, episcopus augustanus, anno 1629 in sua „Visitatione Sacrorum liminum BB. Apostolorum Petri et Pauli" de Cauisio: „Jam hi," inquit, „jam alii ab isto zelosissimo viro errores suos dedocti orthodoxae veritati manus dederunt, ut proinde non parum Augusta huic Apostolo debere se debeat profiteri" (Ex apographo partis huius „Visitationis" circ. a. 1864 a P. *Flor. Riess* S. J. facto). *Ferdinandus Maria*, Bavariae elector, in litteris Monachio 26. Ianuarii 1659 ad Alexandrum VII. summum pontificem datis Canisium „totius quidem Germaniae, praesertim uero Bauariae praeclarum superiore seculo Apostolum" fuisse affirmat (Ex apographo saec. XVII. vel XVIII. scripto, in *„Actis Beatif."* l. c. A. 28). Proximo autem saeculo *Franciscus Ludovicus Schenk de Castell*, episcopus eystettensis, Benedicto XIII. pontifici scripsit: „Aequissimum plane" mihi videtur, „hunc, ut ita dicam, Germaniae Apostolum . . . Beatorum honoribus propius admoveri" (Epistula data Eystadio 2. Iunii 1729 et edita in „Pastoral-Blatt des Bisthums Eichstätt" VIII [Eichstätt 1861], 206). De Helvetia autem catholica *Claudius Antonius Duding*, episcopus lausannensis, in litteris Friburgo 21. Aprilis 1732 ad Clementem XII. missis testatur: [Canisium] „tota Helvetia, quae Catholica est, . . ut Patrem suum in Christo diligit, ut Apostolum colit" (Ex apographo eiusdem fere temporis, in *„Actis Beatif."* l. c. A. 32). Eodem fere tempore protestans etiam *„Bibliothecae universalis"* editor testificatus est Canisium tantam apud catholicos gloriam assecutum, „dass man ihn für dem zweiten Apostel Teutschlandes hielte" (Vol. III [Norimbergae 1739], p. 162). Neque ab his dissonat sententia ipsius ecclesiae catholicae: [Canisius] „Germaniae apostolus appellatus, et plane dignus habitus est, qui ad tutandam in Germania religionem datus divinitus putaretur" (*Breviarium romanum.* Pars verna. Lectio 5 in officio B. Petri Canisii, inter festa „ex indulto"). *Paulus* autem *Drews*, minister protestans, fatetur: „Man muss zugestehen, dass er römischerseits den Namen eines Apostels Deutschlands verdient" (Petrus Canisius, der erste deutsche Jesuit [Halle 1892] p. 103).

Tanta Canisius certe non praestitisset, nisi cum eruditione ac facundia insignem vitae probitatem coniunxisset atque imprimis orationis assiduitatem, animi demissionem, oboedientiam erga praepositos, ardens studium gloriae divinae et salutis animarum promovendae. Propter has virtutes ultimis praesertim vitae annis vir sanctus habebatur, sepulcrum ex tempore mortis eius usque in praesens pietatis gratia a multis visitabatur, pleraque sanitatum mira beneficia per eum impetrata referebantur [1]. Annis 1625 et 1626 Dilingae, Frisingae, Friburgi Helvetiorum episcopi iuridice de Canisii vita inquirere coeperunt, et anno 1740 initium factum est processui beatificationis apostolico; ad quem, temporum iniuria interruptum, Gregorius XVI. anno 1833 rediit. Idem pontifex 28. Ianuarii 1844 sollemniter declaravit virtutes in Canisio fuisse heroicas. Denique Pius IX. 17. Aprilis 1864 quattuor miracula approbavit eius intercessione patrata, et 20. Novembris eiusdem anni Beatorum catalogo Canisium inscripsit eiusque festum diem quotannis die 27. Aprilis agi concessit [2].

2. De Canisii epistulis et de ratione in iis edendis servata.

Canisius „semper“, inquit Franciscus Sacchinus S. J., „habuit in more absentibus quoque prodesse per literas, quae omnes a iuuene licet conditae, sanctam quandam Patrum priscorum antiquitatem, et grauitatem spirabant.“ [3]

Tricesimum annum Canisius vixdum attigerat, cum iam duae eius epistulae typis vulgatae sunt in volumine litterarum ad Fridericum Nauseam, episcopum viennensem, datarum [4]. Paulo autem post Beati nostri mortem aliquae eius epistulae tamquam sacrae quaedam reliquiae coli coeptae sunt [5]. Inter quas recensenda est illa, quam eruditus ille pariter ac pius

[1] Ita v. g. visitatores et abbates congregationis helveticae ordinis Sancti Benedicti „Feficone“ 7. Octobris 1658 Alexandro VII. papae scripserunt: Ad Canisii canonizationem petendam se adduci „eius Viri plane Apostolici heroicis virtutibus, animarum zelo eximio, et frequenti miraculorum gratia, quibus Germaniam totam, et cumprimis Heluetiam nostram impleuit“ (Ex apographo saec. XVII. aut ineuntis XVIII., in *„Actis Beatif.“* l. c. A. 24).

[2] *Riess* l. c. p. 550–571. Processus apostolicus beatificationis Canisii magna cum diligentia et, saeculo imprimis XVIII., cum sancto quodam rigore factus est; quo rigore P. *Francisco Xaverio Fegeli* S. J., qui ex anno 1740 eius processus „procurator substitutus“ fuit, aliquando haec verba excussa sunt: „Vere dixit quispiam Cardinalis: ‚Qui vult facere sanctum Confessorem, debet fieri Martyr,‘ id est, laboribus, molestiis, adversis“ (MS.: „Succincta Narratio Eorum, quae gesta sunt circa Processum Apostolicum . . . V. P. Petri Canisii S. J.“, in *„Actis Beatificationis B. Petri Canisii* P. IV“, n. 21, p. 21 [Ser. X. H[b]]).

[3] De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii (Ingolstadii 1616) p. 45.

[4] Epistolarum miscellanearum ad Fridericum Nauseam Blancicampianum . . . libri X (Basileae 1550), p. 373–375. 400–403.

[5] Ita memoriae traditum est anno 1618 mulierem quandam (lucernensis ea fuisse videtur) in vitae periculum vocatam „thecam, literas P. Petri Canisii manu exaratas continentem“ corpori admovisse „eo invocato, cujus reliquiae essent“, ac paulo post periculo esse liberatam (*„Supplementum Historiae Collegii Lucernensis“* anno 1636 [ni fallor] scriptum et Romam ad praepositum Societatis Iesu generalem missum, ad a. 1618). Ac Canisii epistula quaedam etiam Friburgi Helvetiorum imposita est capiti Elisabethae Vonderweit morbo mortifero laborantis, ac paulo post idem morbus Canisii intercessione subito perfecteque sanatus est; quod unum ex

Hippolytus Guarinonius medicus et historiarum scriptor pectori appensam portare solebat, cum annis 1611 et 1634, pestilentia magnam partem comitatus tirolensis infestante, aegrotos visitaret; qui etiam tabulis 15. Maii 1650 Halae ad Oenum confectis sancte testatus est se huic epistulae incolumitatem suam acceptam referre [1]. Proximo saeculo, cum Canisii scripta in processu beatificationis eius de more recognoscerentur, etiam 30 fere epistulae canisianae excussae et a sacra rituum congregatione probatae sunt [2].

Centum Canisii epistulas in Helvetia collegerant Socii collegii friburgensis, prelo subiciendas, et hodie quoque diploma exstat, quo Christophorus Schorrer, Societatis Iesu per Germaniam superiorem visitator et viceprovincialis, Friburgi Helvetiorum 12. Ianuarii 1662 centuriae huius typis exscribendae potestatem iis tribuit [3]. At ignotis de causis exscripta non est. Aliquid simile accidit P. Iosepho Boero S. J., viro de historia ordinis nostri optime merito; editionem is parabat omnium Canisii epistularum, et multas iam ipse transcripserat, multas transcribendas curarat [4]; sed aliis negotiis iisque gravissimis abstractus, thesaurum suum provinciae Societatis Iesu germanicae tradidit [5], auctore (ni fallor) praecipuo R. P. Antonio Maria Anderledy, qui postea totius Societatis summus moderator fuit († 18. Ianuarii 1892).

Exstant quidem haud paucae Canisii epistulae per diversos libros sparsae: imprimis in vitis eiusdem a Radero, Sacchino, Pythone, Boero, Riess conscriptis, in historiis tum Societatis Iesu universae tum singularum provin-

---

quattuor illis miraculis est, quae Pius IX. 17. Aprilis 1864 sollemniter approbavit (*Boero,* Canisio p. 460—462. 487—490. *Riess* l. c. p. 546—547. 568—570).

[1] Epistula haec ab ipso Canisio Friburgo Helvetiorum 8. Octobris 1595 missa erat Dilingam ad Michaelem Eberium S. J. scholasticum. Quae suo loco proponetur. Relatio autem ab ipso *Guarinonio* scripta ipsiusque sigillo maiore munita, 6 paginas in 2° occupans, apud nos exstat.

[2] Sacra Rituum Congregatione . . Lausannen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Canisii. *Positio super virtutibus* (Romae 1833) Summar. addition. p. 1—3.

[3] Archetypum est Monachii in archivo regio l. c.

[4] *Boero,* Canisio p. 5. 6; cf. etiam *Riess* l. c. p. VIII.

[5] Boero in exscribendis epistulis canisianis, salvis rebus ipsis, sermonem, italicum imprimis, ad nostram aetatem accommodare solebat et quaedam etiam omittebat, quae nimis parva vel sicca vel aliis de causis non edenda ipsi quidem videbantur. Attamen eius apographa postea ab aliis correcta et suppleta sunt. Natus est *Iosephus Boero* (cuius nomen saepissime in hoc opere recurret) Vintimelii (Vintimiglia) in Italia superiore 15. Augusti 1814, Societatem Iesu ingressus 6. Ianuarii 1830, in diversis postea Italiae collegiis grammaticam, litteras humaniores, rhetoricam professus. Romae autem per multos annos archivo generali ordinis nostri praefuit et in processibus beatificationis et canonizationis „postulatorem causarum" egit, eoque postulante etiam processus beatificationis Canisii nostri ad felicem exitum perductus est. Per aliquot etiam annos Boero munus „assistentis Italiae" gessit sicque reverendum patrem Petrum Beckx, Societatis praepositum generalem, in toto ordine gubernando adiuvit. Inter tot negotia Boero 80 fere libros et libellos aut ipse elucubravit aut ab aliis compositos prelo subiecit; atque imprimis vitas conscripsit multorum insignium virorum Societatis; in quibus libris multa inveniuntur nova, quae auctor ex archivo nostro romano (tunc nondum disperso) deprompsit. Mortuus est Romae 8. Februarii 1884. Boeri libri recensentur a *Carolo Sommervogel* S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. Bibliogr. I (Bruxelles-Paris 1890), col. 1571—1584.

ciarum eius, in libello periodico bruxellensi „Collection de Précis historiques“; quorum librorum index alphabeticus singulis voluminibus addetur. Verum multae epistulae ibidem mutilae tantum reperiuntur aut in aliam linguam conversae aut aliter mutatae, et ex ipsis illis libris complures rariores sunt, quidam etiam rarissimi. Accedit quod permultae epistulae Canisii numquam editae sunt, neque etiam iudicia quaedam eiusdem, quae longa sunt et magni momenti. Haec de epistulis a Canisio scriptis. Earum autem, quae ad ipsum datae sunt, paucissimae tantum typis descriptae conspiciuntur, ac multae omnino periisse videntur, ita v. g. illae, de quibus P. Georgius Scherer S. J. — Viennae is aliquamdiu Canisii socius domesticus fuerat — 29. Novembris 1604 Lentia ad P. Ferdinandum Alberum, collegii viennensis rectorem, haec scripsit: „Inveni etiam literas multas Caesaris Ferdinandi, quibus ipsum Canisium in negotiis gravissimis consulebat, imo deferebat ipsi magna instantia Episcopatum Viennensem, nescio an etiam Labacensem.“ [1] Attamen feliciter evenit, ut multarum eiusmodi epistularum adumbrationes saltem aut apographa eodem tempore facta conservarentur, earum imprimis, quas ad Canisium dedere generales praepositi Iacobus Lainius, S. Franciscus Borgias, Everardus Mercurianus, Claudius Aquaviva.

Ut haec omnia colligerentur, atque etiam alia sive scripta sive libri rari, qui epistulis ipsis lucem aspergere possent, invenirentur, perlustrata sunt plus quam 260 tabularia et bibliothecae — eaque maximam partem ab editore ipso — in Anglia, Austria, Belgio, Dania, Gallia, Germania, Helvetia, Hispania, Hollandia, Italia, Lusitania, Suecia.

Multa reperta sunt in archivis: secreto vaticano, regio monacensi [2], caesareo viennensi [3] itemque caesareo oenipontano [4], cantonali friburgensi in Helvetia etc.; in musaeis: britannico, quod est Londini, et plantiniano, quod est Antverpiae; in bibliothecis: urbis Romae vaticana, casanatensi, nationali, viennensibus aulica et academica, monacensibus regia et academica, dilingensi regia, lovaniensi academica, bruxellensibus regia et patrum Bollandistarum; denique Friburgi Helvetiorum in bibliothecis dioecesana et cantonali, Friburgi Brisgoviae in academica; atque etiam multis aliis locis. Quae omnia hic enumerare non vacat.

Singulis autem epistulis nomen archivi vel bibliothecae ascribetur, in qua inventae sunt sive archetypae sive transcriptae, et praeterea singulis voluminibus conspectus codicum manu scriptorum praefigetur, qui ad epistulas eius voluminis vel exscribendas vel illustrandas frequentius adhibiti sunt.

Societatis quoque Iesu tabularia et bibliothecae compluribus in terris pervestigatae et multa in iis inventa sunt; longe autem plura certe inventa essent, nisi in tempestatibus saeculis XVIII. et XIX. contra Societatem exortis scripta eius, tam bene olim disposita et conservata, multis modis permixta, mutilata, rapta, ex una regione in alteram transmissa, ex parte etiam destructa essent. Atque ex iis ipsis epistulis Canisii, quae apud nos supersunt, complures editor non vidit; attamen effecit, ut satis accurata earum apographa sibi mitterentur. Quodsi cui scripto aut scripti particulae locus non ascribitur, in quo exstet, eo ipso significatur apud Societatem Iesu esse.

---

[1] Autographum est in tabulario quodam Societatis nostrae.
[2] K. Reichsarchiv. [3] K. k. Haus-, Hof- und Staatsarchiv.
[4] K. k. Statthalterei-Archiv.

Complures Canisii epistulae, tanta etiam adhibita diligentia, deprehendi non potuerunt; v. g. illae, quas „ad Episcopum Mindensem et Ducem Brunswicensem“ missas esse academiae ingolstadiensis historiographus quidam affirmat[1]. Nec tamen messis exigua fuit.

Spectanti enim epistulas canisianas, quae aut ex omni parte aut ex aliqua saltem supersunt, apparebunt inter eos, qui litteras a Canisio accepere aut ad eum dedere, Sancti Franciscus Salesius, Carolus Borromaeus, Ignatius, Franciscus Borgias, Beatus Petrus Faber, summi pontifices Iulius III., Pius IV., Gregorius XIII., imperatores Ferdinandus I. et Ferdinandus II., Bavariae principes Albertus V., Guilielmus V., Maximilianus I., archidux Ferdinandus II. Tirolensis, cardinales Amulius, Commendonus, Bartholomaeus Gallus, Hosius, Philippus Bavariae dux, Sirletus, Truchsessius, nuntii apostolici Ioannes Franciscus Bonhomius, Ioannes Dolphinus, Aloysius Lipomanus, Sebastianus Pighinus, Bartholomaeus comes Purliliarum; antistites (episcopi, administratores etc.) archidioecesium et dioecesium argentoratensis, basileensis, brixinensis, eystettensis, frisingensis, herbipolensis, lundensis, moguntinae, monasteriensis, naumburgensis, paderbornensis, pragensis, salisburgensis, treverensis, varmiensis, viennensis; Societatis Iesu praepositi generales Iacobus Lainius, Everardus Mercurianus, Claudius Aquaviva; viri illustres permulti, veluti Petrus Busaeus, Maternus Cholinus, Franciscus Costerus, Martinus Eisengrein, Georgius Fuggerus, Ioannes Gropperus, Wiguleus Hundt, Bartholomaeus Latomus, Guilielmus Lindanus, Oliverius Manareus, Hieronymus Natalis, Ioannes Nopelius, Onufrius Panvinius, Ioannes Pistorius, Christophorus Plantinus, Antonius Possevinus, Alphonsus Salmeron, Wolfgangus Sedelius, Petrus Schnewly, Ioannes Iacobus a Staal, Fridericus Staphylus, Laurentius Surius, Ruardus Tapperus, Guilielmus Techtermann, Sebastianus Verronius, Marcus Welser etc.

Haec ipsa nomina sufficient ad ostendendum momentum, quod in epistulis canisianis situm est pro historia tum sacra tum civili tum litteraria. Quod quidem enucleatius enarrabunt prooemia specialia singulis praefigenda voluminibus. Praeterea singulis epistulis „summarium“ antecedit, docens, quid contineant.

Epistulae porro a Canisio datae vel ad eundem missae hic ponentur omnes, sive editae iam sunt sive non sunt; itemque iudicia Canisii, ac litterae etiam „dedicatoriae“, a Canisio suis aliorumve libris praefixae, vel ab aliis scriptoribus ad Canisium datae; nam in his quoque nova quaedam et singularia dicuntur de hominibus rebusque illorum temporum, aliaque valde pulchra; ac libros illos ipsos inspicere, nunc saepe haud ita facile est[2]. Quodsi alicuius canisianae epistulae exemplum quidem ipsum periit, vestigia autem quaedam supersunt, e. g. in epistula tertii cuiusdam, epistulae illius canisianae mentionem facientis, haec in formam „regesti“ redacta typis, quas dicunt, cursivis exscribuntur. Ea autem, quae dicta sunt, omnia non per tres aut quattuor classes distinguentur, sed promiscue ponentur, temporum tantum ordine observato; secus enim nimiae in uno eodemque volumine orirentur divisiones; et epistulae ad Canisium missae saepe responsiones sunt

---

[1] *I. N. Mederer*, Annales Ingolstadiensis Academiae P. 2 (Ingolstadii 1782), p. 151. Episcopus ille fuisse videtur Georgius, archiepiscopus bremensis idemque episcopus mindensis et administrator verdensis, qui Henrici iunioris, ducis brunsvicensis, frater erat. De quo *E. Reimann*, Die Sendung des Nuntius Commendone etc. in „Forschungen zur deutschen Geschichte“ VII (Göttingen 1867), 266.

[2] Clarissimi editores epistularum cardinalis Hosii epistulis etiam „praefationes ad lectorem“ adiungunt.

ad praecedentes epistulas Canisii; iudicia quoque Canisii epistularum instar utplurimum certis hominibus destinata sunt. In posteriore autem singulorum voluminum parte „monumenta canisiana" collocabuntur, sive ea referentur, quae alii de Canisio scripserunt, quaeque Canisii ipsius vitam et epistulas illustrare possunt. Ad historiae autem perspicuitatem et lectorum commoditatem magis collaturum esse videbatur, si monumenta haec primum praecipuis locis, quibus Canisius moratus est, et deinde rebus, quae singulis locis gessit, digererentur (v. g.: monumenta coloniensia, ingolstadiensia etc.; in ingolstadiensibus: monumenta quae spectant ad Canisii missionem et adventum, ad eius scholas et vitae exempla, ad munus rectoris ab eo gestum etc.), et deinde singulorum illorum capitum res temporibus dividerentur. In adnotationibus quoque historicis, quae post „criticas" sive res grammaticas etc. spectantes, singulis epistulis subicientur, haud paucae scriptorum particulae ex codicibus aliisque fontibus nondum editis vel rarioribus proferentur.

Sicubi igitur signum * in adnotationibus et explicationibus comparebit, indicabit editorem fonte uti (quod ipse quidem sciat) nondum edito; in adnotationibus, dico, id fiet; nam ipsis epistulis Canisii, vel ad eum datis, vel „monumentis canisianis" hoc signum numquam apponetur; si quod enim huiusmodi scriptum nunc primum in lucem emittitur, id ex hoc ipso intellegi poterit, quod post exemplum manu scriptum, ex quo typis transcribitur, liber non indicatur, quo iam totum vel ex parte vulgatum sit.

Abundare his in rebus magis placet quam parciorem esse. Quod enim uni non sapit, alteri fortasse arridet. Sunt multa, quae ad universalem quidem historiam non attinent, sed valent ad melius cognoscendam historiam singularis alicuius urbis, scholae, artis, ordinis religiosi. Verumtamen „sunt certi denique fines"; ideoque in hoc libro, quas Canisius dedit, epistulae, cum operis huius praecipuam partem constituant, generatim proponentur integrae, nulla re mutata, nulla decerpta. Aliter vero de litteris fiet ad Canisium missis. Ex iis enim, quae praepositi generales ad eum dederunt, multae admodum prolixae sunt multaque continent, quae hodie fere nullius iam sunt momenti, e. g. fratrem aliquem laicum Societatis Iesu ex culina unius collegii in culinam alterius domus transferendum esse, vel aureos aliquot, qui Romae Socio alicui in Germaniam profecturo viatici loco dati sint, hac vel illa ratione romanis Sociis restitui posse. Harum igitur quaedam integrae ponuntur; in aliis aliqua, punctis appositis, praeciduntur [1]; aliquae in „regesta" contrahuntur. E „monumentis" illa ponuntur integra, quae usque adhuc typis descripta non sunt; cetera, ne huius operis pretium et volumina nimis augeantur, in „regesta", una tantum alterave sententia ad verbum proposita, contrahuntur, nisi specialis ratio aliud suadeat, v. g. quod monumentum valde grave vel splendidum sit, vel quod tantum in libro valde raro vel non integre vel sat mendose editum sit.

Cuncta porro, quantum fieri potest, ea lingua proponuntur, in qua primum scripta sunt; iis autem, quae latina non sunt, latina versio minoribus

---

[1] Attamen exempli praebendi causa complures saltem huius generis epistulae integrae proponentur. Signo — — notatur, in ipso fonte aliquid deesse.

typis additur vel potius subiungitur; quod superfluum sane atque vituperatione dignum foret, si solis historiographis et philologis hoc opus destinaretur; verum etiam piae lectioni et salubri monitioni omnium Societatis Iesu hominum aliquatenus inservire debet; qui, per totum orbem sparsi, non possunt singuli tot litteras commode legere et interpretari antiquo illo sermone Germanorum et Italorum conscriptas.

In eiusmodi lectorum gratiam etiam nonnullae adnotationes adduntur, quas pro historicis addere certe supervacaneum erat; nec tamen ea enarrare visum est, quae ingeniis excultis sat nota sunt vel in quolibet historiae compendio facile reperiri possunt. Supervacaneum etiam est monere adnotationes illas tantae auctoritatis non esse, quantae ipsius Canisii epistulas, sed eam tantum fidem iis haberi posse, qua ipsi libri digni sunt, ex quibus excerptae esse dicentur.

Ante singulas autem epistulas, ex quibus haustae sint fontibus, ita indicabitur, ut primo loco semper codex ille scriptumve ponatur, in quo ipsa editio quasi nititur, sequantur alia exempla minoris valoris, quibuscum primus ille fons collatus est, ac tandem libri, in quibus forte epistula illa iam edita conspicitur. Neve quisquam miretur nonnumquam recentia apographa antiquis praelata esse; praelata sunt, quia constabat ea a viris omni fide dignis ex ipsis archetypis descripta esse; antiquiorum autem illorum exemplorum scriptores proximique fontes ignorabantur. Ex operibus quoque typis descriptis lectiones variantes, quas vocant, nonnumquam proponentur; harum enim aliae ad verba Canisii a corruptelis purganda conferent, aliae autem, quam parva fides editoribus quibusdam haberi possit, declarabunt.

Hoc quoque notandum est eas epistulas, quas auctor (v. g. Canisius, Otto Truchsessius) sua manu scripsit, „autographas“ ab editore dici; illas vero, quas auctore dictante vel mandante alius scripsit, „archetypas“; si qua epistula ab alio descripta fuerit, hoc exemplum „apographum“ vocatur, et is, qui descripsit, „librarius“ [1]; illud denique scriptum, quo epistula ipsa primum praeparatur sive adumbratur (Entwurf, Concept, brouillon, minuta, sketch), huius operis editor cum editoribus epistularum Stanislai Hosii „commentarium“ appellare statuit.

In fine cuiusque epistulae inscriptio eius, si exstabit, apponetur, et nonnumquam minoribus typis ea ascribentur, quae non tam res singulares in epistula relatas spectant (de his enim adnotationes in marginibus inferioribus singularum paginarum positas consulere oportet) quam totam epistulam: eius authenticitatem, integritatem, historiam, tempus, quo data est etc.

Cum autem Canisius non suis, sed ipsius sacrae Scripturae verbis loquitur, ea verba typis latius dispositis describuntur, idque eo consilio, ut intellegatur, quam familiariter simul ac reverenter catholicus ille saeculi XVI. vir Sacra Scriptura usus sit, quamque firmiter in ea sententia steterit, quam aliquando in libellum quendam suum rettulerat: „Laudatissimum et Deo gratissimum, quod oculis homo facere queat, sunt amoris lacrymae et sacrae Scripturae

---

[1] Cum igitur epistula aliqua archetypa non ab editore ipso, sed ab aliquo eius amico sodalive visa et descripta est, id semper diserte patefiet. Idem vero in locis quoque illis facere, qui in adnotationibus afferuntur, operae pretium non est visum.

jugis lectio.“ [1] Duo tamen hic notari opus est. Primum: Canisius saepe locos Scripturae memoriter tantum producit; quod etiam sanctis ecclesiae patribus frequens erat. Secundum: Vulgata sacrae Scripturae editio, quam dicunt „Sixti V.“, anno 1590 in lucem emissa, sed brevi post retractata est; Clemens VIII. autem Vulgatam anno 1592 primum edidit, annis 1593 et 1598 a mendis repurgavit, sic demum repurgatam exemplar ac typum esse voluit omnium editionum futurarum. Ideo mirum esse non potest Canisium annis 1541—1597 scribentem a vulgata nostra editione nonnumquam paululum discrepare etiam iis locis, quibus Scripturam ad verbum describere vult.

Editores nostrae aetatis vexantur hac quaestione: Quomodo ipsa veterum scriptorum verba tractanda sint, vel quomodo scribenda et interpungenda? Omnia „modernizare“ — liceat mihi ita dicere — iam exosum est. Cuncta vero, vel minima, ad amussim intacta relinquere, qualia in ipsis veterum scriptis habentur, nil omnino mutando, addendo, omittendo, nimis servile foret nimisque molestum et legentibus et iis, qui opus typis describere debent. Si quis autem palaeographiae studio ductus haec omnia videre vellet, codicem ipsum vel photographiam eius inspicere posset. „Normalizare“ igitur editoribus nostri aevi placet, sive verba secundum certam normam castigare, quo commodius legi possint. Atque sunt, qui exoptent, ut pro uno saltem saeculo et pro unius linguae vel nationis scriptis una aliqua ac firma eiusmodi exsistat norma. At reapse suas proprias sibi statuit leges „institutum historicum“ regni borussici, quod Romae studiis operatur, itemque suas sibi condiderunt Austriaci, qui ibidem simile constituunt „institutum“; suas tulere Wurtembergenses, alias historici germani, qui a. 1895 Francofurtum ad Moenum convenerant. Atque etiam scriptores particulares non pauci suam sibi statuerunt normam eamque in praefatione libri sui exposuerunt [2].

Quorum exemplum huius quoque operis editor sequitur. Caput ei erit vetusta scripta non corrigere neque mutare, nisi cum ratio ipsa aut preli typographici indoles id postulaverint; cetera prudenti lectori offerre talia, qualia ipsi oblata sunt. Itaque

a) Enodabuntur et communi modo scribentur verborum sigla sive compendia illa difficiliora, quae plerumque lineis sive rectis sive curvis confecta sunt, v. g. „q“ cum lineola subducta pro „quae“, „q_3“ pro „que“ vel „quam“, „mia“ cum lineola superducta pro „misericordia“. Simpliciora autem sigla sive in quibus litterae tantum aliquot omissae sunt, apposito puncto, relinquentur, v. g. „Reverend.“ vel „Rev.“ pro „Reverendus“; attamen frequentius occurrentium eiusmodi siglorum index alphabeticus et explicatio in initio singulorum voluminum ponentur.

b) Omittentur generatim apices et puncta et signa similia, super litteris collocata, v. g. „quàm“, „ünd“, „nũnc“; pro germanico „ß“ ponetur „ss“; ea autem, quae ipsum sermonem eiusve genus sive dialectum manifeste et quasi necessario spectant, relinquentur, v. g. „gůt“, „parlò“.

c) Cum patebit scriptorem ipsum, si paulo attentius scripsisset aut scriptum relegisset, fuisse hoc signum interpunctionis positurum, e. g. punctum in fine, hoc vocabulum ita scripturum, correcturum, completurum, additurum: hac ipsa ratione scriptum eius corrigetur; attamen quae auctor ipse scripsit, in adnotationibus criticis proponentur, et litterae verbave suppleta uncis quadratis semper in-

---

[1] B. Petri Canisii exhortationes domesticae, ed. *Georg. Schlosser* S. J. (Ruraemundae 1876) p. 448.

[2] Ita e. g. *Franc. Dittrich* in „Nuntiaturberichte Giovanni Morones vom deutschen Königshofe 1539. 1540“ (Paderborn 1892) p. VII. VIII. *Walter Friedensburg* a. 1893: „Ist doch“, inquit, „über die Behandlung historischer Texte noch so wenig Einstimmigkeit erzielt, dass im Grunde jeder Forscher sein eigenes System hat“ (Nuntiaturberichte aus Deutschland 1533—1559 III [Gotha 1893], Vorw. p. I).

cludentur; praeterea, si operae pretium erit, mutationis vel additionis illius ratio copiosior reddetur. Similiter agetur, si quid ex antiquo exemplo abscissum est vel in eo deletum etc.

Ac semper, si quid uncis quadratis [ ] includetur, eo ipso significabitur ab editore additum esse.

d) In reliquis autem rebus scriptorem editor accurate sequetur, tum in proprietatibus eius grammaticis, etiamsi mendosae sint, tum in ea versuum incipiendorum ratione, quam „Alinea" dicimus, tum in orationis interpunctione sive in usu commatum, uncorum etc., tum in numeris pingendis (v. g. „vj" pro „VI", „MD" pro „1500"), tum in verbis quibusdam iungendis vel disiungendis (e. g. „Gottes Haus" pro „Gotteshaus"), tum in verbis ipsis scribendis per has vel illas litteras, maiusculas, minusculas, „consonantes" vel „vocales" duplicatas et cumulatas (v. g. „Ecclesia" pro „ecclesia", „ocium" pro „otium", „vnus" pro „unus", „faelix" pro „felix", „subijcio" pro „subicio"[1], „Vatter" pro „Vater", „nemmen" pro „nehmen"), tum in varianda eorundem verborum scriptione, v. g. in eadem epistula modo „havere" scribendo, modo „avere", tum in praetermittendis apicibus, quos „accentus" dicunt, in iis verbis italicis vel gallicis, in quibus nunc poni solent[2].

e) Lectionibus miris vel singularibas [*sic*], dubiis [?] apponetur, et, si opus fuerit, adnotatio subiungetur.

f) Notum est saeculo sexto et decimo homines doctos nomina sua e patrio sermone in latinum vertere consuevisse, et multa eiusmodi nomina latina adeo in usum litterarium transiisse, ut patria raro tantum usurpentur (v. g. B. Petri Fabri [Favre, Lefèvre] et Friderici Staphyli [Stapellage]). Haec igitur nomina editor quoque in suis adnotationibus etc. adhibebit; nam magis communia et nota atque etiam constantia sunt, cum patria ab aliis — immo et ab eodem aliis temporibus — aliter scribantur (v. g. Sacchini — Sacchino; Peurle — Baürle). Attamen patria nomina semel vel etiam pluries latinis adiungentur. Cum autem nomina propria in epistulis et quibuscumque aliorum scriptis occurrent, ita reddentur, ut ab auctoribus ipsis scripta sunt.

Apparet quidem haud omnes editores ita agere. Est qui in „autographis" clarorum hominum edendis huiusmodi scribendi rationem probet, in aliis scriptis improbet[3]. Alii in nominibus tantum propriis nil immutandum esse senserunt[4]. Multi scribendi genus antiquum plus minusve retinent, interpunctionem omnino ad tempus nostrum accommodant[5]. Nolunt quidam usum litterarum i et j ad aetatem nostram

---

[1] In libris etiam, imprimis latinis, typis exscribendis litteras V et U, v et u, I et J, i et j saeculis XVI. et XVII. modo promiscue, modo cum certo discrimine adhibitas esse atque immo nunc quoque Germaniae typographos et viros doctos ea in re discrepare, ostendit *E. Horn* in „Centralblatt für Bibliothekswesen" 11. Jahrg. (Leipzig 1894), 385—400.

[2] Hi apices eodem modo in verbis italicis praetermittuntur a *Ios. Hansen,* Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585: Erster Band. Der Kampf um Köln 1576—1584" (Berlin 1892), p. VIII etc. Ponuntur a *Walt. Friedensburg,* Nuntiaturberichte aus Deutschland 1533—1559 I (Gotha 1892), p. XIII. XIV etc.

[3] Ita *Fel. Stieve,* Die Politik Baierns 1591—1607. Erste Hälfte (München 1878), p. XVI. Qui de recentioribus actis germanice scriptis idem tradit in „thesibus" vel praeceptis quae a. 1894 et 1895 historicis germanis Lipsiae et Francofurti congregatis proposuit (Deutsche Zeitschrift für Geschichtswissenschaft XI [Freiburg i. B. und Leipzig 1894], 200—201; Bericht über die dritte Versammlung deutscher Historiker etc. [Leipzig 1895] p. 21). *Friedensburg* vero noluit exemplorum a librariis scriptorum verba minus accurate reddere quam archetyporum (l. c. p. XIII etc.).

[4] Sic v. g. *Fr. Lud. Baumann,* Akten zur Geschichte des deutschen Bauernkrieges aus Oberschwaben (Freiburg i. Br. 1877) p. XI. Similiter editores epistularum cardinalis Hosii.

[5] Ita e. g. *Aug. v. Druffel,* Briefe und Akten zur Geschichte des sechzehnten Jahrhunderts I (München 1873), p. XVIII—XIX. Similiter P. *Ambr. Gietl* O. Pr., Die

prorsus conformare, cum tamen litteris u et v nostro modo utantur, relicto antiquo [1]. Alii ipsas illas litteras v et u iam antiquo more ponunt, iam recente [2].

Sentenzen Rolands, nachmals Papstes Alexander III. (Freiburg i. Br. 1891), p. LXX. Item editores codicis diplomatici turicensis (*Escher* und *Schweitzer*, Urkundenbuch der Stadt und Landschaft Zürich. Bd. I. II. Zürich 1888. 1890). At contra *Jos. Fiedler* in edendis relationibus, quas legati veneti saeculo XVI. de Germania et Austria scripserunt, eorum et scriptionem et interpunctionem retinuit: „Die grösste Sorgfalt wurde darauf verwendet, dass der Text mit den in jeder der Relationen zu Tage tretenden Eigenthümlichkeiten der Schreib- und Ausdrucksweise möglichst getreu wiedergegeben werde. Abweichungen vom Originale fanden nur in der Interpunction statt, wo es das Verständniss unerlässlich erforderte" (Fontes rerum Austriacarum, Abth. 2, XXX [Wien 1870], x). In interpungendis „*Monumentis Germaniae historicis*" diversos editores diversas sibi leges statuisse fatetur *G. Waitz*, Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde II (Hannover 1876—1877), 457, n. 1.

[1] Ita v. g. *Io. Frid. Böhmer* in „Actis Conradi I. Regis" (Frankfurt a. M. 1859); qui e. g. p. 13 habet „divino", „iugiter". Item *Fr. X. v. Wegele*, Geschichte der Universität Wirzburg. 2. Th. Urkundenbuch (Wirzburg 1882); qui v. g. scribit quidem „civitas", „ubique", sed simul „ydoneus", „iurisdiccio". Atque etiam *L. Duchesne* v. g.: „amavit", „venit" pro „amauit", „uenit" ponit, cum tamen retineat v. g. „eius": Le Liber Pontificalis (Paris 1886. 1892). P. *H. S. Denifle* O. Pr. in suo „Chartulario Universitatis Parisiensis" (v. T. I [Parisiis 1889], introd.) litteris i, j, u, v non tam antiquo more quam nostro utitur; reliqua autem retinet, atque etiam v. g. „IIJ", „VJ" loco nostrorum „III", „VI". Rursum *Böhmer* suadet, ut v. g. pro „VJ" ponatur „VI", et loco litterarum versalium (ut „LI") ad numeros significandos communes illas seu parvas poni posse censet (ut „li"); qui tamen e cum ɔ supposito vult retineri: „Ansichten über die Wiedergabe handschriftlicher Geschichtsquellen im Druck", in „Joh. Friedrich Böhmer's Leben, Briefe und kleinere Schriften. Durch Johannes Janssen" III (Freiburg i. B. 1868), 463. Ita et ipse *Joh. Janssen* quadratos annorum numeros in parvos mutavit: Frankfurts Reichscorrespondenz von 1376—1519 Bd. I (Freiburg i. Br. 1863); cf. v. g. p. 153. 155. 328.

[2] Ita *C. Halm* in edendis operibus Sulpicii Severi tenet quidem v. g. „uidentur", „CLAVDIA", sed scribit „ut", „urbis" loco „vt", „vrbis": Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum I (Vindobonae 1866), v. g. p. 223. Litterarum u et v antiquam scriptionem retinuit v. g. libellus periodicus, editus a *F. J. Mone*, „Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins" (Karlsruhe 1850 sqq.); item P. *Isidor. Raab* O. S. B. in „Urkundenbuch des Stiftes Seitenstetten" (Fontes rerum Austriacarum Bd. XXXIII (Wien 1870). *Baumann* quoque (l. c.) retinet v. g. „vnd", „vrteilen". *Theod. Sickel* in edendis diplomatibus regum et imperatorum Germaniae pro nominibus tantum propriis litteras v et u secundum antiquam scriptionem poni voluit: Monumenta Germaniae historica. Diplomata I (Hannoverae 1879—1884), VI. *Georgio* autem *Waitz* vehementer displicet, quod quidam litteras i, j, u, v veterum semper more usurpent: „Wie soll man Urkunden ediren?" in „Historische Zeitschrift, herausgegeben von Heinrich von Sybel", IV (München 1860), 438—448. Quos contra Waitzium defendit *K. H. Freih. Roth von Schreckenstein*: „Wie soll man Urkunden ediren?" (Tübingen 1864) p. 20—21. Atque *Ge. Henr. Pertz*, cum in „Monumentis Germaniae historicis" v. g. „maiorem", „ieiunio" etc. retineret, „Noviomagum", „uxor" nostro more poneret (SS. I, 195. 321), in specimine, quod anno 1840 edidit, codicis diplomatici pro Guelforum terris conficiendi, litteras „u" et „v" aliter adhibuit. En quanta varietas! Fateor tamen hic complura congesta esse, quae eandem omnino rationem non habent. Maiorem enim in retinenda prima scriptione curam exigunt editiones, quae superiora saecula spectant quam quae posteriora; item quae philologiae potius inservire debent quam quae historiae, ac quae ad particularem historiographiam pertinent quam quae ad universalem.

In hac editione eam, quae modo proposita est, rationem tenere placuit, quia in ea vera quaedam inesse videtur simplicitas, firmitas, constantia atque, si ita loqui fas est, „obiectivitas“. Modernizemus v. g. interpunctionem antiquam! Post 50 annos fortasse iam haec ipsa recens interpunctio erit obsoleta[1]. Constituamus in antiquis verbis germanicis litteras illas consonantes omittendas esse, quae nunc in iis non ponantur. Sed numquid easdem orthographiae germanicae leges habent Borussia atque Austria? Sunt, ni fallor, etiam typographiae, quae „orthographias domesticas“ sibi condiderunt. Et quid, quaeso, post 20, post 100 annos erit? Fluxa haec sunt et incerta. Multis quidem verbis Iulius Weizsaecker in exordio Actorum comitiorum germanicorum docet, quaenam in actis germanice scriptis antiquae scriptiones retinendae, quae mutandae sint. Sed quam subtiles tandem aliquando regulae illae evadunt, quam multiplices et difficiles[2]! Ideoque facile quidem inveneris, qui profiteatur se generatim et summatim Weizsaeckeri leges servasse; num vero multi singillatim atque accurate eas sequantur, dubitari potest[3]. Certum quidem est saeculo XVI. verborum, imprimis germanicorum, scriptionem haud raro valde incompositam et insulsam ac quasi silvescentem fuisse, idque saepe ex inscitia aut licentia eorum, qui aliorum mandatu res scribebant vel transcribebant. Neque tamen omnes v. g. consonantium cumulationes mere arbitrariae sunt; multae enim dialectum illius regionis verborumque prolationem indicant, ideoque ad linguae germanicae historiam cognoscendam conferunt. Iam vero quam difficile saepe est discernere, quid dialecti sit ideoque tenendum, quid licentiae librariorum ideoque resecandum! Nonne praestat, quaecumque commode retineri possunt, retinere et iis diiudicanda permittere, qui linguae germanicae ex professo student, quosque „germanistas“ dicimus? Propterea doctus quidam nostrae aetatis vir: „Nos“, inquit, „multo plus detrimenti patimur ex scriptis ad certam normam castigatis, quam ex iis, quae quasi silvescunt.“[4] Accedit etiam hoc, idque valde grave, quod multa pro-

---

[1] P. *G. M. Pachtler* S. J. eam rationem, quae cum mea fere concordat, secutus est, cum inter „Monumenta Germaniae Paedagogica“ „Rationem studiorum et institutiones scholasticas Societatis Iesu per Germaniam olim vigentes“ (voll. 4, Berolini 1887—1890) in lucem emitteret, nec quisquam eorum, qui huius operis censuras scripserunt, id serio reprehendisse videtur.

[2] Deutsche Reichstagsakten I (München 1867), LXIX—LXXX.

[3] Cf. e. g. Historisches Jahrbuch IX (München 1888), 459—471. Ita etiam H. de Sybel negat *Augustum Kluckhohn* in actis comitiorum recentiorum edendis praecepta haec Weizsaeckeri omnia secutum esse: Deutsche Reichstagsakten unter Kaiser Karl V. Erster Band, bearb. von Aug. Kluckhohn (Gotha 1893), Vorr. p. III. IV.

[4] „Wir leiden viel mehr unter den normalisierten Texten, als unter denen mit verwilderter Schreibweise“: *Fr. Jostes,* Daniel von Soest. Ein westfälischer Satiriker des 16. Jahrhunderts (Paderborn 1888) p. 391—392. Qui alio in libro testatur in iis, quae sermone Germaniae inferioris conscripta sint, difficile esse, ea, quae ex neglegentia tantum scriptorum seu librariorum irrepserint, discernere sicque pro correctione solidas certasque leges condere. „Die Ansichten über die philologische Thätigkeit bei der Wiedergabe mittelniederdeutscher Texte sind augenblicklich noch in der Gährung begriffen. Die Reihen derjenigen, welche hier stark conservative Grundsätze vertheidigen, verstärken sich zusehends“ (Die Chroniken der westfälischen und niederrheinischen Städte. Bd. II: Soest [Leipzig 1889], p. XLIII. XLIV). Atque, ut etiam ex adversariorum fidei catholicae castris exemplum qualecumque depromatur, *J. K. F. Knaake* in praefatione novae illius editionis omnium operum Lutheri profitetur se in vocabulis germanicis „silvam illam litterarum“ „cum sua nodositate et curvitate“ („mit seinen Knorren und Krümmen“) intactam relinquere et aliquos tantum ramos avellere (Dr. Martin Luthers Werke. Kritische Gesammtausgabe I [Weimar 1883], XIX—XXI). Censet quidem *Fr. Falk*

ponenda erunt scripta italica, quae cum lingua italica saeculi nostri multum discrepant et, a Hispanis cum scripta sint, hispanicismos etiam nonnumquam admixtos habere videntur. In his porro epistulis antiquum Italorum sermonem a mendis Hispanorum et a librariorum libidine secernere, germano homini difficilius fuerit; Italis haec dirimenda offeruntur. Quibus autem germanicae atque italicae orationes ita conformatae non placebunt, versiones latinas legere poterunt, iisdem, ut supra dictum est, subiciendas. Hoc quoque addi potest: In viris magnis neque hoc iniucundum est, videre, quomodo verba singula pinxerint, parcentes v. g. litteris aut prodige eas cumulantes; nam hoc quoque ad eorum indolem moresque cognoscendos facere potest.

Verumtamen haec omnia pace multorum virorum doctissimorum dicta sint, qui aliter egerunt vel agunt. Hoc tantum editor petit, ut sua sibi constet libertas.

---

in „Corpore Catholicorum“ quod conficiendum proponit, scripta imprimis germanica liberius tractanda esse; nec tamen infitiatur: Si liberius agere placet, „so lässt sich nur schwer die Linie zeichnen, welche festzuhalten sei“ (Katholik, 71. Jahrg. I [Mainz 1891], p. 440—463).

III.

PROOEMIUM SPECIALE PRIMI VOLUMINIS.

Volumen hoc tempore quidem cetera antecedit; sed, si rerum novitas ac gravitas spectentur, reliquis fortasse omnibus inferius est. Magnam enim eius partem tempus illud occupat, quo Canisius litterarum studiis operam navabat et a scholasticis fere sodalibus litteras accipiebat; studiosi autem adulescentes ea gerere non solent, quae valde conspicua sint et magna in historia faciant vestigia. Accedit aliud: Cum in posterioribus voluminibus omnes paene epistulae eaeque sat longae et graves poni possint, quas Societatis Iesu praepositi generales ad Canisium dederunt, in hoc volumine aliquot tantum collocari possunt ex iis, quas eo tempore S. Ignatius, Societatis parens et primus praepositus, Canisio misit.

Neque tamen primum hoc volumen vacuum nec lectoribus ingratum erit. In quo haec potissimum praestabuntur:

Primo loco Canisii autobiographia vel potius partes illae, quae ex ea supersunt, ponuntur; quae nunc primum cunctae collectae sunt et in ea lingua eduntur, qua a Canisio sunt scriptae. Hac autem autobiographia non solum exterior (si ita loqui fas est) Canisii vita, in prooemio generali adumbrata, magis explicatur et amplificatur, sed etiam — id quod totius rei caput est — interior eius vita aperitur quasi et recluditur: cognoscitur, quos ille in tot laboribus suscipiendis fines sibi proposuerit, quibus de causis tot itinera facere, tot contiones habere, tot libros conscribere voluerit; ostenditur summa pietas, qua in Deum ferebatur, animus vere apostolicus, quo Germaniam suam diligebat, generosa caritas, qua inimicos etiam complectebatur; intellegitur, quid Canisius senex et morti proximus de Societate Iesu senserit, cui iuvenis se dederat et in cuius intimis quasi visceribus per tot annos commoratus erat, Ignatii discipulus, summis Societatis viris amicus, magnae Societatis provinciae diu praepositus.

Sequuntur plus quam 210 epistulae et summaria epistularum, quae ab anno 1541 usque ad 1556 (mensem Iul.) a Canisio et ad Canisium datae sunt, et 125 monumenta (saepe in summaria contracta), quae ad eosdem annos pertinent. Ex epistulis illis a Canisio vel ad eum datis 50 fere (quod equidem sciam) usque adhuc prelum nullo modo subierunt; sed etiam ex reliquis multae aliqua ratione novae dici possunt; aut enim numquam integrae in lucem prodierunt aut ea lingua non sunt vulgatae, qua primitus scriptae erant; nonnullarum, quae longae et valde graves sunt, minimae tantum quaedam particulae adhuc cognitae erant. Praeterea in ea voluminis parte, cui titulus „Monumenta canisiana“, atque in adnotationibus, quae epistulis ipsis subiciuntur, plus quam 180 ponuntur litterarum, relationum,

catalogorum, commentariorum partes et nonnumquam etiam litterae integrae, quae ex fontibus nondum editis depromptae sunt. Neque ea, quae iam antea typis exscripta erant, solummodo hic iterantur: haud raro falsae in iis lectiones ex archetypis emendantur vel lectiones variantes subiunguntur, ac tum in his, tum in reliquis scriptis varia examinantur et patefiunt, quae usque adhuc dubia vel ignota erant. Ita v. g. epistula illa excutitur, qua de ratione agitur Sebastiani Phauseri, contionatoris lutherani, ab aula Maximiliani regis removendi, ac quaeritur, num reapse Canisii sit (de qua re dubitatum est), quando data sit (in qua re erratum est), quibus inscripta sit (quos nemo adhuc cognovit); v. infra, p. 530—535.

Rebus ipsis, quae in epistulis et actis Canisii continentur, imprimis Canisii vitam illustrari per se patet. Multa quidem et pulchra veteres illi Canisii biographi (maxime Raderus et Sacchinus) et Societatis Iesu historiographi rettulerunt; quae tamen, quia ipsos relationum suarum fontes pro illorum temporum more saepe reticebant, infirmiora sunt, nostra saltem aetate critices amantissima. Confirmantur autem hae relationes epistulis et monumentis canisianis, in quibus testes comparent oculati. Augetur etiam Canisii biographia rebus haud paucis, quarum nemo eius biographus, nemo Societatis historiographus fecit mentionem; quae res potissimum spectant Canisii studia coloniensia, gesta in concilio tridentino Bononiam translato, iter siculum et magistri munus Messanae gestum, officium rectoris a. 1550—1551 in universitate ingolstadiensi a Canisio administratum etc.

Canisius, qua erat ingenii facilitate et divinae gloriae procurandae cupiditate, etiam, priusquam studia litterarum absolvisset, in certamen descendit, „proelia domini proeliaturus". Ex qua re facile intellegitur scriptis et actis in hoc volumine proponendis historiam ecclesiasticam multis modis iuvari atque augeri.

Colonienses Canisii epistulae a. 1541—1546 datae litterarum studia in praeclara illa universitate iam languescentia nobis ostendunt; attamen etiam in illum nos quasi introducunt hominum coloniensium nobilem coetum, in quo theologia mystica etiamtunc florebat, patrum ecclesiae opera diligenter legebantur et vulgabantur, consilia conferebantur, quibus rationibus falsus „humanismus" et religionis catholicae subvertendae conatus repelli possent. Ecclesia coloniensis in ea tempora inciderat, quibus fortasse nullum umquam gravius, nullum magis erat periculosum: Hermannus de Weda, eius archidioecesis episcopus simul et princeps, Colonienses a fide catholica ad Lutheri castra abducere omnibus artibus conabatur. Canisium in eo discrimine auxilii impetrandi causa ad Carolum V. a clero et universitate missum esse iam olim notum erat; at semel missum esse tradebant; ex epistulis vero nostris cognoscitur ter fuisse legatum: mense Augusto anni 1545 ad imperatorem per Coloniam transeuntem; ineunte fere mense Decembri eiusdem anni ad eundem in Belgio morantem (ac tunc litteras obtinuit, quibus edicebatur, ne quicquam archiepiscopus vel electoratus coloniensis ordines in comitiis bonnensibus de religione constituerent); ineunte denique anno 1547 in castra Caroli bellum smalcaldicum gerentis; nec solum cleri et universitatis nomine Canisius in ea castra profectus est, sed etiam (quod biographos latuit) litteras commendaticias secum ferebat, ad Granvellanum, Petrum de Soto, Verallum nuntium apostolicum datas ab Adolpho de Schaumburg, ecclesiae coloniensis administratore (postea archiepiscopo); qui Canisio

mandaverat, ut de pallio et „regalibus“ sibi concedendis cum proceribus illis ageret.

Haud minoris momenti epistulae esse videntur, quas Canisius a. 1549 ad 1556 Ingolstadio, Vienna, Praga dedit, contionatorem illic et professorem agens. Copiosus enim et diligens est in condicione Bavariae, Austriae, Bohemiae enarranda: quo loco religio sit, quantus officiorum divinorum et ieiuniorum ecclesiasticorum neglectus, sacerdotum et religiosorum ordinum contemptus, quae in clero miseriae, quanta in laicis calicis sacri extorquendi cupido, quanta in principibus catholicis formido; quantopere in universitatibus magistrorum animi ad lutheranismum propensi, iuvenum studiosorum mores corrupti, haereticorum libri divulgati sint. Summum certe tunc erat periculum, ne illae quoque Germaniae partes, quae solae fere catholicae remanserant, Austria, Bavaria, Rhenus inferior, ab ecclesia deficerent.

Unum ex praesidiis, quae Dei providentia labanti ecclesiae germanicae tunc subministravit, Societas Iesu erat. Voluminis huius epistulae eo ipso tempore datae sunt, quo Societas illa Germaniam intravit. Videmus eam a Beato Petro Fabro, Canisio adiutore praecipuo, in urbem coloniensem inductam, a senatu urbis, Hermanno Wedano acriter instigante, vexatam, magnam inter inopiam et multas contradictiones sensim firmatam et auctam. Oculis subiciuntur ortus et primi progressus trium Societatis collegiorum, quae totidem catholicae restaurationis centra facta sunt: viennensis, pragensis, ingolstadiensis. Prima quoque cernimus semina aliorum collegiorum, quae posterioribus demum temporibus condenda erat: oenipontani, dilingani, tyrnaviensis, treverensis, braunsbergensis, molshemiensis.

Insuper ad rem scholasticam Societatis Iesu cognoscendam volumen hoc utile est. In litteris v. g., quas Canisius Messana 12. Augusti 1548 Sociis coloniensibus misit, „lectionum catalogus“ ponitur antiquior ceteris omnibus, qui a Societatis collegiis in vulgus emissi sunt, vel saltem prior omnibus, qui usque huc typis descripti sunt. Intellegitur etiam, quid Canisius eiusque Socii praestiterint in Cicerone rhetoricis, Aristotele philosophis, Sancto Thoma theologis commendandis, in declamationum et disputationum usu restituendo, adulescentibus ad sacrae confessionis et communionis frequentiam adducendis, haereticorum libris arcendis, catholicis libris scribendis et disseminandis. Atque imprimis quasi oculis conspicimus, qua ratione, quibus mandantibus, iuvantibus, corrigentibus praeclara illa „Summa doctrinae christianae“ composita et typis exscripta atque quomodo primum oppugnata sit. Apparet Canisium non solum collegio germanico Romae tunc instituto patronum se praebuisse, sed etiam — id quod paene ignorabatur — magnam operam dedisse seminario georgiano reformando, quod hodie quoque Monachii exstat.

Necessarium non est monere permulta in his Canisii scriptis occurrere, quibus christiana pietas et maxime religiosae vitae amor et religiosae disciplinae studium augeantur; imprimis oboedientiae virtutem Canisius iterum atque iterum eloquenter commendat; nil vero magis sodalibus suis inculcat, quam ut Christum diligant et imitentur, in eius vulneribus habitent, in eius cruce glorientur. Sacratissimi cordis Iesu cultum 150 fere annis, antequam Beata Margaretha Maria Alacoque eum propagare a Christo iuberetur, Canisio notum atque carum fuisse cernimus. Studium quoque illud, quod in Sancto Ignatio summum erat, dignitatum ecclesiasticarum a Societate arcendarum,

in certamine de Canisio episcopo viennensi constituendo ter instituto egregie fulget.

Nec desunt res novae, quae ad complures homines illius aetatis, qui aut praeclari aut famosi nominis sunt, melius cognoscendos iuvent: Maximilianum II. caesarem, Ruardum Tapperum, Nicolaum Eschium, Iacobum Ionam, Ioannem Albertum Widmanstadium, Casparum Bruschium, Guilielmum Postellum, Paulum Scalichium, Nicolaum Politem etc.

Volumen nostrum aestate anni 1556 terminatur, eo nimirum tempore, quo Canisii vita et res totius Societatis Iesu quasi distinguuntur atque interpunguntur: 7. Iunii 1556 Sanctus Ignatius in Societate provinciam „Germaniae superioris“ constituit ac Canisium primum eius „praepositum provincialem“ creavit; 31. Iulii 1556 Ignatius ipse ad superos evolavit.

Canisius amplissimum munus nactus et quasi in alto candelabro collocatus quaenam praestiterit, posterioribus voluminibus enarrabitur.

IV.

TABULAE CHRONOLOGICAE VITAE CANISII

a mense Maio anni 1521 usque ad mensem Iulium anni 1556.

Quae ad scripta a Canisio et aliis edita pertinent, cursivis litteris descripta sunt. Signo — duobus temporibus interposito indicatur tempus, quo aliquid factum sit, exacto numero exprimi non posse, sed duobus illis temporibus terminari.

1521	Maii 8.	Petrus Canisius **Noviomagi** nascitur.
—	—	Paulo post matre orbatur.
1525—1546	—	**Boscoducum** et **Osterwicum** venit.
1526—1539	—	**Arnhemii** a sancta quadam vidua de novo quodam ordine instituendo seque eidem aggregando edocetur.
A. 1535 exeunte vel 1536 ineun.	—	Studiorum causa **Coloniam** mittitur. Bursam montanam frequentat.
Ab a. 1536 ad 1546	—	In universitate coloniensi litteris dat operam.
1536	Ian. 18.	In matriculam universitatis coloniensis inscribitur.
1536	Nov. 3.	Baccalarius in artibus creatur.
1536—1540	—	Laurentius Surius Canisio adiuvante ex lutherano catholicus fit (ut videtur).
1536—43 (?)	—	Canisius Coloniae aliquamdiu ius civile discit.
1538	Febr. 21.	Ad examen pro „licentia in artibus" subeundum admittitur.
1538	Mart. 15.	„Licentiatus artium" creatur.
1539	Apr. 21.	**Lovanii** matriculae universitatis inscribitur, iuri canonico operam daturus.
1540	Febr. 25.	Sponsa repudiata perfectam castitatem Deo vovet.
1540	Maii 25.	**Coloniae** „magister artium" sive doctor philosophiae creatur.
1543	—	*Editionem germanicam operum Ioannis Tauleri parat.*
1543	Apr.	**Moguntiam** ad B. Petrum Fabrum S. J. proficiscitur eoque duce „exercitia spiritualia" ingreditur.
1543	Maii 8.	A Fabro in tirocinium Societatis Iesu recipitur.
1543	Maii	**Coloniam** redit et litterarum studia prosequitur.
1543	Iun. 3.	*Editionem Tauleri a se curatam archiepiscopo lundensi dedicat.*

1543	Oct. 31.	In auditorio theologico ad clerum latine dicit.
1543	Dec. 15.—20.	In „disputationibus quodlibeticis“ facultatis artium „declamat“.
1543	Dec. exeunte	**Noviomagum** petit et patri morienti adest.
1544	Ian.	Magnam hereditatis partem pauperibus distribuit.
1544	sub initium Febr.	**Coloniam** redit, a Fabro arcessitus.
1544	Vere	Cum Fabro et aliis Sociis communiter habitare incipit.
1544	sub initium Iul.	Senatus coloniensis in Socios inquirit, quod novam sectam instituere dicantur.
1544	Iul. 18.	Canisius in auditorio theologico de auctoritate pontificis romani disputat.
1544	Iul. 28.	Canisius cum Sociis a senatu urbe cedere iubetur; opem petit a rectore academiae.
1544	Iul. exeunte, vel Aug.	Socii separatim habitare incipiunt.
1544	Sept.	Persecutio conquiescit; Canisius contionatur et Matthaei evangelium interpretatur.
1544	Dec. 17. (?)	In schola artium disputationem „quodlibeticam“ de paenitentia habet.
1544	Dec. 20.	A Ioanne Nopelio episcopo suffraganeo coloniensi diaconatu initiatur.
1544	Dec. 25.	In natali Christi **prope Coloniam** in parochia contionatur et protestantes publice refutat.
1545	Ian.	**Distemium** et **Lovanium** proficiscitur. Lovanii cum Ruardo Tappero et aliis de constitutione collegii agit.
1545	Ian. vel Febr.	**Coloniae** iterum cum Sociis una habitare incipit.
1545	Febr.	Incipit contionari in basilica „S. Mariae in Capitolio“ sabbatis et dominicis diebus.
1545	exeunte Maio, vel Iun.	**Vormatiam**, tempore comitiorum, venit ibique commercio Ottonis cardinalis augustani et PP. Iaii et Bobadillae, S. J., fruitur.
1545	Iun. 26.	**Coloniae** „baccalarius biblicus“ a facultate theologica nominatur.
1545	Iul. 8.	In schola theologica lectiones suas biblicas incipit.
1545	Iul. et Aug.	Singulis hebdomadibus semel disputat, ter epistulam ad Timotheum priorem in universitate interpretatur, festis diebus evangelium S. Matthaei in gymnasio montano exponit.
1545	Aug. 10.	A clero et universitate ad Carolum V. Coloniae commorantem mittitur ad causam religionis catholicae ei commendandam.
1545	post 9. Oct.	In auditorio philosophico inter „declamatores quodlibetarios“ dicit.
1545	exeunte Nov. vel ineunte Dec.	A clero et universitate in **Belgium** ad Carolum V. et nuntium apostolicum missus, litteras ad damna religionis praecavenda impetrat et affert.
1546	Apr.	*Opera S. Cyrilli Alexandrini latine versa* ***Coloniae*** *edit.*
1546	Apr. — Iun.	**Noviomagum** petit ibique hereditate sua omnino se abdicat.

1546	Iun.	Coloniae a Io. Nopelio sacerdotio initiatur.
1546	Iun. 13.	In templo monasterii „maioris Nazareth“ primum Deo sacrum offert.
1546	Sept.	*Opera S. Leonis Magni Coloniae in lucem emittit.*
1546	ineunte Dec.	A clero Leodium mittitur ad opem contra Hermannum Wedanum impetrandam.
1546	Dec. 12. 19. 21. 26. 27.	Leodii sermones sacros habet.
1546	Dec. 25.	Coram Georgio Austriaco episcopo et principe contionatur.
A. 1546 exeunte vel 1547 ineunte	—	Subsidiis a clero leodiensi impetratis Coloniam redit.
1547	—	*Operum S. Leonis Magni a Canisio editorum pars prior iterum editur Coloniae.*
1547	post 10. Ian.	Canisius ab Adolpho de Schaumburg administratore reliquoque clero ad Carolum V. et nuntium apostolicum mittitur.
1547	Ian. 23. et 24.	Geislingam venit et a cardinali augustano, Granvellano, Petro de Soto humaniter excipitur.
1547	Ian. 25.	Una cum Carolo V. Ulmam ingreditur ibique cleri negotia procurat.
1547	Exeunte Febr., vel Martio	Ulma Tridentum ad concilium a cardinali augustano mittitur.
1547	Mart. (post 11.)	Cum P. Iaio Patavium venit ibique P. Salmeroni S. J. aegrotanti adest.
1547	Apr. 12.	Cum P. Lainio Bononiam ad synodum eo translatam proficiscitur.
1547	Apr., Maio, Iun.	Congregationibus theologorum minorum interest et Lainium, Salmeronem, Iaium in decretis dogmaticis praeparandis iuvat.
1547	Apr. 23.	In congregatione theologorum de sacramento paenitentiae disserit.
1547	Maii 6.	Apud eosdem de matrimonio disputat.
1547	Iunio inclinato	Cum Lainio Bononia Florentiam proficiscitur.
1547	Sept. ineunte	A S. Ignatio evocatus Romam venit.
1547	sub initium Oct.	Viginti fere dies in domo primae probationis sepa ratim commoratus, ad „tertiam“ Societatis probationem admittitur.
1548	—	*Operum S. Leonis Magni a Canisio editorum pars altera iterum editur Coloniae.*
1548	Mart.	Canisius Paulum III. adit cum Sociis in Siciliam destinatis et omnium nomine alloquitur.
1548	Mart. 18.	Cum novem Sociis in Siciliam proficiscitur; per Marinum et Velitras transit.
1548	Mart. 22. vel 23.	Neapolim equo invehitur.
1548	Mart. 29.	Animarum messe collecta, cum Sociis navem conscendit et tempestate agitatur.

1548	Mart. 30.	Ad Schaletam Calabriae vicum navem appellunt.
1548	Apr. 1.	Schaletae pascha celebrant.
1548	Apr. 2.	Navem ad Paulam urbem appellunt.
1548	Apr. 3.—6.	Paulae contionantur, piam societatem, catechesim instituunt.
1548	Apr. 8.	Messanam adveniunt.
1548	Apr. 9. vel 10.	Canisius in templo S. Nicolai coram proceribus de eloquentiae studio dicit.
1548	Apr. 24.	Rhetoricam tradere incipit.
1548	Apr.	Latine atque italice contionari incipit.
A. 1549 ineunte	—	In disputatione a Dominicanis instituta de potestate ecclesiae disserit.
1549	Apr. vel Maio	Duo capita sociarum S. Ursulae magistratibus messanensibus tradit.
1549	initio Iun.	A. S. Ignatio, Guilielmi IV. Bavariae ducis rogatu, in universitatem ingolstadiensem evocatus, Messana discedit.
1549	Iun.	Romam advenit.
1549	Sept. 2.	Paulum III. alloquitur eiusque benedictionem petit; in aede vaticana sentit se Germaniae apostolum constitui.
1549	Sept. 4.	Ante professionem suam in basilica vaticana videt sibi ab apostolis benedici, angelum adiungi, cor Iesu aperiri. Eodem die in templo S. Mariae de Strata coram S. Ignatio quattuor sollemnia Societatis vota nuncupat.
1549	paulo ante Sept. 19.	Bononiam advenit.
1549	Oct. 2.	Examen theologicum „rigorosum“ subit.
1549	Oct. 4.	Una cum PP. Iaio et Salmerone „doctor theologiae“ creatur.
1549	Oct. 8.	Cum iisdem Bononia discedit.
1549	Oct. 12.	Tridentum adveniunt; episcopos invisunt.
1549	Oct. 15.	Tridento in Bavariam proficiscuntur.
1549	Oct. — Nov.	Dilingae cardinalem augustanum et postea Monachii Guilielmum IV. Bavariae ducem salutant.
1549	Nov. 12.	Monachio proficiscuntur.
1549	Nov. 13.	Ingolstadium ingrediuntur; a professoribus universitatis sollemniter excipiuntur.
1549	Nov. 14.	In „collegio vetere“ habitare incipiunt.
1549	Nov. 26.	Canisius „principium“ facit, coram academia laudes theologiae dicens.
1549	Nov. 29.	Cum Iaio et Salmerone Eystadium vehitur ad episcopum salutandum.
1549	Dec. 6.	Cum iisdem Ingolstadium revertitur.
1549	paulo post Dec. 6.	In universitate Petri Lombardi sententias exponere incipit.
1549	Dec. 24.	In templo B. Mariae coram universitate latinam orationem habet.
1550	Mart. 16.	In ecclesia parochiali germanice contionari incipit.

1550	Mart. 24.	Iuvenem quendam exercitiis spiritualibus excolere incipit.
1550 et 1551	—	Sententias Lombardi exponit. In collegio georgiano dominicis diebus latine contionatur.
1550	Oct. 10.	Canisius matriculae universitatis ingolstadiensis inscribitur.
1550	**Oct. 18.**	**Rector universitatis eligitur.**
1550	Nov. 27.	Senatum academicum habet. Scholasticos aliquot relegat.
1550	Nov. vel Dec.	Sociorum ingolstadiensium superior constituitur.
1550	Dec. 4.	Senatum academicum habet.
1550	Dec. 11.	In senatu academico duos professores inter se reconciliat; statuitur, ut Lutheranorum libri ab academia repellantur.
1550	Dec. 30.	Senatum habet. Decernitur Casparo Bruschio docendi munus non esse tribuendum.
1551	Ian. 8.	Senatum habet.
1551	Ian. 16.	Senatum habet.
1551	Ian. 26.	Senatus academicus. Canisius magistrum quendam punit.
1551	Febr. 19.	Canisius senatum habet.
1551	Mart. 3.	Senatum habet. Duos nobiles inter se reconciliat.
1551	Apr.	Carolus V. Canisio mandat, ut sacras reliquias in Hispaniam et Indias mittat.
1551	medio fere Apr.	Senatus. Canisius nobilem Saxonem carceri mandat; scholasticis interdicit, ne „bombardas" emittant.
1551	**Apr. 24.**	**Rectoratus officio liberatur.**
1551	Iul. 18.	Una cum aliis litem inter duos academicos exortam componit.
1551	Iul.	A duce et academia ad officium vicecancellarii suscipiendum urgetur.
1551	aestate	In academia evangelium S. Ioannis explicare incipit. Germanice contionatur. A contionatore lacessitus, ab omnibus defenditur.
1551	aestate vel autumno	A Iulio Pflugio episcopo naumburgensi in auxilium vocatur.
1551	Sept.	A capitulo cathedrali argentoratensi rogatur, ut apud eos contionetur.
1551 et 1552	Oct. usque ad Febr.	In universitate vicecancellarii partes supplet.
1551	Dec. 4.	Ferdinandus I. Romanorum rex Canisium ab Ignatio petit.
1552	Ian. 28. et 29.	Canisius Ioannis Fabri O. Pr. theologico interest examini.
1552	Febr. 4.	Eundem doctorem theologiae creat.
1552	Febr. 5.	Eandem dignitatem Petro Vahe confert.
1552	Febr. 22.	Deus Canisio sacrum facienti summas gratias offert et immensam promittit progeniem.
1552	Febr. 23.	Canisius litteras S. Ignatii accipit, quibus Viennam proficisci iubetur.
1552	Febr. 24.	Albertum V. ducem adit valedicendi gratia.
1552	Febr. 28.	Populo ingolstadiensi post contionem valedicit.

1552	paulo post Febr. 28.	Iussu Iulii III. et S. Ignatii Viennam proficiscitur.
1552	Mart. 9.	Viennam advenit. In universitate docere, carceribus inclusos curare incipit.
1552	Mart. 25.	Viennae primam habet contionem, in templo S. Iacobi.
1552 ad 1555	a vere vel aest. usque ad Apr.	*„Summam doctrinae christianae“ conscribit et typis describendam curat.*
1552. 1553	—	Domi inferiores scholas regit.
1552. 1553	—	Contionatur in templis S. Iacobi et S. Hieronymi, in „S. Maria Rotunda“, „S. Maria ad ripam“.
1552	—	Mulierem obsessam ad sanitatem revocat.
1552	Aug. 7. vel 8.	In templo S. Nicolai inter exsequias P. Iaii de eiusdem laude dicit.
1552—54 (1555?)	—	Compendium quoddam theologiae et Novum Testamentum in academia exponit.
A. 1552 exeunte, vel 1553 ineunte	—	Capitis damnato adest.
1552	exeunte Dec.	Per ferias natalitias in **pago frequenti** parochi partes supplet.
1553	—	*Operum S. Leonis a Canisio editorum pars prior vulgatur Venetiis.*
1553	Ian. 15.	Canisius in templo monasterii Scotorum, Lanoio collegii rectore vota sollemnia nuncupante, sacrum facit.
1553	Febr. et Mart.	**Multa Austriae inferioris loca** pastoribus destituta evangelizans peragrat.
1553	Maii 22.	Dicendi coram aula facit initium.
1553	Maii 23.	Iterum (ac saepe deinceps) coram rege contionatur.
1553	sub Iulium	A Ferdinando I. rege iussus cum aliis per 3 hebdomades universitati viennensi „visitandae“ operam dat.
1553	—	A rege et nuntio apostolico, ut episcopatum viennensem acciperet expostulatus, abnuit.
1553	Oct. (ut videtur)	Facultatis theologicae decanus creatur.
1553	exeunte anno	In palatio regio Paulum Fabricium mathematices professorem de fide interrogat. Ibidem de universitate reformanda cum aliis diu consultat.
1553 ad 1556	—	Multis epistulis de collegiis Ingolstadii, Coloniae, Neomagi, Pragae, Oeniponte, in Borussia et Hungaria condendis agit.
1554	—	*Libro [suo?] „De consolandis aegrotis“ Viennae edito praefationem addit.*
1554	—	*Bullam iubilaei Mariae Bohemiae reginae concessi germanice versam typis exscribendam et per urbem Viennam evulgandam curat.*
1554	—	Contionibus coram rege habitis indulgentiarum vim et usum explicat.

1554	—	In ecclesia cathedrali S. Stephani contionatorem agit.
1554	Ian. — Mart.	Iuvenes complures Romam in collegium germanicum mittit.
1554	Mart. vel Apr.	Andream Cupicium, ministrum lutheranum, convertere frustra conatur.
1554	vere (Apr. Maio)	In collegio archiducali „parentem" agit.
1554	Apr. — Mai.	*De institutione pastorali salisburgensi sententiam dicit.*
1554	Iun.	Aegrotat.
1554	Iun.	*Priorem „Summae" partem Romam mittit recognoscendam.*
1554	Iun. vel Iul.	E collegio archiducali ad sodales suos revertitur.
1554	Iunio exeunte (26?)	Nicolao Politae professori a Lutheranismo reducendo frustra dat operam.
1554	Iul.	Ferdinandi I. iussu de religione instauranda cum P. Lanoio et duobus consiliariis consulit.
1554	ineunte Aug.	Ferdinandus iterum instat, ut episcopatus viennensis Canisio imponatur.
1554	Aug. 14.	*Ferdinandus I. edicit, ut Canisii catechismus solus in provinciis Austriae inferioris adhibeatur.*
1554	Oct. 14.	Canisius cum Ferdinando rege de collegio Pragae condendo agit.
1554	Nov. 3.	Canisius a Iulio III. dioecesis viennensis administrator ad annum constituitur.
1554	—	A novatoribus pasquillis et dicteriis lacessitur.
1554 vel 1555	—	*Catechismum germanicum ex parte conscribit.*
A. 1554, vel 1555 ineunte		Cum Sebastiano Phausero, Maximiliani regis contionatore lutherano, disputat.
1555	initio	Ferdinandum regem litteris monet Maximilianum regem ad Lutheranismum propensum esse.
1555	Apr. 14.—16.	In ecclesia cathedrali de communione „sub utraque specie" e suggestu dicit.
1555	Apr.	Efficit, ut Phauserus contionator Vienna discedere cogatur.
1555	sub initium Maii	*Canisii „Summa" Viennae primum in lucem emittitur.*
1555	Maii 11.	„Dialogus contra impii Petri Canisii dogmata" ad portam ecclesiae cathedralis affigitur.
1555	—	*Idem dialogus typis exscribitur.*
1555	Maii 11.	*Stanislaus Hosius scripta quaedam sua Canisio recognoscenda mittit.*
1555	Iun. 9.	Canisius Societatis quattuor vota sollemnia renovat iisque primum addit vota simplicia professorum.
1555	aestate	*A P. Natali visitatore libros bonos componere et disseminare iubetur.*

1555	aestate	*Canisii „Summa" iterum Viennae editur.*
1555	Iun. (post 9.)	Canisius **Augustam Vindelicorum** ad Ferdinandum regem proficiscitur.
1555	exeunte Iun. vel ineunte Iul.	**Viennam** redit et inde **Pragam** abit ad collegium praeparandum.
1555	Iul.	Pragae in ecclesia metropolitana sermonem sacrum habet.
1555	Iul. 16.	**Augustam** petit, collegii causam apud regem acturus
1555	exeunte Iul. et ineunte Aug.	Augusta **Viennam** et inde **Pragam** redit.
1555	Aug. 8.	Ferdinandus I. litteras Romam mittit, quibus Canisium episcopum viennensem nominat.
1555	Aug.	*Canisius catechismum suum germanicum (incompletum) italice vertendum curat.*
1555	Aug. 16.	Cum Ferdinando archiduce Pragae de collegio instituendo agit.
1555	Aug. 31.	*Fridericus Staphylus librum „S. Marcus Anachoretes" Canisio auctore a se editum eidem dedicat.*
1555	Oct. 14.	Canisius e voluntate Ferdinandi regis et Alberti ducis **Monachium** petit, de collegio ingolstadiensi acturus.
1555	Oct. 26.	**Ingolstadium** proficiscitur.
1555	Nov. 27. usque ad Dec. 7.	De collegio Ingolstadii condendo cum consiliariis ducis deliberat.
1555	ineunte Dec.	De universitate et seminario georgiano reformandis sententiam scripto profert.
1555 et 1556	Dec. et Ian.	In universitate curam pastoralem docet; festis diebus bis in die contionatur; collegio necessaria parat.
1556	initio	*Hannibalis Codretti S. J. „Principia Grammatices" [latinae] Ingolstadii typis describenda curat iisque catechismi sui minimi editionem principem adiungit.*
1556	initio	*Ioannes Wigandus superintendens lutheranus contra Canisii „Summam" librum germanicum Magdeburgi evulgat.*
1556	—	*Canisii „Summa" Lovanii primum typis describitur.*
1556	—	*„Summa" Viennae tertio prelum subit.*
1556	—	Canisius dioecesis viennensis administratione et dignitatis episcopalis suscipiendae timore levatur.
1556	Ian. 17.	Ottoni cardinali augustano remedia Germaniae iuvandae idonea per litteras suggerit.
1556	exeunte Ian.	**Augustae Vindelicorum** per breve tempus moratur.
1556	Febr. 1.	**Viennam** pervenit.
1556	Febr.	Coram Ferdinando rege contionatur.
1556	circiter 20. Febr.	**Pragam** proficiscitur.
1556	Febr. exeunte, et Mart.	Per singulas quadragesimae hebdomadas aliquotiens ad Ferdinandum archiducem e suggestu dicit.
1556	Martio	Monasterium **Oybin** invisit.

1556	Apr. 2.	**Pragae** in „Coena Domini" latine contionatur.
1556	Apr.	*Canisii „Lectiones et precationes ecclesiasticae" Ingolstadii primum in lucem emittuntur.*
1556	Apr. 23.	*Ferdinandus I. altero edicto catechismum Canisii commendat.*
1556	Apr. 21.	Canisius primos duodecim Socios in collegium pragense inducit.
1556	Maii 10.	Sacrum faciens, lapide petitur per fenestram iniecto.
1556	Maii 14.	Festo ascensionis domini coram Ferdinando rege contionatur.
1556	sub finem Maii	Monasterium **Oybin** adit et de eius administratione Zittaviensibus committenda agit.
1556	post m. Mai.	*Canisii „Summa" germanice versa Viennae in lucem emittitur.*
1556	Iun. 7.	Canisius a S. Ignatio praepositus provincialis Societatis per Germaniam superiorem constituitur.
1556	Iun. 11.	Ex monasterio Oybin **Pragam** redit.
1556	Iun. et Iul.	Nobilium puerorum contubernium parat.
1556	exeunte Iul.	**Ingolstadium** proficiscitur ad sodales novi collegii iuvandos.

V.

CATALOGUS LIBRORUM,

ex quibus saepius in hoc volumine testimonia proferuntur.

Libri, qui una tantum alterave vice adhibiti sunt, suis locis indicabuntur.

Libri, qui operum manu scriptorum instar neque apud bibliopolas venales sunt, praeposito signo † notantur.

Numeris maioribus in ipso hoc opere titulo libri vel nomini auctoris adiciendis non capita nec paragraphi significabuntur, sed paginae vel columnae; cum autem bini numeri commate distinguentur, priore volumina sive partes operis, altero significabuntur paginae vel columnae. Minoribus numeris et litteris adnotationes indicabuntur.

Acta Sanctorum Iulii. Tom. VII. Antverpiae 1731[1].

Acta Sanctorum Iulii. Tom. VII. Parisiis et Romae 1868.

Agricola, Ignatius, S. J., Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris quinque primas annorum complexa decades [Tom. I]. Augusta Vindelicorum 1727.

Alet, V., S. J., Le Bienheureux Canisius ou l' Apôtre de l' Allemagne au XVI[e] siècle. Paris 1865.

Aschbach, Joseph v., Geschichte der Wiener Universität. 3 Bde. Wien 1865. 1877. 1888.

Backer, Augustin de, S. J., Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition. Tome I, Liège-Paris 1869; Tome II, Liège-Lyon 1872; Tome III, Louvain-Lyon 1876.

Bahlmann, P., Deutschlands katholische Katechismen bis zum Ende des sechzehnten Jahrhunderts. Münster 1894.

Bartoli, Daniello, S. J., Opere. Dell' Italia. Libri 4. Firenze 1830.

Bianco, Franz Joseph v., Die alte Universität Köln und die spätern Gelehrten-Schulen dieser Stadt. 1. Theil. Köln 1855.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Beato Pietro Canisio della Compagnia di Gesù detto l' Apostolo della Germania. Roma 1864.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Servo di Dio P. Nicolò Bobadiglia della Compagnia di Gesù. Firenze 1879.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Beato Pietro Fabro della Compagnia di Gesù primo compagno di S. Ignazio di Loiola. Roma 1873.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Servo di Dio P. Claudio Iaio della Compagnia di Gesù. Firenze 1878.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Servo di Dio P. Giacomo Lainez, secondo Generale della Compagnia di Gesù. Firenze 1880.

[1] Quia princeps haec editio editori semper praesto non erat, nonnumquam eius loco nova illa adhibenda erat, quae hic proxime ponitur.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Servo di Dio P. Alfonso Salmerone della Compagnia di Gesù. Firenze 1880.

† [Bongaerts, Paul, S. J.,] Stamlijst van de Familie Canis en de daaraan verwante Geslachten ['s Gravenhage 1865]. Cf. etiam infra p. 7 [2].

Braunsberger, Otto, S. J., Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius aus der Gesellschaft Jesu. Freiburg i. Br. 1893.

Bucholtz, F. B. v., Geschichte der Regierung Ferdinands des Ersten. 9 Bde. Wien 1831. 1831. 1832. 1833. 1834. 1835. 1836. 1838. 1838.

[Ciaconius-Oldoinus] Vitae, et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium, Alphonsi Ciaconii O. Pr. et aliorum opera descriptae, ab Augustino Oldoino S. J. recognitae. Tomus tertius. Romae 1677.

† Constitutiones Societatis Jesu latinae et hispanicae cum earum declarationibus. Matriti 1892.

Cordara, Julius, S. J., Collegii Germanici et Hungarici historia Libris IV comprehensa. Romae 1770.

Cornely, Rudolf, S. J., Leben des seligen Petrus Faber, ersten Priesters der Gesellschaft Jesu. Freiburg i. Br. 1873.

[Delplace, L., S. J.,] L' établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas et la mission du Père Ribadeneyra à Bruxelles en 1556 d' après des documents inédits. Extrait des „Précis historiques“ 1886—1887. Bruxelles 1887.

Denis, Michael, Wiens Buchdruckergeschicht bis M. D. LX. Wien 1782.

[Dorigny, Jean, S. J.], La Vie du Reverend Pere Pierre Canisius, de la Compagnie de Jesus. A Paris 1707.

Drews, Paul, Petrus Canisius, der erste deutsche Jesuit. Halle 1892 (Schriften des Vereins für Reformationsgeschichte Nr. 38).

Druffel, August v., Beiträge zur Reichsgeschichte 1546—1551. (Briefe und Akten zur Geschichte des sechzehnten Jahrhunderts mit besonderer Rücksicht auf Bayerns Fürstenhaus. Bd. I.) München 1873.

Eichhorn, Ant., Der ermländische Bischof und Cardinal Stanislaus Hosius. 2 Bde. Mainz 1854. 1855.

Ennen, L., Neuere Geschichte der Stadt Köln, Bd. I (Geschichte der Stadt Koeln, meist aus den Quellen des Stadt-Archivs, Bd. IV). Köln und Neuss 1875.

[B. Faber, Petrus, S. J.] Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro de la Compañia de Jesus, primer compañero de San Ignacio de Loyola. Tomo I. Bilbao 1894.

† [B. Faber, Petrus, S. J.] Memoriale Beati Petri Fabri primi S. Ignatii de Loyola alumni nunc primum in lucem editum a P. Marcello Bouix S. J. Lutetiae Parisiorum 1873 (editum in 12° et in 8°).

Freyberg, Maximilian Freiherr von, Pragmatische Geschichte der bayerischen Gesetzgebung und Staatsverwaltung seit den Zeiten Maximilians I. Bd. III. Leipzig 1838.

Garcia, Ramon, S. J., Vida del Beato Pedro Canisio, sacerdote profeso de la Compañía de Jesus. Madrid 1865.

Gelenius, Aegidius, De admiranda, sacra, et civili magnitudine Coloniae Claudiae Agrippinensis Augustae Ubiorum urbis. Libri IV. Coloniae Agrippinae 1645.

Genelli, Christoph, S. J., Das Leben des heiligen Ignatius von Loyola, Stifters der Gesellschaft Jesu. Innsbruck 1848.

Germanus, Constantin, Reformatorenbilder. Freiburg i. Br. 1883.

Hammer-Purgstall, Joseph v., Geschichte des osmanischen Reiches. 2. Aufl. Neue Ausgabe. 4 Bde. Pesth 1840.

Hartl, Wenzel, und Schrauf, Karl, Nachträge zum dritten Bande von Joseph Ritter von Aschbach's Geschichte der Wiener Universität. 1. Abtheilung. Wien 1893.

Hartzheim, Josephus, S. J., Bibliotheca Coloniensis. Coloniae 1747.

Hirn, Joseph, Erzherzog Ferdinand II. von Tirol. Geschichte seiner Regierung und seiner Länder. 2 Bde. Innsbruck 1885. 1887.

Höhlbaum vide „Weinsberg".

[Hosius, Stan.] Stanislai Hosii S. R. E. Cardinalis Maioris Poenitentiarii Episcopi Varmiensis (1504—1579) et quae ad eum scriptae sunt Epistolae tum etiam eius Orationes, Legationes. Tom. I. 1525—1550. Editionem curaverunt Dr. Franciscus Hipler et Dr. Vincentius Zakrzewski. Cracoviae 1879. Tom. II. 1551 ad 1558. Edd. Hipler et Zakrzewski, Cracoviae 1886. 1888. (Acta historica res gestas Poloniae illustrantia ab anno 1507 ad annum 1795. Tom. IV et IX.)

Huber, Alfons, Geschichte Österreichs, IV. Bd. Gotha 1892.

[S. Ignatius] Cartas de San Ignacio de Loyola Fundador de la Compañía de Jesus. Tomos VI. Madrid 1874. 1875. 1877. 1887. 1889. 1889.

[S. Ignatius] Epistolae S. Ignatii Loiolae Societatis Iesu fundatoris libris quatuor distributae [per Rochum Menchaca]. Bononiae 1837.

Imago primi saeculi Societatis Iesu a provincia Flandro-Belgica eiusdem Societatis repraesentata. Antverpiae 1640.

† Institutum Societatis Iesu. 3 voll. Florentiae 1892. 1893. 1893.

Janssen, Johannes, Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters. Freiburg i. Br.: I. Bd., 15. Aufl. 1890; II. Bd., 15. Aufl. 1889; III. Bd., 15. Aufl. 1891; IV. Bd., 13. Aufl. 1890; V. Bd., 13. und 14. Aufl. 1893; VI. Bd., 1.—12. Aufl. 1888; VII. Bd., ergänzt und herausgegeben von Ludwig Pastor, 1.—12. Aufl. 1893; VIII. Bd., erg. u. herausg. v. L. Pastor, 1.—12. Aufl. 1894.

Kink, Rud., Geschichte der kaiserlichen Universitaet zu Wien. 2 Bde. Wien 1854.

[Kirchenlexikon] Wetzer und Welte's Kirchenlexikon oder Encyklopädie der katholischen Theologie und ihrer Hülfswissenschaften. 2. Aufl., begonnen von Joseph Cardinal Hergenröther, fortgesetzt von Dr. Franz Kaulen. Freiburg i. Br. 1882 ff.

Knöpfler, Alois, Die Kelchbewegung in Bayern unter Herzog Albrecht V. München 1891.

Lipowsky, Felix Joseph, Geschichte der Jesuiten in Baiern. 2 Th. München 1816.

Litterae quadrimestres ex universis praeter Indiam et Brasiliam locis in quibus aliqui de Societate Jesu versabantur Romam missae. T. I. II. (1546—1552. 1552—1554). Matriti 1894. 1895. (Monumenta historica S. J.; v. in hoc nomine.)

† Manareus, Oliverius, S. J., De rebus Societatis Iesu commentarius. Florentiae 1886.

Mayer, Manfred, Leben, kleinere Werke und Briefwechsel des Dr. Wiguleus Hundt. Innsbruck 1892.

Mederer, Ioannes Nepomucenus, Annales Ingolstadiensis Academiae. Partes 4. Ingolstadii 1782.

Menchaca vide „S. Ignatius".

Meshovius, Arnoldus, De origine et progressu defectionis et schismatis Hermanni Comitis de Weda (Opus typis descriptum una cum quattuor libris Michaëlis ab Isselt „De bello Coloniensi"). Coloniae 1620.

Migne, I.-P., Patrologiae cursus completus. Series latina, tomi 221, Parisiis 1844 ad 1864; series graeca, tomi 161, Parisiis 1857—1866.

Monumenta historica Societatis Jesu nunc primum edita a Patribus ejusdem Societatis. Annus primus, secundus, tertius. Matriti 1894. 1895. 1896.

Moufang, Christoph, Katholische Katechismen des sechzehnten Jahrhunderts in deutscher Sprache. Mainz 1881.

Orlandinus, Nicolaus, S. J., Historiae Societatis Iesu prima pars. Romae 1615.

Orlandinus, Nicolaus, S. J., Forma sacerdotis apostolici, expressa in exemplo Petri Fabri. Ed. altera. Dilingae 1647.

Pachtler, G. M., S. J., Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticae Societatis Jesu per Germaniam olim vigentes. Voll. IV. Berlin 1887. 1887. 1890. 1894. (Monumenta Germaniae Paedagogica. Schulordnungen, Schulbücher und pädagogische Miscellaneen aus den Landen deutscher Zunge. Herausgegeben von Karl Kehrbach. Bd. II. V. IX. XVI.)

Pastor, Ludwig, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen während der Regierung Karls V. Freiburg i. Br. 1879.

Philippson, Martin, Westeuropa im Zeitalter von Philipp II., Elisabeth und Heinrich IV. Berlin 1882. (Allgemeine Geschichte in Einzeldarstellungen, herausgegeben von Wilhelm Oncken, 3. Hauptabth., 2. Theil.)

Polanco, Joannes Alphonsus de, S. J., Vita Ignatii Loiolae et rerum Societatis Jesu historia (Chronicon S. J.). Tom. I. et II. Matriti 1894. Tom. III. Matriti 1895.

Prantl, Carl, Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität in Ingolstadt, Landshut, München. 2 Bde. München 1872.

Prat, J.-M., S. J., Le Père Claude Le Jay. Lyon 1874.

Python, Petrus, S. J., Vita R. P. Petri Canisii S. J. Gallico idiomate scripta a R. P. Joanne Dorigny, nunc latinitate donata, et multarum rerum accessione aucta. Monachii 1710.

Raderus, Matthaeus, S. J., De vita Petri Canisii de Societate Iesu, Sociorum e Germania primi, religiosissimi et doctissimi viri, bono rei Catholicae nati, libri tres. Monachii 1614.

Raderus, Matthaeus, S. J., Bavaria pia. Monachii 1628.

Raupach, Bernhard, Evangelisches Oesterreich, das ist, Historische Nachricht von den vornehmsten Schicksahlen der Evangelisch-Lutherischen Kirchen in dem Ertz-Hertzogthum Oesterreich. Hamburg 1732.

Raynaldus, Odoricus, Congreg. Orator., Annales ecclesiastici ab Anno quo desinit Card. Caes. Baronius M. C. XCVIII. usque ad Annum M. D. LXV. continuati. Tom. XXI. Partes 2. Coloniae Agrippinae 1727.

Reiffenbergius, Fridericus, S. J., Historia Societatis Jesu ad Rhenum inferiorem. Tom. I. Coloniae Agrippinae 1764.

Riess, Florian, S. J., Der selige Petrus Canisius aus der Gesellschaft Jesu. Aus den Quellen dargestellt. Freiburg i. Br. 1865 [1].

Sacchinus, Franciscus, S. J., De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii, de Societate Jesu, Commentarii. Ingolstadii 1616.

Schmidl, Ioannes, S. J., Historiae Societatis Jesu Provinciae Bohemiae pars prima ab anno Christi MDLV. ad annum MDXCII. Pragae 1747.

Schrauf v. Hartl.

Séguin, Eugène, S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius. Paris 1864.

Socherus, Antonius, S. J., Historia Provinciae Austriae Societatis Jesu. Pars prima. Viennae Austriae 1740.

Sommervogel, Carlos, S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition. Bibliographie. T. I.—VI. Bruxelles-Paris 1890. 1891. 1892. 1893. 1894. 1895.

Stälin, Christoph Fried., Aufenthaltsorte K. Ferdinands I. 1521—1564, in „Forschungen zur deutschen Geschichte“ I (Göttingen 1862), 384—395.

---

[1] Bene distinguendum est hoc opus a libello, quem ex eo auctor ipse extraxit: „Das Leben des seligen Petrus Canisius . . . für das Volk dargestellt.“ Freiburg i. Breisgau 1865.

Steinhuber, Andreas, Cardinal, S. J., Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom. 2 Bde. Freiburg i. Br. 1895.

† Synopsis Actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu 1540—1605. (Tom. I.) Florentiae 1887.

Tanner, Mathias, S. J., Societas Jesu Apostolorum imitatrix. Pars prima Societatis Iesu Europaeae. Pragae 1694.

Varrentrapp, C., Hermann von Wied und sein Reformationsversuch in Köln. Leipzig 1878.

Verdière, Ch.-H., S. J., Histoire de l' université d' Ingolstadt, des Ducs, ses patrons, et de ses Jésuites jusqu' à la paix de 1624. Tom. I. II. Paris 1887.

Wappler, Anton, Geschichte der theologischen Facultät der k. k. Universität zu Wien. Wien 1884.

[Weinsberg, Hermann von] Das Buch Weinsberg. Kölner Denkwürdigkeiten aus dem 16. Jahrhundert bearbeitet von Konstantin Höhlbaum. 2 Bde. Leipzig 1886. 1887.

Wiedemann, Theodor, Geschichte der Reformation und Gegenreformation im Lande unter der Enns. I. Bd. Prag 1879; II. Bd. Prag 1880; III. Bd. Prag 1882; IV. Bd. Prag und Leipzig 1884; V. Bd. Prag und Leipzig 1886.

VI.

DESCRIPTIO CODICUM MANU SCRIPTORUM, IN HOC VOLUMINE FREQUENTIUS ADHIBITORUM[1].

Praeter codices, qui infra describentur, multi alii huic volumini componendo sunt adhibiti, qui exstant Bruxellis, Dilingae, Florentiae, Friburgi Helvetiorum, Guelpherbyti, Ingolstadii, Parisiis, Pragae, Romae, Tiguri, Tridenti, Viennae etc. Sed quia hi raro tantum adhibiti sunt, satis esse videbatur, suo quemque loco nominare vel, quantum opus esset, describere.

Codices omnes chartacei sunt et (exceptis codicibus Societatis Iesu) ab urbibus denominantur, in quibus nunc asservantur. In descriptione singulorum codicum verba prima, signis „" inclusa, nomen sive notam illam significant, quae in hoc ipso volumine, post nomen urbanum, codici designando adhibetur.

1. Codex bruxellensis.

In archivo regio.

„Hist. Coll. Lov." Inscriptio recens in tergo: „HISTORIA COLLEGII | SOCIETATIS IESU | LOVANII | 1542—1695." Titulus antiquus in f. 1ª: „Historia Collegij Societatis Iesv Louanij." 2°; ff. 360 signata; in priore parte libri etiam singulae paginae numeris signatae sunt.

Prior pars conscripta esse videtur ante medium saeculum XVII. Auctor vel auctores „veteribus monumentis" collegii lovaniensis usi sunt (p. 3; cf. p. 2); quae nonnumquam etiam integra proponuntur; v. g. p. 15. 16. 19. 79—84. 97—98 etc.

Dubium non est, quin hic codex usque ad a. 1773 collegii Societatis Iesu lovaniensis fuerit.

2. Codices colonienses.

a) In archivo ecclesiae parochialis Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae (quae usque ad a. 1773 collegii Societatis Iesu coloniensis fuit).

„Hist. coll. Col." Antiqua inscriptio in tergo: „ANNVÆ | COLLEG | COLON | ab 1543 | ad 1675. | Tomus 1." Titulus in f. 2. non signato: „† LIBER .1. | HISTO-

[1] Aliquot codices, quorum in hoc volumine saepe fit mentio, ideo non describuntur hoc loco, quia editor eos ipse videre non potuit.

RIÆ | COLLEGII | COLONIENSIS. | S. J. | Ab anno 1543 ad 1631. | et deinceps. | imò ad 1674 perducta." (Hic titulus usque ad „imò" excl. a P. Iacobo Kritzradt S. J. scriptus est.) 2°; ff. 253 non signata (additis iis, quae codici postea inserta sunt). Praecedit series chronologica rectorum collegii coloniensis, a Kritzradt usque ad a. 1668, ab altero ad 1755 perducta, et series chronologica praepositorum provinciae Rheni (inferioris). Sequitur: „Historia Collegii Coloniensis de primo nostrorum in hanc Vrbem aduentu et consecuta rerum Societatis in ea progressione. Quae a principio, hoc est ab anno Domini 1542 usque ad annum 1625, denuo anno 1625 collecta nunc filo perenni inde ducitur." In „praefatione" exponitur, anno 1621, incendio in collegio coloniensi exorto, eiusdem „rem librariam" et „antiquos fastos" destructos esse, ideoque priorem huius historiae partem anno 1625 compositam esse „ex varijs affectarum tantum historiarum huius Collegij fragmentis atque indigestis ruderibus" atque ex multis litteris eorundem temporum, quae in incendio illo incolumes mansissent. Praeterea codici multae litterae, diplomata etc. (magnam saltem partem archetypa) inserta sunt, quibus historia collegii illustratur et augetur.

Historiam hanc ab a. 1542 ad 1621 perduxit P. Henricus Simonis, qui Mulhemii ad Rhenum a. 1589 natus, Coloniae in gymnasio S. J. „tricoronato" institutus, Societati a. 1608 nomen dedit, Coloniae ad academicos gymnasii tricoronati iuvenes sermones sacros latine habuit, postea autem Societatem deseruit [1]. Secutus est hunc et fere usque ad a. 1670 pervenit P. Iacobus Kritzradt [2], qui a. 1602 in oppido Gangelt natus, a. 1623 Societatem ingressus, postea „superior missionum" et „praefectus scholarum" fuit et a. 1672 in collegio coloniensi obiit, de historia collegii coloniensis optime meritus. Reliqua quis scripserit, non constat.

Codex usque ad a. 1773 collegii Societatis Iesu coloniensis fuit. Usus est eo Frid. Reiffenberg S. J. in „Historia S. J. ad Rhenum inferiorem" scribenda.

Alterius cuiusdam „Historiae Collegii Coloniensis Societatis Iesu ab anno 1542 . . . usque ad annum 1631" etc. manu scriptae summarium quoddam germanico sermone contractum edidit Franciscus Iosephus de Bianco [3].

b) In archivo studiorum fundatorum („Archiv des Gymnasial- und Studienstiftungsfonds").

1. **„Epistt. ad Kessel. I."** Inscriptio in tergo: „EPISTOL. ad R. P. | L. KESSELIUM. | I.^m S. J. Rect. Coloniae | Pars I.^a ab | 1546 ad 1572." 2°. Foliorum signatio accurata non est et in f. 192 desinit; tertia codicis pars foliis non signatis constat.

---

[1] *Ios. Hartzheim* S. J., Bibliotheca Coloniensis (Coloniae 1747) p. 127. *J. Hansen*, Zur ältesten Geschichte des Jesuitenordens in Deutschland, in „Mittheilungen aus dem Stadtarchiv von Köln" VIII (Köln 1893), 282—290.

[2] De Iacobo Kritzradt (Kritzraedt, Kritzraet) scripserunt *Hartzheim* l. c. p. 146; *Aug. de Backer* S. J., Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus II (Nouv. éd., Liège-Lyon 1872), 528—529; *Carl. Sommervogel* S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. Nouv. éd. Bibliogr. IV (Bruxelles-Paris 1893), 1250; *G. Rauschen* in „Zeitschrift des Aachener Geschichtsvereins" XIII (Aachen 1891), 181—190.

[3] Die alte Universität Köln. 1. Thl. (Köln 1855), p. 855—972. Hanc historiam a nostra differre ipsa inscriptio probat, quam Bianco l. c. p. 855 ponit; nunc fortasse in privata domo est.

Continet epistulas ad P. Leonardum Kessel, Sociorum coloniensium primum praepositum et rectorem datas a. 1546—1572 a B. Petro Canisio, PP. Nicolao Bobadilla, Everardo Mercuriano, Ioanne Polanco, Andrea Frusio, Petro Ribadeneira, Nicolao Lanoio, Theodorico Canisio, Paulo Hoffaeo, Gasparo Haiwodo etc. Epistulae ordine chronologico dispositae et ferme omnes archetypae sunt.

Codice hoc usi sunt Reiffenberg [1] in conscribenda historia provinciae S. J. Rheni inferioris et G. M. Pachtler S. J. in opere „Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticae Societatis Jesu per Germaniam olim vigentes“ [2].

Usque ad annum 1773 collegii Societatis Iesu coloniensis fuit.

2. **„Lib. fac. Art. quartus.“** Inscriptus est: „Liber facultatis Arcium Studij Coloniensis jam quartus [3] inter | eos qui iam sunt apud decanos.“ 2⁰; ff. 334 numeris signata.

Complectitur annos 1500—1565 et continet electiones decanorum, collationes graduum academicorum, decreta facultatis etc.

3. **„Litt. Epistt. var.“** Inscriptio in tergo: „LITERAE EPISTOL: S. J. Variorum | ad nostros PP. COLONIEN. | ab anno C. 1543.“ 2⁰; foliorum signatio non est continua, et in medio fere codice (n. 194) prorsus desinit.

Continet epistulas a. 1543—1665 ad Societatis Iesu homines Coloniae degentes datas ac multas alias litteras, diplomata etc. ad ea tempora spectantia. Quae omnia ordine fere chronologico disposita et aut autographa sunt, aut olim ac fere ab aequalibus illorum temporum descripta: epistulae S. Ignatii, B. Petri Fabri, B. Petri Canisii, PP. Everardi Mercuriani, Ioannis de Polanco, Bernardi Oliverii, Hieronymi Natalis, Francisci Turriani, Oliverii Manarei, Laurentii Forer, Ioannis Bollandi, Andreae Brunner etc.

Epistulas hasce congessisse videtur Ioseph Hartzheim S. J. historiographus coloniensis († 1763); nam Fridericus Reiffenberg inter codices manu scriptos, quibus ipse usus sit, commemorat „Epistolas primorum Patrum, maximam partem, autographas. Collegit 2. Volum. Jos. Hartzheim S. J.“ [4].

Codex hic usque ad annum 1773 collegii Societatis Iesu coloniensis fuit. Breviter descriptus est a Iosepho Hansen [5].

3. Codex cracoviensis.

In bibliotheca universitatis iagellonicae.

„Cromeri epistt.“ Titulus recens in pagina altera anterioris partis involucri positus: „Martini Cromeri epistolae aliquot, et Hosii et aliorum ad eundem litterae.“ Sign.: „Nr. 28.“ 2⁰; nec paginae nec folia, sed epistulae numeris signatae sunt.

---

[1] Historia Societatis Iesu ad Rhenum inferiorem I (Coloniae 1764), v. g. p. 31[k].

[2] Monumenta Germaniae Paedagogica, ed. *K. Kehrbach,* II (Berlin 1887), XXII ad XXIII. 135—139.

[3] Sic correctum est; antea scriptum erat: „Tertius“.

[4] L. c. in catalogo codicum, qui in initio operis positus est. Dolendum est certe quam maxime multos codices manu scriptos, quos a se adhibitos Reiffenberg in hoc catalogo recenset, nunc latere vel prorsus periisse.

[5] L. c. p. 286.

Continet epistulas 392, annis fere 1550—1585 datas; quarum aliquae Cromeri sunt; longe autem plurimae ad Cromerum datae sunt a B. Petro Canisio, Stanislao cardinali Hosio, Ioanne Cochlaeo, Stanislao Rescio, Bonaventura Thoma, PP. Petro Scarga, Laurentio Magio, Stanislao Varsevicio, S. J. etc. In iis disponendis neque auctorum neque temporum ratio habita est.

Hoc codice etiam usi sunt Franc. Hipler et Vinc. Zakrzewski in epistulis Hosii edendis[1].

4. Codices monacenses.

a) In archivo regni bavarici („Reichsarchiv").

1. **„Ies. Ing. 1359/I."** Inscriptio in tergo: „Collegium | Soc: Jesu | in Ingolstadt, | Pars .I." Signatura, ibidem: „Jesuitica Ingolstadt Fasc.... No. 1359/I". In p. 1: „De anno :1550: usque 1572 | Jngolstatt. | Die Ericht: vnd Fundierung eines | Neuen Collegij: vnd Schuelln der Societet Jesu: vnd das für solchen Pau: vnd in anderweg an | Vncossten erloffen. | Pars: 1ma." 2°; ff. 7 non signata et postea 327 signata.

Continet monumenta, maximam partem archetypa, quae ad initium et progressum collegii S. J. ingolstadiensis (1550—1573) spectant; litteras B. Petri Canisii, Ferdinandi I. caesaris, Alberti V. Bavariae ducis, Martini Eisengrein, Simonis Thaddaei Eck, P. Pauli Hoffaei S. J. etc.

Codice hoc usi sunt Florianus Riess[2] et Augustus de Druffel[3].

2. **„Keller, Can. 2."** Involucrum, titulus, initium opusculi desunt. Incipit f. 1a: „primum, dein a tuis, ab alijs demum inci- | pit". Constituit partem fasciculi, qui signatus est „Jesuitica in genere Fasc. 13 No 214". 12°; ff. signata 67, et postea 4 vacua. Saeculo XVII. scriptus esse videtur.

Continet vitam Canisii a P. Iacobo Kellero S. J. (1568—1631) circ. a. 1612 scriptam neque adhuc typis descriptam; cf. infra p. LVI—LVII.

3. **„Keller, Can. 3."** Titulus deest. Incipit f. 1a: „Patria et parentes Canisij. | Habuit Petrus noster patriam Nouio- | magum" etc. Constituit partem fasciculi „Jesuitica in genere Fasc. 13 No 214". 2°; ff. signata 41 (f. 36 vacuum est).

Continet eandem vitam Canisii a P. Iacobo Kellero scriptam, cum quinque epistulis Canisii, ab ignoto pulchre transcriptam et ab altero quodam circiter a. 1615 (ut videtur) correctam et auctam; qui idem postea miracula ascripsisse videtur, quae annis 1630 et 1631 Canisii precibus a Deo patrata essent. Tertia quoque manu aliqua suppleta sunt.

Codex antea Friburgi Helvetiorum in bibliotheca collegii S. J. fuisse videtur; ex qua fortasse in archivum provinciae S. J. „Germaniae superioris" translatus est.

4. **„Scriptt. coll. Ingolst."** Inscriptio in dorso: „Scripturae | Veteres | Coll. Ingolstad. | ab A.° MDC." Titulus: „SCRIPTVRAE | AD COLL. INGOLSTADIANI INITIA, PROGRESSVS, IMPEDIMENTA, FVNDATIONEM PERTINENTES. | AB A. M. D. L. | AD M. D. XCIX." Si-

---

[1] Stanislai Hosii . . Epistolae etc. T. I. II. (Cracoviae 1879. 1886—1888); e. g. II, 1020—1021.

[2] Der selige Petrus Canisius (Freiburg i. Br. 1865) v. g. p. 87—88.

[3] Briefe und Akten zur Geschichte des sechzehnten Jahrhunderts I (München 1873), 407—411.

gnatura recens: „Jesuitica N.° 1357^{m}“; codex antea, cum in regia bibliotheca monacensi esset, signatus erat „Cod. lat. 1742“. 2°; foliorum signatio continua non est; paenultimum folium habet num. 116.

Continet epistulas aliaque monumenta multa, quorum magna pars archetypa est: epistulas S. Ignatii de Loyola, Ferdinandi I. caesaris, Alberti V. Bavariae ducis, Martini Cromeri, Friderici Staphyli, P. Pauli Hoffaei etc., litteras quadrimestres collegii ingolstadiensis 1560—1562, acta et constituta cum universitate, episcopo eystettensi etc. 1550—1582, litteras „fundationis“ et „incorporationis“ collegio datas 1563—1599.

Usque ad a. 1773 in collegio S. J. ingolstadiensi fuisse videtur.

Eberhardus Gothein [1] affirmat P. *Florianum Riess* S. J., cum vitam Canisii scriberet (Der selige Petrus Canisius aus der Gesellschaft Jesu. Freiburg i. Br. 1865), regium archivum (Reichsarchiv) monacense, quod summi in ea re momenti esset, non adisse. At vel primae libri a Riess conscripti paginae clare ostendunt eum falso accusari. Multa certe ipse protulit et ex archivi illius fasciculis et ex codicibus manu scriptis, qui aliis urbis monacensis locis asservantur; vide v. g. *Riess* l. c. p. 8—14. 67. 74—75. 88. 131—132. 136—139. 142—144. 158—163. 179—181. 183 ad 194. 211—213 etc.

b) In archivo universitatis monacensis.

„Protocolla“. Titulus in tergo: „Protocolla | seu Acta | in Consistorio | PP. Academicor. | de Anno | 1535 | usque 1578.“ Signatura in tergo: „Univ. Archiv Stand 1870. Littera D. Abtheilung III Fascikel N. 7.“ 2°; ff. signata 295, et praeterea 2 vacua.

Continet acta archetypa senatus sive „consistorii“ universitatis ingolstadiensis, 26. Ian. 1535 ad 13. Iul. 1579. Actis senatus inserta sunt multa exempla litterarum et mandatorum Alberti V. Bavariae ducis, rectorum universitatis etc., ac diplomatum et litterarum, quae spectant rem pecuniariam tum totius corporis academici, tum singularium eius membrorum, mores scholasticorum, beneficia ecclesiastica etc.

c) In archivo provinciali Bavariae superioris („Kreisarchiv von Oberbayern“, „Archiv-Conservatorium“).

„Ingolst. Un.-Sachen“. Titulus in tergo: „Ingolstadt | Universit. Sachen, | Anno 1555 bis 1584. | Tom. III.“ 2°; ff. signata 306.

Continet monumenta, eaque aut archetypa aut ab aequalibus descripta, quae pertinent ad universitatem ingolstadiensem et imprimis ad eius „reformationem“ anno 1555 agitatam, ad academiae facultates et reditus, bibliothecam et bibliopolas, ad canonicatum eystettensem, qui vicecancellario universitatis conferebatur, seminarium georgianum, seminarium „religiosorum“, collegium ingolstadiense Societatis Iesu.

Codice hoc usus est C. Prantl in historia universitatis ingolstadiensis et monacensis conscribenda [2].

d) In bibliotheca universitatis monacensis.

„Keller, Can. 1.“ Signatura recens, in tergo: „Cod. Ms. 320“; antiqua, ibidem: „VITA P. Canisii. B. I. 74“ [24?]. Titulus in f. 1^{a}: „JHS Mra |

[1] Ignatius von Loyola und die Gegenreformation (Halle 1895) p. 795.

[2] Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universitaet in Ingolstadt, Landshut, München. 2 Bde. München 1872; v. g. II, 197—198.

PETRVS CANI|SIVS. | é Societate IESV | GERMANORVM PRI MVS | Duobus Libris | enarratus | Ab | R. P. Jacobo Keller. | Societatis IESV. | CIƆ· IƆ· C· XII·" Nomen Iacobi Keller postea (sive eadem manu sive altera) positum est; prius enim eius loco scriptum erat „N. N.". 2°; ff. signata 59, et 2 non signata et vacua. Codex valde eleganter scriptus est, et si cum autographis praeclari illius P. Iacobi Bidermann S. J. confertur, quae in codice „lat. 1610" regiae bibliothecae monacensis (f. 160—181) exstant, dubitari vix potest, quin Bidermann hunc quoque scripserit codicem.

Vita Canisii finitur f. 52^b; sequuntur exempla 6 epistularum Canisii totidem Societatis Iesu collegiis inscriptarum. Cf. supra p. LV.

Codex usque ad a. 1773 in bibliotheca collegii S. J. ingolstadiensis fuisse videtur.

e) In bibliotheca regia („Hof- und Staats-Bibliothek").

„Lat. 1606". Signatura recens, in tergo et in p. 1.: „Cod. lat. 1606" (antea signatus erat „Cod. bav. 606"). 2°; ff. signata 230; ff. 127—188 minoris formae sunt.

Continet: 1. exempla multarum epistularum canisianarum, a diversis librariis saeculis, ut videntur, XVII. et XVIII. scripta (f. 2—189); 2. monumenta, quae ad processum apostolicum beatificationis Canisii, Friburgi Helvetiorum saeculo XVIII. institutum, spectant (f. 191—225); 3. conspectum chronologicum vitae Canisii (f. 229—230).

Epistulis Canisii praefixum est exemplum litterarum Ingolstadio 28. Ianuarii 1782 Lipperto (Lippert) inscriptarum a Ioanne Michaele Sailer (1751 ad 1832), qui anno 1770 Landsbergae Societatem Iesu ingressus, in ea usque ad eius suppressionem mansit, postea autem episcopus ratisbonensis fuit et multos libros conscripsit; ex litteris illis Saileri intellegitur codicem hunc (qui certe olim Societatis Iesu fuit) a praeclaro illo contionatore Sebastiano Winkelhofer (1743—1806; 1759 Societatem Iesu ingresso) servatum et a Sailero a. 1782 ad Lippertum transmissum esse [1].

Ex iis, quae in hoc volumine exponentur, clare patebit codicis huius epistulas complures ex archetypo italico in latinum versas, alias nonnihil mutatas vel mutilatas esse.

Riess hunc codicem „Münchener Sammlung" („M. Slg.") vocavit et saepe adhibuit [2].

5. Codex romanus.

In archivo collegii germanici et hungarici.

„All. coll. germ." Titulus antiquus: „NOMINA | ALVMNORVM | COLLEGII | GERMANICI | ET. HVNGARICI." In folio sequente manu antiqua notatum est: „Hic liber continet Nomina Alumnorum ab erecto Collegio Germanico quantum ex diuersis Catalogis ordine temporum seruato Colligere licuit. Confectus est autem nunc primum die primo Januarij 1608 et Originalia in archiuio reposita." 2° mai.; pp. signatae 874, et complures non signatae; additae sunt figurae aeneae complures, et indices alphabetici.

---

[1] Codex hic sat breviter descriptus est in „Catalogo Codicum Latinorum Bibliothecae Regiae Monacensis" ed. a *Car. Halm* et *G. Laubmann*, tom. I, P. 1 (Monachii 1868), p. 216. [2] V. g. l. c. p. 131—132. 136—139. 144.

Continet nomina alumnorum ab 21. Nov. 1552—13. Dec. 1715 collegium ingressorum; at multa nomina deesse videntur. Nominibus manibus diversis quaedam adnotata sunt, quae alumnorum vitam et res gestas spectant.

Codice usus est emin. Card. Andreas Steinhuber S. J. in conscribendo libro „Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom“ (Freiburg i. Br. 1895).

6. Codices Societatis Iesu.

Notandum est codices infra describendos et ceteros, quorum per hoc opus mentio fiet, Societatis Iesu codices, fasciculos, diplomata, folia singularia etc. nequaquam uno loco collecta esse, sed in diversis variarum terrarum archivis et bibliothecis asservari.

1. „**Annal. Vienn.**“ Titulus antiquus avulsus esse videtur. Incipit f. 1.: „Professa Domus Viennensis Societatis Ie su principio Collegium fuit ac gymnasium totius Prouinciae; primum “ etc. 2°; ff. signata 212. Codex a compluribus Sociis fere priore parte saeculi XVII. scriptus esse videtur. Res saeculi XVI. et ineuntis XVII. ex vetustioribus annalibus haustae, posteriores autem ab aequalibus eorum temporum descriptae esse videntur.

Continet historiam illius domus Societatis Iesu viennensis, quae anno 1551 coepta, usque ad annum 1625 collegium, postea autem „domus professa“ fuit; quae historia usque ad a. 1650 perducitur.

Antea (usque ad a. 1773) Viennae in domo professa S. J. fuit.

2. „**Antiqu. Ingolst.**“ Inscriptio et signatura recens in tergo: „Antiquitates Collegii Ingolstadiensis. XIII. Ma.“ Titulus antiquus in f. 2. non signato: „ANTIQVITATES | SOCIETATIS | ET | COLLEGII | INGOLSTADIENSIS | COLLECTÆ | Anno | MDCLXIII.“ 2°; ff. 110 signata (complura ex iis vacua sunt) et in initio 3 non signata.

F. 1—12 exstat: „Summarium de rebus Collegij Jngolstadiensis dedicati Societati nominis Jesu Dominj nostrj. De Origine huius instituti Collegij.“ Codex terminatur exemplo epistulae italicae, a P. Ioanne Polanco S. J. Roma 17. Februarii 1570 missae. Solum „summarium“ illud in formam historiae redactum est, annos 1548—1571 spectantis; in reliqua parte continentur epistulae Iacobi Lainii et Francisci Borgiae praepositorum generalium ac Canisii praepositi provincialis Germaniae superioris, praecepta, instructiones, ordinationes ab iisdem factae, regulae officiorum Societatis, alia usque ad a. 1570 in Societate acta et constituta; quae a variis collegii ingolstadiensis Sociis transcripta sunt.

In priore codicis parte, qua res a. 1548—1563 gestae referuntur [1], complura transcripta sunt manu P. Nicolai Lanoii (Delanoy), belgae, qui a. 1552—1558 collegii viennensis rector fuit et postea ingolstadiense collegium rexit usque ad a. 1563, quo in Austriam remissus est, primus provinciae S. J. austriacae praepositus procincialis futurus [2]. Idem sua manu

[1] F. 1—86; f. 12ᵃ quaedam scripta sunt ad a. 1565—1571 pertinentia; sed ea posteriore demum manu inserta sunt.

[2] F. 21ᵃ. 23ᵃ. 60ᵃ—63ᵃ. 78ᵇ. 79ᵃ. 86ᵇ. A Lanoio haec scripta esse facile patet, si conferantur cum forma professionis sollemnis, quam Lanoius sua manu

conspectum sive indicem scripsit rerum, quae in priore illa codicis parte comprehenduntur. Haec ostendunt codicem hunc ante a. 1564 inceptum, et calligraphum, qui eius titulum scripsit, corrigendum esse ita, ut legatur „Antiquitates . . . . collectae Anno MDLXIII". Posteriora autem acta (1564 ad 1570) statim fere atque archetypa Ingolstadium allata sunt, in hoc codice descripta esse videntur [1].

Codicem breviter descripsit (l. c. I, xxxix) et usurpavit Pachtler; qui cum Lanoii autographa, quibuscum codicem nostrum conferret, ante oculos non haberet, mendoso eius titulo credens scripsit anno demum 1663 „Antiquitates" esse in hunc librum congestas, licet ex ipsa scribendi ratione concluserit multas eius partes iam saeculo XVI. ac fere eodem tempore atque archetypa ipsa scriptas esse. Simili ratione factum est, ut quaedam codicis verba a Canisio ipso scripta esse censeret, quae a librario scripta sunt.

Dubium non est, quin hic codex usque ad Societatis Iesu suppressionem anno 1773 factam penes Societatem Iesu fuerit. Anno 1865 baro de Aretin eum habuisse videtur [2].

Prior „Antiquitatum" pars (f. 1—12^{a}) circiter annum 1572 ex hoc codice transcripta esse videtur in codicem „Historia Collegij Jngolstad. S. J. Tom. I.", qui nunc Eystadii in archivo curiae episcopalis asservatur; plura de eo scribentur in secundo huius operis volumine.

Ex apographo recente, quod ex codice nostro exscriptum est, prima Antiquitatum capita (in codice f. 1—3^{a}) primum in lucem emisit P. Ch.-H. Verdière S. J. [3].

Etiam Ioannes Nepomucenus Mederer in „Annalibus Ingolstadiensis Academiae" conscribendis hoc codice usus esse videtur; nonnumquam enim eius paene verba repetit [4]. Eundem usurpavit Riess [5].

3. **„Germ. Sup. Cat. 1566. 1599."** Inscriptio antiqua in tergo: „Germ | Sup | Catal | 1566 | 1599 Cat | brev." Incipit f. 1^{a}: „Jhs Catalogus fratrum Jngolstadiensium. Anno 1563. 31 Augustj." Finitur: „† Supplementum primi et 2.^{di} Catalogi Prouinciae Superioris Germaniae. An. 1599." 2°. Maior quidem foliorum pars numeris signata est, sed iis, qui ad priorem aliquem codicem spectant, ex quo, ordine priore neglecto, translata sunt.

Codex catalogos hominum et officiorum provinciae S. J. Germaniae superioris („catalogos tertios") continet, qui a. 1563—1600 Romam ad praepositos generales missi sunt; attamen catalogi annorum 1572—1588 et alii desunt. Accedunt „informationes" aliquae de quorundam Sociorum ingenio et moribus, epistulae paucae a rectoribus praeposito generali inscriptae etc.

4. **„Hist. gymn. tr. cor."** Titulus antiquus: „Historia gymnasij novi | Trium Coronarum | Societatis Iesv | Coloniæ | Per annos christi di-

---

scripsit in codice „Liber Professionum" (XIII. Y) f. 7^{b}, et cum epistulis eius autographis, Vienna 17. Maii 1560, Ingolstadio 18. Septembris 1561, Augusta Vindelicorum 11. Octobris 1561 datis, quae sunt in cod. „Germania 1560—61" f. 39^{a}. 278. 31.

[1] Aliqua, ni fallor, scripta sunt a P. Michaele Mario (f. 1—11. 54; cf. Librum Professionum, de quo supra, f. 11^{b} non sign.), alia a P. Henrico Arboreo (f. 67^{b} ad 71^{b}; cf. Librum Professionum f. 7^{b}).

[2] Vide *Riess* l. c. p. 87 [1].

[3] Histoire de l'Université d'Ingolstadt I (Paris 1887), 444—451.

[4] Ita I, 214. 217—218. 219. 226. 243. [5] L. c., e. g. p. 87.

GESTA | Ab Anno | 1556." 2°; ff. signata 186 (1—12 nunc desunt) et postea fere totidem non signata.

Continet historiam gymnasii „trium coronarum" (cucani), a. 1556 a senatu coloniensi hominibus Societatis traditi; quae a primis gymnasii initiis (1536) usque ad a. 1585 per annos digesta est; addita sunt, ordine temporum servato, monumenta varia sive archetypa sive transcripta (epistulae, catalogi lectionum, Sociorum, discipulorum, rationes accepti et expensi etc.), quae usque ad medium saeculum XVII. pertingunt et universitatem quoque coloniensem, scholam S. J. traiectensem etc. spectant. Accedit historia rerum, quae annis 1652, 1654, 1655 in gymnasio „tricoronato" gestae sint.

Priorem historiae huius partem (usque ad a. 1579 incl.) a P. Iacobo Boyman S. J., „Iuliate", „ex Poffendorf prope Geilenkirchen oriundo", Coloniae annis 1638 et 1639 conscriptam esse [1], in ipso codice nostro (f. 174^{b}) testatur P. Iacobus Kritzradt S. J. [2]. Atque hic tum reliquam historiae partem actaque conscripsit et collegit, tum priorem, a Boymano compositam, multis locis correxit vel auxit. Fontes manu scripti, quibus uterque usus est, recensentur in codice f. 18^{b}; praecipui sunt: „Annales Theologicae Facultatis", „Libri Decanales Facultatis Artium", „Ephemerides Gymnasii", „Fasti Gymnasij", „Historia Collegij Coloniensis".

Codice usi sunt Riess (v. g. l. c. p. 53—54) et Pachtler (l. c. I, XXI—XXII etc.) In archivo quodam privato prope Coloniam sito altera exstat (manu scripta) „Historia Gymnasij noui Trium Coronarum Soc. J. Coloniae per annos Christi Digesta", quam descripsit et usurpavit Pachtler (l. c. p. XXIV etc.).

5. **„Scripta Can. X. A."** Signatura recens in tergo: „Scripta B. Petri Canisii. X. A." Incipit f. 2^{a}: „Petrus Kannees Nouiomagus Añ. 1538. M. Sept:"; quae verba Canisii ipsius manu scripta sunt. 4°; ff. 250 signata et 47 non signata. In fine (ff. 4. et 3. ante ultimum) hymnus „A solis ortus cardine", et post eum: „Laus deo scripta anno 1535 Coloniae kaleñ. ianua" [3]; sequuntur quaedam in psalmos adnotata et descripta „ex libro scripto Domini theodorici bardwyck" [4]. Haec quoque omnia fortasse a Canisio ipso scripta sunt. Qui omnino maximam totius codicis partem sua quidem manu scripsit, sed valde diversis temporibus, alia iuvenis, alia media vitae aetate, alia senex Friburgi Helvetiorum commorans. Complures alii eum scribendo adiuvarunt, v. g. Antonius Vinck S. J. [5]. Tres etiam libelli typis exscripti in codice hoc continentur; de quibus vide infra, p. 672.

Codex materias theologicas ex iure canonico, „Pagnino", Ioanne „Ekkio", „Roffensi" etc. excerptas et alphabetico ordine digestas continet,

---

[1] Hartzheim affirmat eum ex Ottweiler, Iuliacensium oppidulo, anno 1605 ortum esse (l. c. p. 142). In Societatem Iesu a. 1626 admissus, professor, studiorum praefectus, collegii rector fuit Novesii, Monasterii Eiffliaci, Aquisgrani. Vita cessit Aquisgrani a. 1669 (*Hartzheim* l. c.). De eius scriptis cf. *Sommervogel* II, 73—75, et ea, quae adnotavit *B. Duhr* S. J. in „Österreichisches Litteraturblatt", herausgegeben durch die Leo-Gesellschaft. 3. Jahrg. (Wien 1894), p. 419.

[2] De hoc vide supra p. LIII [2].

[3] Cf. infra, p. 658—659.

[4] Is Coloniae regens bursae „montanae" fuit et anno 1507 obiit.

[5] F. 207^{b}—208^{a}. 213. 240^{b}—241^{a} etc.

quae praecipue ad morum doctrinam, sacram liturgiam, ius canonicum pertinent.

Ab exeunte saeculo XVI. usque ad medium fere saeculum XIX. codex hic Friburgi Helvetiorum in bibliotheca vel archivo collegii Societatis Iesu servabatur. Die 7. Iulii 1741, cum Friburgi processus apostolicus beatificationis Canisii fieret, in eodem collegio una cum aliis Canisii codicibus iudicibus a sancta sede constitutis ostensus est[1].

Omnium codicum canisianorum, qui nunc supersunt, hic antiquissimus est.

---

[1] *Cod. „S. R. C. Laus. V. S. D. Petri Canisii . . . Pars II. Copia Proces. . . . super virtutibus et miraculis in specie“ f. 1381.

VII.

EXPLICATIO

notarum saepius occurrentium.

Notae quaedam ad complura et sat diversa vocabula significanda adhibentur; attamen quid singulis locis significent, ex contextu orationis dignosci potest. Ex eodem intellegitur, utrum v. g. „P.“ significet „Pater“ an „Patris“, „Patri“ etc.; hic verba fere casu tantum recto ponuntur.

a. = annus.
AA. LL. = Artes liberales.
B. = Beatus, Beata.
B. M. V. = Beata Maria Virgo.
c. = caput.
cf. = confer.
Const. = Constitutio.
d. = die, dominus.
D. = Divus, Doctor, Dottore, Dominus, Dominatio.
D. s. = Dominatio sua.
e. g. = exempli gratia.
E. L. = Euere Liebden.
Ex. = Examen.
f. = folium.
ff. = folia.
fl. = florenus, florin.
fl. gn. = fürstliche gnaden.
Fr. = Frater.
inscr. = inscriptio.
l. = liber.
l. c. = loco citato.
M. = Magister, Maestro, Maiestas.
m. = mensis.
Ma: = Maiestas.
mai. = maior.
min. = minor.
ms. = manu scriptus.
n. = numerus.
om. = omittit, omittunt.
O. Min. = Ordinis Minorum.
O. Pr. = Ordinis Praedicatorum.
O. S. B. = Ordinis Sancti Benedicti.
P. = Pater, Padre, Pars.
p. = pagina.
P. M. = Pontifex maximus.
p. m. = piae memoriae.
PP. = Patres, Padri.
pp. = paginae.
PP. gr. = Patres graeci.
PP. LL. = Patres latini.
R. = Reverendus, Reverendo, Romanus.
R. M. = Regia maiestas.
R. P. = Reverendus pater, Reverendo padre.
R. P. V. = Reverenda paternitas vestra, Reverenda paternità vostra.
RR. = Reverendi.
RR. PP. = Reverendi patres, Reverendi padri.
R. V. = Reverentia vestra, Reverenza vostra.
S. = Sanctus, Sancta, Signore, Signoria.
S. D. = Servus Dei.
S. D. N. = Sanctissimus dominus noster.
S. J. = Societas Iesu.
sig. = sigillum.

sign. = signatus.
S. P. = Salutem plurimam.
S. P. D. = Salutem plurimam dico (dicit).
S. P. N. = Sanctus pater noster.
sq. = sequens.
S. R. C. = Sacra rituum congregatio.
S. R. E. = Sancta romana ecclesia.
S. V. = Sanctitas vestra.
T. = Tomus, Tuus.
t. = tomus, tuus.
V. = Venerabilis, Vester, Vide.
v. = vide.
Ven. = Venerabilis.
v. g. = verbi gratia.
V. I. = Utriusque iuris.
Vol. = Volumen.
V. P. = Vestra paternitas, Vostra paternità.
V. R. = Vestra reverentia, Vostra reverenza.
V. R. P. = Vestra reverenda paternitas, Vostra reverenda paternità.

VIII.

CANISII AUTOBIOGRAPHIA SIVE CONFESSIONES ET TESTAMENTUM.

1. Prolegomena editoris.

In apographis antiquis atque etiam in libris nonnullis partes quaedam, maiores, minores, duorum exstant opusculorum, quibus Canisius vitam suam ipse enarrat. Uni titulus: „Confessiones“ [1], alterum dicitur „Testamentum“. Duo haec ab antiquis saepe iunguntur vel etiam confunduntur, ideoque uno de iis praeambulo agitur.

Canisius Friburgi Helvetiorum 21. Decembris 1597 vita defunctus est. Duobus mensibus post Otto Eisenreich, Societatis Iesu per Germaniam superiorem tunc praepositus provincialis — cui quidem et friburgense illud collegium suberat —, Romam ad ordinis sui moderatores scripsit: „Repererunt nostrj Friburgenses inter scripta .P. Canisij p. m. ipsius ut ipse uocat testamentum, in quo ad modum Confessionum D. Augustinj totam suam uitam ualde pie et grauj stilo describit. Res est ualde iucunda lectu ijs qui hominem nouerunt, et in prouincia diligenter asseruabitur. poterit praeterea etiam aliquando multum seruire pro Societatis historia.“ [2] Haec qua ratione Eisenreich cognoverit, P. Martinus Licius exponit, qui Canisio mortem obeunte collegii friburgensis rector erat; hic enim anno 1609 P. Ferdinando Alber, praepositi generalis S. J. pro Germania „assistenti“, haec scripsit de Canisio: „Scripsit venerabilis senex, per modum precationis, omnem fere suam vitam, non diu ante mortem, P. Sigismundo Ilsungo tunc scriptore vsus [3]. est libellus in 8⁰. Scripsit et vitam illius R. D. Doctor Werronius Ecclesiastes Friburgensis. Utrumque trac-

---

[1] Bene distinguere oportet has „Confessiones“ a brevi illa „Confessione“, quam Canisius primum anno 1571 inserendam curavit suae „Summae doctrinae Christianae“, Dilingae tunc denuo editae, atque etiam suo „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis libro primo“, ibidem tunc in lucem emisso. Quae postea saepissime variis Canisii libris adiecta est continetque sollemnem professionem fidei et oboedientiae erga sedem apostolicam. De qua cf. *Braunsberger*, Katechismen des seligen Petrus Canisius p. 94—96.

[2] * Epistula autographa, data Hala 25. Februarii 1598. Cod. *„Germ. 1596“*, f. 103.

[3] P. Sigismundus Ilsung erat „Erblingensis Austriacus“; mortuus est 1. Ianuarii 1631 Friburgi Helvetiorum anno aetatis 76., vitae in S. J. peractae 54., „potissimam aetatem in Collegiorum ministerijs, procurandaque familiari re ... uersatus“. * *„Elogia Hominum Illustrium, qui in Prouincia Superioris Germaniae vixerunt“* p. 82—83 (Cod. saeculo XVII. scriptus, Monachii in archivo regni bavarici Iesuit. Fasc. 11, No 196½). Hic 13. Maii 1582 Oeniponte in ecclesia collegii S. J. adstante Ferdinando II. archiduce primum Deo sacrum obtulerat. * Cod. *„Jnitium et progressus Collegij Societatis Jesv Oenipontanj“* p. 34. Cuius nomen in omnibus, quos vidi, eius temporis catalogis annuis est, quibus collegii illius friburgensis socii recensentur: ann. 1589. 1592. 1593. 1594. 1595. 1596. 1597. * Cod. *„Germ. Sup. Cat. 1566. 1599“*.

tatum Augustam misi ad P. Othonem p. m. sicut ille iusserat." [1] Atque sententiae complures „ex Confessionibus P. Canisii" allatae sunt tum anno 1611 a P. Matthaeo Radero S. J. in biographia illa canisiana, quae tantum manu scripta exstat [2], tum anno 1612 a P. Iacobo Keller S. J. in vita Canisii, quae ne ipsa quidem umquam typis exscripta est [3]. Raderus vero, cum vitam illam canisianam nonnihil recognitam vel, si sic dicere placet, alteram quandam a priore aliquid differentem anno 1614 Monachii et anno 1615 Antverpiae in lucem emitteret, longe etiam plura ei inseruit ex Canisii „libro confessionum" — verba Raderi haec sunt —, „quem e Landspergensi domo, cui illum dedicauit, accepi" [4]. Tirocinium autem Raderus significat, quod Societas Iesu pro provincia Germaniae superioris Landsbergae in Bavaria nacta erat. Romam quoque Canisii autobiographiam brevi pervenisse vita ea ostendit, quam praeclarus ille societatis universae historicus, Franciscus Sacchinus, ibidem conscripsit et anno 1616 Ingolstadii edidit; complura enim in ea ex Canisii „iam senis affirmatione chirographoque" [5] proponuntur, quae etiam nunc in „Confessionibus" eiusdem aut „Testamento" leguntur. Alia ex „Confessionibus" in suum „Alphabetum Christi" transtulit anno 1618 P. Ioannes Niess S. J. Atque anno 1626, cum Frisingae in Bavaria ex auctoritate episcopi frisingensis „processus" iuridicus de sanctitate Canisii institutus esset, Sebastianus Strang, Societatis Iesu „coadiutor temporalis" sive frater laicus, qui Canisio aegrotanti ultimis novem mensibus vitae eius praesto fuerat, inter testes secundo loco progressus Ioanni Georgio Puecher, ecclesiae cathedralis decano illiusque causae iudici, obtulit „Testamenti seu libri Confessionum, quem ad Sancti Augustini imitationem scripsit de se ipso" Canisius, „partem ab alio quidem scriptam, sed ipsiusmet Patris Canisij manu correctam et auctam"; simulque idem frater ad demonstrandas Canisii virtutes nonnullas attulit sententias, quarum aliae in „Testamento" inveniuntur, aliae in „Confessionibus" [6]. Similiter ex utroque opusculo aliqua posita sunt in libello, qui anno 1656 Friburgi Helvetiorum editus est [7]. Utinam autem totus ille thesaurus per prelum cum omnibus tunc communicatus esset! Verum cum ineunte saeculo XVIII. P. Ioannes Dorigny S. J. vitam Canisii gallica lingua exponendam suscepisset et Friburgum Helvetiorum scripsisset, ut Socii „Confessiones" Landsberga sibi mittendas curarent aliaque sibi subsidia suppeditarent, ad priorem petitionis illius partem nil ei responsum est, et ob bellum exortum omnis Confessionum accipiendarum spes

[1] * Epistula autographa, data Ingolstadii 17. Decembris 1609.

[2] * DE VITA | PETRI CANISII DE | SOCIETATE IESV. | Sociorum è Germania, primi, | Religiosissimi et doctissimi Viri, Bono | Reip. Catholicae nati. | Libri tres | à | Mattaeo Radero ex eadem Societate | conscripti. | Augustae Vindelicorum. | A. P. C. N. CIↃ. IↃCXI. 2º Pgg. 82 et fol. tit. Opus cum biographia canisiana a P. *Iacobo Keller* S. J. composita in uno codice conglutinatum, qui nunc Romae in bibliotheca nationali (Vittorio Emmanuele) servatur, signatus „MSS. Gesuit. 1355". Dubium vix est, quin utrumque opus ab auctoribus prelo destinatum fuerit, quamquam neutrum postea excusum est. Alterum alteri simillimum est.

[3] * Huius vitae apographa exstant etiam apud nos atque Monachii in archivo regni bavarici et in bibliotheca universitatis.

[4] De vita Petri Canisii (Monachii 1614) p. 212 (in editione antverpiensi p. 213). Plura de his infra.

[5] De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii (Ingolstadii 1616). Alios ex Confessionibus locos affert Raderus, alios Sacchinus; ex qua re patet hunc sua non hausisse ex illo. Plura infra.

[6] * Cod. „*S. D. Petri Canisii . . super sanctitate in specie*" f. 713—714. 724[b].

[7] R. P. *Petrus Canisius* Societatis Iesu Theologus, elogiis magnorum virorum mirifice illustratus (Friburgi Helvetiorum 1656) 32º; libellus mire parvus! Quae ex „Confessionibus" habet, ex Radero desumpta esse videntur, quia omnino cum eo concordant.

evanuit [1]. Verumtamen P. Petrus Python S. J., Helvetius Friburgo ortus, in praefatione, quam anno 1710 operi Dorignii, latinitate a se donato, praefixit, haec asserere potuit: „Confessionum P. Canisii librum . . . et complura alia ejusdem Patris manu scripta, aut apographa manu scriptorum exempla, ex variis hujus nostrae Provinciae tabulariis accepi, ex quibus, voluntate Praesidum, huic historiae multa accesserunt, quae non videbantur notitiae posterorum subducenda." [2] Ac revera quidem Python ex „Confessionibus" quaedam protulit, quae neque antea a quoquam typis exscripta erant, neque in iis, quae supersunt, „libri primi Confessionum" et „Testamenti" apographis continentur. Qua in re unum dolendum est: Canisii epistulas archetypas cum libro Pythonis conferentibus patet eum, salvis ipsis rebus. de verbis Canisii accurate retinendis, pro more sui temporis, minus interdum sollicitum fuisse [3].

Secuti sunt 150 anni, quibus Canisii autobiographia paene sepulta iacuit [4]. Nam Romae quidem circiter annum 1730 de processu beatificationis eius apostolico instituendo agebatur, ideoque P. Philippus Stolzer, „procurator assistentiae Germaniae", Roma Friburgum Helvetiorum scripsit, ut „Confessiones" Canisii et „Testamentum" sibi mitterentur; demonstrandas enim esse in Canisio virtutes heroicas, et scripta eius recognoscenda [5]. Utrum autem duo illa opuscula Friburgi iam reperta non sint an inde Romam missa quidem, sed in itinere perdita, ignoratur; certe nulla eorum mentio in decreto fit, quo Sacra Rituum Congregatio 22. Martii 1732 Canisii scripta probavit [6]. Atque urgente fidei promotore („advocatum diaboli" vulgus appellat) eadem congregatio 13. Aprilis 1734 Claudio Antonio Duding episcopo lausannensi commisit, ut praeter alia „Testamentum, sive librum Confessionum" Canisii quaereret Romamque mitteret. Qui Friburgi mandatum illud promulgari iussit, archiva et bibliothecas pervestigandas curavit, in collegio S. J. 27. Iulii 1734 ipse quaestionem instituit; neque vero aliud nactus est quam partes duas a patribus collegii inventas, easque „alia manu scriptas"; cetera autem iam antea Romam transmissa esse socii „ominabantur" [7]. Itaque illa res explicari

---

[1] [*I. Dorigny* S. J.] La vie du Révérend Père Pierre Canisius (Paris 1707). Avertissement f. e 4—i 1 (in nova editione Avenione anno 1829 facta p. XI—XII): ubi Dorigny addit: „J'ay été cependant consolé d'avoir heureusement recouvré quelques morceaux de cet admirable écrit; et j'ay crû qu'un des meilleurs moïens de faire revivre l'esprit de Canisius, en conservant sa memoire, c'était de répandre, comme je l'ay fait, ses sentimens intérieurs dans les differens endroits de cet Ouvrage."

[2] Vita R. P. Petri Canisii S. J. (Monachii 1710) fol. b 4 a.

[3] Neque tamen certo dici potest Pythonem omnes illos Confessionum locos, in quibus proponendis et cum codice Confessionum manu scripto, qui nunc exstat, et cum Radero discrepat, privato iudicio ita immutasse. Certum enim est Canisium ipsum scripta sua saepe multumque mutasse, delendo, addendo, corrigendo; quod et codices ostendunt, qui supersunt, eius manu scripti et posteriores editiones catechismi eius. Fieri itaque potuit, ut Python posterius eiusmodi Confessionum exemplum ad manum haberet.

[4] De integra autobiographia vel maioribus eius partibus loquor. Parvae enim particulae haud raro actis beatificationis Canisii insertae sunt, sive iis, quae tantum manu scripta exstant, sive iis, quae sub nomine „Positionum" typis descripta sunt; harum autem Positionum paucissima tantum exempla ex officina typographica prodierunt, quae nunc tam rara fere sunt quam codices manu scripti.

[5] * *Memorialia autographa*, in 4°; alteri inscriptum: „De caussa V. P. Petri Canisij." Monachii, in archivo regni bavarici. Ies. in gen. Fasc. 13, No. 214.

[6] Sacra Rituum Congreg.: . . . Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Canisii . . . *Positio super dubio: An et quomodo sit signanda Commissio* etc. (Romae 1734). Summ. sup. sign. Comm. 2—3.

[7] Haec in * diplomate referuntur, quod Friburgi 11. Augusti 1734 a *Petro Si-*

tunc non potuit, et anno 1833, processu canisiano Romae post longam intercapedinem denuo suscepto, Vergilius Pescetelli fidei promotor monuit: Ex decretis Urbani VIII. ante beatificationem omnia Canisii scripta probanda esse, ideoque tum alia tum „Testamentum" et „Confessiones" Congregationis examini subici oportere [1]. Quaesitum igitur est iterum non minus frustra. Tandem vero, petente P. Augustino de la Croix S. J., causae illius „postulatore", Gregorius XVI., „ut omnino tolleretur suspicio quaevis circa ulteriora examina scriptorum" Canisii. 20. Iunii 1838 „dispensationem ab ulteriori scriptorum perquisitione" concessit [2].

At prorsus desperata res non fuit. Nam circa annum 1862, cum P. Florianus Riess S. J. novam Canisii biographiam pro instanti eius beatificatione praepararet, Monachii in bibliotheca universitatis et in archivo regni bavarici ea, quae infra uberius describentur, libri primi Confessionum et maioris partis Testamenti et alterius particulae eiusdem Testamenti exempla invenit [3]; e quibus complura in germanicam linguam conversa operi suo inseruit. Ac paulo post integri illius „Confessionum libri primi", ex eodem certe fonte deprompti versio gallica prelum subiit; de qua infra. Sperabat quidem editor per tot itinera se plura inventurum; sed spes eum fefellit, nisi quod maioris illius partis Testamenti alterum apographum, idque antiquius et melius, in quodam Societatis Iesu tabulario repperit.

Quam recte veteres Confessiones et Testamentum pro uno opere habuerint, lector ipse diiudicabit. Unum certe atque idem in utroque scripto Canisius sibi proposuerat, exemplum secutus S. Augustini et fortasse magistri sui, Beati Petri Fabri S. J., qui et ipse in „Memoriali" vitam suam enarravit ad Dei misericordiam celebrandam suamque propriam vilitatem declarandam [4]. At alio modo alioque tempore Canisius id praestitit in „Confessionibus", alio in „Testamento"; illae enim verbosius conscriptae sunt magisque ad precationis formam accedunt quam Testamentum. Concludit Canisius primum illum librum Confessionum narrans, quid anno 1568 Anconae divino lumine cognoverit (nisi forte haec ipsa narratio ex posteriore aliquo Confessionum libro a librario ad primum librum ascripta est), nec multo ante finem peccata sua deplorat, „quae annis pluribus quadraginta commisit"; si

---

mone Fremiot notario apostolico scriptum est et ibidem in tabulario episcopali asservatur. Cf. etiam Positionem supra scriptam, animadversiones prom. fidei p. 4—5.

[1] *Positio super virtutibus* (Romae 1833) animadv. fidei prom. p. 2—8. Ibidem (Summar. addit. p. 1—3) altera approbatio scriptorum Canisii sive decretum descriptum est, quo Congregatio Rituum 31. Ianuarii 1735 varia probavit MSS. Canisiana, ab episcopis brixinensi et lausannensi paulo ante sibi transmissa; inter quae sunt „fragmenta" aliqua ex „Testamento".

[2] *Novissima Positio super virtutibus* (Romae 1843) fact. concord. p. 5—6.

[3] *Riess* p. V. De particula illa vide infra 4. (Reliquiae etc.), n. 9.

[4] Hoc quoque „Memoriale" per tria fere saecula in codicibus manu scriptis latuit, donec, monente P. Nicolao de Mac-Carthy insigni Societatis Iesu contionatore et curante P. Sebastiano Fouillot S. J., circa medium nostrum saeculum semel atque iterum autographico prelo subiectum, ac tandem a *P. Marcello Bouix* S. J. anno 1873 Parisiis primum typis exscriptum est; quod postea etiam in alias linguas conversum est, mox autem emendatius edetur in volumine altero operis „Cartas y otros escritos del B. P. *Pedro Fabro*" (T. 1, Bilbao 1894). Identidem per hoc opus piissimi illius libelli mentio recurret. Eodem fere tempore similique modo ac Canisius duo Hispaniae lumina vitam suam, Deo afflante, et ad solam Dei gloriam ex parte enarrarunt: Sanctissima virgo Theresia et decus illud ordinis Eremitarum S. Augustini, Beatus Alphonsus de Orozco, Philippi II. contionator („Confesiones". Valladolid 1601, Madrid 1610. 1620. 1730 etc. Vide *Th. Cámara* O. S. Aug., Vida y escritos del Beato Alonso de Orozco [Valladolid 1882] p. 421—427). Idem postea fecere, ut de aliis taceam, Venerabilis Robertus cardinalis Bellarminus S. J. ac Beata Margarita Maria Alacoque, eximia illa cultrix cordis Iesu.

quis igitur sumat Canisium quinto sextove aetatis anno ratione potitum, primum Confessionum librum circiter annum 1570 scriptum dixerit, cum Canisius, a munere praepositi provincialis anno 1569 absolutus, Dilingae vel Oeniponte otium recuperasset „narrandi" — sic enim Confessiones incipit — „opera Domini" et „scopandi spiritum suum" [1]. Testamentum autem Canisius conscripsit Friburgi Helvetiorum, annos natus — hoc ipse in eiusdem exordio dicit — „fere septuaginta quinque vel sex"; qui est annus 1596 aut 1597. Quod utrum ante mortem perficere potuerit necne, incertum est; exempla certe, quae nunc exstant, opusculum exhibent aut ab auctore non absolutum aut a librario mutilatum aut, quod verisimillimum, utraque ratione mancum.

Poteram quidem in Confessionibus et Testamento edendis auctores sequi antiquissimos, Raderum ac Sacchinum, et quae in eorum operibus non afferuntur, minoribus typis supplere ex apographis illis manu scriptis, quae Radero et Sacchino recentiora sunt vel saltem esse videntur (similiter fere atque in „Monumentis historicis Germaniae" fit). At cum omnes isti fontes in minutis tantum rebus discrepent, cumque constet veteres in iis scriptis, quae prelo subicere volebant, nonnumquam sermonis perpoliendi studiosiores fuisse quam eiusdem fideliter ad verbum reddendi: apographa illa quantumvis recentiora maiorem auctoritatem habere merito quis dixerit, ideoque haec potius describentur, ceterorum vero lectiones variae in adnotationibus ponentur.

Post librum primum Confessionum et Testamentum particulae illae ponentur, quae ad ceteros Confessionum libros vel ad posteriorem Testamenti partem pertinere videntur, sive iam antea typis descriptae sunt, sive non sunt. Aliqua ex Floriani Riess biographia canisiana transcribi oportuit, quia exempla manu scripta, ex quibus ab illo hausta sunt, neque ab ipso indicantur, neque ab editore reperta sunt [2].

Ratio, qua Canisius ad haec scribenda permovebatur, illa fuisse videtur, quam ipse in pio quodam commentariolo suo sic eloquitur: „Multum refert in memoriam reducere multitudinem beneficiorum, et rursus multitudinem nostrarum ingratitudinum, et peccatorum totius anteactae uitae, cum stupore diuini amoris in nos, et cum dolore intimo de peccatis, petendo ueniam et gratiam, ut infundat Deus menti nostrae uilitatis nostrae cognitionem et suj amorem. Jtem ad assequendam tui cognitionem, et Dei dilectionem conuenit saepe considerare, quid Deus nobiscum egit, et quid nos uicissim cum ipso agamus. Hinc enim humilitas, illinc uero Dej amor orietur." [3]

2. Confessionum Canisii liber primus,

circiter annum 1570 Dilingae vel Oeniponte compositus.

Ex apographo, quod saeculo XVII. exeunte aut XVIII. ineunte scriptum esse videtur, et est in codice bibliothecae universitatis monacensis „442. C. M. 4°", qui inscribitur „Instructiones ad usum sacerdotum", f. 146—159. Folio 146[a] inscriptum est: „CONFESSIONES | P. Petrj Canisij. | VV."; f. 147[a] incipit: „Liber primus Confessionum. | Non moriar" etc.

Complures partes ediderunt: *M. Raderus,* De vita Canisii p. 7—12. 32. 210—212. *Fr. Sacchinus,* De Vita Canisii p. 20—21. 256—259. *Ioan. Niess* S. J., Alphabetum

---

[1] Cf. *Riess* p. V. Landsbergensis domus S. J., cui opusculum hoc a Canisio dedicatum esse Raderus affirmat, anno 1576 aedificari et anno 1578 a noviciis incoli coepta est. *Ign. Agricola* S. J., Historia provinciae S. J. Germaniae Superioris P. I, D. 4, n. 237. 312, p. 175. 189.

[2] Ex aliquo de multis illis codicibus et fasciculis depromptae esse videntur, quae ad Canisii beatificationem spectant; sed quia partes illae paucae sunt et parvae nec multas res novas continent, maiore inquisitione opus esse non videbatur.

[3] * Cod. „*Scripta B. P. Canisii X. K.*" p. 173. 174.

Christi (ed. 6, Dilingae 1627) p. 343—348. *Petr. Python*, Vita Canisii p. 6—7. 12—14. 78. 257—260. 343. 363—364. *Flor. Riess* p. 6. 8. 12. *I. Janssen*, Geschichte des deutschen Volkes IV, 391. *Paul. Drews*, Petrus Canisius (Halle 1892) p. 139. Complures etiam huiusmodi partes gallice redditas exhibent *I. Dorigny* in biographia Canisii (cf. supra p. 3, not. 1) et *Eug. Séguin* S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius (Paris 1864) p. 21—22, integrum librum in eandem linguam translatum *V. Alet* S. J., Le Bienheureux Canisius (Paris 1865) p. 225—273.

I.[1] *Canisius gratias agit pro ortu suo et baptismate accepto. Familiae canisianae in fide catholica constantia. Quam mater moribunda confirmat. Pater multis negotiis periculisque implicatus. Canisium P. Petrus Faber Germanorum primum Deo regenerat ad vitam religiosam in Societate Iesu agendam.*

II. *Peccata primae pueritiae; libido indignandi et superbiendi; monita bona reiecta. Canisius, Noviomagi et Coloniae a Deo mundi pericula speciali edoctus lumine, certum vitae salutiferae genus ab eodem anxie petit. Sacris imaginibus ritibusque delectatur.*

III. *In praeceptoris domum translatus mala discit a sodalibus. Queritur adulescentes sui temporis ad vitia institui. Pericula pudicitiae imminentia. Ipse Deo virginitatem suam voto consecrat; sponsam oblatam, canonicatum propositum spernit. Eos, qui negant se caelibatum a se susceptum ferre posse, reprehendit.*

IV. *Adulescentia acta Coloniae. Magisterii laurea; sacri ordines. Nicolai Eschii optima disciplina: victoria sui; ratio conscientiae cotidie reddita; lectio evangelii piorumque librorum. Deum Canisius obtestatur, ut adulescentibus cunctis bonos piosque praeceptores donet. Ipse nonnullarum etiam sacrarum virginum verbis exemplisque in pietate proficit.*

V. *Studia iuris. Amor theologiae mysticae. Cilicium; stipis largitio; abstinentia diebus bacchanalibus acta. Attamen a veterum severa disciplina multum abesse sibi videtur; quam non spernere, sed saltem admirari oportet. Cum iisdem veteribus sanctis sua et aliorum peccata deplorare cupit.*

VI. *Sanctos quidem aliquos virtus sua commendare poterat. Ipse semper ingratus, piger, caecus; sed in divina misericordia spem ponit et veniam efflagitat, in meritis Christi innixus et iustorum etiam operibus in Christo factis confidens.*

VII. *Anconae anno 1568 singulari lumine divino in omni actione memor esse vilitatis suae divinaeque celsitudinis constituit nec laudibus suis delectari.*

Liber primus Confessionum.

Non moriar, sed uiuam, et narrabo opera Domini[2]: Exercitabor et scopabo spiritum meum[3]: O Domine bene prosperare[4]. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae[5].

[I.]

Annus erat a natiuitate tua JESU CHRISTE Conditor et Redemptor meus benignissime, supra sesquimillesimum vicesimus primus, quo me irae filium[6] et peccati seruum[7] in hanc mundi lucem

[1] Divisionem hanc Alet fecit. Quae hic retinetur, quia bona est, et quia aliter dividendo res perturbarentur.
[2] Ps. 117, 7. [3] Ps. 76, 7 (exercitabar et scopebam etc.).
[4] Ps. 117, 25. [5] Ps. 65, 16. [6] Eph. 2, 3. [7] Rom. 6, 20.

progredi voluisti[1]. Parentem quidem Jacobum et Aegidiam[2], eosque Catholicos, honestos ac diuites satis largitus es. Patriam in ditione Geldriensi ciuitatem Nouiomagensem contulisti: diem uero natiuitatis octauum Maio mense tribuisti. Neque multo post sacro me baptismate purificasti, ut qui in peccatis conceptus et natus[3] eram, lauacro regenerationis[4] et spiritu adoptionis[5] accepto, inter Dei filios renascerer, tuaeque iam gratiae particeps factus, cum sanctis in Ecclesia sancta militanti, et postea triumphanti tibi perpetuo inseruirem. Quid retribuam Domino[6], sic me praeter omne meritum gratiose vocanti, adoptanti, iustificanti? cum neque cuperem, neque intelligerem hoc grande beneficium, quo dignum me fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et ereptum homuncionem de potestate tenebrarum in regnum dilectionis suae transtulit, in quo habemus redemptionem, et remissionem omnium peccatorum[7]. Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita[8]. Benedictus paterfamilias, qui me primo mane conduxit et adduxit operarium in vineam suam[9]. Benedictus

---

[1] Falso igitur *Martinus Philippson* asserit Canisium anno 1520 natum esse, Westeuropa im Zeitalter von Philipp II., Elisabeth und Heinrich IV. (Berlin 1882) p. 47. Eodem errore captus est *C. Prantl*, Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität II (München 1872), 490. Anno 1528 natum esse scribit *I. W. Staats Evers*, Nijmegen (Arnhem 1891) p. 101.

[2] Aegidiam van Houweningen; cf. genealogiam familiae canisianae, quam P. *Paulus Bongaerts* S. J. addidit biographiae canisianae a P. *Eugenio Séguin* S. J. gallice compositae („Vie du Bienheureux Pierre Canisius." Paris 1864) et a se hollandice versae („Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius . . . Door Pater E. Séguin S. J. In 't hollandsch overgezet, vermeerderd en verbeterd" ['S Gravenhage 1865] p. 368—381). Genealogia haec praestantior est quam ea, quam P. *F. Deynoodt* S. J. in appendice editionis alterius biographiae suae canisianae posuerat („Esquisse biographique du vénérable serviteur de Dieu Pierre Canisius" [2. éd., Paris 1865] p. 73—105). Bongaerts genealogiam illam etiam separatim eamque paulo emendatius edidit (quae tamen editio apud bibliopolas non venit) cum hoc titulo: „Stamlijst van de Familie Canis en de daaraan verwante Geslachten". 'S Gravenhage 1865. Canisianam genealogiam, praeter antiquiores quosdam, vulgavit etiam *L. Ph. C. van den Bergh* in appendice commentationis suae „Het Nijmeegsche Geslacht Kanis", de qua supra. Exstat etiam manu scripta genealogia canisiana, quam D. *B. F. W. von Brucken-Fock*, iuris doctor et societatis litterarum zelandicae praeses, copiose et accurate conscripsit et anno 1893 mecum benigne communicavit. Ad genealogiam canisianam spectant etiam quae P. *H. I. Allard* S. J. edidit in libello periodico hollandice scripto „Studien op godsdienstig, wetenschappelijk en letterkundig gebied" N. R. 41, 2 (Utrecht 1893) Bijlage. Idem vir historiae neerlandicae peritissimus a nova genealogia familiae canisianae, quam ex compluribus annis parat, typis exscribenda adhuc quidem impeditus est; sed bona est spes eam post aliquod tempus absolutum et alicui ex posterioribus huius operis voluminibus insertum iri.

[3] Ps. 50, 7. Io. 9, 34. [4] Tit. 3, 5. [5] Rom. 8, 15.
[6] Ps. 115, 12. [7] Col. 1, 12—14. [8] Ps. 30, 22.
[9] Matth. 20, 1.

Spiritus sanctus, per quem charitas Dej diffusa est in corde meo[1], cuius ego templum factus sum[2], et a quo signatus sum in die redemptionis[3]. Tuam agnosco CHRISTE gratiam, tuam o Deus praedico benignitatem, qui animam nunquam interituram cum mortali corpore mihi conjunxisti, qui sanctum Angelum perpetuum mihi custodem adiunxisti, qui tot mensibus in materno me sinu conseruasti, et statim editum inter Christianos Christianum effici et educari uoluisti. Vbi neque illud in gloriam tuam reticebo, quod familiam ipsumque patrem dederis in Catholica religione constantem, quem et Matris pietas confirmauit. Haec moritura non minus prudenter quam religiose coniugem monuit de nouitia fide, quae tum apud nostrates pullulabat, fugienda, deque Catholica religione mordicus retinenda. Sed per summam te charitatem tuam aeterne DEVS oro, ut parenti utrique peccatum omne condones, quod in illis adhuc fortasse iustitia tua inuenit, atque castigat. Patri certe peccandi non defuit occasio, dum saeculi frequentibus ornaretur honoribus, dum varijs detineretur in utroque coniugio[4] voluptatibus, dum grauibus reipublicae, magnatumque negotijs[a] saepe ac multum implicaretur[5]. Vereor Domine, qui solus nosti omnia[6], et iustitias iudicas[7], vereor, ne huiusmodi spinis et retibus implicatus ille multa commiserit, et plura omiserit poenitenda, et in his viuendi finem fecerit, priusquam bene moriendi artem teneret[8]. Tua igitur Domine, misericordia, tua, quae semper immensa est, bonitas, qualescunque patris et matris maculas in illo saeculo expiandas, et forte

---

[a] *Dreus perperam:* gravibus reipublicae magnae tuncque negotiis.

---

[1] Rom. 5, 5. [2] 1 Cor. 3, 16; 6, 19.

[3] Eph. 4, 30.

[4] Iacobus Canis circiter annum 1524 alteram uxorem duxit Wendelinam van den Bergh; cf. *Bongaerts,* Stamlijst p. 4.

[5] Magister Iacobus Canis, iuris licentiatus, liberos ducis Lotharingiae per quinque annos instituisse et in patriam reversus perpetuum paene magistratum Neomagi gessisse fertur. Eundem a civibus ad gravissima negotia tractanda lectum esse et praecipuum auctorem fuisse ferunt pacis anno 1543 inter Carolum V. imperatorem et Guilielmum, Cliviae ducem, Venloae sancitae. In Geldria certe plurimum poterat; austriacae factionis caput erat; civitatis neomagensis libertatem ac privilegia acriter defendebat. *L. Ph. C. van den Bergh* l. c. (ed. separ.) p. 5—7. *Iac. Kok*, Vaderlandsch Woordenboek. Negende Deel. Tweede Druk (Te Amsterdam 1788) p. 48—49. *Ios. Habets*, Limburgsche Wijsdommen ('S Gravenhage 1891) p. 375. 380.

[6] Cf. 3 Reg. 8, 39. 2 Par. 6, 30. [7] Ps. 9, 5.

[8] Iacobus Canis graviter decumbens, ubi Petrum filium Colonia evocatum ad se venientem primum vidit, repente, sive laetitiae impetu sive alio percussus ictu, animam exhalavit anno 1543, mense (ut videtur) Decembri, sepultusque est in ecclesia maiore neomagensi, S. Stephano dicata. *Sacchinus*, De vita Canisii p. 29. *Riess* l. c. p. 38—39. *Bongaerts,* Stamlijst p. 4, n. 2. *Van den Bergh* l. c. p. 6—9. *Io. Is. Pontanus*, Historiae Gelricae libri XIV (Hardervici Gelrorum 1639) p. 831 ad 833.

nondum expurgatas, per sacrosanctum Christi sanguinem clementer deleat, rogo[1].

Fuit et illud gratiae tuae munus peculiare, quod eodem die, quantum memini, hoc est, octauo Mensis Maij, qui propter Archangeli sancti Michaelis apparitionem est celebrior[2], me non modo nasci mundo, sed spiritualiter etiam post baptisma in religione sacra renasci postea uoluisti. Tunc enim peccatorem me genuit mater mea famula tua, quae pro pietate sua me filium suum unicum, tibi saepe ut audio, et sollicite cum lacrymis commendauit. Tunc et alter pater meus Petrus Faber seruus vere tuus, in quo multi glorificant nomen tuum[3], non sine singulari studio sanctoque labore, me sic tibi Moguntiae regenerauit, ut nouum ueluti membrum primumque Germanum offerret ac insereret illi Societati, quam sacratissimj nominis tuj auspicijs condecorasti[4]. Jgitur benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, et noli obliuisci omnes retributiones eius[5], quas praesertim hoc natalitio die diuina tibi bonitas demonstrauit, et suauiter aliquoties renouauit.

---

[1] *Drews* ex his verbis colligit Canisium, cum patris mortui recordaretur, serio veritum esse, ut salutem aeternam is assequeretur. Certe ipsa Canisii verba ostendunt eum sollicitum fuisse non de ulla re alia nisi de eodem ex purgatorio nondum liberato. *Raderus* anno 1614 scribit: [Canisius, cum patri morienti adstitisset,] „noctem illam in votis et lacrimis absumpsit, supplicesque Deo preces strauit, vti pacem veniamque patri impertiretur. Audiit pios filij gemitus pro patre, pater misericordiarum Deus, et Canisio aperuit, non patrem tantum, sed matrem etiam (Aegidia illa erat, prima Iacobi vxor) quae iam pridem decesserat, caelo receptam. Quo diuino responso exhilaratus, quantas potuit mortalis, immortali Deo gratias egit, cum se nouo Dei beneficio obstrictum grata memoria recognouisset, quod ego ex Dilinganae Academiae Rectore Christophoro Grenzingo, ipse ex Theodorico Canisio, Canisij fratre accepit" (De vita Canisii p. 233—234). Idem forte etiam Beatus Petrus Faber significavit, Colonia 24. Ianuarii 1544 P. Cornelio Wischaven scribens: „De Magistro autem Petro Canisio jam puto te plura scire ex litteris suis quam me; ipse in patriam ivit et patrem sepelivit, non mortuum mortuus sed viventem vivus" (Cartas y otros escritos del B. P. *Pedro Fabro.* T. 1 (Bilbao 1894) p. 374). Idem fere, quod Raderus refert (Canisium cognovisse parentum animas salvas), depictum est imagine magna (folio maiore, ut dicunt) et per aeneam laminam expressa, quam saeculo XVII. „delineavit" pictor ille *Abraham a Diepenbeke* buscoducensis, qui in Petri Pauli Rubens discipulis numeratur, et „sculpsit" *Paulus du Pont* („Pontius") antverpiensis, qui fuit chalcographus Paulo Rubens et ipse amicus; *Martinus* autem *van den Enden* imaginem „excudit" et dedicavit „Georgio Uwens, Equiti, Toparchae S. Laurentii de Berchem, et in supremo Brabantiae senatu Consiliario Regio"; cuius „magnus avunculus" Petrus Canisius erat. Exemplum huius imaginis in provincia Societatis Iesu germanica asservatur.

[2] Ecclesia catholica die 8. mensis Maii festum celebrat „Apparitionis S. Michaelis Archangeli" in Gargano Apuliae monte factae.

[3] Ps. 85, 9. 12.

[4] Anno 1543 post pascha Canisius Moguntiae a Beato Petro Fabro spiritualibus exercitiis S. Ignatii excultus est, atque 8. Maii 1543 ibidem voto, quod infra proponetur, Societati Iesu se addixit.

[5] Ps. 102, 1. 2.

[II.]

Quid vero dicam de primis illis annis aetatis, quos misera et stulta juuentus absque fructu, imo etiam sine judicio et intellectu solido somniando magis quam vigilando traducit? Non possum vendicare mihi quod Thobiae debetur elogium, ut cum junior esset, reliquis suae tribus, nihil tamen puerile gesserit[1]. Neque sum Augustino ulla ex parte conferendus, qui cum in virum eximie sanctum evasisset, suae adhuc infantiae et pueritiae lapsus agnoscit, atque deplorat[2]. Vere multa puer cogitaui, multa concupiui, multa protuli, multa designaui, multa praetermisi, quae Christianum puerum dedecebant, neque tantum repraehensionem, sed seueram quoque castigationem persaepe merebantur. Habet aetas illa suas uirtutes, pudorem, simplicitatem, innocentiam, de quibus non est meum gloriari. Habet vitia quoque sua peculiaria, quibus acceptam abs te et concreditam mihi vestem illam nuptialem tum coepi Domine contaminare. Hej mihj, quam infructuose horas, dies, noctes, hebdomadas, menses annosque consumpsi. Quam vanus, inops, stolidus fuj, qui sine timore et amore tuo vitam institui, uelut te vitae meae authorem, ducem et conseruatorem ignorarem. Conterebam bonam temporis partem otio, lusibus, nugis, ineptijs, uagationibus et nescio quibus curis studijsque puerilibus: his loco etiam ac tempore sacro delectabar. Adhaerebant mihi naturae corruptae varij morbi, et licet facultas deesset, tamen magis magisque prodebat sese voluntas non bona, et libido male sana indignandj, irascendi, obstrependi, inuidendi, superbiendi, et vindictam non solum appetendi, sed etiam pro illius aetatis modulo exercendi. Quoties tunc ego nutrices, parentes, coëtaneos recteque monentes alios aut contempsi, aut offendi, minusque honorauj? Tardus et inuitus reddebam officium saepe: ad uanitates interim et nescio ad quales cupiditates praeceps ferebar, uelut indomitus quidam hinnulus aut vitulus lasciuiens[3]. Illud erat grauius, quod paulatim audiebam et non sequebar bene monentes, quod angeli tui et conscientiae meae testimonium refutabam, et quasi cum rationis lege pugnabam ut quod libebat ob effrenem appetitum, hoc etiam mihi licere uellem, ut ne re male concupita carerem.

Nunc tuam imploro gratiam Domine JESU, qui dum puer esses, prae pueris omnibus proficiebas aetate, sapientia et gratia apud DEVM et homines[4], puer omnino sine macula conceptus, natus et educatus, in quo pueri omnes benedicuntur. Ne memineris Domine, qui paruulos etiam peccantes ad te uenire gaudes[5], ne memineris iniquitatum[6] et transgressionum mearum, quas omnes

[1] Tob. 1, 4. [2] In libro primo Confessionum suarum.
[3] Cf. Ier. 31, 18. Os. 4, 16. [4] Luc. 2, 52.
[5] Cf. Matth. 19, 13—15. Marc. 10, 13—16. Luc. 18, 15—17.
[6] Ps. 78, 8. Is. 64, 9.

non possum intelligere, neque omnino tamen debeo dissimulare. Delicta juuentutis meae et ignorantias meas ne memineris[1]. Delicta enim quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce seruo tuo[2]. Cito anticipent me tuae misericordiae[3], quia miser et miserabilis, ignorans et fragilis, vanus et stultus ego sum a juuentute mea[4]. Vereor omnia opera mea, sciens, quia non parcis delinquenti[5], ac illi praesertim, qui in peccatis excusare[6] se potius quam accusare conatur. Tu justus es Domine[7], et justitias non modo diligis[8], sed etiam requiris[9] et judicas[10] in omnj aetate ac tempore. Tantum hoc mihi largiaris DEVS juuentutis meae, ut qui charitatem primam reliqui[11], et innocentiae vestem candidam commaculauj, recogitem tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae[12]. Quid enim possum pro primis illis annis, qui aetatis lubricae lapsus infinitos continent, quid possum aliud offerre tibi, nisi quo lubenter placaris, sacrificium contriti cordis, et spiritus humiliatj?[13].

Eram[a] puer[b], cum in templo Nouiomagensi, quod B. Stephano protomartyri sacrum est[a], aliquando precarer, et tuum sacrosanctum Corpus Domine prope summum altare[14] supplex adorarem. obliuisci

[a] *Quae sequuntur usque ad* „a sapientibus cernitur atque comprobatur“ *sunt etiam apud Raderum* (p. 210—212); *cuius lectiones variae singillatim ponentur. Python* (p. 6—7) *scribit:* [Canisius] „in suis confessionibus sic cum Deo loquitur: ‚Annis infans, sed supra aetatem maturus, ex singulari tua misericordia, mi Deus, satis intelligebam, quod in rebus, ad animae meae salutem spectantibus, Tu mihi consulendus eras. Nunquam animo excidit favor ille, quem Noviomagi in templo S. Stephani oranti, et Te in Eucharistia adoranti exhibuisti. Quantum enim recordor, ancipiti cogitationum aestu jactatus, perfusus lachrymis, invocabam sanctum nomen tuum, tibi desideria mea, et solicitudines exponebam: nam angebar intimis sensibus, mecum reputans gravissima pericula, quae juventutem circumvallant, vixque declinari possunt. Orabam te, Deus meus, ut meae imbecillitati prospiceres, usus illis, ni fallor, Prophetae verbis: ‚Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Hunc Tu timorem in me excitabas qui me adversus blandam voluptatem obarmaret.‘“ *Eadem fere verba gallico sermone posuit Dorigny* (p. 7—9), *nisi quod inter ultimam sententiam et antecedentem pauca quaedam in Confessionibus dici fassus est, quae ipse omisisset. Probabile est, puto, et Dorignium et Pythonem hanc orationem Canisii talem, qualis in codice monacensi posita est, ante oculos habuisse, sed liberiore modo contraxisse atque immutasse.* [b] Maturus eram puer *Rad.*

[1] Ps. 24, 7. [2] Ps. 18, 13. 14. [3] Ps. 78, 8. [4] Cf. Ps. 87, 16. [5] Iob 9, 28. [6] Cf. Ps. 140, 4. [7] 2 Esdr. 9, 33. Tob. 3, 2. Ps. 118, 137. [8] Ps. 10, 8. [9] Cf. Ps. 30, 24; 43, 22. [10] Ps. 9, 5. [11] Apoc. 2, 4. [12] Is. 38, 15. [13] Ps. 50, 19.

[14] Germanis tunc mos erat sanctissimam eucharistiam non in altari ipso asservare, sed in „domuncula sacramentaria“ (Sacramentshäuschen), quae in modum turriculae ex lapide confecta et prope summum altare ad latus evangelii parieti apposita erat. Domuncula illa neomagensis fortasse tempore „reformationis“ destructa vel amota est: ego saltem eam anno 1892 in ecclesia S. Stephani non vidi. Templum illud Beatus Albertus Magnus O. Pr., qui episcopus ratisbonensis fuerat, 7. Septembris 1273 consecrasse fertur (*Io. Knippenbergh*, Historia ecclesiastica Ducatus Geldriae [Bruxellis 1719] p. 87). Nunc protestantibus mancipatum est.

non possum gratiae, quam tum[a] puero tribuisti mihi. Nam anxie quidem et non sine lachrymis, ut opinor, te inuocabam, et desiderium meum aperiebam, praeuidens iam tum, nescio quo modo, et mundi vanitates insaniasque falsas[1], et vitae salutisque meae permulta pericula, et objectos undique laqueos uenantium[2], ut hinc pauci effugere possint.

Igitur ut periclitanti adesses, orabam, illudque dicere videbar: „vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, et doce me, quoniam tu es DEVS Saluator meus.“[b][3] Ac postea cum apud aureos Martyres Coloniae degerem[4], sensi hoc votum in me saepius renouari, ut peterem anxius gratia tua Duce certum mihique salutiferum vitae genus demonstrari.

Credo certe, hunc spiritum timoris[5] piaeque sollicitudinis tu peperisti, tu conseruasti, Domine, ut aetas lubrica et ultro lasciuiens timorem ueluti[c] paedagogum atque custodem haberet, ut[d] ego ad uias prauas[6] minus delaberer. Configebas enim timore tuo carnes meas, ut a judicijs tuis inciperem formidare[7].

Atque in hac ipsa aetate sum expertus, quod haud sine angelo tuo et[e] custode meo factum arbitror, ut rerum sacrarum imaginibus ac templorum caeremonijs subinde delectarer[8]. Igitur Sacrificantibus[f] alijs libenter inseruiebam[9], imo Sacerdotis personam mihi sumebam puer, et illius aemulabar officium cantando, sacrificando, precando: Exprimebam, ut poteram, coram aequalibus ea munia, quae sacris operantis sunt propria. Videantur haec studia prorsus puerilia, sed in quibus aliquando tamen apparet futura mentis indoles, et mirabilis prouidentiae tuae ratio a sapientibus cernitur, atque comprobatur. Nunc uero peius cum pueris agitur, quando ea, quae puerili pietati congruere possunt, illi subtrahuntur aetati, quae paulatim a lacte ad solidiorem cibum[10] erat perducenda. Non intelligunt sapientes isti, quot modis tu summa sapientia te tuosque sermones ad captum infantiae et insipientiae nostrae accommodasti, longeque aliter paruulis, quam viris et grandaeuis, tuae munificentiae dona communicari, quotidie res ipsa testatur.

---

[a] tu *Rad.* [b] edoce me, quia tu es DEVS Saluator meus *Rad.*
[c] *om. Rad.* [d] et *Rad.* [e] *om. Rad.* [f] *Sic Rad.; cod. mon.* Sacrificationibus.

---

[1] Ps. 39, 5. [2] Ps. 90, 3; 123, 7. [3] Ps. 24, 4. 5.

[4] Canisius tunc prope ecclesiam celebrem et collegialem S. Gereonis, quae antiquitus ob auri splendorem „ad aureos martyres“ dicebatur, in domo Andreae Herll, eiusdem ecclesiae canonici, habitabat. Ecclesiam illam descripsit (praeter alios) *Aegidius Gelenius*, historicus archiepiscopi coloniensis, „De admiranda, sacra et civili magnitudine Coloniae Claudiae Agrippinensis Augustae Ubiorum Urbis“ (Coloniae 1645) p. 258—271.

[5] Is. 11, 3. [6] Eccli. 2, 16. Ez. 18, 25. 29. [7] Ps. 118, 120.

[8] Vide p. 11 notam 14. [9] Ps. 39, 5. [10] Cf. Hebr. 5, 12—14.

Vtinam uero in hac puerili simplicitate mea mens, et omnis puerilis vitae meae ratio perstitisset. Sed crescebat cum aetate malitia, peccandique libido maior accedebat, et corruptelae uariae pectus inficiebant: Peccabam, neque pro peccato existimabatur, imo et laudi ducebatur aliquando, quod contra puerilem innocentiam fuerat designatum. Erigebam magis ac magis cornua, uidebar ipse mihi sapere, contemnebam prae me alios, de magnis etiam rebus iudicare uolebam, coecus, ut inquiunt. de coloribus disputabam. Neque cedebam facile, si quando aut monerer, aut reprehenderer. Tantus inerat tumor, ea temeritas, philautia, stultitia, petulantia mentem occupabat. Quid uero de contentione, ira, inuidia, simultate dicam? an illud fallendi mentiendique studium excusabo? Secundum misericordiam tuam, et non juxta peruersitatem meam, memento mei tu propter bonitatem tuam Domine[1]: Reminiscere miserationum tuarum, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt[2]. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me[3]. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus graue grauatae sunt super me[4].

[III.]

Et auxit hos mihi morbos mutatum domicilium, cum ex aedibus nempe paternis in domum praeceptoris discendi causa transferrer[5]. Hic in tales incidi sodales atque commilitones, qui suis tum uerbis tum exemplis peccandi docerent et augerent licentiam, quique de turpitudine cogitare, loqui et gloriari pulchrum existimarent. Non illos incuso Domine, ut meam hinc excusem aut tegam iniquitatem. Peccarunt illi, nec ego a peccatis illis immunis. Digni sunt flagris, et his ego simul obnoxius. Puderet me fateri, quae tunc facere non pudebat. Misericordiam peto, quia iudicium reformido, sciens maioribus peccatis maiora supplicia reseruari, et minoribus etiam poenas apud te aliquas esse constitutas. Ergo dum tempus est miserendi, vincat potentia tua, nostram fragilitatem, sapientia tua nostram ignorantiam, bonitas tua nostram malitiam superet, ut nulli nostrum imputentur, quae mala contra legem tuam uel a me propter illos sodales, uel ab illis

---

[1] Ps. 24, 7. [2] Ps. 24, 6. [3] Ps. 6, 2. [4] Ps. 37, 5.

[5] Noviomagus tunc habebat scholam „fratrum vitae communis", quos etiam „Hieronymianos" vel „Gregorianos" vocabant, quosque Gerardus Groote daventriensis saeculo XIV. ad finem vergente instituerat. Ac praeter eas, quae fortasse in aliis etiam monasteriis erant, scholas neomagenses, parochialis quoque exstabat schola prope ecclesiam S. Stephani, eaque „apostolica" dicebatur, eo quod capitulum ecclesiae collegialis SS. Apostolorum coloniensis pro iure patronatus, quod in ecclesiam S. Stephani habebat, eius etiam scholae magistrum nominabat. Quae paulo post „schola latina" facta est, et nunc est gymnasium. *Io. Smetius*, Chronijk en Beschrijving van Nijmegen (Nijmegen 1784) p. 122. *Friedr. Nettesheim*, Geschichte der Schulen im alten Herzogthum Geldern (Düsseldorf 1882) p. 52—54. 96. 106.

propter me clam, palam perpetrata fuere. Adiuua nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tuj libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum[1]. Peccauimus pueri, peccauimus adolescentes, quibus utinam fuisset Tobias aliquis institutor docens nos ab infantia timere DEVM, et abstinere ab omnj peccato[2]. Miserere nostrj Domine, et, ut rectius cum alijs agatur, in multis eorum excita spiritum Danielis ac sociorum eius, qui portent iugum tuum ab adolescentia sua[3], et qui Timotheum[4] ac Nicolaum uere pios adolescentes[5] ardenti pietatis studio imitentur.

Ego vero ex meis et alienis malis, quae tunc nimium committebantur, hunc fructum nunc colligo, ut magis magisque doleam uicem bene natorum adolescentum. Nam hi nostra quidem aetate ita curantur et educantur, ut capitaliores hostes habere non uideantur, quam suos parentes, paedagogos, et alios uel sanguine, uel consuetudine et familiaritate conjunctissimos. Ab his aetas illa generosa multis miserisque modis deprauatur, nec solum a pietatis cultu et studio abducitur, uerum etiam ad superbiam, luxum et lasciuiam instituitur, pessimisque tum institutis tum exemplis domesticis ad peccandum prouocatur. Si corrumpunt bonos mores colloquia praua[6], quae tandem pernicies ex perditis maiorum moribus et pudendis domesticorum exemplis ad juuenes redit? O quam graues poenas dabunt, quam seuere iudicabuntur abs te omnes, qui uerbis. consilijs et factis scandalizant paruulos tuos Domine, et ad te uenientes. tibique seruituros rident, auertunt atque impediunt[7]. Vae mundo, uae juuentuti a scandalis[8] et mille laqueis passim expansis ad simplicium animas decipiendas. Incitat mundus, funesta meretrix, suisque praestigijs innumeros capit et perpetuo cruciandos Sathanae tradit. Clamat et sapientia, forisque voce constanti praedicat, sed paucis est cordi, quod praeclare monet, Memento creatoris tuj in diebus iuuentutis tuae, antequam ueniat dies afflictionis tuae, et appropinquent anni, de quibus dices, Non mihi placent[9].

Aperi Domine oculos non modo coecis, sed stultis etiam parentibus, et formatoribus Juuentutis, ut desinant coeci et stulti esse duces, qui coecos et stultos juuenes secum abducant in foueam perditionis aeternae[10]. Agnoscant, quid quantumque periculi tum sibi

---

[1] Ps. 78, 9. [2] Tob. 1, 10. [3] Thren. 3, 27.

[4] Cf. Act. 16, 1. 2. 2 Tim. 1, 5.

[5] S. Nicolaum, Myrae episcopum, a pueritia exemplar fuisse ferunt innocentiae et virtutis ac postea pueris ad pietatem instituendis mire esse delectatum; ideo et puerorum patronus quidam habetur, et in multis Germaniae locis die 6. Decembris, qui S. Nicolao sacer est, pueris poma et dulcia donantur.

[6] 1 Cor. 15, 33. [7] Cf. Matth. 18, 6; 19, 14. [8] Matth. 18, 7.

[9] Eccles. 12, 1. [10] Cf. Luc. 6, 39.

tum concreditis sibi juuenibus accersant hac pessima securitate. Animaduertant, procliuem ad mala quaeque adolescentiam suapte sponte ruere, quae sine magna ui ad uirtutum officia aegre flecti ac perduci soleat. Cogitent florem illum virginitatis in hac aetate pulcherrimum, maximeque commendandum: sed hoc quidem flore nihil fere fragilius et caducum magis esse, qui cum decidit semel, virtus perijt, serus dolor uenit, jactura est irrecuperabilis. Nam amissa semel virginitas restitui nunquam potest. O si bona sua nossent pudici adolescentes, quanta hi cura diligentiaque circumferrent, ac tuerentur thesaurum integrum uereque aureum castitatis, quam acria pro illo seruando proelia sustinerent, quam accurate hostem domesticum, qui in carne militat, obseruarent, ac premerent. Nunquam committerent sane, ut sensu tactuque suo uel alieno iniuriam ullam pudor acciperet ac sancta castimonia pollueretur, sed uelut expediti armatique milites, et sancta ira succensi mox hostem peterent, quando ille primum cum suis prorumpit illecebris, et blanda libidinum irritamenta ueluti pellices et Syrenes immittit.

Illud mihi sane non contigit, ut bona conscientia testari possim, quod sacra virgo, et vere carne spirituque uirgo[1] dicebat: Nunquam concupiui uirum, et mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me praebui[2]. Etsi uero de casto corde et corpore gloriari, ut illa, non possum, nec debeo: tamen in hoc gratiam tuam mihi concessam praedico, et pro hoc gratias tibi bonorum omnium authori singulares ago, agique a castis mentibus omnibus cupio uehementer, qui liberasti corpus meum[3] a foedo concubitu, neque permisisti cum ulla me foemina coinquinari. Scio interim Domine, quia non possum neque potui unquam esse continens, nisi te largiente, qui gratiae tuae torrente ardentes libidinum flammas exstinguis, et uotum iugumque castitatis, quod Euangelici Spadones[4] imponunt sibi, non solum tolerabile, uerum etiam expeditum, molle et suaue reddis[5]. Igitur cum annos essem natus, ni fallor, novendecim, hoc etiam, quod perfectius erat, inspirasti atque largitus es, ut uirginitatem meam sponte dedicarem tibi, et uirginitatis amator me uoto astringerem ad perpetuum coelibatum. Cuius rei nulla me unquam poenitudo cepit[a]. Obtulit quidem pater sponsam commodam et opulentam: Proposuit Sacerdotium, seu, uti vocant, Canonicatum, quem Coloniae, si uellem, consequerer, et ad honores nescio quos saeculi me primogenitum euehere cogitauit: Sed aderas Domine, et amara mihi reddebas haec fercula, ut cibis salubrioribus et solidioribus pasceres animam meam,

[a] coepit *cod. monac.*

[1] Sara, filia Raguelis, in Rages, civitate Medorum.
[2] Tob. 3, 16. 17. [3] Eccli. 51, 3. [4] Matth. 19, 12. [5] Matth. 11. 30.

ut in te gloriabundus, tuaeque consolationis rore perfusus, cantare potuissem: In Domino speravi, non timebo, quid faciat mihi caro[1]. In Deo faciam virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos meos[2]. Dominus adiutor meus et protector meus[3]: In ipso sperauit cor meum, et adiutus sum[4]. Centenarum virginum, quae et nobilissimae et pulcherrimae fuerunt, habemus exempla: ijs pudicitiae, quam vitae seruandae maior ratio habebatur. Et nos viri hoc cum carne proelium detractamus, templumque polluimus Spiritus Sancti, quem in corpore glorificare et portare[5] debemus? Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum[6], quoniam non despicis te rogantes, in te confidentes, de te praesumentes, propter te militantes. Confirma hoc DEVS quod operatus es in nobis[7], et perfice munus tuum[8], et sacrificium nostrum, quod nobiscum electae virgines et viduae de casta carne offerunt tibi, quemadmodum virgo mater virginum princeps ante omnes virgines obtulit et consecrauit creatori suo in odorem suauitatis[9]. Et sunt adhuc Christianj, proh dolor et pudor, qui gratiam tuam aut ignorantes aut blasphemantes, in carne sine carne se uiuere posse desperant, quantumvis uouerint se castos esse mansuros. Jgnosce illis Domine, qui te pudicitiae amatorem, custodem et tutorem nesciunt, qui naturae suae imbecillitatem potius quam ueritatem promissionis tuae spectant, et post acceptam legem Spiritus carnales magis, quam spirituales esse contendunt[10]. Hi non assequuntur quod scriptum est: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs et concupiscentijs[11]. Et rursum: Qui non jungit virginem suam, melius facit[12]. Item, volo omnes esse, sicut meipsum[13]. Et quod viduis post emissum votum incontinentibus, adeoque perfidis omnibus uota sua tibi et Ecclesiae facta uiolantibus dictum est: Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt[14]. Vae uae templa Dej sancta prophanantibus, et mentientibus Spirituj Sancto[15].

[IV.]

Annos fortasse decem, aut ijs amplius, Coloniae vixi, postquam aetatis annum decimum quintum essem ingressus. Nec enim aut tutum aut congruum erat mihi, ut arbitror, diutius in patria uersarj, et inter consanguineos amicosque fures temporis, mundi retibus implicari. Itaque patri meo Iacobo suggessisti DEVS, qui dies meos

[1] Ps. 55, 5.
[2] Ps. 59, 14; 107, 14. [3] Ps. 32, 20; 39, 18. [4] Ps. 27, 7.
[5] 1 Cor. 6, 19. 20. [6] Eccli. 51, 8. [7] Ps. 67, 29.
[8] Cf. Eccli. 50, 21. [9] Ex. 29, 41. Lev. 8, 28. Num. 15, 7 etc.
[10] Cf. 1 Cor. 3, 1—3. [11] Gal. 5, 24. [12] 1 Cor. 7, 38.
[13] 1 Cor. 7, 7. [14] 1 Tim. 5, 12. [15] Act. 5, 3.

mirabiliter ac prouide disposuisti, ut is me destinaret Coloniam[1], ubi maioribus et melioribus studijs traderer imbuendus. Illic uero sensi multiplicem bonitatis et gratiae in me tuae uirtutem, pro qua sancti tui nunc mecum nomini tuo sancto benedicant[2]. Parasti hospitem liberalem Andream Barduick[3], eumque Theologum venerabilem. Patris loco dedisti Nicolaum Eschium[a] sacerdotem non uulgariter pium, de quo plura dicam postea. Hospitium primis annis largitus es non minus religiosum quam commodum apud aureos Martyres, siue ut nunc loquuntur, apud D. Gereonem. Tum ad docendum discendumque locus erat aptus Montanum Gymnasium, in quo liberalibus disciplinis me operam dare, et magisterij lauream consequi voluisti[4]. Quod si amico fideli nulla est comparatio, nec digna ponderatio auri et argenti[5], pro magno quidem munere id abs te mihi concessum debeo existimare, ut Coloniae complures amicos, eosque sinceros et animae meae salutem amantes assequerer[b]. Ibidem primum Sacra docere, et concionari coepi tua suffultus gratia: nec alibi subdiaconus, diaconus et presbyter sum factus, nullis meis quidem meritis id postulantibus, sed tua duntaxat, aeterne Pontifex, clementia concedente, maiorumque meorum authoritate intercedente, nimirum ut per ostium ingrederer, nullumque ministerium publicum in domo tua subirem, nisi aperiente mihi ostiario[6] legitime missus, et per eos qui gradum tenent Apostolicum, in Ecclesia Catholica ordinatus essem.

Caeterum[c] ut ad praeceptorem, imo et[d] patrem Eschium[7] reuertar[e], benedic anima mea Domino, et noli obliuisci retri-

[a] *Cod. mon.* Esochium, *quod falsum esse ex aliis fontibus patet.*

[b] *Sententiam, quae sequitur, affert etiam Rad. l. c. 32* (*usque ad verba* „presbyter sum factus" *incl.*).

[c] *Quae sequuntur, a* Caeterum *usque ad* gratificandum et obsequendum est *(p. 20) afferuntur a Radero p. 7—12, et a Pythone* (Ut ad praeceptorem *usque ad ea, quae infra p. 18[a] ponentur) p. 12—14. Gallice ea ponit Dorigny p. 15—18.*

[d] ad *Rad.* [e] immo patrem meum, revertar *Pyth.*

[1] Noviomagum ad archidioecesim coloniensem pertinebat, donec Paulus IV. anno 1559 episcopatum ruraemundensem condidit, cui tunc Noviomagum quoque attributum est. Nunc episcopo boscoducensi ('s Hertogenbosch) paret.

[2] Ps. 144, 10.

[3] Canisius Andream Herll de Bardwick significat, ex Baardwijk prope Oisterwijk, Brabantiae vicum, ortum. Qui canonicus ecclesiae S. Gereonis et theologiae licentiatus erat et anno 1525 in academia coloniensi rectoris munus gesserat. *Fr. J. v. Bianco,* Die alte Universität Köln I (Köln 1855), 832.

[4] De his et de iis, quae sequuntur, vide infra, monum. 4—13.

[5] Eccli. 6, 15. [6] Cf. Io. 10, 1—9.

[7] Nicolaus van Esche Osterwici prope Silvam Ducis anno 1507 natus et Lovanii gravioribus disciplinis excultus est; anno 1530 sacerdotio initiatus Coloniae domi Andreae Herll munus paedagogi obibat. Ferunt eum, sacrarum meditationum aliorumque pietatis exercitiorum studiosissimum, apud Carthusianos colonienses cellam suam habuisse; libros etiam aliquot pios in lucem emisit, e. g. „Exer-

butiones[a] eius[1], qui talem tribuit tibi ad pietatem magistrum et hortatorem quotidianum, ut qui non mea, sed me salutemque meam amaret et curaret sedulo[b]. Hoc ipso Duce displicebam mihi paulatim, ut rectius placerem tibi DEVS, quem adhuc parum cognoscebam, minusque timebam in illo flore juuentutis. Illius consilia, mores, exempla nouam ueluti lucem inferebant[c] oculis et auribus meis. Illius authoritate frangebam et comprimebam praecipites motus ac[d] vanos ardores adolescentiae: illius familiaritate contentus, reliquas necessitudines et sodalitates[e] facile negligebam. Nullus (quod sciam) fuit mihi tum charior, atque[f] conjunctior, tantumque illius iudicio tribuebam, quantum a filio pater desideraret. Neque solum in confessione secreta[g] me totum illi et saepe quidem, aperiebam, verum etiam, priusquam nocte cubitum concederem[h], exponebam illi familiari colloquio (tanta erat fiducia) lapsus, ineptias, et sordes animae meae, ut illi iudici rationem erratorum, ac transactae diei redderem[i], ac si uellet etiam, peccatorum aliquam luerem poenam[2].

Agnosco et reuerenter laudo misericordiam tuam[k], quae semper et ubique vias meas prosperabat[3], o custos fidelis hominum[4] et protector vitae meae[5] DEVS[l]. Hunc virum Coloniae uelut alterum Ananiam ad me instituendum, tibique propius adiungendum[m] (ut arbitror) certa prouidentiae tuae lege destinasti[6]. Igitur ille pro me sollicitus esse pergebat, precabatur, flebat, benedicebat, praemonebat, urgebat atque scribebat. Et cum aliquando ab illo abessem diutius, iamque in patria mihi plusculum indulgerem, ac laxiorem uitam amplexurus uiderer, per illum ipsum ad me tum uenientem, ueluti dormientem filium excitasti, et negligentem corripuisti, et lapsurum erexistj, et imbecillum ad te reuocatum, illius cura et opera in via tua confirmasti[n].

---

[a] omnes retributiones *Rad. Pyth.* (*Dorigny* ses bontés).
[b] et salutem meam quaereret *Pyth.* [c] inferebam *Rad.*
[d] et motus et *Pyth.* [e] *Pyth. om.* et sodalitates.
[f] ac *Rad. Pyth.* [g] sancta *Pyth.* [h] discederem *Rad. Pyth.*
[i] ut rationem transactae diei redderem *Pyth.* [k] *Pyth. addit* Deus.
[l] *om. Pyth.* [m] coniungendum *Rad. Pyth.*
[n] *Python prosequitur:* His modis, a divina tua sapientia adhibitis, eo paulatim deducebar, ut mundum nec amarem blandientem, neque metuerem adversantem.

---

citia pia, spiritualia, vere divina" (Antverpiae 1563 et 1569, Augustae Vindelicorum 1718 et 1847, Ratisbonae 1718). Ac cum per multos annos Diesthemii (Diest, in Belgio) beginagio praefuisset, ibidem 19. Iulii 1578 decessit. Vitam eius enarravere Arnoldus Ianssen parochus diesthemiensis († 1583), Gilbertus Gybels (Leuwen 1713), P. F. X. de Ram (Lovanii 1858). Cf. *Hermes,* „Esch" in Wetzer und Welte's Kirchenlexikon IV (2. Aufl., Freiburg i. Br. 1886), col. 888—889. *Hartzheim,* Bibliotheca coloniensis p. 255—256. [1] Ps. 102, 2. [2] Vide p. 17, notam 7.
[3] Cf. Ps. 36, 7. Ier. 12, 1. [4] Iob 7, 20. [5] Ps. 26, 1.
[6] Ananiam christianum Damasci „Dominus misit Iesus" ad Paulum conversum, ut hic „videret et impleretur Spiritu sancto" (Act. 9, 10—18).

Pungebas[a] cor meum, cum ex illo audirem ac[b] discerem huiusmodi sententias: Seruire Deo regnare est, Sola salus seruire Deo, sunt caetera fraudes. Si Christum bene scis, satis est, si caetera nescis. Item[c] prudenter hoc agebat, ut quotidie caput ex 4. Euangelijs unum legerem, et in eo sententiam illustrem, eod. die subinde meditandam excerperem, memoriaque tenerem. Accedebat et alia piorum auctorum[d] lectio, per quos de timore et amore tuo me commonuisti, nec minus iuuabar sanctorum hominum propositis exemplis, et inspectis historijs, in quibus saepe uersabar. Hinc mea fides et spes, ad meliora sectanda[e] excitabatur: Hinc mundi amor et timor in animo meo magis euilescebat: Hinc Euangelica tum praecepta tum consilia mihi calcar fortius et desyderium impensius adijciebant. Praeuenisti me Domine misericordia tua[1], multisque modis, ne peccarem grauius, prohibuisti, et a lata via, quae mundi amatores ad perditionem abducit, pedes meos cohibuistj. Tibi gratias pro me[f] dicant omnes innocentes et sancti tui, qui[g] posueris super me manum tuam[2], et singularem meae salutis vitaeque curam habueris continenter, illis praesertim annis, quibus adolescentes mundi blandimentis, carnisque uoluptatibus dediti, dum a te, et[h] lege tua discedunt, seipsos[i] perditum eunt, et in mille Sathanae laqueos incidunt, quamuis imprudentes, morbosque saepe grauiores contrahunt, quam quos tota deinde vita superare et funditus euellere possint.

Confiteor nominj tuo Deus lumen et virtus animae meae, qui pascis et regis me ab infantia[k][3], et cui numerati sunt omnes capillj capitis mei[4], gratias ago tibi de donis tuis, quaecunque in me, per me et propter me operari dignatus es. Sub umbra quidem alarum tuarum die ac nocte me[l] protexisti[5], et quasi pupillam oculi tui me custodiuisti[6], non secus quam[m] aquila prouocans ad uolandum pullos suos et super eos uolitans, quae expandit alas suas, et assumens eos portat in humeris suis[7]. Tu omnes vias meas praeuidisti[8], possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris

---

Magni faciebam praecepta et consilia; suaviter illis afficiebar, et ex asse tuus asse *[sic; legendum: esse]* peroptabam. Laudent Te aeternum omnes Sancti tui ob curam, quam suscepisti, salutis meae, illis annis, quibus tam multi, recedentes a Te, viam perditionis capessunt, et Diaboli laqueis irretiti peraegre inde extricantur. *Omnino similia gallico sermone posuit Dorigny.*

[a] Pungebat *Rad.* [b] et *Rad.* [c] idem *Rad.* [d] authorum *Rad.*
[e] spectanda *Rad.* [f] *Rad. om.* pro me.
[g] quod *Rad., idque fortasse melius.* [h] *Rad. om.* te, et.
[i] *Sic Rad.; cod. mon.* seipsum. [k] infantia mea *Rad.*
[l] *Rad. om.* me. [m] ac *Rad.*

---

[1] Cf. Ps. 58, 11. [2] Ps. 138, 5. [3] Cf. Gen. 48, 15. Ps. 22, 1.
[4] Matth. 10, 30. [5] Ps. 16, 8. [6] Ps. 16, 8.
[7] Deut. 32, 11. [8] Ps. 138, 4.

meae[1], super iram[a] inimicorum meorum extendisti manum tuam, et saluum me fecit non justitia mea, sed dextera[b] et misericordia tua[2], cui sit omnis laus et gloria in secula seculorum[3]. Precor te Domine fidelissime custos et amator humani generis, quam tribuisti gratiam indigno puero mihi, eam multis alijs infunde, auge, perfice, ut a mundi turbis et periculis illis mature semoti, bonos piosque praeceptores habeant, quorum praeceptis et exemplis adiuti morum vitia potius, quam barbarismum et soloecismum[c] fugiant[d], ac detestentur[4]. Discant illi salutaria magis quam vana, firma non uaga sectari studia, et in his obseruent[e] proprium scopum, ut suo et aliorum commodo doctrina solida recte et conuenienter uti uelint et possint, primum quidem ad nominis tui gloriam, cui seruire debent omnia[5], deinde vero ad profectum Ecclesiae tuae, cui magis quam patriae, amicis et parentibus gratificandum et obsequendum est[f].

---

[a] viam *Rad. Vulgata Clementis VIII. iussu edita hic habet* iram.

[b] *Python (p. 343): [Divina beneficia Canisius]* „in suis Conf. sic enumerat: ‚Omnes sancti', ait, ‚benedicant Tibi, Deus meus, qui curam gessisti salutis meae. Regeneratus sum in Christo per baptismum; confortatus in fide per Sacramentum Confirmationis; coelesti pane in Eucharistia pastus, receptusque in tuam gratiam, beneficio Clavium Ecclesiae tuae concessarum.' Dein, quibusdam interjectis, exclamat cum Regio Vate: ‚Dominus Firmamentum meum, qui pascis me a juventute mea: die ac nocte, sub umbra alarum tuarum protexisti me; custodisti me, ut pupillam oculi: omnes vias meas praevidisti. Projectus sum in Te ex utero: extendisti manum tuam super inimicos meos, et dextra tua salvavit me.'"

[c] *Rad. om.* et soloecismum.

[d] Oro Te, mi Deus, custos et amator hominum, concede his adolescentibus eam gratiam, quam mihi indigno olim contulisti, cum essem in aetate, in qua nunc sunt. Fac, ut a periculis liberati pios Praeceptores nanciscantur, quorum sermonibus et exemplis incitati, majori studio, morum peccata fugiant, quam Grammaticae Seloecismos. *Pyth. p. 78.*

[e] et mihi obseruent *Rad.*

[f] *Iis, quae praecesserunt et quae sequuntur, utcumque similia sunt quae habet Python p. 363—364:* „Necessitudo, quae Canisio cum tot egregiis et spectata virtute viris intercedebat, magna ei commoda attulit, ob quae singulares, in senectute. Deo gratias agebat. ‚Considerabam', ait, ‚eam, quam mihi indideras propensionem cum sanctis animabus agendi, pro singulari dono Bonitatis tuae. Afficiebat me piorum consuetudo prae quam familiaritas cum illo genere hominum, quos non tam virtus, quam naturae dotes et fortunae dona commendant. Sapientibus horum pau-

---

[1] Ps. 138, 13. [2] Ps. 137, 7.

[3] Rom. 16, 27. Gal. 1, 5. Phil. 4, 20. 1 Tim. 1, 17.

[4] *S. Augustinus* de se ipso in „Confessionibus" (l. 1, c. 18, n. 28): „Quid autem mirum quod in vanitates ita ferebar, et a te, Deus meus, ibam foras, quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut soloecismo enuntiarent, reprehensi confundebantur; si autem libidines suas integris et rite consequentibus verbis copiose ornateque narrarent, laudati gloriabantur?" (Opera tom. I, ed. opera monachorum O. S. B. e Congregatione S. Mauri [Parisiis 1679], p. 79. *Migne*, PP. LL. XXXII, 673.)

[5] Cf. Ps. 118, 91.

Neque[a] possum hic obliuiscj bonarum, sanctarumque mentium, quas puer et adolescens ego non sine consolatione et profectu spirituali sum frequenter expertus[b], cum apud Arnhemenses[1], Nouiomagenses, Busciducenses[2], Osterwickenses[3], Diestenses[4], Louanienses degerem.

Laudo et extollo Sanctum nomen tuum in sponsis tuis, ijsque virginibus admirandae virtutis, et antiquae simplicitatis, et probatae pietatis, quarum monitis et exemplis, imo et vaticinijs[5] me saepius excitare, terrere, fouere et impellere uoluisti, ut et tibi propior fierem, et mihi notior, et alijs utilior, et in via spiritus vigilantior essem. Credo gratiae tuae donum fuisse, idque mihi profuisse sensi[c], cum ego huiusmodj seruis et ancillis tuis[d] electis adiungerer saepe. Illis quam caeteris opulentioribus adesse malebam[e], illorum[f] hortationes, consilia, preces magnipendebam, cum illis colloquia pia miscebam.

[V.]

Audiebam quidem Coloniae principia Juris seu Institutiones Imperiales aliquandiu: Louanij vero Iuris Canonici publicis aderam

---

perum Evangelicorum consiliis, exemplis, et communicata eis luce, dignatus es, Domine, me instruere, me firmare, et salutari judiciorum tuorum timore carnes meas configere, meque impellere, ut propius ad Te accederem, me inspicerem, et, quo aliis fructuosior esse possem, in rem Spiritus oculos acrius intenderem.'"

[a] *Quae sequuntur usque ad* colloquia pia miscebam, *etiam Sacchinus proponit, hoc prooemio praemisso: [Canisius]* „et haec ipsa iam senior literis consignauit, et de profectu ex notitia et colloquiis religiosarum eiusmodi foeminarum, Deo gratias agit his verbis. Non possum" etc. *(De vita Canisii p. 20—21). Eadem, usque ad* „adesse malebam", *habet Riess l. c. p. 12.*

[b] quas puer et adolescens sum frequenter expertus non sine profectu et consolatione spirituali *Sacch.*

[c] *Sacch. om.* idque mihi profuisse sensi.

[d] seruis tuis et ancillis *Sacch.* [e] mallebam *Cod. mon.*

[f] illarum *Sacch.*

---

[1] Arnhem (Romanorum „Arenacum"?) per aliquod tempus ducum Geldriae sedes erat; nunc caput est Geldriae, provinciae neerlandicae. Dicunt aliqui Ottonem Canis, Petri nostri patruum, Arnhemii consulatum gessisse. Cf. *Bongaerts*, Stamlijst p. 6. Certe Otto Canisius, Petri frater, anno 1572 ibidem consul fuit. *Bongaerts* l. c. p. 7. *Epistula P. Ioannis Hasii S. J. ad P. Matthaeum Raderum S. J. data Embrica 11. Ianuarii 1614. Autographum est Monachii in bibliotheca regia, Cod. lat. 1611, n. 100.

[2] Boscoducum sive Silva Ducis ('s Hertogenbosch, Bois-le-Duc) anno 1559 et iterum anno 1853 civitas episcopalis facta est et nunc caput quoque provinciae regni neerlandici est, cui nomen est Brabantia septentrionalis.

[3] Illic forte etiam piissimam virginem Mariam de Oisterwijk primum vidit, quae postea Coloniae sacrarum virginum praeses et Societatis Iesu illic nascentis „mater" fuit. De qua plura infra.

[4] Vide p. 17, n. 7.

[5] Canisius in „Testamento" vaticinium eiusmodi virgineum exponit.

lectionibus, cum sic pater desideraret[1]. Caeterum quae ad mysticam Theologiam, et Spiritualia studia pertinent, magis animo adlucebant, in his maiorem succum et sapidiorem cibum mens mea reperiebat. Nondum agnoscebam, quo me Spiritus tuus uelut in portum adducturus esset: sed secundos tamen uentos immittebas, meamque nauigationem prosperabas, ut blandae Syrenes, et vana mundj ludibria, ob quae plurimi periclitantur, meam cymbam nihil commouerent.

De victus parsimonia et vestitus austeritate libenter alijs gratulor, ipse non possum gloriarj, si uelim maxime, quia vias illas non exquisiuj, de quibus aiebat ille, Propter uerba labiorum tuorum ego custodiui vias duras[2]. Vestis interim cilicinae usum saepe puer assumpsi, nec iubente aut inuitante tamen ullo, ut arbitror: et priusquam grauem in carne luctam experirer. Nec mihi displicebat tum simplicitatis et paupertatis studium a praeceptore commendatum. Vnde factum puto, ut nonnunquam bonam librorum partem sacco inclusam in pauperes distribuendam ultro darem. Ad uitam religiosam, qualem Carthusiani profitentur, quietis et contemplationis amor me saepius inuitabat. Aliquando in Bacchanalibus festis, quae uocant, cum inter coenandum alijs assiderem, a vini potu me abstinuisse scio, quod ueniret in mentem summae intemperantiae et communis crapulae, qua se tunc homines insani obruunt, et ingentem Deo inferunt contumeliam, quandoquidem pro Deo uentrem[3] studiosissime ac petulantissime colant. Verum haec si bona fuerunt, te authore et Duce fiebant, qui praeuenisti me tua misericordia, et a mundi carnisque spiritu abstraxisti animam meam, ut in simplicitate cordis[4] vacarem tibi, et me ipsum abnegarem. Fateor Domine testis et iudex omnium, fateor, ab illorum me virtute procul abesse, qui carnem suam cum uitijs et concupiscentijs singulari studio cruci-

---

[1] *„Liber Intitulatorum“* sive matricula universitatis lovaniensis, annos 1528 ad 1569 complectens, in anno 1539 haec habet:

„Anno a virgineo partu millesimo quingentesimo trigesimonono mensis Februarij die vltima in congregatione alme vniuersitatis studij generalis opidi Louaniensis apud Augustinenses celebrata electus fuit ex facultate iuris ciuilis in rectorem eiusdem vniuersitatis Ghisbertus Loyden a Buscoducis Artium magister et vtriusque iuris Licentiatus. Qui prestitis iuramentis consuetis recepit a suo predecessore sigillum libros et alia rectoratus insignia. Sub quo sunt intitulati quorum nomina sequuntur

. . . . *[sequuntur nomina]*

Aprilis

. . . .

XXI M. Petrus Canis Nouiomagus.“

. . . .

Descripsi ex ipsa matricula, quae nunc est Bruxellis in archivo regio (Cod. chartac. in 2°, signatus „Université de Louvain Nr. 42“). Eadem a PP. Deynoodt et Bongaerts typis exscripta sunt.

[2] Ps. 16, 4. [3] Cf. Phil. 3, 19.

[4] Gen. 20, 5. 3 Reg. 9, 4. 2 Cor. 1, 12 etc.

fixerunt[1], et sibi vitae duriciem indixerunt, ut cruce suscepta per viam angustam[2] Maiestati[a] Tuae deuotius atque securius famulentur. Horum institutum in Ioanne Baptista et primis Anachoretis veneror, in Hieronimo, Francisco, Dominico alijsque patribus miror. Illorum seuera disciplina sanctumque propositum utinam tot haberet aemulatores, quot passim inuenit impugnatores, ut quibus lubet fallaci carnis licentiae magis quam uerae libertati spiritus[3] fauere ac patrocinarj. Tu uero, qui laborem et dolorem consideras[4], qui et reddis unicuique secundum eius opera[5], et magno eos honore dignaris, qui propter te tota die[b] mortificantur[6]. Fac nos et candidos, et aequos aestimatores fraternarum Virtutum, et studiosos earum sectatores effice, qui Spiritu tuo Duce et impulsore carnem suam perfecte subigunt aut vigilijs, aut ieiunijs alijsque sponte assumptis afflictionibus hostem domesticum persequuntur. Quem rigorem vitae si nos delicati milites nolumus, aut non possumus imitari, absit tamen, o Deus! aemulatrix invidia, et stulta mordacitas. Admiremur potius aliorum pro te pugnantium et in te vincentium fortitudinem, teque gloriosum[7], et mirabilem in Sanctis tuis[8] praedicemus. Vtinam ego aliquam gratiae portionem assequerer, quam tu Servis Iustisque tuis Moysj, Samuelj, Davidj, Hieremiae, Danieli, Nazareis, Rechabitibus[9], Anachoretis abunde donasti, ut essent illi sibi severi, et peccantibus simul alijs compatientes, ut malis etiam horum[c], non secus, quam suis deplorandis et vindicandis studiose vacarent.

Hunc luctum et zelum excita, et largire, ut mihi meisque peccatis minime parcam, ridentem vero mundum deplorem, et pro inimicis Crucis[10], ac carnis Amatoribus lacrimas, veri amoris, dolorisque testes frequenter effundam. Spiritum rectum innova Domine in visceribus meis[11], ut sciam et sentiam, quam sit amarum[d], te fonte aquae vivae relicto, cisternas fodere dissi-

[a] Matri *cod. mon.*

[b] *Quae sequuntur usque ad finem, aliis iisque paulo minoribus notis in codice monacensi scripta sunt, ideoque dubium, eademne manu ac priora.*

[c] pro horum *cod. mon.* [d] amare *cod. mon.*

[1] Gal. 5, 24. [2] Cf. Matth. 7, 13. 14. Luc. 13, 24.

[3] Cf. 2 Cor. 3, 17. Gal. 4, 31; 5, 13. [4] Ps. 10 sec. Hebr., 14.

[5] Matth. 16, 27. Rom. 2, 6. [6] Ps. 43, 22. Rom. 8, 36.

[7] Dan. 3, 45. 52. 56. [8] Ps. 67, 36.

[9] Rechabitae illi Ieremiae prophetae affirmare poterant: „Obedivimus voci Jonadab, filii Rechab, patris nostri, in omnibus, quae praecepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris . . ., et non aedificaremus domos ad habitandum, et vineam et agrum et sementem non habuimus, sed habitavimus in tabernaculis.“ Propterea Deus per Ieremiam eorum Israelitis exemplum oboedientiae proposuit et singularem iis favorem promisit (Ier. 35, 8—19). *S. Hieronymus* in iis vitam eremitarum et monachorum christianorum praeformatam cernit (Epistula ad Paulinum presbyterum de institutione clericorum n. 5 (*Migne,* PP. LL. XXII, 583).

[10] Phil. 3, 18. [11] Ps. 50, 12.

patas[1], et praetermisso coelesti manna, porcorum siliquis[2] inhaerere, teque contempto, vel neglecto summo Bono, carni, mundo, Sathanae hoc est perditissimis, nocentissimisque hostibus ter miseram servire servitutem[a]. Suspirat cor meum, quia ne minima quidem ex parte possum meminisse, quot quantisque modis puer et adolescens coram, et contra te iteraverim lapsus, contraxerim debita, et luendas peccatorum poenas de anno in annum, de die in diem cumulaverim mihj. Quod si graviora etiam non designassem peccata, quae lex tua severe prohibet, ac iustitia tua sempiternis gehennae supplicijs vindicanda esse decernit, an propterea gloriabitur cor meum, et obliviscar illius sententiae, De propitiato peccato noli esse sine metu[3]. Longe absum a viri sancti simplicitate, atque innocentia, quem tu Deus aperte commendasti, et qui de se ipso testatur, Etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea[4]. Vere scio, quod ita sit, quod non iustificetur homo compositus Deo[5]; et rursum: Verebar omnia opera mea, inquit, sciens quod non parceres delinquenti[6].

[VI.]

Vereor et ego, multoque iustius, quam Iob ille simplex, rectus ac timens Deum, recedens ab omni malo[7], et in summis etiam afflictionibus retinens innocentiam[8] verebatur. Audio quidem cantantem prophetam, Custodivit anima mea testimonia tua, servavi mandata tua[9], in toto corde exquisivi te[10]. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam[11]. Novi et regem Ezechiam bona conscientia coram te affirmantem: Memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim[12]. Neque mentitus est sane Doctor veritatis, ubi de se loquitur, Nihil mihi conscius sum[13]. Bonum certamen certavi, cursum consummavj, fidem servavi. In reliquo reposita est mihj corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus Iudex[14]. Ac iterum: Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae[15]. Tantum enim fiduciae pijs praebet pius animus et vita innocenter acta,

[a] *In codice monacensi sequitur haec sententia lineis postea deleta (librarius ipse delesse videtur):* „Pulvis sum, o factor et Author omnium! et in pulverem redigar brevj, qui tanquam flos effloresco, atque depereo“ *(Gen. 3, 19. Iob 14, 2. Ps. 102, 13).*

[1] Ier. 2, 13. 19. [2] Luc. 15, 16. [3] Eccli. 5, 5. [4] Iob 9, 15. 21. [5] Iob 9, 2. [6] Iob 9, 28. [7] Iob 1, 1; 2, 3. [8] Iob 2, 3. [9] Ps. 118, 167. 168. [10] Ps. 118, 10. [11] Ps. 17, 25. [12] 4 Reg. 20, 3. [13] 1 Cor. 4, 4. [14] 2 Tim. 4, 7. 8. [15] 2 Cor. 1, 12.

ut illi in te Domino sancte gloriarj[1], et aliquando suae virtutis exemplum alijs imitandum proponere, seque ipsos commendare cum Deipara Virgine[2] minime reformident.

Ego vero multorum mihi malorum conscius, et pergravi onere peccatorum, quae annis pluribus quadraginta commisi, pressus, non unde gaudeam, vel me ipsum commendem habeo, sed quod doleam, ac deplorem cumulatim offendo. Vere non sum sicut caeteri hominum[3], nempe Ioannes Baptista, Hieremias Propheta, et similes, quos in utero materno tu mirabiliter sanctificasti. Neque sum sicut illi, quos praepotentj contra peccatum gratia misericorditer admodum instructos confirmare dignaris. De his forte scriptum est, quod non posuistj poenitentiam iustis[4], qui tibi Deo Iustorum non peccaverunt. Non sum etiam sicuti caeteri hominum, qui post admissum peccatum fructus poenitentiae dignos ediderunt[5], et quia multa illis remissa sunt peccata, multum dilexerunt[6], ut charitas peccatorum multitudinem operiret[7]. Vae autem ingrato, misero, ac tepido mihj, quem benignitas tua tot annis delinquentem sustinet, fugientem exspectat, surdum vocat, et diligit immerentem. Praeclara sunt, rara sunt, infinita sunt beneficia tua, quibus inde ab infantia me per omnem aetatem, et ubique locorum es prosecutus, ut ad bene beateque vivendum occasionem feliciorem quam plerisque alijs mihi suppeditares. Sed quo fuit vberior munificentia, et clementia in me tua liberalior, eo certe culpabilior, foedior, damnabilior est iniquitas mea, quod gratiosae uisitationis tempus[8] acceptabile, diesque salutis[9] et annos gratiae parum agnovi, amantem Patrem frigide redamavj, gratiam tuam in vanum saepius recepi[10], in cultu tuo piger et torpidus vixi, et tantum non contempsi divitias Bonitatis et patientiae et longanimitatis tuae[11] Domine Deus et Iudex meus.

Doleo caecitatem meam, qui post tot accepta vulnera[a], neque te solem Iustitiae[12], neque me abyssum miseriae recta possum intuerj. Vere tu es Deus absconditus[13], altissimus creator omnium, omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum, et dominans Deus[14], ut scripsit Ecclesiasticus. Qui cum lucem habites inaccessibilem, a nullo videri potes[15] mortalium, nisi perobscure, ac velutj per speculum in aenigmate, qui postea de facie ad faciem[16] te mundis

[a] *Sic;* munera?

[1] Ier. 9, 23. 24. 1 Cor. 1, 31. 2 Cor. 10, 17. Phil. 3, 3.
[2] In cantico „Magnificat“ (Luc. 1, 46—55). [3] Luc. 18, 11.
[4] Cf. Luc. 5, 32; 15, 7. [5] Luc. 3, 8. [6] Luc. 7, 47.
[7] Prov. 10, 12. 1 Petr. 4, 8. [8] Luc. 19, 44. [9] 2 Cor. 6, 2.
[10] 2 Cor. 6, 1 (. . . . exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis).
[11] Rom. 2, 4. [12] Mal. 4, 2. [13] Is. 45, 15.
[14] Eccli. 1, 8. [15] 1 Tim. 6, 16. [16] 1 Cor. 13, 12.

cordibus[1] dabis integre et felicissime conspiciendum. Maior autem haec est coecitas cordis mei, quod, cum alia multa videre et cognoscere videar, meipsum tamen [non][a] videam, peccata propria non observem, non ponderem, non deplorem atquė castigem. Et quoniam meipsum non iudico[2] pessimus ipse mihi magister, et Censor supra modum indulgens, grave iudicium meum subsequi necesse est, in quo iustitias etiam ad trutinam aequitatis tuae revocabis, in quo corda et renes hominum scrutaberis[3], et ante actae villicationis rationem[4] exactam a quovis reposces. Sane me quoque tangit, quam tuus pronuntiavit filius, sententia: Omni cuj multum datum est, multum quaeretur ab eo: et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo[5]. Tantoque magis reformido iudicium, quod de uno latum, in multos competit, cum dicitur, Inutilem servum eijcite in tenebras exteriores[6]. Quid igitur faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo?[7]

Verumenimvero Deus et Creator meus, vita et salus mea[8] es, tu non odisti[b] quaecunque eorum, quae fecisti, sed diligis omnia, quae sunt[9], et, sicut ipse non sine iureiurando dixisti, non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat[10]; propterea respiro in miserationibus tuis multis et magnis, o clementissime Pater, Pater misericordiarum[11], quarum neque numerus, neque modus, neque finis potest excogitarj. Maior est misericordia tua, quam potest esse iniquitas mea. Tu es Dominus (ut vere poenitentis Regis verbis utar) altissimus[12], benignus[13] longanimis et multum misericors[14], et poenitens[c] super malitias hominum[15]. Tu Domine secundum multitudinem [misericordiae][d] tuae[16] promisisti poenitentiam et remissionem ijs, qui peccaverunt. Ne intres igitur in iudicium cum servo tuo[17], quia si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis non desperabit? quis maledictionem aeternam effugiet unquam? quis sustinebit?[18] Ne despicias opus luteum et fragile manuum tuarum[19], quia mendax et vanitas *[sic]* est omnis homo[20]: omnis caro foenum, et revera omnis gloria eius quasi flos agri[21]; nec secundum iustitiam tuam retribuas[22] mihj, quia misericordia tua super omnia opera tua[23]; sed secundum benignitatem tuam magnam et infinitam.

---

[a] *om. cod. mon.* [b] odis *cod. mon.*
[c] *Sic cod. mon.; sed videtur esse legendum* praestabilis, *quod habet Ioel 2, 13.*
[d] secundum multitudinis tuae *cod. mon.*

---

[1] Matth. 5, 8. [2] Cf. 1 Cor. 11, 31. [3] Ps. 7, 10. Ier. 17, 10 etc. [4] Luc. 16, 2. [5] Luc. 12, 48. [6] Matth. 25, 30. [7] Iob 31, 14. [8] Ps. 26, 1. [9] Sap. 11, 25. [10] Ez. 33, 11. [11] 2 Cor. 1, 3. [12] Ps. 17, 14; 96, 9 etc. [13] Ps. 68, 17. Ioel 2, 13. [14] Ps. 102, 8. [15] Cf. Ioel 2, 13. Ion. 4, 2. [16] Ps. 105, 45. [17] Ps. 142, 2. [18] Ps. 129, 3. [19] Ps. 137, 8. [20] Ps. 115, 11. Rom. 3, 4. Cf. Ps. 61, 10. [21] Is. 40, 6. 1 Petr. 1, 24. [22] 3 Reg. 8, 32. 2 Par. 6, 23. [23] Ps. 144, 9.

Exaudi me Deus salutaris noster, Spes omnium finium terrae[1], et te clementem ostendas poenitenti mihj, et tuam imploranti gratiam in tempore adsis oportuno[2]. Miserere pupilli tui, Pater pauperum[3], et Deus dives in misericordia[4] manum adiutricem inopi praebe, ut quod mihi deest (deest autem plurimum) inexhausta suppleat pietas tua, cuius hoc est, eritque semper proprium, a terra suscitare inopem, et de stercore pauperem erigere, ut colloces eum cum principibus, cum principibus populi tuj[5]. Esto medicus aegroto mihi, ut sanes languores omnes animae meae. Ne submergar in profundum[6] in mari longe[7], In mari turbulento iactor, Salva me Domine propter nomen tuum[8], et succurre in tempore, priusquam nox irruat, ut salva nave, et mercibus ad portum securus transvehar, et cum Sanctis tuis puram perpetuamque servitutem serviam tibj, qui me ad imaginem et similitudinem tuam[9] ultro creasti, et creatum paterne hactenus conservasti, et demum ad aeternam beatitudinem tecum possidendam toties invitasti.

Domine Deus virtutum converte nos et ostende faciem tuam et salvi erimus[10], Tu benignus et misericors, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia[11] semper fuisti, et adhuc esse gaudes humiliantibus se, et nomen tuum invocantibus. Venio ad te cum grandi peccatore Manasse, et eandem confessionem adfero, quam in vinculis ille protulit, non sine Spiritu verae humilitatis, et cum certo fructu suae salutis ac liberationis. Peccavi super numerum arenae maris: multiplicatae sunt iniquitates meae, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem coelj, prae multitudine iniquitatum mearum. Excitavi iracundiam tuam et malum coram te fecj, non feci voluntatem tuam, et mandata tua non custodivj. Et nunc flecto genu cordis mei precans a te bonitatem. Peccavi Domine, peccavi; et iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te remitte mihj, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in aeternum iratus reserves mala mihj[12].

Cur vero diffidam de propitia et benigna erga me voluntate tua, qui, ut servum redimeres, Filium tradidisti[13] et in mortem Crucis acerbissimam tradidisti. Respicio in faciem Christi tuj[14], in quo iustificantur et salvantur, qui in Adamo primo peccatores efficiuntur atque condemnantur[15]; hunc immaculatum[16], qui tollit

---

[1] Ps. 64, 6. [2] Ps. 31, 6. [3] Iob 29, 16. [4] Eph. 2, 4.
[5] Ps. 112, 7. 8. [6] Matth. 18, 6. [7] Ps. 64, 6. [8] Ps. 105, 8.
[9] Gen. 1, 26. [10] Ps. 79, 4. 5. [11] Ioel 2, 13.

[12] Haec ex „apocrypha oratione Manassae, regis Iuda“ desumpta sunt, quae in compluribus Scripturae editionibus invenitur, attamen extra seriem librorum canonicorum; cf. etiam 2 Par. 33, 11—13.

[13] „Ut servum redimeres, Filium tradidisti.“ Ita Ecclesia Sabbato sancto in benedictione cerei paschalis cantat.

[14] Ps. 83, 10. [15] Cf. Rom. 5, 12—19. [16] Hebr. 9, 14. 1 Petr. 1, 19.

peccata mundi[1], hunc Pontificem[2], advocatum[3], intercessorem[4] et mediatorem[5] offero tibi Pater, sicut se ipse dilectus et unigenitus ille tuus in ara Crucis obtulit acceptabilem hostiam[6], ut pro peccatis nostris, ac totius mundi esset propitiatio[7]. Nostram ipse sumpsit humanitatem, meam ut sanaret infirmitatem, suamque divinitatem et merita omnia nobis largiretur. Illius mors mea vita sit: illius sanguis et vulnera diluant mala mea, sicut caro mea me crebro seduxit ad culpam, sic caro tam dilecti et insontis filij et fratris me reducat ad veniam, et te flectat ad misericordiam, ut fructus passionis et mortis illius, qui Mundi redemptor est, mihi tum ad peccatorum omnium, quae unquam designavi, remissionem, tum ad donorum Spiritualium, quibus egeo, consecutionem et augmentum applicetur. Credo talem tantumque thesaurum meritorum esse Christi Domini mej, ut ob illa, quae pro nobis ipse gessit, et pertulit in corpore suo[8] peccatorum omnium remissio quotidie per sacerdotes abs te detur et a poenitentibus accipiatur in Ecclesia tua, quae sola huius amplissimi thesauri custos est, et legitima dispensatrix ad finem usque mundi permanebit. Haec fides, haec spes et certa exspectatio reposita est in sinu meo[9] et omnium Catholicorum.

Neque dubito piorum preces et beneficia, in quibus etiam Christus ipse per fidem habitat[10] ac operatur, multum huc[a] quoque conferre, ut et mala praesentia, vel futura facilius nobis amoveantur, et dona vere salutaria uberius impetrentur atque confirmentur. Itaque non modo Christi capitis[11], qui Sanctus sanctorum[12] existit[b], verum etiam praestantium membrorum, ac totius corporis eius, quod est Ecclesia[13], meritis cupio adiuvari, petoque fulcirj, ut non solum in genere, sed etiam in specie particeps ego sim omnium te timentium, et mandata tua in coelo, et terra custodientium[14]. Qui te colunt, Pater omnis Maiestatis, pro me simul colant, precor, pro me intercedant, adorent, ament atque glorificent nomen tuum[15] sanctum, quod in exiguis etiam creaturis merito praedicatur. Magnificetur hoc nomen[16] in electis tuis, quos inde ab aeterno praedestinasti, et dilexisti, ut conformes fierent imagini filij tui, qui est, eritque semper primogenitus ex fratribus[17]. Et hi quaeso cognoscant et celebrent in me nomen hoc tuum excelsum[18] et adorandum,

[a] huic *cod. mon.*

[b] *Sequuntur verba* primatum tenens in omnibus, *quae postea lineis deleta sunt; librarius ipse delevisse videtur.*

[1] Io. 1, 29. [2] Hebr. 2, 17 et saepius. [3] 1 Io. 2, 1.
[4] Cf. Rom. 8, 34. Hebr. 7, 25. [5] 1 Tim. 2, 5. Hebr. 8, 6 etc.
[6] Hebr. 10, 12. [7] 1 Io. 2, 2. [8] 1 Petr. 2, 24.
[9] Iob 19, 27. [10] Eph. 3, 17. [11] 1 Cor. 11, 3. Eph. 1, 22 etc.
[12] Dan. 9, 24. [13] Eph. 1, 23. [14] Ps. 118, 63. [15] Ps. 85, 9. 12.
[16] 2 Reg. 7, 26. Apoc. 15, 4. [17] Rom. 8, 29. [18] Is. 12, 4.

pro me item supplicent gloriae tuae, et in charitate non ficta[1] tuo excitati Spiritu dicant, et repetant saepe SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS Dominus Deus Sabaoth[2]. Destruat Deus noster in hac infima creatura peccatum[3], et exstruat in ea, perficiatque opus, quod coepit dextera eius, in laudem et gloriam hanc dicti[a] Nominis sui sempiternam[b]. Amen. Amen[4].

[VII.]

Gratias ago tibi ex intimis animae meae visceribus clementissime Deus, Creator, salvator, et protector meus, vita, refugium et salus mea omnibus diebus, et momentis, quibus in hoc mortalis vitae tempestuoso marj circumvagor, varijsque modis ad mala et bona mirabiliter impellor, ut nesciam saepe, quis me ventus agitet, quo mea feratur navicula, quo in loco haeream, et quomodo cursum meum rite debeam promovere. Id quod etiam experiebar Anconae[c], cum illuc una cum Cardinali[d] Augustano[5] profectus venissem mense Iunio Anni 1568[6]. Cum[e] vero ibidem in Cathedrali Ecclesia conscientiam

---

[a] *Fortasse legendum est:* gloriam sanctissimi. [b] sempiternum *cod. mon.*

[c] *Narrationem, quae hic sequitur, etiam Sacchinus p. 256—259 exhibet; addit Canisium* „adnotandam eius memoriam scripto censuisse"; *ex quo scripto ad verbum reddit sententiam:* „O sanctum hoc studium . . . corruptionem, miseriam" *(p. 258 ad 259; vide infra).* [d] Cardinale *cod. mon.*

[e] *Python (p. 256—260):* „Hoc in itinere, singulari quodam favore, quem in libro Confessionum, cum Deo suo loquens describit: ‚Cum,' inquit, ‚Anconae, in Cathedrali Ecclesia, conscientiam examinarem, aperuisti'" *etc. Sequuntur omnia, quae supra ponuntur, usque ad finem huius capitis. Dorigny partem tantum huius relationis ad verbum descripsit; cetera brevi sermone constrinxit p. 309. 439—442.*

---

[1] 2 Cor. 6, 6. [2] Is. 6, 3. Apoc. 4, 8. [3] Cf. Rom. 6, 6.

[4] Vel hac sola sollemni conclusione fit verisimile, caput, quod sequitur, ad posteriorem aliquem Confessionum librum pertinere, licet in codice monacensi prorsus cum primo coniunctum sit.

[5] Notissimus certe est cardinalis ille Otto Truchsess de Waldburg (1514—1573), episcopus augustanus et praepositus elvangensis, ecclesiae catholicae columna et Societatis Iesu patronus. Cuius vita enarratur in: „Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium, *Alph. Ciaconii* O. P. et aliorum opera descriptae, ab *Aug. Oldoino* S. J. recognitae" III (Romae 1677), col. 692—698. *Plac. Braun*, Geschichte der Bischöfe von Augsburg III (Augsburg 1814), 358—520. *Bern. Duhr* S. J., „Die Quellen zu einer Biographie des Kardinals Otto Truchsess von Waldburg" et „Reformbestrebungen des Kardinals Otto Truchsess von Waldburg", in „Historisches Jahrbuch" VII (München 1886), 177—209. 369—391. Duhr ibidem libros etiam recenset, in quibus epistulae Ottonis haud paucae editae sunt. Postea *Ant. Weber* iterum edidit „Literas a Truchsesso ad Hosium annis 1560 et 1561 datas (Ratisbonae 1892). *W. E. Schwarz* primum edidit „Vier ungedruckte Gutachten des Kardinals Otto Truchsess" in „Römische Quartalschrift für christliche Alterthumskunde und für Kirchengeschichte" 4. Jahrg. (Rom 1890) p. 25—43, et alia eiusdem scripta in „Zehn Gutachten über die Lage der katholischen Kirche in Deutschland" (Paderborn 1891) p. 1—19.

[6] Canisius tunc a sodalibus provinciae Germaniae superioris „procurator" electus Romam ad praepositum Societatis generalem proficiscebatur.

examinarem, aperuisti oculos mentis meae. o Lumen aeternum! et illustrasti[a] clementer eum, qui iacebat in tenebris, ut se ipsum agnosceret, et in veritate humiliaret[b] spiritus meus, disceretque novo modo tibi subijcj et inservire Domine Deus sancte, et omne bonum omnis creaturae. Lumen autem hoc, quod infundebas animae meae, in eo fuit, ut non solum tunc, sed ex eo tempore postea discerem intentiones et actiones meas omnes[c] super verum et firmum ponere fundamentum. Hoc autem intelligebam, doctore te, esse cognitionem suj, quantum ad vilitatem et nihileitatem[d] propriam, ut imprimis me spectarem, quam nihil sim, sciam, velim, possim, vel habeam: nihil inquam bonj[e], cum in te solo initium, medium et finis omnis bonj consistat, et collocari semper debeat ab omni rationali creatura. Docebas me perfecte Magister, impura esse multa in me, quae facerem[f], quia hunc velutj fundum negligerem, parumque considerarem, quam ego essem nihilj, et quam nudus apparerem[g] coram maiestate tua, quia humanis oculis me et[h] mea spectarem et aestimarem saepe[i], neque cum Ioanne dicerem, Non sum, Non sum[1]. Vtinam vero tuam augeas mihi gratiam in hoc novo lumine cum Magis sanctissimis ambulandj[2], meque in omnibus vijs, ita ut sum, et non ut videor, intuendj, ut ex animo dicere possim, Abyssus Abyssum invocat[3], abyssus inquam[k] nihileitatis meae, secundum quam vere sum, ut Abraham de seipso fatebatur, pulvis et cinis[4]. Haec abyssus invocet semper[l] abyssum superdignissimae (ut sic dicam, quia melius dicere non possum)[m] celsitudinis, Virtutis et perfectionis tuae, ex qua veluti perenni fonte manat singulis momentis mare donorum omnium, quae omnibus et singulis creaturis in coelo, terra, et sub terra communicantur[n]. Cum autem non modo sis principium bonorum, quae mirabiliter ex te semper profluunt, sed etiam finis eorundem, ad quem referri cuncta debeant; fateor peccatum meum benignissime Pater, quod accepta dona tua non reddiderim tibi, sed saepe laudem ex illis, aut ipse[o] mihi tribuerim, aut ab alijs tribuj passus [sim][p] libenter, non ex animo dicens et faciens, quod propheta solebat[q], Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam[5].

---

[a] illuminasti *Pyth.* [b] humiliaret se *Pyth.* [c] *om. Pyth.* [d] nihilitatem *Pyth.*
[e] quam nihil sim, quam nihil sciam, quam nihil velim, possim vel habeam boni *Pyth.*
[f] *Pyth. om.* quae facerem.
[g] considerarem quam nudus appaream *Pyth. Reliqua autem omittit.*
[h] *Pyth. om.* me et. [i] *om. Pyth.* [k] *om. Pyth.*
[l] *Pyth. om.* Haec abyssus invocet semper.
[m] *Pyth. om., quae his uncis inclusa sunt.*
[n] quae creaturis in coelo et terra communicantur *Pyth.*
[o] *Pyth. om.* aut ipse. [p] *om. cod. mon.*
[q] non dicens ex animo cum Propheta *Pyth.*

---

[1] Io. 1, 20. 21. [2] Is. 60, 3. [3] Ps. 41, 8.
[4] Gen. 18, 27. [5] Ps. 113 B, 1.

sed constitui modo, te quidem adiutore, in omnibus rebus fundamentum hoc, quod dixi, respicere, et novis me oculis coram te intueri, simulque ut par est, in humilitate, et simplicitate cordis ambulare.

O sanctum hoc studium, si continuum, aureae simplicitatis, ut humiliet se miser et vilis[a] homo, qui mox esca vermium et putredo erit[b], sub potenti manu Dej[1], dans illi gloriam, cui soli ea debetur, et sibi servans, quod solum apud se reperire potest, defectum, corruptionem, miseriam omnemque ex parte corporis et animae impuritatem, fragilitatem, et ad malum proclivitatem. Et adhuc superbis? irasceris, rides, et ludis terra et cinis?[2] quid habes quod non accepisti? si autem accepisti[3], cur non gratus agnoscis authorem muneris? Cur benefactori non reddis, quod requirit, obsequium? Cur non rependis, quod repetit studium fidae dispensationis? Non quaeram Domine, quae mea, sed quae tua sunt, et cum timore donis utar tuis, praesertim quae ab alijs praedicantur in homine, et ob quae arrogat sibi nescio quid humanus et aeque vanus[c] animus, si in humilitatis fundamento suam domum non satis exstruxit[d]. Sed tu Domine, qui solus amari, et[e] prae omnibus honorari gaudes[f], extollentiam oculorum ne dederis mihj[4], neque sinas impinguarj caput meum oleo peccatorum[5], qui dicunt mihi, Euge Euge[6]. Meliora sunt mihi[g] vulnera et verbera diligentis, imo et odientis, quam falsa oscula[7], et decantata encomia[h], nimium blandientis, atque mulcentis, sive sit ille domesticus sive alienus[i].

3. Canisii Testamentum sacrum.

Pars prior.

Friburgi Helvetiorum anno 1596 vel 1597 composita.

Ex apographo (2°; ff. 5) saeculo XVII. vel fortasse iam exeunte saeculo XVI. scripto, quod penes Societatem Iesu est. Cum mendis abundet, ab homine linguae latinae paene ignaro scriptum esse videtur, qui fortasse Societatis frater laicus erat. Hic post titulum infra ponendum („Testamentum . . . exponit") scripsit: „Descripta sunt ex autographo ad verbum: vbi notandum omnia quae hic colore rubro scripta, eadem esse in autographo manu propria R. P. Petri Canisij." Ac reapse librarius haud pauca verba rubro scripsit colore; nec tamen ipsum archetypum ei prae manibus fuisse videtur, sed aliquod aliud apographum, in quo verba Canisii ipsius manu scripta eodem colore signabantur.

Alterum apographum (libellus in 4°, non conglutinatus, ff. 11) est Monachii in archivo regni bavarici, Iesuitica in genere fasc. 13, no. 214. Saeculo XVII. scriptum

[a] rudis *Pyth.* [b] *Pyth. om.* qui mox *usque ad* erit.
[c] *Pyth. om.* et aeque vanus.
[d] *Pyth.* si non in fundamento humilitatis domum suam exstruxit.
[e] *Pyth. om.* amari et. [f] *Pyth.* debes. [g] *Pyth. om.* mihi.
[h] *Pyth.* quam oscula et encomia. [i] externus *Pyth.*

[1] 1 Petr. 5, 6. [2] Eccli. 10, 9. [3] 1 Cor. 4, 7. [4] Eccli. 23, 5.
[5] Ps. 140, 5. [6] Ps. 39, 16; 69, 4. [7] Prov. 27, 6.

esse videtur, et post titulum eandem prorsus adnotationem habet atque apographum prius („Descripta sunt" etc.). Neque tamen „colore rubro", sed nigris lineis suppositis hic librarius Canisii verba autographa denotavit; ideoque adnotationi in margine ascriptum est: „nunc linea subducta". Lectiones variantes infra ponendae ostendent eum pleraque e mendis apographi prioris retinuisse et complura iis addidisse. Quae omnia suadent eum res aut ex fonte, qui priori librario praesto erat, hausisse aut ex huius scripto transcripsisse.

Parvas aliquas Testamenti partes ediderunt: *Raderus*, Can. p. 31—32. 232. Auctor libelli „*R. P. Petrus Canisius elogiis illustratus*" (Friburgi Helvet. 1656) f. C 7^b—C 8^a. *Python* l. c. p. 7—8. *Boero*, Canisio p. 15. *Janssen* l. c. IV, 391. 393; V, 187.

Prooemium: Quale testamentum facere velit, et qua de causa. — I.[1] *Pro baptismo, parentibus in fide catholica constantibus, institutione christiana gratias Deo agit.* — II. *Varia adminicula a Deo praestita: Sacramenta (quorum virtutem Canisius extollit); beneficia coloniensia: Nicolaus Eschius praeceptor egregius, Laurentius Surius Canisio adiutore catholicus factus; Iustus Landsbergius Carthusianus; patrocinium S. Gereonis aliorumque sanctorum; vaticinia de ortu Societatis Iesu fructuque per Canisium afferendo facta; magisterium philosophiae; praeclari theologi variis in locis cogniti; votum castitatis factum et perpetuo servatum.* — III. *Prior vitae pars nonnullis liberioris vitae maculis aspersa.* — IV. *Munera divina per Societatem Iesu Canisio collata: Laus Societatis; quae ipse eius parens Canisio praestiterit; Canisius B. Petro Fabro duce exercitia spiritualia peragit et Societati nomen dat; probra in Societatem iactata eiusdem amorem in Canisio auxerunt; ipse pro adversariorum salute etiam mori paratus; illorum eum miseretur, qui disciplinam religiosam intolerabile dicunt iugum.* — V. *Itinera: Canisius primo sacro facto a Coloniensibus ad Leodienses et ad Carolum V., ab Ottone cardinali augustano ad concilium tridentinum mittitur, Romae in disciplina Societatis exercetur, in collegio messanensi laborat, Ingolstadii et Viennae in cathedras et sacros suggestus vocatur, colloquio religionis interest Vormatiae, Glareanum invisit, collegium pragense instituit, in Poloniam cum nuntio Pontificis proficiscitur, Augustae contionatorem agit ecclesiae cathedralis, Pii IV. iussu complures Germaniae principes et magistratus adit, non sua usquam quaerens, sed quae Dei sunt; quicquid obtinuit, piorum precibus tribuit, ipse neglegentiae multiplicis se reum facit.* — VI. *Docendi munus: Catholici doctores quam necessarii; ipse iam puer ad contionandum se disponebat.*

Testamentum

P. Petri Canisij ante mortem ab eo conscriptum:

in quo fide bona vitae suae cursum

Exponit.

*Notandum est additiones et emendationes, quas in huius „Testamenti" archetypo exemplo Canisius sua manu fecit, hic binis asteriscis et lineolis notari ita, ut *— ante primum verbum, —* post extremum ponatur*[2].

Quandoquidem summo et clementissimo uisum est, ad sui sancti nominis gloriam, et ad animae meae profectum indigno seruo largiri,

[1] Divisio haec ab editore facta est.

[2] Additiones hae et emendationes accuratius, quam hic fecimus, indicari non possunt; nam archetypum non exstat, neque in apographis notatum est v. g., quid iis in locis, quos Canisius emendavit, primum scriptum fuerit.

ut grauem et prouectam[a] hanc aetatem attingerem, annos iam natus fere septuaginta quinque * — vel sex — *, res ipsa postulat, ni plane fallar, ut senex, * — imo Senior inter nostros — *, sarcinas ut dici solet, colligam, ac me totum ad condendum Testamentum sub mortem conuertam, ne prorsus intestatus ex hac uita decedam. Scio enim quis dixerit ac mandarit fidelibus: videte, uigilate et orate: nescitis enim quando dominus ueniet[1]. Non quod Sacros ueteris Ecclesiae Canones transgredi uelim per quos Testamenti condendi facultas mei similibus, id est religiosam uitam professis iam pridem sapienter adempta est. Hi quippe mundo ciuiliter mortui, peculium de quo testentur, habere nullum debent, suntque toti in potestate maiorum, ut[b] de suis rebus uel statuendi uel legandi ius aliquod usurpare non possint. Ego uero diuinis humanisque legibus uim[c] nullam hoc scripto inferam, sed intra meae professionis limites consistens, eam testamenti formam complectar, quae uelut epitomen, uel si mauis, memoriale quoddam de singularibus Dei Opt. Max. beneficijs acceptis, deque praecipuis anteactae uitae meae partibus utcunque comprehendat. Vnde futurum spero, ut de me, ac uita mea transacta testimonium certius constet ijs, qui siue bono, siue maleuolo animo de rebus nostris fortasse sciscitabuntur aut pronunciabunt. Accedit * — notum exemplum — * de illustrissimo Hiponensi Episcopo et clarissimo Ecclesiae Doctore Augustino, qui suum et ipse Testamentum condidit, quando libros[d] confessionum insignes ualdeque * — probatos — * post se scriptos reliquit posteris: Ita enim vir ille Christi spiritu plenus se ipsum inprimis auctori gratum ostendit, ac deinde lectores ad Dei laudem et gloriam bona et sua mala narrando excitauit suoque laudabili exemplo permultos ad meliorem frugem adducere procurauit. Quod si dignum et iustum esse censemus, ut rerum omnium principium et finis non solum in maximis, uerum in minimis etiam abiectissimisque creaturis praesens agnoscatur ac praedicetur: mihi ut spero nullus prudens uitio dabit si in hac proposita Testamenti ratione progrediar, per quam ille perennis bonorum omnium fons et simul malorum me quamuis exiguum uel a paucis uel a multis[e] . . . . . . [ali]qua[f] ex parte cognosci atque laudari possit. Valeat autem omnis arrogantiae et philautiae[g] spiritus, qui prorsus odiosum reddit omne genus phariseorum, praesertim in Religiosis, ut quos mundo mortuos et humilitate tum interiore, tum exteriore[h] Christo

---

[a] profectam *utrumque apogr. (Soc. et Mon.).*

[b] et *utrumque apogr.; sic correctum est propter* possint, *quod sequitur.*

[c] cum *Mon.* [d] libro *Mon.*

[e] *In utroque apographo lacuna est; librarii in margine scripserunt: „quaedam verba hic desunt".* [f] *Sic legendum esse videtur; qua Soc. Mon.*

[g] philanthiae *Mon.* [h] exteriore se *Soc. Mon.; quod ineptum est.*

---

[1] Marc. 13, 33. 35.

Crucifixo quo ad eius fieri potest, conformes esse conuenit. Non nobis domine non nobis, quia sine te nihil praeclare facere[1] sed nec cogitare quidem possumus[a][2] *— aut JESV nomen proferre[3] —*, sed nomini tuo sacrosancto, a quo et per quod bona cuncta subsistunt[b] atque oriuntur, solida et sempiterna gloria[4] in Coelo et in terra unice tribuatur.

[I.] Primam ergo Testamenti mei partem in eo colloco, ut complures[c], ubicunque uiuant, meas suppleant uices in agendis ex animo gratijs ter sacrosanctae ac semper adorandae Trinitati. Mecum quaeso et pro me confiteantur, timeant, ament, celebrent et colant Deum: Patrem aeternum, quo nihil grandius: Deum filium vnigenitum, quo nihil sapientius, et Deum Spiritum sanctum paracletum, quo nihil benignius ac beneficentius censeri debet ac potest excogitari. Laudent et superexultent[d] Electi omnes, quos formauit et formabit altissimus, hunc meum creatorem redemptorem[e] atque glorificatorem cuius mera bonitate *— et aeterna praedestinatione —* factum est, ut ego in peccatis conceptus et natus[5] naturaque siue ut S. Augustinus loquitur[6], originaliter irae filius[7] a peccatoribus procreatus: in JESV Christo secundo Adam[8] noua efficerer creatura gratiaeque christianae *— qua nihil est optabilius —*: cum renatis alijs particeps redderer. *— Sane inter mortales —* in hunc ego mundum prodij cum salutis humanae per Christum restitutae annus decurreret M.D.XXI. sub Leone Pont. Max.[9] quando imperabat Carolus V. Caesar. Et alter eiusdem nominis Dux postremus Geldriam[f] administrabat[10]. Natalem diem mensis Maius mihi tribuit in urbe Nouiomago, quae prima Geldrensis est ditionis[11]. Parentes accepi iuxta seculum honoratos ac diuites satis, quodque longe praestantius est, ad uitae finem usque Catholicos et orthodoxos, cum iam funesta[g] Luteranae doctrinae pestis[h] non sine mul-

[a] possimus *Soc.* [b] persistunt *Mon.*

[c] quamplures *Mon.*

[d] *Sic utrumque apographum; corrigendum videtur:* superexaltent. *Cf. canticum „trium puerorum", in quo identidem: „Laudate et superexaltate eum in saecula" (Dan. 3, 52—90).*

[e] Creatorem ac Redemptorem *Mon.*

[f] Geldriae *Soc. Mon.* [g] funestae *Mon.*

[h] funesta lutherana pestis *Frib.*

[1] Cf. Io. 15, 5. [2] 2 Cor. 3, 5. [3] 1 Cor. 12, 3.

[4] Ps. 113 B, 1. [5] Ps. 50, 7. Io. 9, 34.

[6] „Peccatum quod eos [i. e. parvulos] ex Adam dicimus originaliter trahere" (Retractationum l. 1, c. 15, n. 2. Opera I [ed. maurin., Parisiis 1679], col. 24. *Migne*, PP. LL. XXXII, col. 608).

[7] Eph. 2, 3. [8] 1 Cor. 15, 45.

[9] Leo X. 1. Decembris 1521 mortuus est.

[10] Carolus Egmondanus dux Geldriae VIII. idemque ultimus.

[11] Domus, in qua Canisius natus est, Noviomagi adhuc exstat; est domus angularis inter vias, quae dicuntur „Broerstraat" et „Bijnumsgas".

torum pernicie in utraque Germania coepisset prorumpere, *— et per dulces sermones etiam corda seducere innocentium[1]. —* Bene sit[a] meis parentibus simul et consanguineis, benefactoribus amicis et praeceptoribus, alijs[b] omnibus, qui inde a prima aetate curam cum corporis tum animi mei suscipere dignati sunt suamque caritatem et fidam operam in me nutriendo, educando, atque formando quacunque ratione declarauerunt. Bene inquam sit illis, ut singuli pro temporarijs benefactis in me collatis non finienda praemia propitio[c] Christo consequantur. Retribuatur illis, quorum meritis ego referre gratiam nequeo, et in resurrectione iustorum cum iustis illis retribuatur[2]. Benedic anima mea domino, et noli obliuisci omnes retributiones[3], aut potius gratuita eius beneficia, qui tot modis commodisque medijs me adiuuit ac protexit infantem, et inde a matris vtero in laudem suam segregauit[4] *— rudem et ignorantem —*: qui praeterea in summis saepe periculis uersantem conseruauit; semperque inter Catholicos educandum, et Catholicae fidei lacte fouendum curauit: ac demum *— immerentem prorsus —* infinitis beneficijs, quae nulla oratione mea percenseri possunt, cumulare uoluit, nunquam non efficiens ut per Angelos ac homines, me pusillum et grandescentem, domi et foris die ac nocte *— saluum —* custodiret. Igitur omnia quae intra me, et iuxta me, et supra me sunt, ter Sancto eius nomini benedicant[5], ex quo, per quem, et in quo omnia[6], quique dat mihi et omnibus, vitam, inspirationem et reliqua[7] quibus mortales indigemus uniuersa.

[II.] Vt ad alteram Testamenti partem accedam, peculiarem sapientissimi Dei erga me prouidentiam agnosco, et a multis agnosci sed et laudari percupio: quandoquidem cum uerae solidaeque salutis, quae animam iustificat ac beat, prorsus essem[d] indignus, per illum ipsum venerabilium Sacramentorum gratia mihi communicata est. Haec quippe diuina sunt infirmitatis humanae pharmaca, quibus impuri Adae filij in spiritualem uitam traducimur; sunt et organa[e] coelestis medicinae, per quam in ueram aeternamque animae morbidae sanitatem alimur, conseruamur atque proficimus. Cuiusmodi magna dei munera[f], quae satis commendari nequeunt, ego per legitimos Ecclesiae ministros[g] mihi tradita percepi, ut in Christo non modo regenerarer, sed etiam in christiana uocatione, per fortitudinem Spiritus Sancti, confirmarer, pane itidem[h] sancto nutrirer, per claues Ecclesiae post *— frequentem —* lapsum absoluerer, *— Deoque reconciliarer —*[i]:

---

[a] sit, Devs *Frib.* [b] alijsque *Mon.* [c] proposito *Mon.*
[d] esse *Mon.* [e] origina *Soc. Mon.* [f] Ejusmodi munera *Frib.*
[g] Dei ministros *Frib.* [h] ibidem *Frib.* [i] reconsiliarer *Mon. Soc.*

[1] Rom. 16, 18. [2] Luc. 14, 14. [3] Ps. 102, 2. [4] Gal. 1, 15.
[5] Ps. 102, 1. [6] Rom. 11, 36. [7] Act. 17, 25.

Et[a] Sacris ordinibus ad edificationem Ecclesiae per Episcopum initiarer. Laudo igitur et benedico te Christe Pontifex Max: et secundum ordinem Melchisedec *— Sacerdos aeterne —*[1], qui per catholicos et legitimos domus tuae[b] dispensatores mihi tuum spiritum et Sacramentorum effectus mirificos contulisti, ut uel inuitis hostibus uerum ac uiuum Ecclesiae tuae sanctae membrum esse ac simul manere, *— tibique et alijs inseruire potuerim —*. Quam ergo uenerationem quam *— gratitudinem —* pro his medicamentis, tibi uero Samaritano[2] rependam, qui tam sapienter et fideliter sanas contritos corde, et alligas contritiones eorum[3] etc. Laudationem Domini loquatur os meum: et benedicat omnis caro nomini eius[4] qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis[c][5], *— et medetur innumeris animi morbis [et][d] imbecillitatibus —*. Vae alioquin misero mihi, praesertim illa molli lubrica atque ad malum omne procliui aetate, si te duce efficaci, et frequenti Sacramentorum usu caruissem, ac talibus remedijs *— destitutus —* in hac tanta nostrae carnis fragilitate *— perinde ac iumentum in stercore permansissem —*. Verum et illud plurimum per te prodesse sensi, quod postquam nuces reliqui, *— et annos quindecim aetatis attigi —*[6], adolescens Coloniae Agrippinae tali sum traditus Praeceptori, qui ut pius erat ac religiosus admodum Nicolaus nimirum Eschius *— Presbiter Brabantinus, me uelut efferuescentem uitulum[7] bono iugo subiecit, ac pro sua in me charitate —* quotidianis suis monitis et exemplis ad meliorem disciplinam reduxit. Etenim a uarijs studijs et iuuenilibus desiderijs fluctuantem animum auocauit, atque ut saluti uiciniora quaererem, ardentiorem Creatoris mei[e] cultum ac uirtutum amorem, in me sapienter excitauit atque[f] prouexit. Sub eo praeceptore uel potius doctore spirituali[g] uixit mecum Laurentius ille Surius Lubecensis[8], ex haeretico Catholicus *— me adiutore —* Coloniae factus, cuius doctrina et pietas, quemadmodum plerique norunt, postea inter Carthusianos eluxit, et qui multum sane scriptis suis profuit

[a] demum et *Frib.*
[b] suae *Soc. Mon.* [c] suis *Mon.* [d] *om. Soc. Mon.*
[e] Creatori meo *Mon.* [f] et *Mon.* [g] spirituale *Mon.*

[1] Ps. 109, 4. Hebr. 5, 6. [2] Luc. 10, 30—37. [3] Ps. 146, 3.
[4] Ps. 144, 21. [5] Ps. 102, 3.
[6] Canisius (natus 8. Maii 1521) in album universitatis coloniensis relatus est 18. Ianuarii 1536. Vide infra, monum. 4.
[7] Cf. Ier. 31, 18.
[8] Laurentius Surius (1522—1578), lubecensis, carthusiana veste 23. Februarii 1540 Coloniae indutus, Tauleri, Ruisbrochii, Susonis, Ioannis Gropperi, Friderici Staphyli etc. opera latine reddidit, sacra concilia in quattuor volumina collegit (Coloniae 1567), Sleidano „Commentarium brevem rerum in orbe gestarum“ (ab a. 1500 ad a. 1568) opposuit, vitas sanctorum 6 voluminibus (2°, Coloniae 1570—1575, et saepius) comprehendit. Sunt, qui negent, eum haereticum primis annis aetatis fuisse.

Ecclesiae Dei. Viuebat tunc etiam Joannes Iustus Landspergius, praeclarum eiusdem Ordinis Carthusiani decus[1], *— a quo multa pia conscripta sunt —*, cuius venerandi patris, sicut et reliqui sodalitij eius pio contubernio nos ambo *— adolescentes —*, suauiter in domino fruebamur. Iuuabat me quoque loci sanctitas, quod Coloniae apud aureos Martyres, siue ut nunc loquuntur apud D. Gereonem, habitarem, nec solum SS. Thebeorum et[a] Martyrum[2], sed aliorum quoque diuorum, quibus me libenter commendabam, fida patrocinia experirer, ut aduersus mundi pericula, et Satanae tentationes, promptius fortiusque pugnarem. Praeterea praesens mihi ac fructuosum fuit commercium cum pijs ac doctis hominibus quibus tum Colonia *— ornabatur —*[b], Deo nimirum per haec sua electa organa me subinde instruente atque confortante, immo de futuris etiam certaminibus, quae postea certus comprobauit euentus, utiliter admonente[c]. Memini honestissimae viduae[d], quae raram pietatem uita et morte contestata est, quum Arnhemij salutarem amicos, ea diuinis clara illustrationibus inter alia[e] praemonuit de nouo sacerdotum ordine *— prodituro —*, per quos licet simplices Deus fidos operarios in vineam suam breui extruderet[f], ac illis me quoque aggregandum esse[g] praedixit[3]. Atqui

---

[a] et *Mon. Soc.; sed supervacaneum esse videtur.*

[b] *In Soc. hoc verbum rubrum est; neque vero linea eidem substrata est in Mon.*

[c] *Quae sequuntur, usque ad* „suo tempore profuturam“ *(p. 38), ponuntur etiam a Pythone p. 7—8, dicente ea referri a Canisio „in suo, quod propria manu scripsit, testamento“.*

[d] feminae *Pyth.* [e] alea *Soc.*

[f] *Pyth. om.* licet simplices *et* breui. [g] *om. Mon.*

---

[1] Sanctissimi huius viri virtutes († 1539) enarraverunt praeter alios *Matth. Raderus* S. J., Bavaria pia (Monachii 1628) p. 104—107, et P. *Dion. M. Tappert* O. Carth., Der hl. Bruno (Luxemburg 1872) p. 489—492. De eius operibus vide etiam *Ioh. Janssen* (Geschichte des deutschen Volkes V, 214) et *I. Hartzheim* (Bibliotheca coloniensis p. 183—184). At notandum est, eius „Enchiridion militiae christianae“ Romae „prohibitum“ esse, „donec corrigatur“.

[2] Vetus quaedam traditio coloniensis haec habet: Legionis thebaicae, cui S. Mauritius praeerat, partem quandam eo in loco, in quo templum S. Gereonis nunc est, circa annum 287 una cum duce suo Gereone martyrium subiisse ibidemque sepultam esse. In eo templo altare etiam „S. Mauritii“ erat. Atque medio saeculo XII. Coloniae exstructa est ecclesia S. Mauritio dicata, quae a templo S. Gereonis haud multum distabat. De qua cf. *Ad. Thomas*, Geschichte der Pfarre St. Mauritius zu Köln (Köln 1878) p. 38—58.

[3] *Canisius* cognato suo P. Ioanni Busaeo (Buys) S. J., noviomagensi (qui per 20 fere annos philosophiam et theologiam in academia moguntina docuit et libros complures tum veterum tum suos in lucem emisit), Friburgo Helvetiorum 2. Ianuarii 1596 haec scripsit Moguntiam: „Benedictus Deus; cujus gratia mihi videre licuit Sanctam Arnhemii viduam; qua monente didici de novo Sacerdotum Ordine ad reformationem Ecclesiae instituendo; cui et ego adscribendus essem.“ Haec *Frid. Reiffenberg* S. J. (Historia Societatis Iesu ad Rhenum inferiorem I [Coloniae 1764], 7) ex autographo descripsit, quod in collegio Societatis coloniensi exstabat. Eadem ex eadem epistula transcripsit *Raderus* (Can. p. 231). Ac de ea

nulla tunc de JESVitis, quos nunc uocant, memoria, mentio nulla vel apud Italos vel Gallos uel Germanos usquam habebatur[a]. *— Fuit et virgo uere pia et sapiens apud Brabantinos, quae diuino spiritu erudita commonefecit praeter[b] alia, meam operam et scriptionem Ecclesiae suo tempore profuturam. Deum testor nihil a me fingi, sed ueritatem ingenue confirmari[c] —*[1]. De studiorum meorum ordine ac progressu, quum Coloniae in Gymnasio Montano discipulum agerem, hoc solum dicam, quod anno aetatis meae decimo sexto[2], qui Christi domini annus erat supra sesquimillesimum quadragesimus[d] *— ac societati nostrae initium[3] dedit —*, in bonis artibus Magisterij lauream fuerim consecutus. *— Quam recte autem ac merito praedicare non possum nec debeo —*. In eadem Catholica Vrbe cum declamando tum docendo sed et concionando *— ut alijs gratificarer, subinde me tiro —* exercui, licet nondum sacris essem initiatus[4].

---

[a] *Quae sequuntur, usque ad* ingenue affirmari (confirmari), *habet etiam Raderus (p. 232).* [b] inter *Pyth.*
[c] confirmare *Soc. Mon.;* affirmari *Rad.* [d] quadragesimum *Mon.*

---

vidua ipse *Iohannes Busaeus* ad Raderum scripsit: „Erat illa vidua cognata ipsius, et vt puto sanctimonialis, de cuius sanctitate meo tempore apud Nouiomagenses, qui tantum duobus milliaribus ab Arnheimensibus distant, [magna erat] opinio. Illam conuenerat P. Canisius, antequam Societatem nosset" (*Raderus* l. c.). *A* P. *Iacobo Keller* S. J. eadem dicitur „vidua Reinolda inclytae sanctitatis foemina, et xenodochio Arnheimensi suo viuentis haeredj memorabile nomen" (* Vita Canisii [cf. supra p. 2] l. 2, c. „Fatidica". In exemplo a P. Lud. Arano S. J. scripto [ser. X, fasc. Va, n. 11] p. 38). *Sacchinus* eam sic loquentem inducit: „Tu fili cooptaberis in novum quendam Sacerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua ad reformationem eius, ac multorum salutem parat Deus. Ego eos per visum vidi, et te ad eos adiungi. Graues erunt viri, docti, modesti, Deo pleni, et animarum caritate praediti. Bono igitur fac sis animo, et spe huiuscemodi te sustenta; nam breui a Deo potieris hoc dōno" (De vita Canisii p. 20). Nescio an haec Sacchinus deprompserit ex *Nicolao Orlandino* S. J., qui refert Canisium Neomagi materteram habuisse egregie piam, quae illi in genere vitae deligendo fluctuanti ita locuta sit (Historiae Societatis Iesu prima pars l. 4, n. 34 [Romae 1615], p. 111). Illustriora „de eadem" vidua illa arnhemiensi narrat Raderus ex litteris acceptis a P. *Iohanne Hasio* S. J., boscoducensi, qui „ex sororis P. Canisii filia, illaque ex matre didicit: Reinhardam [Hasius ita, Raderus etiam Reinoldam appellat] assidue domum Iacobi Canisii, qui Petri parens erat, interuenisse, toti familiae perfamiliarem, religiosissimam fuisse matronam, decem et octo annis nihil e macello, nihil e piscina in mensam intulisse; ad coelestem Christi mensam ter in hebdomade accubuisse" (l. c. p. 231—232). Hasius autem ille vir fuit gravissimus: Herbipoli per novem annos Summam theologicam S. Thomae explicavit; collegium embricense instituit; annis 1595—1598 provinciae S. J. rhenanae praefuit. Anno 1534 praedictionem hanc arnhemiensem factam esse *Séguin* quidem affirmat (l. c. p. 17—18); sed in fontibus antiquis annus non indicatur; facta est certe ante annum 1540, quo Societas a Paulo III. confirmata est, et Beatus Petrus Faber S. J. in Germaniam venit.

[1] Haec fuisse videtur Maria de Oisterwijk; de qua complura infra scribentur.

[2] Scribendum fuit „vicesimo"; nam Canisius d. 25. Maii 1540 Magister artium creatus est. Vide infra, monum. 7.

[3] Paulus III. institutum Societatis Iesu 27. Septembris 1540 primum approbavit.

[4] Paulus III. 3. Iunii 1545 concessit, ut Societatis Iesu alumni, etiamsi sacris

Hic mihi grata occurrit memoria Theologorum, quos doctrina et uirtute praestantes per dei gratiam uarijs in locis uel audiui, uel conspexi atque noui: cum plerisque familiariter etiam collocutus, et in quibus illa quidem aetate fidei Catholicae tuendae zelus non paruus *— resplenduit —*. Loquor de Ruuardo Tappero[1], Jacobo Latomo[2] Iodoco Tiletano[3], Francisco Sonnio[4], Wilhelmo Lindano[5], Petro Soto[6], Stanislao Hosio, postea Cardinali[7], Michaeli Merspurgensi Episcopo[8], Friderico Staphylo[9], alijs pluribus, qui pro afflictae Ecclesiae Castris, egregie dimicarunt, et nouas errorum tenebras doctis lucubrationibus profligare conati sunt. Cum porro decimum nonum aetatis annum attigissem, ac D. Mathaei [?][a] Apostoli ferias celebrarem, uolens et gaudens *— ut pudicitiae amatori securius inseruirem —*, virginalem castitatem, perpetuo mihi seruandam suscepi[10], eiusque voti DEO sancte

[a] *Ita utrumque apographum. At Raderus p. 15: „Ipso die S. Matthiae, cum annum ageret vndevicesimum castimoniam voto signauit." Et Sacchinus, De vita Canisii p. 18—19: „Quo anno [i. e. aetatis vndeuigesimo] ipsa beato Matthiae Apostolo sacra luce et perpetuam Deo castimoniam . . . religione voti dedicauit: et Philosophiae spatiis magna nominis sui celebritate in Collegio Montano decursis, in eodem suprema donatus est laurea." Atque festo S. Matthiae id factum esse etiam Dorigny, Boero, Riess asserunt. Quae lectio magis probanda atque adeo certa esse videtur.*

ordinibus nondum essent initiati, publice contionarentur, et Gregorius XIII. 20. Novembris 1584 declaravit eos per concessionem illam „praedicationis munus in vim privilegii huiusmodi exercere potuisse et posse".

[1] De hoc infra, cum de epistula 10. Ian. 1548 a Canisio ad eum data agetur.

[2] Iacobus Latomus sive Masson († 1544), belga, Lovanii doctor theologiae, rector universitatis, inquisitor fuit ac methodum scholasticam contra humanistas aliquot, fidem catholicam contra Lutherum, Oecolampadium, Tindalum, alios scriptis suis fortiter defendit.

[3] Iodocus Ravesteyn († 1570), tiletanus, flander, in academia lovaniensi theologiae professor, cum Francisco Sonnio anno 1551 concilio tridentino et anno 1557 colloquio religionis vormatiensi interfuit; contra protestantes, praesertim Illyricum et Chemnitium, complura opera edidit; Baio quoque strenue se opposuit.

[4] Franciscus Sonnius sive van den Velde († 1576), brabantinus, theologus academiae lovaniensis, episcopus boscoducensis et (ab anno 1569) antverpiensis fuit; theologicas etiam elucubrationes edidit.

[5] De eximio illo theologo Guilielmo Damasi Lindano sive van der Lindt († 1588), dordracensi, qui professor dilinganus, episcopus ruraemundanus et gandavensis fuit, plura in secundo volumine dicentur.

[6] Petrus de Soto, cordubensis, ordinis Praedicatorum ornamentum, Caroli V. consiliarius et confessarius atque academiae dilinganae firmissimum fundamentum fuit. A Pio IV. theologus pontificius in concilio tridentino constitutus, ibidem a. 1563 vita cessit, compositis libris „de institutione christiani hominis" aliisque operibus.

[7] Notissimus est hic vir († 1579), qui episcopus varmiensis, praeses concilii tridentini, theologus summus fuit.

[8] De Michaele Helding (1506—1561), vulgo Sidonio, suebo, qui Moguntiae parochus ecclesiae metropolitanae et dein episcopus auxiliaris fuit ac postea mersebnrgensis episcopus factus est, atque de eius scriptis, disseruit *N. Paulus* in „Der Katholik" (74. Jahrg., Mainz 1894) II, 410—430. 481—502.

[9] De hoc infra, ad epistulam 31. Augusti 1555 ab eodem ad Canisium datam.

[10] Si Canisius reapse scripsit „Matthaei", dicendum erit eum 21. Septembris

nuncupati[a], me postea poenituit nunquam: quoniam a re venerea et uxorea libenter abstinui ut me ipsum castrarem propter regnum coelorum[1]. Non quod meis uiribus fiderem, sciens neminem continentem esse posse, nisi DEO gratiam, homini largiente: sed quod fiduciam omnem praestandi coelibatus in illo constituerem, qui precantes et sperantes exaudit, et de sua infinita misericordia praesumentes non despicit[2] quique fideles supra suas uires tentari[b] non permittit[3], modo illi gratiae tantum oblatae cooperatores esse *— et carnem crucifigere[4] —* cum S. Paulo Apostolo non negligant. Clementer sane adfuit pater misericordiarum[5], in cuius manibus sortes meae[6] sunt, ac uarijs me praesidijs multisque stimulis *— torpidum subinde confortauit —*, ut in carne sine carne uiuerem, et meliora charismata aemularer[7], mundum uero et ea quae mundi sunt *— propria retia magis magisque repudiarem —*.

[III.] Nunc tertia huius Testamenti pars attingenda est quae uiginti duos fere annos hoc est totum uitae meae spatium, ante societatis ingressum decurrens complectitur. Quando non solum in patria, sed etiam Coloniae et Louanij literarum studijs operam dedi, atque ita uixi, ut florentem illam aetatem nonnullis *— liberioris uitae —* sordibus conspurcarim. Etenim iugum domini sicut par erat, non inoffenso pede portaui, et adolescens Tobiae praeceptum male compleui. Omnibus inquit diebus uitae tuae in mente habeto[c] Deum, et caue ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta domini dei nostri[8]. Igitur in prima et secunda aetate, *— non profuerunt, sed obfuerunt mihi sodales praui, quorum familiari contubernio nimium delectabar; ut discerem una[d] cum illis bonas horas male collocare, uana quaedam appetere, insulsa proloqui, cornu extollere, nimiumque mihi sumerem et arrogarem —*. Vnde maioribus aequa postulantibus, aduersabar, cum aequalibus contendebam, non paucos aspernabar ac deridebam nimiumque mihi placebam et alijs me anteponebam; irasci et aemulari noueram, crebro temere gloriabundus et parum uerecundus[e] [?]. Neque solum corpori laute nutriendo, et externis quoque sensibus *— oblectandis —* plusculum indulgebam[f], uerum etiam seueriorem disciplinam iuuentuti

[a] nuncupari *Soc. Mon.* [b] tentare *Soc. Mon.* [c] habete *Mon.* [d] *om. Mon.*
[e] *Ita legendum esse videtur, nisi forte Canisius scripsit* haud parum inuerecundus. *Soc. Mon. inepte:* parum inuerecundus. [f] indigebam *Mon.*

1539 votum castitatis fecisse. At cum omnino legendum esse videatur „Matthiae" (vide p. 39, not. a), votum illud diei 25. mensis Februarii 1540 assignandum est. Riess et Drews 24. Februarii factum esse scribunt; sed annis bissextilibus festum S. Matthiae 25. Februarii agitur.

[1] Matth. 19, 12. [2] Iudith 9, 17. [3] Cf. 1 Cor. 10, 13.
[4] Gal. 5, 24. [5] 2 Cor. 1, 3. [6] Ps. 30, 16.
[7] 1 Cor. 12, 30. [8] Tob. 4, 6.

necessariam, ne ex dei filijs, filij Belial[1] efficiantur, vel impatienter, vel fastidiose sustinebam, non nunquam et abijciebam[a]. Eram ut Propheta loquitur, quasi iuuenculus indomitus[2], et iuuenca quae iugum non sustinuit, ac uelut ouis errans[3] diuini timoris expers, blanda, dulcia molliaque puerili more consectans, mascula, sancta ac ſalutaria respuens, in ocio, lusibus, iocis, salibus, fabulis, luxu, somno et crapula, tempus pretiosum absumens, ac horas bonas vane ac friuole conterens. Excusent alij naeuos et uitia puerorum, quae vir S. Augustinus in se ipso iam olim reprehendit[4], ac serio deplorauit, quaeque non humano, sed diuino iudicio aestimare debemus: suas etiam poenas haud dubie illa promerentur, praesertim si ex malitia et petulantia *— multoque magis —* si contra honestatem atque[b] conscientiam in tenera illa aetate committantur et aliquam cum turpitudine cognationem habeant. Certe pusillis et grandibus non parcit iustus deus, qui solus corda scrutatur[5], et cuique reddit secundum opera eius[6]; acrius tamen puniturus parentes in obseruandis et corripiendis liberis incurios, quod sint instar Heli socordes[7], et quorum *— dormitantia[c] —* indulgentiaque fieri solet, ut fenestra iunioribus *— domi et foris —* ad omnem fere nequitiam aperta relinquatur. Equidem confiteor domine, qui iustitias iudicas[8], et fortem te zelotem[9] ad iniquitatem omnem uindicandam exhibes, me scientem ac[d] nescientem a primis annis persaepe peccasse, ut neque numerum delictorum, neque modum exprimere possim, et utriusque tabulae mandata *— (proh dolor) —* temere uiolaui, tantoque longius a luce rationis ac intelligentiae, omnique innocentia discessi, quanto magis iudicio ualere poteram, et uerum a falso discernere debebam. Certe non uiri, non adulti tantum, sed iuniores etiam indigent diuina misericordia tua, ut meritas uitiorum suorum poenas[e] effugiant, pleneque mundentur, et coram facie tua uere appareant immaculati. Reminiscere miserationum tuarum domine, et miſericordiarum tuarum quae a seculo sunt. Delicta iuuentutis meae et ignorantias meas ne memineris[10]. *— Delicta quis intelligit? —* Ab occultis meis munda me domine, et ab alienis parce seruo tuo[11]. Nihil enim sunt anni, menses, et dies mei[12], nisi secundum clementiae

[a] obijciebam *Mon.* [b] et *Mon.*
[c] *Sic legendum mihi esse videtur. Soc. Mon.* dormitabuntia. *In Soc. hoc verbum rubrum est; neque tamen in Mon. linea ei substrata est.*
[d] et *Mon.* [e] poena *Mon.*

[1] Cf. Deut. 13, 13. 2 Cor. 6, 15 etc. [2] Ier. 31, 18.
[3] 1 Petr. 2, 25. [4] In libro primo „Confessionum“.
[5] 1 Par. 28, 9. Ps. 7, 10 etc. [6] Matth. 16, 27. Rom. 2, 6 etc.
[7] 1 Reg. 2, 12—36. [8] Ps. 9, 5. [9] Ex. 20, 5.
[10] Ps. 24, 6. 7. [11] Ps. 18, 13. 14. [12] Iob 7, 16.

tuae censuram computentur, et sacro[a] filij tui sanguine *— vetus homo[1] —* ab omni corruptione et macula repurgetur, atque sanctificetur.

[IV.] Quarta nunc sequitur Testamenti pars, diuinae gratiae praeclara complectens[b] munera, quae nec meus nec cuiusquam animus satis aestimare, multoque minus pro dignitate laudare unquam possit: munera inquam per societatem et in societate *— indigno —*[c] mihi communicata, et annis iam quinquaginta eoque amplius durantia. An ego prorsus insulsus ac[d] ingratus non essem, si fonti bonorum aeterno non benedicerem, qui mirificauit misericordiam suam in ciuitate munita[2], ut hoc nomine societatem nostram appellem, eamque stabiliuit praeclaris legibus Fundatoris primique patris nostri Jgnatij, *— cuius memoria in benedictione est[3]. Accessit et publicum *— Ecclesiae cathol. et sedis Apostol. iudicium, neque minus Concilii[e] sacri Tridentini irrefutabilis autoritas *— hoc institutum dilucide —* comprobauit[4]. Non potest arbor esse mala, tot eximijs abundans fructibus[5], quos ex illo plurimi decerpserunt, ac etiamnum[f] haud sine incredibili utilitate ac solida uoluptate decerpunt[g]. Principes[h] et Magistratus, amici et aemuli, Europa et Affrica huic praenobili arbori, si sit opus *— non obscure suffragantur —*, ut uendibile uinum, nec hedera nec precone, ut inquiunt, egere uideatur. Quod ad me spectat, flecto equidem genua ad patrem domini nostri JESV Christi[6], et quascunque possum illi toto pectore[i] gratias ago, et a sanctis omnibus agi percupio, quandoquidem me indignum siue Germanum siue Belgam benigne uocauit, et[k] uocatum recepit in hanc filij sui societatem[7] primo adhuc Praeposito *— quem dixi —*, superstite[8]. *— Is me primum Romae amanter amplexus est, cum primis collegis Messanam Siciliae urbem destinauit, ad solemnem professionem admisit, duobus Theologis in Bauaria docturis adiunxit[l], sed et primum effecit —* Praepositum nostrorum[m] in Germania Superiore, Austriam, Bohemiam ac Bauariam tunc complectente[9]: fuit et illud munus diuinae gratiae, quod puer adhuc de salutari, mihique conuenienti uitae instituto deligendo *— solicitus essem, ac serio deliberarem deumque mihi propitium, non sine peculiari fiducia implorarem[10] —*. His uotis adfuit sane altissimus, quo duce Moguntiam Colonia relicta solus abij, quum illic Archiepiscopus

[a] sacra *Soc.* [b] complectes *Soc. Mon.*
[c] indignus *Soc. Mon.* [d] et *Mon.* [e] Consilii *Soc. Mon.*
[f] etiammon *Soc.* [g] decerpserunt *Soc. Mon.* [h] Princeps *Mon.*
[i] corpore *Mon.* [k] ut *Mon.* [l] adiungit *Soc.* [m] nostrum *Mon.*

[1] Eph. 4, 22. Col. 3, 9 etc. [2] Ps. 30, 22. [3] Eccli. 45, 1.
[4] Sess. 25, c. 16 de ref. reg. [5] Cf. Matth. 7, 16—20 etc.
[6] Eph. 3, 14. [7] 1 Cor. 1, 9. [8] S. Ignatium dicit. Vide supra p. 9.
[9] Vide huius operis prooemium generale, n. 1. [10] Vide supra p. 11—12.

et Cardinalis Albertus Brandenburgensis, primusque Elector floreret. Huius Theologus[1] ex vrbe missus[2], mihique iam antea commendatus[3] erat Petrus Faber Sabaudus, qui tum psalmos in scholis Moguntinis profitebatur, unus ex decem illis primis patribus, qui doctrina et pietate nobiles, *— paupertatis autem professores —* tanquam primariae columnae[a] domum[b] societatis huius potenter sustentabant[4]. Ac idem optimus Faber cum ad eum uenissem comiter *— me nondum antea conspectum, —* statim excipere, ac in suis aedibus *— ‚quae communes erant et Parochi apud D. Christophorum'[c] [5] —*, alere et instituere dignatus est: *— Ac sapienter mihi persuasit, ut si religiosam instructionem peterem, —* et conscientiae meae consultum uellem, *— ad tempus apud se manerem, et in sacris uersarer Exercitijs probaturus —* Summi dei de me voluntatem bonam beneplacentem atque perfectam[6]. Ego cum [?][d] in ea probatione uersor, ac me totum excutio diligenter, in spiritu et ueritate[7] Dominum precari didici, simulque cognoui hoc dictae Societatis Institutum, quod satis iam explicatum habebam, ad bene beateque uiuendum, DEoque seruiendum mihi commodissimum et aptissimum fore. Quo circa, quoniam uelut in telonio sedens[8], *— non obscuram Dei uocem audiebam —*, uocanti resistere nec uolui nec debui, sed cum Mathaeo surrexi, mundo huic immundo remisi nuncium[9]: *— illa rupi uincula —* quibus eo usque non parum implicabar, *— uelut

---

[a] Columna *Soc. Mon.* [b] donum *Soc.* [c] Christopaum *Soc.*
[d] *Sic utrumque apographum; at Canisius scripsisse videtur* dum.

---

[1] De Beato Petro Fabro, primo S. Ignatii in Societate Iesu instituenda sodali, quem S. Franciscus Salesius summi fecit, cuiusque publicum cultum Pius IX. 5. Septembris 1872 confirmavit, plura infra dicentur.

[2] Albertus procuratorem ad concilium tridentinum mittere volebat Michaelem Helding, episcopum suum auxiliarem, eique theologum adiungere Fabrum (*Rud. Cornely* S. J., Leben des seligen Petrus Faber [Freiburg i. Br. 1873] p. 118).

[3] Canisio Fabrum primus commendavit Alvarus Alfonsus, hispanus, sacerdos iuvenis, qui, aula imperatricis relicta, Fabrum e Hispania in Germaniam redeuntem secutus ab eoque Coloniam in bursam montanam missus erat. Canisius ipse id refert; vide *Reiffenberg* l. c. p. 8, not. o. *Philippson* falso scribit Canisium Moguntiae fortuito („zufällig") Fabrum cognovisse (Westeuropa etc. p. 47).

[4] Erant hi S. Ignatius († Romae 1556); B. Petrus Faber, allobrox, villaretensis († Romae 1546); S. Franciscus Xaverius, navarraeus († in Sanciano insula 1552); Iacobus Laynez, hispanus, almazanensis († Romae 1565); Alphonsus Salmeron, hispanus, toletanus († Neapoli 1585); Simon Rodriguez, lusitanus, visensis († Olissipone 1579); Nicolaus Bobadilla, hispanus, palentinus († Laureti 1590); Claudius Iaius, allobrox, gebennensis († Viennae Austriae 1552); Ioannes Codurius, gallus, ebredunensis († Romae 1541); Paschasius Broëtus, gallus, ambianensis († Parisiis 1562). Ita P. *Ios. Iuvencius,* Societatis Iesu historicus, Epitome historiae Societatis Iesu I (Gandavi 1853), 282—283.

[5] Ecclesia haec et parochia etiamnunc Moguntiae exstat.

[6] Rom. 12, 2. [7] Io. 4, 23. 24. [8] Matth. 9, 9.

[9] Cf. Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. Luc. 5, 27. 28.

pluribus et contrarijs dominis inseruire possem —*[1]. Vna et praecipua cura esse coepit, Christum dominum, qui clementer me respexerat, insequendi, quemadmodum ille pauper castus et obediens in uia crucis praecesserat[2]. Huic *— parentibus insalutatis et amicis inscijs me totum addixi —* et tradidi, ut qui antea meo arbitratu uixeram, ex[a] nutu et praescripto eius penderem inposterum, penes[b] quem ius totum esset, uniuersam Societatem administrandi. Hoc ergo Religiosae uitae votum non solum ardenter *— Anno Christi 1543, primo [?][3] die Mai —* Moguntiae suscepi, sed et postea Romae confirmaui, ac plenius reddidi, Anno domini quadragesimo nono, cum Reuerendus Pater Jgnatius, ex gratia sua potius quam ex merito meo, illorum [me] numero adscripsit, qui se iuxta consuetam profitentium formulam, totos Christo eiusque Summo in terris Vicario ministros offerunt, ac prorsus dedicant, nimirum, ut ad uineam domini excolendam, in paupertate continentia obedientiaque perpetua uiuentes ubique gentium *— sint operarij[4] —* expeditiores[c] [5]. Laudo et illam effusam Dei mei bonitatem, qua factum est, ut promissionis[d] huius me[e] nunquam postea poenituerit, quamlibet multi me probris affecerint, adeoque totum hoc instituti genus pro sua libidine clam palamque suggilarint, et diris [?][f] quasi deuouerint. Jmmo uero istorum *— vexantium —* petulans insectatio, mihi adeo non obfuit, ut etiam in hoc uocationis studio currentem reddiderit alacriorem, et ego me foeliciorem putarim, quod dignus haberer propter nomen JESV contumeliam pati[6], et a publicis Ecclesiae hostibus *— mendaciter accusari atque proscindi. Horum ego salutem utinam procurare ac etiam profuso sanguine redimere possem: Id sane in lucri parte ponerem, ac sincerum charitatis affectum iuxta praeceptum domini[7], declararem —*. Est hoc religiosae uocationis beneficium, quo me dignatus est Christus, ut ego arbitror inter alia in terris percepta[g] fere maximum, quo semel accepto, pergrauem et molestam temporalium curarum sarcinam laetus abieci, leue autem et suaue onus domini[8] non sine libera

[a] et *Mon.* [b] penus *Soc. Mon.* [c] expeditores *Mon.* [d] prossionis *Soc.* [e] mei *Soc. Mon.* [f] diris *Soc. Mon. [= furiis?]; fortasse legendum* diis. [g] praecepta *Soc. Mon.*

[1] Cf. Matth. 6, 24. Luc. 16, 13.

[2] De exercitiis his moguntinis confer quae Canisius dicit in „Confessionibus“ (supra p. 9) et in epistula mense Aprili vel Maio anni 1543 ad amicum coloniensem data.

[3] Utrumque apographum Kalendas Maias habet. Verum hic aut librarii mendum fecerunt, aut Canisius ipse memoria lapsus est; nam ipsum votum Canisii manu scriptum, quod adhuc apud nos est, diem 8. Maii exhibet. Vide infra, IX. n. 3. Similiter Confessiones Canisii; vide supra p. 9.

[4] Cf. Matth. 20, 1—16.

[5] Professio haec Canisii ponetur infra, monum. 3.

[6] Act. 5, 41. [7] Matth. 5, 44—46; 6, 14. 15 etc. [8] Matth. 11, 30.

seruitute portare coepi, *— factisque votis —* ea consecutus sum praesidia, ut Deum expeditius colerem, me ipsum[a] fortius uincerem, animi pacem perfectius obtinerem iustiusque cum psalmographo cantare possem, laqueus[b] contritus est, et nos liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine domini[1]. *— Eoque iustius me miseret illorum qui —* religiosam disciplinam tanquam difficultatibus plenam [et] *— intollerabile iugum —* exhorrent, quoniam ex inani ac puerili metu erroris sui capiunt occasionem, dum adeo defugiunt[c] Euangelicae paupertatis incommoda, quae Apostoli primique Christiani[2] hilariter complexi sunt. Ad haec iugum Religiosae obedientiae, quod uictimis omnibus praestat[3] omnino detrectant, ac suo [?][d] iudicio impediti, laboriosam pugnam, *— quae inter spiritum et carnem pijs est necessaria[4], *— reformidant; quandoquidem nullus athleta Christi uereque *— spiritualis homo sine sudoribus coronatur —*. [V.] Addam nostras profectiones, quae partem Testamenti quintam sibi uendicant et vocationis nostrae in Christo factae *— profectum fortasse —* aliquem ad dei gloriam demonstrabunt[e]. Cum ex Moguntia Coloniam redijssem, quemadmodum obedientiae lex mihi praescripserat[f], iamque Sacerdos per Catholicum Episcopum ordinatus essem[5], *— primum uero Sacrum in Coenobio apud[g] Nazareth[6] obtuli domino, coepi quosdam e nostris alere —*[7] Et habitationem cum illis habere communem.

[a] ipsi *Mon.* [b] laquius *Mon.* [c] defugeunt *Soc.;* defugerunt *Mon.*

[d] *Aut sic legendum esse videtur, aut* caeco; *Soc. et Mon.:* loco.

[e] *Sententiam, quae sequitur, usque ad verba* „e nostris alere“ *incl., etiam Sacchinus affert e „literis“ Canisii (De vita Canisii p. 31—32). Huic autem alteram sententiam ex „Confessionibus“ depromptam iungit.*

[f] *Rad. om.* quemadmodum *usque ad* praescripserat *incl.*

[g] in coenobio Nazareth *Rad.*

[1] Ps. 123, 7. 8. [2] Cf. Matth. 19, 27. Luc. 5, 11. Act. 4, 32—37 etc.

[3] „Melior est enim obedientia quam victimae“ (1 Reg. 15, 22). Hanc sententiam S. Ignatius commemorat et exponit in insigni illa, quae saepissime in Societate Iesu legitur, epistula „De virtute oboedientiae“, 26. Martii 1553 ad socios lusitanos data; quae saepe typis descripta est, accuratissime autem in „Cartas de San *Ignacio de Loyola*“ III (Madrid 1877), 184—206.

[4] Cf. Gal. 5, 17. 1 Cor. 9, 27.

[5] Canisius sacerdotio initiatus esse videtur per Ioannem Nopelium, episcopum cyrenensem i. p., et suffraganeum coloniensem (vide infra, epistulam, quam Canisius 10. Septembris 1546 ad eundem dedit).

[6] In manuscriptis historiis collegii coloniensis (ad annum 1545) et gymnasii Trium coronarum coloniensis (f. 21[b]) asseritur in ecclesia Beatae Mariae Virginis in „maiore Nazareth“ (Grossnazareth) id factum esse: monasterium illud, in platea S. Gereonis situm, virginum erat regularium ordinis S. Augustini. Exstabat Coloniae etiam conventus „minoris Nazareth“ (Kleinnazareth), in platea Sedecim domuum, mulierum ordinis Cellitarum, regulae S. Augustini (*Gelenius* l. c. p. 559. 560. 598. *Erh. a Winheim* O. Carth., Sacrarium Agrippinae [Coloniae 1736] p. 201. 212).

[7] Canisius 8. Maii 1543 Deo voverat, „quod per divinam gratiam velim etiam ex nunc actualem assumere paupertatem, nisi quatenus et quamdiu Praepositus dictae

Prodidit interim Archiepiscopus Coloniensis Hermannus a Weda, [quod][a] iam pridem in animo suo texuisse [?][b] uidebatur, se Luteranae sectae fauentem esse patronum, qui cuperet in sua ditione mutatam *— et deletam —* esse prorsus ueterem Religionem. Quod institutum *— ut aequitas flagitabat —* per acerbe tulit clerus Coloniensis[1], misitque Leodium rogans *— Ecclesiasticos ut suo consilio et auxilio impedirent conatus[c] Hereticos, nouum ignem extinguerent, periculum esse in mora, si uigilante Juda, diutius Catholici dormirent[2]. Mittor igitur ego Leodium, causamque difficilem tracto cum Episcopo et clero Leodiensi, ac post habitas aliquot declamationes, optatum subsidium impetro[3]. Cum redijssem Coloniam, urgeor[d] iterum a Clero Catholico — * ut legatus abeam ad Carolum V. Caesarem in Castris occupatum, ut rebellantes[e] Luteranos Principes suae subijceret potestati, quos et manus dare coegit * — capto Principe Saxoniae —*. Idem Caesar Coloniensis Cleri uotis *— per me propositis —* annuit, suam operam *— aduersus Archiepiscopum pie promisit, rem totam insigni uiro Domino Groppero strenue procurante[f]. Hunc successum diuina bonitas tribuit, quando mihi noua contigit familiaritas cum amplissimo Principe *— Domino Othone Truchses[g], Cardinali[h] et Episcopo Augustano —*, quem postea singularem Patronum, quoad uixit multis in rebus experti sumus[4]. Idem autor mihi fuit, ut ex ditione sua proficiscens Concilium[i] peterem Tridentinum, meque suo Theologo R. P. Claudio

---

[a] *om. Soc. Mon.*

[b] *Ita Soc. Mon.; sed fortasse legendum est* texisse; *vel* tenuisse, *quod Riess (p. 44) ponit.* [c] conatos *Soc.* [d] urgor *Mon.* [e] repellantes *Mon.*

[f] cooperante *Mon.* [g] Truchzes *Soc.*; Tincheus *Mon.*

[h] Cardinale *Soc. Mon.* [i] consilium *Mon.*

Societatis [Iesu] aut eius loco M. Petrus Faber impedierit". Hi autem voluerunt, Canisium — novicius is tunc erat — hereditatem accipere, quae ei ex patre circa finem anni 1543 mortuo obveniebat; cuius unam partem Canisius statim in pauperes distribuit, alteram sibi sociisque alendis reservavit. Societatis constitutiones tunc (1543—1547) nondum absolutae, nedum promulgatae erant.

[1] De hac re multa dicentur in epistulis a Canisio anno 1544—1547 datis.

[2] Cf. Matth. 26, 40—47 etc.

[3] Ad appellationem, quam clerus coloniensis contra Hermannum ad Paulum III. et Carolum V. fecerat, Georgius Austriacus, antistes leodiensis, iam 1. Aprilis 1545 se aggregaverat, idemque 6. Aprilis capitulum et clerus ecclesiae leodiensis, quae tunc coloniensis metropolis erat suffraganea, et 10. Aprilis academici lovanienses fecerant. Delegerant eodem anno, qui una cum delectis coloniensibus et traiectensibus Traiecti eam rem Caesari proponerent. Periculo autem crescente Canisius exeunte anno 1546 Leodium missus est, ac 22. Decembris capitulum ecclesiae cathedralis 200 florenos „monetae brabantinae" coloniensibus auxilii causa mittere statuit. Nec dubium, quin ipse etiam episcopus iis strenue succurrerit. Vide, quae de hac re ex archivo illius capituli protulit *Riess* (p. 65—66) et, quod infra ponetur, regestum epistulae exeunte anno 1546 aut ineunte 1547 a Canisio ad Leonardum Kessel missae. Cf. etiam *Barthol. Fisen* S. J., Sancta Legia, Romanae Ecclesiae filia, P. 2 (Leodii 1696), p. 345. [4] Cf. supra p. 29.

Jaio *— Sabaudo —*[1] adiungerem[2]; Is quippe tum Tridenti cum laude uersabatur, *— neque multo ante Trigestinum Episcopatum, sibi a Ferdinando Rege oblatum, refutauerat —*. Inde factum fuit, ut ego ex Germania in Jtaliam commode peruenirem, et ea quae ad institutum societatis propius pertinebant, rectius quam antea cognoscere et certius probare possem. Tridento Bononiam ueni, *— ubi meam quoque sententiam in sacro dixi Concilio —*[3]; et inde Florentiam Reuerendum Patrem Jacobum Lainez comitatus adij[4], *— eundemque perdoctum et exquisitum Theologum egregie —* concionantem audiui. Exactis porro aestiuis caloribus, qui molesti satis Jtalis esse solent, *— vocatus inuisi Romam Septembri mense, mihique sum gratulatus, quod sanctam illam vrbem diu optatam[a] ingrederer —*, quam scirem tot mille Sanctorum Martyrum sanguine consecratam, et in Apostolicae Confessionis Petra fundatam, sed et in fidei puritate constantem ac orbe toto terrarum iure percelebrem esse. Mansi Romae usque ad sequentem Februarium, magnaque cum uoluptate uixi cum patribus charissimis simulque sacris meditationibus et ministerijs instituti nostri proprijs, alacriter operam dedi[5]. Postea sum illis adiunctus *— Fratribus atque Collegis[b] —*, qui primum in Sicilia Collegium Messanae constituerunt, *— ac difficilem[c] nauigationem ad eam usque Insulam peregerunt —*[d] [6], sub R. P. Natale Rectore[7]. *— Deo gratia qui in eo

[a] optatum *Soc.* [b] Colegis *Soc. Mon.* [c] difficillem *Soc.* [d] perexerunt *Mon.*

[1] Cf. supra p. 43, not. 4.

[2] Canisius Tridentum profectus est medio fere mense Februario anni 1547.

[3] *Io. Dom. Mansi* initio concilii bononiensis vel potius tridentini Bononiam translati interfuisse dicit 85 theologos, „quorum ultimi a Societate Iesu, qui presbyteri reformati dicebantur, fuere viri insignes, Claudius Iaius, Iacobus Laynes, Alphonsus Salmeron, socii sancti Ignatii, et Petrus Canisius Germanus eruditis operibus clarissimus" (Sanctorum Conciliorum et decretorum collectio nova V [Lucae 1751], 587—590. Plura vide infra, monum. 27—29).

[4] P. Laynez „fere medio mense Iunio cum Canisio viae comite . . . Florentiam pervenit". Repudiata hospitii liberalitate, quam complures obtulerant, Laynez in valetudinarium S. Pauli, suppeditantibus ad victum sumptus Petro de Toledo et filia eius, ducis coniuge Eleonora, cum Canisio divertit. In ecclesia cathedrali per octavam S. Ioannis Baptistae, patroni civitatis [24. vel 25. Iunii ad 1. Iulii] „de regno dei" contionatus est. 17. Iulii in eadem ecclesia primam epistulam S. Ioannis exponere coepit; tria fere hominum milia ad eum confluere solebant. 4. Septembris Florentia discessit. *Litterae quadrimestres* I (Matriti 1894), 45—46 (nunc primum editae in libellis periodicis „Monumenta historica Societatis Iesu"). *Ioannes de Polanco* S. J., Chronicon Societatis Iesu (nunc primum editum in iisdem „Monumentis") I (Matriti 1894), 219—220.

[5] P. *Ioannes de Polanco* S. J. Roma 13. Novembris 1547 sociis lovaniensibus de Cornelio Wischaven et Antonio Vinck scripsit: „Vterque simul cum D. Canisio sedulo in humilitatis exercitijs versantur, solidum iacientes spiritualis profectus fundamentum, cumque edificatione non modica nostrum omnium suis funguntur ministerijs." Ex * apographo huius epistulae, a Fr. Petro Kannegiesser S. J. Lovanii statim facto, quod est in cod. colon. „Litt. Epistt. var." fol. non sign., ante f. 33.

[6] Hoc iter Canisius describit epistulis 24. Martii et 23. Aprilis 1548 datis.

[7] Hieronymus Natalis (Nadal) ex insula Balearium maxima (Maiorca) ortus,

collegio mihi tum concionanti[a], tum Rehtoricam profitenti[b] adfuit, ubi sacras Vrsulanae sodalitatis reliquias Colonia transmissas et Messanae depositas perlibenter accepi[1]. Visum est autem R. P. Ignatio, me Romam e Sicilia reuocare ut ad solennem —* professionem votorum, quae mense Septembri facta[c] fuit, praepararer, meaque uota *— more nostro ederem publice —* nec multo post mitterer Bononiam cum Reuerendis Patribus Claudio Jaio, et Alphonso Salmerone[d], doctoralem laureum consecuturus[e][2], et cum eisdem recta in Bauariam profecturus. Etenim[f] satis faciendum erat Catholico in primis *— et insigni —* principi Domino Guillhelmo utriusque Bauariae duci, qui post clarissimi Doctoris Joannis Eckij mortem, a Paulo III Pon. Max. et R. P. N. Jgnatio, multum postularat, ut aliquot e nostris Theologi Sacra Jngolstadij profiterentur, et scholam illic Theologicam[g] *— non nihil concussam —*, instaurarent[3]. Duobus autem alijs Patribus quos dixi, alio missis, ego non solum professorem egi, sed et Rectorem illius Academiae *— praebere debui, et partim Latine studiosis, partim Germanice —* populo sum concionatus. Venit interim Reuerendus Pater Nicolaus Gaudanus Hollandus, ut patri Salmeroni[h] in Jtaliam reuocato *— et in Tridentina synodo percelebri —*, succederet[i], mihique praestaret socium atque collegam, quocum ex Bauaria in Austriam deinde destinabar[4]. Etenim fundamenta Viennensis Collegij confirmanda et promouenda erant, quae supra dictus Pater Claudius ac P. Nicolaus Lanoius[k] Rector, fauente in primis Patrono Ferdinando Caesare tantum utcunque fuerant[l] inchoata[m] *[sic]*. Voluit autem diuina bonitas me Viennae non solum Theologiam docere, sed etiam tum Caesari a sacris esse Concionibus ac *— Austriacum —* praeterea conscribere Cate-

[a] concionandi *Soc.* [b] prouitenti *Soc.* [c] facata *Soc.*
[d] Salmorone *Soc.* [e] consecutus *Mon.* [f] Etinim *Soc.*
[g] illinc Theoloicam *Mon.* [h] Salmoroni *Soc.*
[i] susscederet *Soc.*; succederem *Mon.* [k] Laonius *Mon.* [l] fuerat *Soc.*
[m] *Scribendum fuit aut* quae supra dictus Pater Claudius ac P. Nicolaus . . . inchoaverant *aut* quae per supra dictum Patrem . . . fuerant inchoata.

ab ipso S. Ignatio in gubernanda tota Societate adiutor adhibitus est. Quo mortuo summis in Societate muneribus functus est: praepositus provincialis, assistens praeposito generali, commissarius, vicarius generalis fuit. Annis 1555 et 1563 Germania eum aliquamdiu tenuit. Mortuus est Romae 3. Aprilis 1580. Eius autem „Adnotationes et Meditationes in Evangelia" anno 1594 Antverpiae editas tres illi Wierx et duo Collaert 153 magnis ornarunt figuris, in aes incisis. Cf. *C. Sommervogel* S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. Première partie, V (Bruxelles-Paris 1894), 1517—1520.

[1] Vide epistulas, quas S. Ignatius ad Canisium mense Martio a. 1549 et hic ad Carthusianos 5. Iunii 1549 dederunt.

[2] De hac promotione vide infra, monum. 30.

[3] Haec et quae sequuntur, usque ad finem huius „Testamenti", hic copiosius non exponuntur, quia ipsis Canisii epistulis explicabuntur.

[4] Canisius 9. Martii 1552 Viennam advenit.

chysmum[1], de quo dicam postea. Et quoniam Jmperij decreto sancitum erat, ut Colloquium Theologicum a catholicis simul et protestantibus Wormatiae haberetur, *— fuit is annus 1557, —* uisum est eidem Caesari uelut suos Theologos P. Gaudanum et me illuc mittere, ubi et Louanienses quidam Theologi *— magni nominis —*, nobis adfuerunt[2]. Mihi tunc prouincia contigit, ut nomine Catholicorum scripto et uiua uoce, responderem aduersarjis quorum princeps aderat Philipus Melanchton *— iam utcunque senecta confectus —*. Sed noua Luteranorum inter se altercantium dissensio *— intercessit, causamque praebuit —*, ut hoc Wormatiense Colloquium in ipsis etiam primordijs abrumperetur, cum inter Catholicos *— quidem —* optime conueniret[a]. Ego Wormatia Coloniam excurri, ac deinde, ut Episcopo gratificarer Argentoratum adij, simulque Friburgum Brisgoiae obiter inuisi, *— et Senem Glareanum amice salutaui —*[3]. Verum ex Austria rursus in Bohemiam proficisci habui, ut Collegium Pragense apud D. Clementem, liberalitate Regia fundaretur[4]: quae res non paucis mensibus, nec sine labore transacta est, me interim in Cathedrali Ecclesia, cum Caesar Ferdinandus eiusque filius ipsi cognominis[5] praesto essent, concionante: Ac saepius quidem Romam euocatus, iter longum absolui et ad nouum Praepositum Generalem eligendum accessi, aliaque *— Prouintiae nostrae —* negotia expediui[6]. Cum porro Paulus IIII Pont. Max: praeesset Ecclesiae, Reuerendus Pater Jgnatius *— a me iam antea nominatus —* e uiuis pie decessit, et Pontificis Legatus *— idemque Episcopus Italus —*[7] ad Poloniae Regnum destinatus fuit, *— cui uisum est me comitem accipere, quem in Poloniam duceret secum —*. Vnde Cracouiae coram clero Latine uerba feci. Ex Polonia *— post paucos menses —* in Germaniam redij, et Augustam concessi tempore comitiorum, quum

[a] conuenirent *Mon.*

[1] Cf. supra, prooemium generale, et quae infra dicentur.

[2] Iodocus Tiletanus, Franciscus Sonnius (de his cf. p. 39), Martinus Balduinus Rithovius, qui postea episcopus iprensis fuit.

[3] Henricus Loriti, ex pago helvetico „Glarus" oriundus, anno 1512 a Maximiliano I. imperatore laurea poetarum ornatus est, vir antiquarum litterarum, geographiae, musicae peritissimus, quas in academiis potissimum basileensi et friburgensi professus est. Hic Luthero quidem et Calvino initio multum favebat, postea vero, iis melius perspectis, tanto apertius et fidelius ecclesiam catholicam sectatus est, mortuus Friburgi anno 1563.

[4] Annis 1555 et 1556.

[5] Hic appellari solet archidux Ferdinandus II. tirolensis, eratque maritus Philippinae Welserae et pater Andreae cardinalis austriaci et episcopi constantiensis; Ferdinandus Tirolim et Austriam anticam (Vorderösterreich) postea gubernavit, ecclesiam catholicam semper diligenter protexit. Vitam eius enarravit *Ios. Hirn,* Erzherzog Ferdinand II. von Tirol. Geschichte seiner Regierung und seiner Länder. 2 voll. Innsbruck 1885. 1887.

[6] Vide supra, prooemium generale.

[7] Camillus Mentuatus (Mentuati), episcopus Campaniae et Satriani.

Carolo V Caesari a Ferdinando fratre funebres Exequiae solenni pompa celebrabantur[1]: Et quoniam Joannes Faber[2] Hailbrunensis et Dominicanus, quem antea Doctorem Jngolstadij creaueram, primarius Augustae Ecclesiastes, diem extremum clauserat, placuit Episcopo *— et eidem Cardinali iam antea nominato —*[3], in locum demortui me substituere ut *— ex professo —* praeessem cathedrae Augustanae. Nec licuit mihi huius uoluntati contra dicere, quod secundus Praepositus noster R. P. Lainez ex vrbe mandasset, ut nouum hoc onus in meos humeros attollerem, et Catholicis Augustae fulciendis operam darem, licet alioqui satis grauarer veteri munere Prouincialis. Etsi uero multis annis hoc saxum Augustae[a] uolui, *— multorumque gratiam in Euangelico munere mihi conciliaui —*[b], tamen in loca uicina[c] et dissita[d] subinde proficisci debui, quemadmodum in Bauariam, Sueuiam, Rhetiam, Austriam, Bohemiam, Françoniam, donec tandem Pius IIII. Pont. Max. hoc mihi negotium dedit Romae, praecipuos Germaniae Principes, quibus et ipse scribebat, coram accederem ac eorum animos in Religione Catholica promouenda confirmarem. Jgitur in Westphaliam usque peregrinandum[e] fuit, ubi et Geldriam penetraui, et satis laboriosam sensi profectionem, comite ex nostris unico contentus[4]. Quidquid autem in his itineribus, quae suis periculis non caruerunt, recte ac fideliter a me gestum est, praepotentis dei gratia et uirtute singulari gestum esse *— testor: ego mihi ex his nihil arrogo, upote seruus inutilis[5] qui tantum —* voluntatem bonam, et promptum maioribus parendi studium *— adferre potuit. Omnia enim opera nostra, ut Propheta ait, operatus es domine[6]; si gloriari oportet, quae infirmitatis meae sunt gloriabor[7]. Scis interim, qui arcanorum es omnium conscius —*, tu uirtus et salus mea, quod vocationis meae simplicitate contentus *— nullius —* aurum et argentum concupiuerim[8], *— nullumque —* pro laboribus meis uel appetiuerim, uel perceperim[f] emolumentum, sicut professionis meae ratio et puritas flagitabat[9]. Absit procul ut me iustum et innocentem praedicem

---

[a] Augusta *Mon.* [b] consiliaui *Soc. Mon.* [c] uicinia *Soc. Mon.*
[d] dessita *Soc.* [e] in Wesphaliam usque perigrinandum *Soc.*
[f] praeceperim *Mon.*

---

[1] Hae in ecclesia cathedrali augustana 24. et 25. Februarii 1559 factae sunt (*Franc. Dom. Häberlin*, Neueste Teutsche Reichs-Geschichte IV [Halle 1777], 2—3).

[2] Rectius: Fabri; de hoc vide infra, monum. 67.

[3] Ottonem Truchsessium Canisius dicit.

[4] Canisius mensibus Novembri et Decembri anni 1565 et ineunte anno 1566 hoc iter peregit. Cf. *Riess* l. c. p. 348—351. *Boero* l. c. p. 285—294.

[5] Luc. 17, 10. [6] Is. 26, 12. [7] 2 Cor. 11, 30. [8] Act. 20, 33.

[9] *S. Ignatius* in Constitutionibus S. J. id identidem commendat (P. 4, c. 7, n. 3; P. 6, c. 2, n. 7; P. 7, c. 4, n. 4; P. 10, n. 5; Ex. c. 1, n. 3 et c. 4, n. 27). Atque ultimo, quem dixi, loco sanctus parens sic loquitur in autographo hispanico Constitutionum suarum, quod nuper accurate typis descriptum est: „La nuestra profesion

— qui cum eximio Apostolo dicere neutiquam possum, nihil mihi conscius sum[1], sed cum Propheta confiteri habeo, si iniquitates obseruaueris domine[2] etc. — Hoc unum coram Deo et[a] hominibus aperte profiteor, *— quidquid mihi bene cessit, id non meis meritis —*, sed bonorum, ac praesertim Societatis nostrae precibus pro me factis effectum fuisse. Diuina gratia *— successum omnem impertiente in hoc quocunque[b] ministerio. Meum —* esse fateor, ac mihi acceptum ferri uolo, quidquid in hoc toto peregrinandi genere peccatum fuit, *— et frequentissime quidem —*, quando multas et praeclaras[c] bene agendi *— me ipsum custodiendi —*, et alios aedificandi occasiones imprudenter omisi, ut seruum bonum et fidelem[3] *— usquequaque —* non exhiberem. *— Non exercui me ipsum ad pietatem[4], quae utilis est ad omnia[5]; peccantes coram omnibus non argui[6], Exemplum quale oportuit[d] uario hominum generi non praebui in uerbo, in conuersatione et charitate[7], quemadmodum S. Paulus flagitat —*. Etsi uero quaedam prima fronte bona et speciosa sese nobis inter agendum offerunt, tamen ea humanae mentis est imbecilitas et inconstantia, ut multa saepenumero improuide inchoemus, inchoata uero frigide promoueamus, neque ad felicem terminum eadem perducamus. [VI.] Sexta[e] Testamenti nostri pars in eo consistit, ut de munere docendi, quod nostris hominibus est summopere[f] familiare, nonnulla subijciam. Certe si unquam antea, nunc uel maxime illis opus est doctoribus, qui magno zelo et inuicta constantia fidem catholicam profiteantur, *— ut noxiae curiositatis cupido uulgo sanam doctrinam inculcent —*. Etenim eo tempore uiuimus, quo sicut Apostolus fore praedixit, sanam doctrinam homines non sustinent, sed prurientes[8] etc. *— non salutaria, sed placentia proferentes quique sectas perditionis —* inducant[9] et carnis licentiam *— pro Euangelica libertate —* tueantur[10]. Eoque magis Deo Summo gratias ago, qui me inter societatis nostrae Doctores acciuit, neque canem[g] esse mutum[11] uoluit, *— sed clamare iussit in Cathedra orthodoxa —*. Certe illius gratiae[h] tribuo, quod adolescens nescio quam natiuam indolem

[a] ut *Mon.* [b] quodcunque *Soc. Mon.* [c] praeclas *Soc.*
[d] opotuit *Soc.* [e] Sexto *Soc. Mon.* [f] ualde *Mon.*
[g] canere *Mon.* [h] glatiae *Soc.*

demanda que seamos prevenidos y mucho aparejados para quanto y para quando nos fuere mandado en el Señor nuestro, sin demandar ni esperar premio alguno en esta presente y transitoria vida, esperando siempre aquella que en todo es eterna, por la suma misericordia divina" (Constitutiones Societatis Iesu latinae et hispanicae cum earum declarationibus [Matriti 1892] p. 25).

[1] 1 Cor. 4. 4. [2] Ps. 129, 3. [3] Matth. 25, 23. [4] 1 Tim. 4, 7.
[5] 1 Tim. 4, 8. [6] 1 Tim. 5, 20. [7] 1 Tim. 4, 12.
[8] 2 Tim. 4, 3. [9] 2 Petr. 2, 1. [10] Cf. Gal. 5, 13.
[11] Is. 56, 10. Familiae nomen Canisius his verbis designat, atque illud, quod adversarii ei dabant: „canis austriacus".

senserim, ut doctis ac pijs hominibus libenter adessem, ac meipsum ad docendum et praedicandum Dei uerbum saepe co̧mpararem. Id quod illi quoque confirmare possunt, qui me puerum in patria, Coloniae, in Osteruik Brab[antiae cognouerunt.][a] — — — —

4. Reliquiae illarum partium „Confessionum" et „Testamenti", quae integrae superesse non videntur.

I.

Ex *Pythone* (p. 52—54); qui sic praefatur: „De tota hac missione Canisium cum Deo in Confessionum libro loquentem juvabit audire."

Quomodo Canisius et socii Messanam profecturi a Paulo III. excepti et quam singulariter in ipso itinere a Deo protecti sint.

Tu scis[1], Domine, qui tuum Spiritum Ecclesiae tuae Capiti potenter suggeris, quantopere nos recrearit paterna haec tui in terris Vicarij commonitio. Dederas omnibus ingens desiderium osculandi pedes Beatissimi Patris, et benedictionem Apostolicam accipiendi: quibus cum inopinata et inusitata exhortatio accesserit, non exiguam spem fecisti, fore, ut hisce praesidijs animati servi tui non infrugiferi Siciliam peterent, sed illic, uti factum est, pro tui nominis gloria, feliciter fructificarent.

Decimo octavo Martij, ex Societate hac tua, fratres decem ex urbe dimisisti, et Neapoli, ad sanctum usque diem Coenae Filij tui[2], navigandi exspectatione suspensos custodisti, bonum illic odorem de servis tuis spargi voluisti, fructumque spiritualem haud contemnendum adjecisti, ac demum corpore et animo confirmatos firmo navigio et experto Nauclero commisisti[3]. Sed et inter navigandum stupenda virtutis tuae opera, plerisque nostrum ante incognita probavimus, interque ventorum injurias, et piratarum metum jactati, tua subinde gratia respiravimus, et, quo Tu inopinantes direxisti, eo miris modis

---

[a] *Soc. finitur:* Brab. *Quae sequuntur, exstant quidem in Mon.; sed altera manu antiqua suppleta sunt.*

---

[1] S. Ignatius cum ineunte anno 1548 Messanae in Sicilia, rogatu Ioannis de Vega proregis et civitatis ipsius, collegium condere statuisset, decem socios diversarum nationum eo proficisci iussit; inter quos erant Hieronymus Natalis, Andreas Frusius, Benedictus Palmius, Petrus Canisius. Atque hos omnes Ignatius, antequam Roma discederent, die 17. Martii ad Paulum III. deducendos curavit; apud quem Canisius omnium nomine „piam admodum orationem" latine habuit (*Polancus*, Chronicon I, 269). Respondit pontifex, magnam erga socios significans indulgentiam paternam et acriter eos exhortans ad ecclesiam adiuvandam. Summam huius orationis proponit *Nic. Orlandinus*, Hist. S. J. I, l. 8, n. 12.

[2] Haec eo anno erat dies 29. Martii.

[3] Plura de hac profectione Canisius narrat in epistula Messana 23. Aprilis 1548 ad socios lovanienses data.

appulimus, ad duas nimirum Calabriae civitates. In priorem[1] vi tempestatis acti sumus, tuae tum voluntatis ignari, qui non modo afflictam quorundam valetudinem, quiete data, refocillasti, verum etiam sanctum Pascha celebrandum illis commode disposuisti. Nam cum navigandi facultas omnis abesset, nemo fuit fere ex connavigantibus, qui non, sacramento Poenitentiae suscepto, commune gaudium adauxerit, sumpto de mensa tua et manibus nostris agno Paschali.

Historicus provinciae neapolitanae Societatis Iesu his de rebus, ubi provinciae initia enarrat[2], nihil refert.

II.

Ex exemplo, quod *Riess* hausit ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. facto, quod est in cod. monac. „Lat. 1606"; librarius antiquus praefatur: „In Diario propria manu scripto sequentia refert." [3]

Haec pars ex eodem codice germanice versa ponitur a *Riess* p. 78.

Se Romae, antequam in Germaniam rediret, insigne animi solacium a Deo accepisse, ac sanctos apostolos se Germaniae apostolum constituentes et maxima sibi promittentes sensisse.

Eodem anno (1549[a]) Romae accidit in castello S. Angeli 2 Septemb. ut ego cum socio itineris futuro in Germaniam Baptista Turen[4] atque cum alijs decem fratribus Panormum mittendis primus Pontificem[5] alloquerer, et nomine duorum absentium Patrum qui Germaniam petituri erant[6] communem acciperem benedictionem ad osculandos tum pedes Beatissimi provolutus. Interea vero dum ad salutandos Cardinales abirent fratres, placuit immensae bonitati tuae Sancte Pater et aeterne Pontifex, ut illius Apostolicae benedictionis effectum atque confirmationem sollicite commendarem Apostolis tuis qui in Vaticano visuntur et mirabilia te duce operantur, ubi magnam sensi consolationem praesentemque gratiam tuam quae per tales intercessores mihi dulciter offerebatur. Benedicebant enim et illi, missionem in Germaniam confirmabant, suam mihi velut Apostolo Germaniae con-

[a] 1649 *exemplum nostrum.*

[1] Haec erat Scalèa, altera Paola. Vide, quae epistulae modo memoratae adnotabuntur.

[2] Istoria della Compagnia di Giesu, appartenente al Regno di Napoli, descritta da *Francesco Schinosi* S. J. Parte 1 (Napoli 1706) p. 1—20.

[3] Scribendum fortasse erat: „propria manu correcto"; cf. supra p. 31. 32.

[4] Ingolstadium cum Canisio venit „Iohannes Baptista Brancaccius, Neapolitanus", Societatis „coadiutor temporalis" sive frater laicus; vide infra, epistulam Canisii, 24. Martii 1550 ad Polancum datam. Fortasse Brancaccius ex oppido Turi (Turres, Turum), prope Barium in antiquo regno neapolitano sito, ortus erat ideoque Turenus dicebatur. [5] Paulum III.

[6] PP. Claudium Iaium et Alphonsum Salmeronem dicit; qui aliquot hebdomadibus post Bononiae Canisio iuncti sunt, ut cum eo in universitate ingolstadiensi theologiam traderent. De qua re cf. supra p. 48.

cedendam benevolentiam promittere uidebantur. Nosti Domine quantopere et quoties illo ipso die mihi Germaniam commisisti, pro qua dein sollicitus esse pergerem, pro qua sicut Pater ille Faber me totum exhiberem, pro qua vivere morique cuperem. Atque sic Angelo Germaniae cooperarer[1]. Abscondisti parumper indignitatis meae cumulum immensum, quando in te et per te fieri omnia commonstrabas, quae ne dici quidem vulgo solent citra arrogantiae cujusdam suspicionem, ut si quis forte audeat, quod sentit humiliter, pronuntiare verecunde, se vas electionis a Deo assumi, ut portet nomen Christi tui coram regibus et gentibus et populis[2]. Ego Pater summe solusque laudabilis totus, quanquam gloriosa quaedam a te mihi promissa et oblata saepe fuerint, non ignoro tamen varios esse sensus talium, neque in illis unquam conquiescendum. Et fragilitas mea requirit forte lac parvulorum, quia solidum perfectorumque[a] cibum[3] sumere ac decoquere necdum scio.

III.

Particula prima, quae terminatur verbis „me velles instrui et adjuvari", et ea, quae sic incipit: „Benedicebat gloriosa quoque Mater tua" et terminatur: „Provinciam conficerem in nomine tuo susceptam", proponitur ex exemplo, quod *Riess* hausit ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. scripto, quod est in cod. monac. „Lat. 1606". Antiquus librarius verbis, quae utrique particulae praemittit, significat Canisium haec referre „in Diario propria manu scripto"; cf. supra p. 53. Reliqua, quoniam in codice monacensi desunt, descripta sunt ex *Pythone* p. 56—60; qui sic praefatur: [Canisius] „haec habet in suis cum Deo colloquiis". Ex „confessionibus" desumpta esse ipse sermo sive scribendi ratio suadet. Python etiam eorum, quae ex codice monacensi proponimus, maiorem partem descripsit.

Maiores minoresve huius fragmenti partes ex Pythone desumptas posuerunt *Georgius Schlosser* S. J., Beati Petri Canisii S. J. exhortationes domesticae (Ruraemundae 1876) p. 456—457; *Boero,* Can. p. 60—62 (italice); *Séguin* l. c. p. 58—60 et *Alet* l. c. p. 72—75 (gallice); *Ramon Garcia* S. J., Vida del Beato Pedro Canisio (Madrid 1865) p. 119—123 (hispanice); *Riess* l. c. p. 79—80 et *Janssen* l. c. IV, 392 (germanice).

Refert Canisius 1. ea quae sibi ante sollemnem professionem religiosam visenti basilicam vaticanam contigerint: benedictionem ab apostolis datam; angelum adiunctum; propriam indignitatem vilitatemque ostensam; cor Iesu miro modo apertum; 2. quae in ipsa professione: favorem Beatae Mariae Virginis; lumen mentis animique robur a Deo data.

4[to] Septembris quando festum Moyse Prophetae, et octava D. Augustini Episcopi colitur, quia professurus eram, dedisti[b] gratiam Domine

[a] *Potius videtur legendum* perfectorum.

[b] *Verba, quae hoc vocabulum praecedunt, a Pythone omittuntur.*

[1] „Romanum imperium germanicae nationis" sanctum Michaelem archangelum ut singularem suum colebat patronum. Canisius die 8. Maii, quae „apparitioni" S. Michaelis sacra est, natus a. 1521 erat et a. 1543 Societati Iesu se iunxerat.

[2] De Paulo apostolo haec pronuntiavit Christus dominus. Act. 9, 15.

[3] Hebr. 5, 12. 14.

ut me tamque solennem actum sanctissimis Apostolis in Vaticano supplex commendarem[1], et illi tunc supplicationi meae annuere visi sunt, atque Pontificia auctoritate comprobare vota mea, quae illis ordine primum offerebam. Ago certe gratias ut debeo[a] pro benedictione ab illis accepta, consolatus utcumque abij, quod illis faventibus ad functionem Apostolicam perventurus eram. Sed ante altare eorundem Petri et Pauli apostolorum[b] genua flectenti, etiam hoc novi muneris elargitus es, ut recens[c] Angelum jamjam professuro mihi deputares, eoque et duce et custode in sublimioris vitae statu, qui Professorum est, me velles instrui et adjuvari. Quare, eo accepto jam velut socio, ad Sanctissimi Corporis tui Sacramentum pergebam[2], et in eadem illic basilica, novi Angeli officium intelligebam. Jacebat humi anima mea deformis, immunda, pigra, multisque vitijs et passionibus infecta. Tum sanctus Angelus ad Thronum Majestatis tuae conversus, ostendebat et numerabat indignitatis et vilitatis meae magnitudinem et multitudinem, ut, quam indigne ad professionem accederem, clare viderem, suamque ille quasi difficultatem in me gubernando, ducendoque via tam ardua et perfecta allegabat. Unde[d] Tu tandem, velut aperto mihi corde sanctissimi Corporis tui, quod inspicere coram videbar, ex fonte illo ut biberem jussisti, invitans, scilicet ad hauriendas aquas salutis meae de fontibus tuis, Salvator meus[3]. Ego vero maxime cupiebam, ut fluenta fidei, spei, caritatis in me inde derivarentur. Sitiebam paupertatem, castitatem, obedientiam; lavari a Te totus, et vestiri, ornarique postu-

---

[a] *Pyth. om.* ut debeo.
[b] eorundem Apostolorum Petri et Pauli *Pyth.*
[c] *Pyth. om.*
[d] *Quae sequuntur, usque ad* tuam successura *incl., edidit etiam Schlosser l. c. p. 456—457.*

---

[1] Aliunde certo constat Canisium hoc ipso die, 4. Septembris 1549, Romae in ecclesia Beatae Mariae Virginis „de Strata" dicta coram S. Ignatio quattuor sollemnia Societatis vota fecisse (vide infra, monum. 3). Eodem igitur die ante hanc sollemnem „professionem" in basilicam vaticanam ad sepulcrum apostolicum accessit.

[2] Cum igitur Canisius coram altari principali, quod super crypta apostolica erectum est, aliquamdiu orasset, ab eodem processit ad adorandum corpus Christi eucharisticum; hoc enim — quod etiam nunc in ecclesiis cathedralibus fieri debet — non in altari illo principali asservabatur, sed in sacello aliquo vel altari a latere vel a tergo eius exstructo. Riess haud male vertit: „Daher schritt ich . . . zum hl. Sacramente Deines Frohnleichnams vor." Boero autem: „Mi accostai a ricevere il sacramento del vostro santissimo Corpo"; et Garcia: „Me acerqué á recibir vuestro sacratísimo cuerpo." Sed sermo latinus hanc versionem nequaquam postulat; ac Canisio hoc die in professione ipsa Christi corpus e manu S. Ignatii accipiendum erat; id enim professionis ritus habebat. Cf. infra, monum. 3.

[3] Is. 12, 3: „Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris." Quae verba ipsa etiam ecclesia inseruit missae sanctissimi cordis Iesu (missa „Miserebitur", in epistula) et eiusdem officio canonico (in lectione prima nocturni primi, capitulo laudum, versiculo et responsorio vesperarum secundarum).

labam. Unde, postquam Cor tuum dulcissimum attingere, et meam in eo sitim recondere[a] ausus fueram, vestem mihi contextam tribus e partibus promittebas, quae nudam protegere animam possent, et ad professionem hanc maxime pertinerent, erant autem pax, amor, et perseverantia. Quo salutari indumento munitus confidebam, nihil mihi defuturum, sed omnia in gloriam tuam successura. Initio Missae[1], quam, in praesentia fratrum, dicebat primus et Reverendus ille nostrae Societatis Praepositus, filiusque tuus Ignatius, denudabas rursum miserabilem turpitudinem meam, ex cuius conspectu horrorem et desperationem concipere poteram. Sed, circa elevationem, consolatus es miserum Pater misericordiarum[2]; erexisti spem; dedisti animum: promisisti summa, peccata omnia mihi dimisisti, atque, ut deinceps nova creatura[3] essem, et meam conversionem[4] ex eo tempore auspicarer, dulciter invitasti. Benedicebat gloriosa quoque[b] Mater tua his[c] auspicijs scilicet per Angelum illum qui ex altari DD.[d] Petri et Pauli mihi primum additus videbatur. Is monebat ut a dextris locum sibi[e] concedere assuescerem, et nihilo minorem sui quam personae honoratissimae rationem ubivis[f] haberem. Nimirum ad firmandam sic memoriam Angelicae praesentiae, cujus contemplatio mirifice confert[g]. Redierunt tunc quoque in memoriam quae loca vel ad plangenda peccata vel ad singularem animi mei contritionem et devotionem olim profuerant. In ipsa vero[h] Professione fidem[i] et confidentiam auxisti, ne dubitarem quidquam[k], quin per te Provinciam conficerem in nomine tuo susceptam. Reputabam, esse Spiritum peculiarem Professis reservatum, ut Apostolis in Pentecoste contigit. Ac proinde dictum ad me non semel existimo: ecce ego mitto vos

[a] *Sic; sed puto Schlosser recte correxisse* restinguere. *Poterat etiam scribi* reprimere.

[b] quoque gloriosissima *Pyth.*

[c] *Auspicia seu initium „conversionis" suae dicit. Python in libro ipso:* sui, *inter „corrigenda" autem:* suis; *cod. mon.:* his.

[d] SS. *Pyth.* [e] ipsi locum *Pyth.* [f] *Pyth. om.*

[g] *Sententia sequens (usque ad* profuerant *incl.) a Pythone omittitur.*

[h] *Pyth. om.* [i] fidem, domine *Pyth.* [k] ne quicquam ambigerem *Pyth.*

[1] Quae sequuntur, non in basilica vaticana facta sunt, sed — Canisius ipse id dicit — in „prima nostrorum domo" sive in ecclesia, quae prope domum professorum Societatis erat, „sanctae Mariae de Strata" sive „sanctae Mariae de Astallis"; celebris in ea erat pictura vel imago „S. Mariae de Strata"; quae nunc quoque in templo sanctissimi nominis Iesu, prioris illius ecclesiae loco aedificata, religiosissime colitur. Exstat adhuc scriptum Canisii, in quo affirmat se professionem fecisse Romae „in templo Societatis apud S. Mariam de Strada". Plura infra, monum. 3. Imaginem S. Mariae de Strata vide in „La vie de Saint Ignace de Loyola d'après Pierre Ribadeneira, par le P. *Charles Clair* S. J." (Paris 1891) p. 331.

[2] 2 Cor. 1, 3. [3] 2 Cor. 5, 17. Gal. 6, 15.

[4] Verbum „conversio" iam a S. Gregorio Magno ad professionem vitae religiosae significandam usurpabatur.

in medio luporum[1]: ite, praedicate Evangelium omni creaturae[2]. Paucis haec obtigit gratia, ut vivo Patre Ignatio, in Romana urbe, primaque nostrorum Domo, et sancta congregatione profiteri possent hanc vere Apostolicam tuam, Domine JESU Societatem. Nec fuit exiguum, quod sensi, robur post Professionem. Spes firmior, pax integrior, circumspectio maior, et in admonendo liberior quaedam facultas et gratia. Tuum est hoc, Domine, quicquid est beneficii. Confirma, quod operatus es[3]; innova Spiritum rectum; concede principalem[4]. Mors pro te suscepta, vita contempta recreent.

Haec Confessionum pars notatu dignissima est propter ea, quae Canisius in ea de sanctissimo corde Iesu refert. Specialis quidem ille cultus, qui nunc per totam ecclesiam catholicam cordi Iesu, symbolo, throno, organo immensae caritatis Christi, tribuitur, proxime ex revelationibus ortus est, quae multum post Canisii mortem Beatae Margaritae Mariae Alacoque, moniali ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis (1647—1690), Parodii (Paray-le-Monial) in Gallia factae sunt, potissimum 16. Iunii 1675, cum Margarita corpus Christi in altaris sacramento reconditum adoraret. Sed ipsam Salvatoris personam qui maiore pietate colunt, facile et quasi sponte ad cor eius quacumque demum ratione colendum perveniunt. Praeterea Deus, qui „disponit omnia suaviter“ (Sap. 8, 1), priusquam per Beatam Margaritam christianos omnes ad cor Christi peculiariter colendum invitaret, electis quibusdam suis amicis eiusdem cordis divitias copiosius aperire eosque cultus illius universalis „praecursores“ quosdam constituere voluit. Inter quos Sancta Gertrudis, monialis benedictina conventus helpediani, excellit[5]. Revelationes eius edidit divulgavitque praeclarus ille Ioannes Iustus Landspergius, carthusianus coloniensis, cuius „pio contubernio“ Canisius adulescens — ipsius verba sunt — „suaviter in Domino fruebatur“ [6]. Ac Landspergius et ipse cor Iesu vehementer amabat et inter alia haec monebat: „Ad venerationem cordis pijssimi Iesu, amore ac misericordia exuberantissimi, studeas te ipsum excitare, ac sedula deuotione ipsum frequentare, illud osculando, et mente introeundo . . . Itaque figuram aliquam dominici cordis, aut quinque vulnerum, aut cruentati Iesu, vulneribus ac liuore saucij, ponas in loco aliquo, quem saepius transire habeas, qua saepius exercitij tui, et amoris excitandi in Deum admonearis. Hanc intuens memor sis exilij miseraeque captiuitatis in peccatis.“ [7] His igitur ducibus Canisius iuvenis propius ad cor Iesu accessisse videtur; fortasse laudibus etiam movebatur, quibus cor Iesu illustrabatur in piissimis illis „exercitiis“, quae sub nomine Ioannis Tauleri circumferebantur et anno 1548 a Laurentio Surio, Canisii amico, ex germanico sermone in latinum conversa sunt[8]. Nec mirum esse potest Salvatorem Canisio tandem ipsi cor suum divinum singulari ratione aperuisse; hic enim inter eius ordinis religiosi primos erat socios, cui postea Dominus noster — id quod Beata Margarita iterum atque iterum testata est — „singulari modo“ mandare voluit, „ut ceteris pretium et utilitatem huius ditissimi thesauri aperiret“ [9].

---

[1] Matth. 10, 16. [2] Marc. 16, 15. [3] Ps. 67, 29. [4] Ps. 50, 12. 14.

[5] Cf. *S. Gertrudis* Insinuationes divinae pietatis l. 2, c. 21 et 23 (in editione a Tilmanno Bredenbach [Coloniae 1588] facta p. 155. 167).

[6] Cf. supra p. 37.

[7] Divini amoris pharetra. Exercitium ad cor Iesu (Coloniae 1590) p. 68—70.

[8] De vita et passione salvatoris nostri Iesu Christi piissima exercitia (Coloniae 1548) c. 53, p. 287. Nunc negant hoc opus Tauleri esse.

[9] Vie et œuvres de la Bienheureuse *Marguerite-Marie Alacoque* II (éd. 2, Paray-le-Monial et Paris 1876), 247. 261—262. 334; cf. etiam *Herm. Ios. Nix* S. J.,

Hoc quoque memorabile, cor Iesu Canisio tunc singulariter patefactum esse, cum hic sollemnia Societatis Iesu vota coram eiusdem conditore facturus iisque factis ilico in Germaniam profecturus esset ad catholicam fidem docendam et propugnandam. Canisius per totam vitam cordi Iesu summopere deditus fuit. Socios monuit, ut „suam voluntatem cum corde Iesu unirent“ [1]; in septem illis meditationibus, quas „de virtutibus Christi“ pro singulis hebdomadae diebus composuit, quaeque ex anno 1564 „catechismo parvo“ additae et cum eodem saepissime editae sunt, summam caritatem cordis Iesu demonstravit [2] ac suasit: „Fugias qualibet tentatione ingruente in amabile cor Christi eiusque aperta vulnera.“ [3] Apud Societatem nostram codex exstat manu scriptus [4], in quo Canisius varias easque piissimas preces in proprium usum collegit, quemque moribundus in manibus tenuisse fertur [5]; pretiosus hic liber has etiam preces continet [6] manu ipsius Canisii scriptas:

Oratio matutina ad cor Christi salutandum. Laudo, benedico, glorifico et saluto dulcissimum et benignissimum Cor Jesu Christi fidelissimi amatoris mei, gratias agens pro fideli custodia qua me hac nocte protexisti, et pro me laudes et gratiarum actiones et omnia quae ego debebam Deo Patri incessanter persoluisti. Et nunc o unice amator meus offero tibi cor meum velut rosam uernantissimam, cuius amoenitas tota die oculos tuos alliciat: et eius fragrantia diuinum cor tuum delectet.

Offero etiam tibi cor meum, ut eo pro scypho utaris, unde tui ipsius dulcedinem bibas cum omni, quam [a] hac die in me dignaris operari.

Insuper offero tibi cor meum, ut optimi saporis malogranatum in tuo regio condecens conuiuio, quod comedendo sic traijcias in te, ut de caetero se feliciter sentiat intra te, orans etiam, ut omnis cogitatio, loquutio, operatio et voluntas mea secundum beneplacitum tuae benignissimae uoluntatis hodie dirigatur.“

Ad singula opera, quae incipiuntur, imprime tibi signum crucis, ita dicens, In nomine Patris et Filij et Spiritus sancti Amen. Pater sancte in unione amoris amantiss. filij tui commendo spiritum meum.

Dormiturus in lecto dicat,
Oculi somnum capiant, cor ad te semper uigilet: dextera tua protegat famulos qui te diligunt.

Trahat deinde suspirium quasi ex diuino amore [b], dicens, Jn unione laudis, quae profluit ex te Domine Jesu in omnes Sanctos, suscipe hoc suspirium in supletionem laudis, qua te laudare tenetur omnis creatura.

Trahat secundum suspirium dicens, Jn unione illius gratitudinis, quam sancti a corde tuo Jesu bone trahentes gratias tibi agunt pro impensis sibi donis.

Ad tertium suspirium dicat: Jn unione passionis illius, qua tu Jesu bone omnium delicta tulisti, pro peccatis meis suspiro.

---

[a] quod *autogr.;* omnibus, quae *Schlosser.*
[b] *Sequitur* meo, *quod Canisius ipse postea delevit.*

SS. Cordi Iesu cur sint addicti et consecrati Societatis Iesu filii (ed. 2, Augustae Vindelicorum 1886) p. 2—26.

[1] *Schlosser* l. c. p. 181.

[2] V. g. Institutiones christianae pietatis, seu parvus catechismus catholicorum (Dilingae 1572) f. 62[b].

[3] Plura de hac re proponit *Schlosser* l. c. p. 435—457.

[4] Est in 12°, quod vocant, et signatus „Scripta B. P. Canisii X. K.“

[5] * Pag. 164 est „moriturae Gertrudis precatio uel oblatio“, Canisii manu descripta.

[6] P. 134—135. Typis exscriptae sunt in processu beatificationis Canisii, *„Positio super virtutibus“* (Romae 1833) Summ. p. 156. Etiam a *Schlosser* (l. c. p. 452—455) ponuntur, sed cum verbis autographi paululum discrepantes.

Ad quartum ita: Suspiro in affectu et desiderio omnis boni, quo indigent homines ad laudem Dei et utilitatem sui, suspiro etiam in unione desiderij tui diuini, quod bone JESV in terris pro humana salute habuisti.

Ad quintum, Suspiro in unione omnis orationis, quae bone JESV ex diuino corde tuo in Sanctos omnes profluxit, et pro salute omnium tam uiuorum quam mortuorum; desydero etiam, ut omnem mei hac nocte dormientis flatum, tali intentione tractum[a], et ad te factum suscipias. His quinque suspirijs munitus, feliciter obdormies, et qui uotis amantis animae nihil negare potest, in sua diuina uirtute complebit illa desideria."

Subiungit Canisius hanc considerationem[1]: „Quid minus facere homo potest, quam gemere uel suspirare? et tamen ubicunque fuerit, suis suspirijs, si uelit Deum sibi quodammodo intrahit. Omnibus rebus communiorem se fecit Deus. Quid minus aut uilius filo uel festuca? quae uoluntate tamen hominis acquiri non potest. At Deum ipsum homo sola uoluntate, ac uno gemitu habere, et ingemiscendo sibi intrahere potest. Vnde Psal. 11. Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam[2]. Surgente autem Christo annon sancti omnes pariter surgunt, offerentes in consolationem gementis animae omne seruitium, quod in terris agendo uel patiendo exhibuerunt[b], in laudem aeternam Deo, ac gratiam illi impetrantes, qui in paupertate spiritus[3] ad Deum ingemiscit. Quod si gemitus unus tam excellenter a Deo acceptatur, ut Christus etiam ipse pro anima illa Patri laudes, uel quicquid desiderat, offerat, ac pro ea suppleat, quomodo tristitia pauperi[c] ulla remanebit?"

Alibi Canisius haec manu sua adnotavit[4]: „Cor Jesu tanto erga nos flagrat amore, ut paratus sit ille Dei et uirginis filius, immo desideret pro te solo sustinere intus et foris amara omnia, quae pro toto mundo sustinuit, priusquam tua salus impediretur, uel una periret anima, et a Deo perpetuo separaretur."

Inter varias tandem preces, quae „ad pulsum horae, uel ad initium operis" recitari possent, Canisius etiam hanc propria manu atque in proprium usum litteris mandavit[5]:

„Laudo et glorifico te dulcissime et benignissime Jesu in[d] omnibus et pro omnibus bonis, quae tua gloriosissima diuinitas, et beatissima humanitas operata est in nobis per nobilissimum instrumentum cordis tui, et operabitur in secula seculorum."

Christus Canisio in terris quoque speciale aliquod amoris huius praemium tribuisse videtur. Nam cum Friburgi Helvetiorum in templo S. Michaelis, in cuius presbyterio corpus Canisii anno 1625 sepultum est, cordi Iesu peculiare sacellum numquam dicatum esset, annis tandem 1833 et 1834 (quo tempore ad processum beatificationis Canisii, diu interruptum, reditum est) in honorem eiusdem cordis ex lapidibus quadratis exstructum est sacellum sat grande, iuxta ecclesiam situm cum eaque coniunctum atque hemisphaerio tectum[6]. Anno autem 1864, cum ob instantem Canisii beatificationem corpus eius e crypta chori extrahendum et sollemniore loco collocandum esset, in ipso altari cordis Iesu reconditum est, atque ita sacellum cordis Iesu factum est sacellum canisianum.

---

[a] *Sequitur* suscipias, *a Canisio ipso postea deletum.*
[b] *Canisius correxit* exhibentes *ex* exhibuentes.
[c] *A Canisio correctum ex* pauperis.
[d] *A Canisio ipso correctum ex* Deus pro.

---

[1] Cod. „Scripta B. P. Canisii X. K." p. 135; etiam apud *Schlosser* p. 454—455, sed nonnihil immutata. Pars est etiam in *„Positione super virtutibus"* l. c.
[2] Ps. 11, 6. [3] „Beati pauperes spiritu" etc. (Matth. 5, 3).
[4] * Cod. „Scripta P. Canisii X. I." f. 73[a]. *Schlosser* haec non posuit.
[5] Cod. „Scripta B. P. Canisii X. K." Etiam apud *Schlosser.*
[6] *Dictionnaire géographique, historique et commercial du Canton de Fribourg* (Fribourg 1886) p. 183. 184.

IV.

Ex *Pythone* (p. 63—66), qui praefatur: „De hoc Doctoratu agens cum Deo Canisius ita loquitur.“ Scribendi ratio in hac parte eadem est atque in Confessionibus. Maxima pars germanice versa est a *Riess* p. 85—86.

Canisius cum sociis Bononiae ad gradum doctoris theologiae promotus; quales in eo tunc fuerint affectus timoris et demissi animi, oboedientiae et confidentiae; quanti momenti meritique id docendi munus sit; Sancti Petronius, Dominicus, Franciscus; Cardinalis de Monte.

Dum ante Doctoratum[1] de respondendo solicitus essem, mihique timerem ob severitatem futuri examinis, ostendisti, Domine, tenebras, quibus cor meum tunc offuscabatur, et lucem serenitatemque turbato animo reddere dignatus es. Nam et desiderium adjecisti, ut ignorantia mea, quam detegi nolebam superbus, in eo examine cognosceretur, neque falsum de me sentirent homines, sed id ipsum, quod in me erat clare conspicerent: atque ita ex propalata vilitate, ignorantia, et indignitate mea proficere me posse et debere sentiebam, id quod tum ad humilitatis conservationem, tum ad veritatis zelum mihi conducere videbatur. Quare magna confidentia me tunc examinandum praebui, tuoque Spiritu consolatus de successu ipso, qui post non defuit, dubitationem et solicitudinem omnem abieci[2]. Deinde[3] Festo S. Francisci Seraphici[4], ac S. Petronij Bononiensis Episcopi[5] gratia tua, Domine, excitabat me et praeparabat ad promotionem Doctoratus,

[1] Patribus Alphonso Salmeroni, Petro Canisio, Claudio Iaio, quos Ignatius in academiam ingolstadiensem ad theologiam tradendam mittebat, necessarium ad id munus erat, ut doctores theologiae essent, ideoque Ignatius iis mandavit, ut eam dignitatem sibi compararent Bononiae, quae universitas per totam tunc Europam laudibus celebrabatur; in ea etiam sodalitas „nationis germanicae“ erat, cui annis 1289—1562 4500 fere legum studiosi ascripti sunt (Acta nationis Germanicae universitatis Bononiensis edd. *Ern. Friedlaender* et *Car. Malagola* [Berolini 1887] p. XIV. XXIII). Acta collegii theologici bononiensis, quae nunc in archivo archiepiscopali eius urbis asservantur, ab anno demum 1600 incipiunt, neque etiam in regio archivo bononiensi quicquam hanc Canisii promotionem spectans inventum est; quod Bononia 30. Iunii 1891 editori scripsit *Carolus Malagola* eiusdem archivi praeses. Quae autem alibi reperta sunt, commodius infra ponentur; vide monum. 30.

[2] Canisius eiusque socii die 2. Octobris examen subierunt; vide infra l. c.

[3] In universitatibus italicis (bononiensi, patavina, perusina) ante promotiones academicas (licentiam, doctoratum) non duo examina fiebant, sicut in Germania, sed unum, idque privatum quidem, sed cancellarii iussu; sequebatur sollemnitas promotionis, in qua verum examen ulterius non habebatur (*G. Kaufmann*, Die Geschichte der deutschen Universitäten I [Stuttgart 1888], 363—364. Leges universitatis patavinae anno 1331 factae, ed. *Henr. Denifle* O. Pr. in „Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters“, herausgegeben von P. H. Denifle O. Pr. und Fr. Ehrle S. J. VI [Freiburg i. Br. 1892], 431—440).

[4] Hoc festum die 4. Octobris agitur.

[5] S. Petronius, episcopus bononiensis, inter patronos principales eius civitatis colitur, eiusque festum Bononiae die 4. Octobris agitur, maxime in magnifico templo eidem dedicato (San Petronio). Sacra igitur hac die ipsa sollemnis promotio celebrata est.

quae, licet sola praestandae obedientiae ratione, mihi proposita esset, cum alioquin ab ea non parum ipse abhorrerem, tamen, quod ad promotionem huiusmodi spectat, intelligebam, sibi quam optime consulturum, Tibique summopere placiturum, qui gratiam apud Te quaereret ad bene inchoandum, ad frugifere administrandum, et perficiendum hoc munus, quod in Ecclesia singularis est praemij ac meriti, cum rite peragitur. Unde sanctos tuos omnes rogabam, suo ut favore ac praesidio in hac mihi promotione succurrerent, primum quidem, ne quicquam ex parte indignae ac miserae animae meae obsisteret, quo minus ad statum Doctorum assumerer. Deinde ut in eo felix esset mihi et aliis profectus, illam dispositionis et praeparationis in me gratiam per eosdem sanctos, et merita Christi tui desiderabam, ut in sanctis olim Doctoribus fuisse non est dubium. Qua in re consolationem indignissimo exhibuisti praesertim in Ecclesia S. Petronij, cujus tum Festum erat illic maximum, et coram sacris Reliquiis S. Dominici, in templo Praedicatorum[1], ubi praesens etiam mihi visus est tuus et vere gloriosus Franciscus (nam et illius Festum colebatur) atque ita cum a singulis benedictionem expeterem, ad Doctoris professionem debite suscipiendam, nescio quid fidei et spei conceperim, veluti pollicentibus illis fide iussoribus, et quoad meritum, et quoad successum et praemium status Doctoralis spectaret. Sicut enim ex ore infantium et lactentium divina virtus tua laudem sibi perficit[2]; sic ex eorum opera, studijs, et desiderijs, qui ad professionem tam necessariam rite promoventur, ac etiam inviti assumuntur, potest sane ac vult Bonitas tua glorificari, et ad multorum salutem in Ecclesia operari. Tu das os et sapientiam[3] irrefragabilem; monstras et inspiras viam veritatis[4], cum opus est Nomen sanctum tuum clarificare[5], Ecclesiam defendere, scripturas explicare. Tibi Pater scientiarum[6] laus aeterna, quod servulum tuum ad Doctoratum evexeris per ipsum Legatum Concilij Cardinalem de Monte[7], meque Fratribus M. Claudio et M. Salmeroni parem, in hac conditione, feceris, nimirum supra omne meritum meum, et praeter voluntatem meam, quam Praeposito tamen subijcere volui, ut non tam honorem hunc susciperem, quam, per honorem, onus ipsum adirem, ut, quae nostri essent Instituti, dignius et rectius, per hoc additamentum, perficerem, uti per Patrem Ignatium mihi praecepisti. Quicquid autem ex ea promotione commodi sentiet quisquam, id Tibi, bonorum omnium auctori, tribuatur, ac gloriae tuae et plurimorum

[1] S. Dominicus Bononiae mortuus et in templo conventus S. Nicolai sepultus est. Eius splendidum mausoleum etiam nunc ibidem cernitur.

[2] Ps. 8, 3. [3] Luc. 21, 15. [4] Ps. 118, 30. Eccli. 34, 22.

[5] Io. 12, 28. 2 Thess. 1, 12. [6] 1 Reg. 2, 3.

[7] Ioannes Maria de Monte (postea Iulius III. papa) tunc legationem bononiensem, quae provincia erat status ecclesiastici, administrabat (*Ciaconius-Oldoinus* l. c. III, 600. 799).

saluti serviat, quos indignissimus ego Doctor instituam, et exercere, docereque pergam. Non imprimatur mihi character superbiae, sed crescat in me gravis humilitas, et humilis sinceritas, et accepti talenti prudens et laboriosus sim erogator, non otiosus consumptor, aut stultus profusor[1]. Semper Angelus tuus hoc instillet auribus meis: Qui non fecerit, et docuerit, minimus vocabitur in regno coelorum[2], et, cui multum datum est multum repetetur ab eo[3].

V.

Ex *Riess* p. 90[2], scribente se ex Confessionibus Canisii hausisse; cf. supra p. 5.

De sermonibus sacris, quos Canisius Ingolstadii habuit.

Postquam ad concionandi munus accessi, ut Germanice loqui[4] et loquendo fructificare discerem in vinea Ingolstadiensi[5], visum est immensae gratiae tuae, ut conatus ille communi favore et laude hominum exciperetur. Nam quod unus et alter visus est obstrepere, meliorem postea et commendatiorem successum attulit, ut etiamsi voluissem ab hoc concionandi opere non facile potuerim supersedere[6]. Ita confirmabar magis unius contradictione, quae hos etiam fructus retulit, ut senatum Academicum excitarit mihique faventem maxime reddiderit, orantibus deinde plurimis, ne ab hoc instituto desisterem, et licet concionandi mutarem locum, non tamen imminuebam auditorium, quod etiam saeviente bruma frequens adesse voluit et hora quidem incommoda. Utinam vero sicuti me tua juvit in Evangelizando gratia, sic etiam aliis fructus permaneat.

VI.

Ex vita Canisii, a P. *Iacobo Keller* S. J. scripta, quae est in cod. monac. „Keller, Can. 1“, f. 15[b]—16[b]. Ac Keller quidem sic proloquitur: „Audiamus ipsum Canisium e confessionis suae tabulis“; sed si quis scribendi genus consideraverit, potius dicet particulam hanc ad Testamentum pertinere; in cuius etiam capite quinto (supra p. 48—49) Canisius promisit se de Catechismo suo plura postea dicturum.

Alterum apographum est in cod. monac. „Keller, Can. 2“, f. 15[a]—16[a], tertium in cod. monac. „Keller, Can. 3“, f. 11[a]—12[a].

Particulas *editor* typis exscripsit in „Zeitschrift für katholische Theologie“ (14. Jahrg., Innsbruck 1890) p. 730 et in „Katechismen des sel. P. Canisius“ p. 15 ad 16. 42—43. 100.

„Summa doctrinae christianae“ auctore Ferdinando, rege piissimo, a Canisio conscripta, catholicis pergrata, a protestantibus impugnata, a Tiletano et Busaeo propugnata; Catechismus minor et minimus.

---

[1] Cf. Matth. 25, 14—30. [2] Matth. 5, 19. [3] Luc. 12, 48.

[4] Dialectum Germaniae superioris significat; ipse e Germania inferiore ortus erat.

[5] Infra ostendetur Canisium Ingolstadii 16. Martii 1550 in parochiali quadam ecclesia germanice concionari coepisse.

[6] Haec et quae sequuntur, a Canisio in epistula, quam Ingolstadio 31. Augusti 1551 ad S. Ignatium dedit, magis explicantur.

Cum apud Caesarem Ferdinandum Viennae agerem, et partim in schola, partim in templo sacra profiterer[1], uoluit ille me non solum uiua uoce, sed etiam arrepto calamo laborare, ac suis austriacis in Fide corruptis talem conscribere catechismum, qui leniter lapsos erigere, ac deuios in uiam reuocare per DEI gratiam posset. Parui tanto principi atque patrono, qui nihil habebat antiquius, quam ut orthodoxam fidem, si posset, in suis ditionibus integram incorruptamque redderet, aut certe uitiatam et afflictam restitueret[2]. Prodijt ergo liber, licet sine Auctoris nomine, et huius tantum Principis auctoritate commendatus sub hoc titulo SVMMA DOCTRINAE CHRISTIANAE[3], nec solum in Germanicam, sed aliarum etiam nationum linguas transfusus circumferri, et Catholicis passim usui esse coepit. doctis uiris ita probatus, ut in scholis quoque passim praelectus fuerit. quemadmodum Parisijs, Coloniae, Louanij. Idem opus Poloniam, Hispanias, Italiam Siciliamque peruasit; displicuit duntaxat Protestantibus, ex quorum numero Melanchton[a], Vvigandus, et Illyricus more suo, id est in odium et contemptum Ecclesiae, huic Catechesi Austriacae palam oblatrarunt[4]. Etenim noctuis tenebras amantibus non

[a] Melanthon *Kell. Can. 2.*

[1] Cf. supra p. 48—49.

[2] Canisius „Summae doctrinae christianae" componendae et typis exscribendae operam navabat fere a mense Martio anni 1552 usque ad Martium anni 1555. Vide *editoris* „Katechismen" etc. p. 14—27.

[3] Accuratius tum totus titulus huius catechismi tum ea, quae ad eius compositionem indolemque spectant, ex epistulis Canisii earumque adnotationibus cognoscentur. De titulo cf. „Katechismen" etc. p. 23. 28—33. 80—82.

[4] De Ioanne Wigand et Flacio Illyrico vide „Katechismen" p. 56—59. 64—69. 91—93, et plura infra in epistulis Canisii. *Philippus Melanchthon* in epistula, qua anno 1556 volumen octavum operum germanicorum Lutheri Ioanni marchioni brandenburgensi dedicavit, „Cynicum Canisium" iis adnumeravit, qui contra propriam conscientiam veritatem a se cognitam fallacibus ac malitiosis dicendi artibus persequerentur (Der Achte Teil der Bücher des Ehrnwirdigen Herrn D. *Martini Lutheri* [Wittemberg 1556] f. + IIIJ[a]). In academia vitembergensi circa idem tempus (anno 1555, ut videtur) de evangelico illo „fermento mixto tribus farinae satis" habita est oratio (a Valentino quidem Trutigero recitata, sed fortasse a Melanchthone ipso composita), in qua de Summa Canisii haec dicuntur: „Nuper edita est Austriaca Catechesis, in qua cum alii multi errores stabiliuntur, tum vero renovatur etiam deliramentum de Monachorum votis. Nominant ibi perfectionem Evangelicam simulationem paupertatis et alios quosdam externos gestus. Impudentia scriptoris odio digna est, qui scit Evangelicam perfectionem esse agnitionem nostrae infirmitatis et fiduciam mediatoris et praesentiam Dei in cordibus nostris transformantis nos, ut fiamus similes imaginis Dei, quae λόγος aeterni patris. Haec ne illi quidem scriptori ignota sunt. Sed ut sui theatri plausus mereatur, repetit cantilenam Monachorum, seu Cynicorum potius. Nominat perfectionem illud Diogenis dolium, et mendicitatem pugnantem cum civilis vitae nervis et pulcherrimo ordine legis divinae, quae distinctionem dominiorum sapientissime sanxit. Scilicet huic praestigiatori non sunt perfecti Abraham, Joseph, David, Josaphat, Ezechias, qui divitias et imperia cum tenerent. recte invocaverunt Deum, et custodes doctrinae fuerunt, et invocationem in quo-

potest lux non esse odiosa, ac proprium est Sectariorum, quacunque ratione possunt nobis de manibus arma eripere, quibus Veritatis Catholicae praesidia et castra propugnantur. Sed hostilem et petulantem istorum impetum uiri docti retuderunt maxime Doctor Tiletanus Louanij[1], multoque magis Coloniae Petrus Busaeus, propositis nimirum in medium grauissimis patribus, quorum testimonijs grandi uolumine comprehensis[a], partes eiusdem libri solide stabiliuntur, et praeclare defenduntur[2]. Coactus et ego sum idem opus recognoscere, meumque nomen publice profiteri, ne quis amplius de auctore dubitaret. Potest hic liber maior Catechismus appellari, ut rectius discernatur a Minore, imo et minimo[3], quos ambos libellos in gratiam rudiorum postea euulgaui[4]. Vterque tam[b] gratus Catholicis contigit, ut omnium fere Catechistarum manibus tereretur, et pro lacte puerorum in scholis haberetur, ac simul in templis doceretur, ut Catholicae pietatis elementa commodius inde perciperentur.

[a] comprensis *Kell. Can. 2.* [b] iam *Kell. Can.* 2.

tidianis vitae periculis exercuerunt. Interea perfectum nominat Cynicum illum, scilicet qui inter caeteros Philosophos a Demetrio Phalerensi ad convivium vocatus, cum ei lagena plena generosissimi vini proposita esset, arreptam lagenam impegit capiti Demetrii, inquiens: Non congruere Cynico delicias. Talis est istius Cynici perfectio. Nam et scriptor ille nomen a Cane habet." Declamationum D. *Philippi Melanthonis,* quae ab ipso et aliis in Academia Vuitebergensi recitatae ac editae sunt, nunc primum in gratiam et communem studiosorum utilitatem, ... distinctae opera et studio M. Joannis Richardii J. C. et Mathematici Argentoratensis, Tom. III. Theologicus (Argentorati, excudebat Theodosius Rihelius, sine anno [1570?]), 210—211. Oratio haec etiam edita est Argentorati anno 1559 (*Io. Christoph. Koecher,* Catechetische Geschichte der Paebstischen Kirche [Jena 1753] p. 67), et rursus in „Corpore Reformatorum", ed. *C. G. Bretschneider,* vol. XII (Halis Saxonum 1844), 107—112.

[1] In opere: „CATHOLICAE | CONFVTATIONIS | PROPHANAE ILLIVS | ET PESTILENTIS CONFESSIONIS, | (quam Antuerpiensem Confessionem appellant | Pseudoministri quidam) contra vanas et | inanes cauillationes Mat. Flacci Il- | lyrici, Apologia seu | defensio. | Authore IVDOCO RAVESTEYN Tile- | tano, Doctore Theologo in Academia | LOVANIENSI. | LOVANII, | *Apud Petrum Zangrium Tiletanum.* | 1568. | Cum Gratia et Priuilegio Reg. Maiest. | Subsig. Van der Aa." (16°, ff. 438 et in fine 1 non signat.) f. 225[b]—234[a].

[2] P. Petrus Busaeus (Buys) S. J., noviomagensis, eos scripturae, patrum, conciliorum locos, quos Canisius brevissime tantum (per nomina numerosque librorum et capitum) in margine Catechismi sui indicaverat, totos protulit et e fontibus depromptos explicatosque verbis „Summae" adiecit. Quod opus primo cum titulo „Authoritatum sacrae scripturae et sanctorum patrum" etc. (Coloniae 1569. 1570, 4 voll. in 4°; Venetiis 1571, 3 voll. in 4°) editum est, ac postmodum in unum grande volumen (in 2°) redactum, quod „Opus catechisticum" inscribitur et primum Coloniae anno 1577 ac deinceps ibidem, Parisiis etc. saepius in lucem emissum est. Vide *Sommervogel,* Bibliothèque II, col. 439—442, et *editoris* „Katechismen" etc. p. 136—148.

[3] De his vide prooemium generale et *editoris* „Katechismen" etc. p. 98—135.

[4] Canisium alii 2 catechismos conscripsisse asserunt, alii 3, alii 4; ex hoc loco ea dissensio componi posse videtur.

VII.

Ex *Riess*, p. 96, significante se ex Confessionibus Canisii hausisse; cf. supra p. 5.

Canisius de munere procancellarii academici Ingolstadii a se administrato quaedam refert et crucis amorem declarat.

Deum laudat, quod Ingolstadii sibi non solum firmam valetudinem, sed etiam singularem gratiam dederit, qua factum sit, ut adversis tempestatibus numquam prosterneretur, immo ne in tentationem quidem adduceretur [1]. *Deinde scribit, Deum alloquens:*

Laudavi multos cum crearem licentiatos Procancellarius[2], sed utinam omnes laude dignos et virtute conspicuos laudassem teque magis quam meipsum et alios commendare voluissem, quia summa laudum et virtutum a te, et ad te solum, nobis autem confusio faciei[a] [3]. Laudatus[b] tunc frequenter et ego, ut multi norunt, dum susceptae conor provinciae respondere, sed videant illi quam debite laudibus effecerint vere contemtibilem[c].

Utinam mihi sapiat crux tua, Rex aeternae gloriae, utinam desipiat mundus cum suis illecebris et fucis, contra quos armari debebam paupertate sancta, et exemplo martyrum Patrumque in hac Societate omnium, qui contemptu gaudent, et omni laborum ac tribulationum genere exercitati, non nisi submisse de se sentiunt et loquuntur.

VIII.

Ex *Riess*, p. 97—98, scribente haec a Canisio ipso in „Confessionibus“ narrari.

Deus Canisio magnam progeniem spiritualem promittit.

Nach Strafsburg berufen[4], sollte ich mit Nächstem, so schien es, dahin abgehen, unter der Führung Deiner Vorsehung, o Gott, in dessen Händen alle meine Wege sind, der Du mein Erbtheil[5] und der Anker meiner Hoffnung bist; aber als ich mit etwas zu ängstlicher Spannung der brieflichen Weisung zur Abreise entgegensah, hast Du die Augen meiner Seele geöffnet, Du wahres Licht der

[a] *Ex Riess cognosci non potest, num in Confessionibus huic sententiae et ei, quae hic ei subiungitur, aliae sententiae interpositae sint.*

[b] *Supplendum esse videtur* sum.

[c] *Fortasse huic quoque sententiae et ei, quae subiungitur, in Confessionibus aliquid interpositum erat.*

[1] „Gott verlieh ihm auch, wie er in seinen Bekenntnissen anerkennt, neben einer anhaltenden Gesundheit die besondere Gnade, dass er ‚durch keinen widrigen Sturm zu Falle oder auch nur in Versuchung gebracht worden wäre‘“ (*Riess* l. c.).

[2] Dignitatem quidem ac salarium procancellarii ingolstadiensis Canisius constanter recusavit; eius autem muneris partes ab autumno anni 1551 usque ad proximum mensem Februarium supplevit. Plura de hac re vide infra in epistulis, et in monumentis 67—74. [3] Dan. 9, 7.

[4] Capitulum ecclesiae cathedralis argentinensis mense Septembri anni 1551 Canisium per litteras rogarat, ut apud se concionaretur. De qua re plura infra.

[5] Ps. 15, 5.

Geister, die in ihr verborgenen Finsternisse enthüllt und die Helle Deiner Gnade und Deines Friedens in ihr angezündet, damit ich alle Sorge abwürfe und mit starkmüthigem Herzen Dir Alles übergäbe und anheimstellte und in Ruhe und Sicherheit der Abhängigkeit von Dir lebte. Welche Fülle der Barmherzigkeit sodann Du am Tage, da die Kirche Petri Stuhlfeier begeht[1], mir Deinem Knechte unmittelbar vor der Communion gewährt hast, ist Dir bekannt, indem Du mir von Dir aus unverhofft, unter Lossprechung von meinen Sünden vollkommenen Ablafs, für die Heilung meiner Seelenwunden wirksamste Arznei, bezüglich der Gaben des hl. Geistes die reichlichste Verheifsung, zur Befestigung und Vollendung in meinen Gelübden, Wünschen und Vorsätzen vollkommen ausreichende Gnade, wie mir vorkam, anbotest. O wie süfs und stark war Deine Tröstung, die kurz zuvor empfangene Hoffnung vermehrtest Du, dafs Du mir nämlich, wie dem zuvor kinderlosen Abraham, eine unübersehbare Nachkommenschaft geben würdest[2], die in Deinem Hause aufwüchse und beharrte bis zum Ende[3] und allezeit durch mich Dich, den wahren lebendigen Gott, lobte und Deine Herrlichkeit verbreitete, wie das hl. Geschlecht Abrahams. Es war eine gute Fügung, o weisester Fürsorger und Hüter meiner Seele, dafs ich wider alles Erwarten, da ich nach Strafsburg abgehen zu sollen wähnte, plötzlich Befehl nach Wien erhielt[4] und jenem neuen Colleg meiner Brüder, das der römische König errichtet, zurückgestellt wurde[5], nachdem ich zu lange die Freiheit zu Ingolstadt gekostet hatte und wohl nur unter Gefahren und Schwierigkeiten den Hoffnungen und Erwartungen derer zu Strafsburg entsprochen hätte.

IX.

Ex *Riess*, p. 115, scribente se ex Canisii Confessionibus hausisse; cf. etiam supra p. 5.

Canisius ostendit, quam commode sibi acciderit, ut Viennam mitteretur.

Viennam mittor et novo illic fratrum Collegio, quod Rex Romanorum erigit, restituor, qui nimis diu libertate usus Ingolstadii manseram[a][6] . . .

[a] *Riess indicare videtur huic sententiae et sequenti aliquid interpositum esse; ceterum cf. hanc sententiam cum extrema parte nr. VIII.*

[1] Riess: „also am 18. Januar". Sed eo tempore festa „cathedrae Petri antiochenae" et „cathedrae Petri romanae" simul fiebant 22. Februarii. Paulus IV. anno 1558 cathedram romanam in d. 18. Ianuarii transtulit, antiochenam suo loco reliquit (*A. I. Weidenbach*, Calendarium historico-christianum [Regensb. 1855] p. 121).

[2] Cf. Gen. 18, 18; 22, 17. [3] Matth. 24, 13.

[4] Ignatius 28. Ianuarii 1552 sociis ingolstadiensibus mandavit, ut intra decem dies post acceptas litteras suas Viennam abirent. Qui ineunte Martio abierunt. Vide infra. [5] Cf. supra p. 48.

[6] Ingolstadiense collegium tunc nondum exstabat.

Viennae autem multiplex mihi causa fuit et necessaria satis, ut schola obedientiae exercitaret corpus et animam meam, ut praesentia patrum et fratrum admoneret me de reformandis omnibus, quae tum in studiis, tum in moribus et tentationibus meis opus habebant ali [?][a] subsidio et patrocinio.

X.

Ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. scripto, quod est in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 204b. Librarius adnotat Canisium haec in „diario“ „propria manu“ scripsisse.

Deus lutheranis iratus.

Memini Domine cum in templo Augustae Cathedralj orarem[1], quam iratus, et uere terribilis[2] appareres, extensa quodammodo dextera iustitiae tuae, paratasque sagittas proferens, quas in Lutheranos conijcere[b] velles[3]. Nam occurrebant graues in illos querelae tuae, Accusabas synagogam Sathanae[4], quod tuam Ecclesiam hostiliter persequeretur, quia honorem tuum, cultum tuum, sacramenta tua uiolarent, ac secum in eandem perditionem innumeros in dies pertraherent.

Appendix Confessionum.

a) Ex apographo, sub initium saeculi XVII. Friburgi Helvetiorum (a P. Martino Licio, collegii rectore?) scripto, quod est in cod. „Scripta de vita et laudibus B. Petri Canisii“ X. Lb (C. 47). Librarius praefatur: „Ex scheda propria manu [P. Petri Canisii] scripta nuper inuenta.“

Puero mihi Coloniae, ut in timore DEj fortior essem, hi versiculi familiares fuerunt, quibus meipsum ad pietatem excitabam.

Intus uiue DEO, lumen[c] venerare propinquum,
Totus uiue DEO, totus tibi despice mundum:
Sit labor et studium, scopus ac intentio sola
Velle placere DEO, uilem contemnere mundum.

b) Canisius adulescens, antequam Societatem Iesu ingrederetur, hoc sibi verbum delegise videtur, quod tamquam signum sequeretur:

PERSEVERA.

Nam hoc verbum eius manu maiusculis litteris depictum cernitur in fronte codicis, quo Coloniae anno 1538 primum uti coepit[5], et P. Iacobus Kritzradt[6] de eo

[a] *Ita Riess; sed legendum esse omnino videtur* tali.
[b] complere *apogr.* [c] *Sic. Legendumne* numen*?*

[1] Canisius primum mense Iunio anno 1555 Augustam Vindelicorum (Augsburg) ad breve tempus venit; nisi forte iam initio anni 1547 ibidem paulisper moratus est. Annis 1559—1566 ibidem in ecclesia cathedrali contionatoris munus administravit. Postea quoque saepe Augustae fuit, ac fortasse etiam, idque postremum, anno 1584.
[2] Ex. 15, 11. 2 Esd. 1, 5. Ps. 46, 3 etc. [3] Cf. Ps. 7, 13—14.
[4] Apoc. 2, 9; 3, 9.
[5] Cod. „Scripta Can. X. A.“ folio tertio, quod olim erat primum.
[6] De eo vide supra, in descriptione codicum.

testatur: „in Dionysio Carthus. Coloniae apud Quentel 1537 impresso Collegio inscripto fol. [1] scripsit ante et retro aliqua sua manu 1540 cum lemmate infra scripto PERSEVERA.“ [2]

IX.

EPISTULAE A CANISIO ET AD CANISIUM DATAE 1541—1556.

1.

CANISIUS WENDELINAE CANIS,

sorori [3].

Colonia ineunte aut exeunte anno 1541.

Ex opere: *„Mengelingen voor Roomsch-Catholijken“*, Tweede Deel (Te Amsterdam 1808) p. 131—133. Editores usi sunt exemplo sibi misso ex oppido Rees, ad provinciam rhenanam regni borussici nunc pertinenti, ab Henrico Gualterio Eskes, ecclesiae collegialis illius oppidi canonico; qui et ibidem 15. Februarii 1808 testatus est exemplum illud omnino congruere cum archetypo, in 4⁰, quod vocant, scripto. Hoc igitur anno 1808 in eo oppido exstitisse videtur; annis 1884 et 1885 frustra quaesitum est tum ibidem in archivis parochiali et oppidano, tum Dusseldorpii in archivo regio, in quod sublati illius capituli reesensis tabulae translatae sunt.

Sororem reprehendit, quod in Dei servitio neglegens sit, ac monet, ut omnes res creatas spernat et in Deo solo delectetur.

In [4] allen vue leden sije een varechtige stervende leuen to alle tijden.

Ghi scriuet lieue Suijster, men sold woor v bidden, dat ghi des werlts strijke kust ontgaen. Nu weetet, dat geen Gebeden woel beeterungh aen u doin konne, vant ghi niet bereijt v trachhaffte [?][a] hart [5]

In [4] omnibus membris tuis semper sit vita vere moriens.

In litteris tuis, cara soror, petis, ut precationes pro te fiant, quo laqueos mundi effugere possis. Porro scito nullas preces plenam in te emendationem efficere posse, nisi pigrum cor tuum [5] ad ea comparaveris, quae a Deo expetis; si

[a] trach saffte *Meng.*

[1] Kritzradt significare vult opus illud „in folio“ editum et iam bibliothecae collegii coloniensis attributum esse.

[2] Cod. „Hist. coll. Col.“ in anno 1542. Kritzradt haec verba margini ascripsit.

[3] Wendelina Godefrido van Triest nupsit; qui consul neomagensis factus est. *Bongaerts* l. c. p. 4. *Van den Bergh* l. c. p. 10. Complures supersunt epistulae, quas Canisius ad piam hanc feminam dedit.

[4] Prima haec Canisii epistula theologiam illam mysticam sapit, quam Carthusiani colonienses et Nicolaus Eschius Canisii praeceptor diligenter colebant.

[5] Editores neerlandici sic vertunt: „uw traag en weeldrig hart.“

daer toe, dat gi gern hed van God. Vant ghi soe koeldelijch on slappelijch v haldet in God toe dienen — on deggelijks aen tast on handeldt versumelijch dat perk, dat woort-aen meer en meer aen u becleeue werd, ond weijtlijch u periculoser on soergelijcher dagelijcks werdet beflekken, on onreijnichen. En om deese versumelijche trachheit in Goddes oijffeninche, soe en smact v werstumde Harts niet woe suijte on lijffelijche God sije[1], en woe genuijchelijke doch weere die eijncke straten[2], die ind begind bepaet en bespreijt sijn mijt neetelen, mit doornen, on mijt distelen, dae doer die leutere Bruijt gaen moijt mijt bloete woete, en mijt nachte wleijsch, sal sij anders omhalsen oeren oijtverkoren broideg-om [?][a], weijlliche sije moitet werlaten all wat God niet is, om [?][b] aen irsten all Hoeverdije, all Kostelheit, Sijraet, Pomperij, Geneuijcht on Trost in eeniche creatuijrliken dijnchen. Mer wuer moijt sijch God werbermen, die Ghi suijcht in genuijchte den Geest, onde wuen God onder waluijst on sijnlijchheit. Soe bid ich dem Heijlige Geest woor v, dat hij werlijchtet vue duijternifs[3], dae Ghi onweetelijch en versuijmelijch sufs in leeft. En ick nemet in Danck wue rijdez, Ende bid v wijllt deesen brieff halde ind heijmelijch, on leert v sterven in allen onvolkommen begherte on gedachnen.

Gescreeven woor een seelige nijen iaer an XLI van v broider PETR KANIJS.

Aen mijn lieve Suijster WENDELL KANIJS, tzo Nijmmegen.

---

tam frigide et neglegenter in Dei servitio te geras — et similiter, quae officii tui sunt, tanta cum neglegentia aggrediaris et praestes; — quae magis magisque tibi inhaerebit, atque in dies periculosius et gravius te maculabis ac contaminabis. Et quia tam neglegens et pigra es in exercitiis sacris, sensu carens cor tuum non gustat, quam dulcis et amabilis sit Deus[1], et quam iucunda foret arta illa via[2], quae initio urticis, spinis, carduis consita et circumfusa est; per quos sponsae castae cruentatis pedibus et nuda carne transeundum est, ut electum sponsum suum amplecti queat; propter quem omnia derelinquere debet, quae non sunt Deus, atque imprimis omnem superbiam, omnes apparatus magnificos, ornamenta, pompas, delectationes et solacia, quae capiantur ex rebus quibuslibet creatis. Sed tui misereatur Deus, quae in deliciis corporis quaeris spiritum, et Deum tuum inter libidines et voluptates! Itaque Spiritui Sancto pro te supplico, ut tenebras tuas illuminet[3], in quibus imprudenter et neglegenter tibi indulges; et gratias ago tibi pro iis, quae mihi dixisti, et rogo te, ut has litteras tibi soli missas putes; et disce tibi ipsa mori in omnibus desideriis et cogitationibus vitiosis. Haec scripsi in proximum annum laeta tibi optans ominansque, anno XLI. Frater tuus Petrus Kanijs.

Carae sorori meae Wendelinae Kanijs, Neomagi.

---

[a] *Sic. Videtur esse legendum* broidegom, om.

[b] *Fortasse librarius vel typographus vocabulum* „om", *quod in autographo ante* „weijlliche" *scriptum erat, perperam huc transtulit; nisi* weijlliche *sit* = wijl (omdat) *et* om aen *mutandum sit in* on aen *vel* on aem.

---

[1] Cf. Ps. 33, 9. 1 Petr. 2, 3. [2] Cf. Matth. 7, 14.
[3] Ps. 17, 29.

Ex Canisii verbis haud clare intellegitur, utrum ante an post initium novi anni, exeunte an incepto tantum anno 1541 scripserit; sed probabilius est exeunte anno 1541 eum scripsisse. Ecclesia coloniensis anno 1310 lege synodali constituerat annum in posterum festo nativitatis domini (25. Decembris) incipiendum esse [1].

Epistula haec memoratu digna est etiam propter rationem, qua Canisius nomen suum subscripsit. Ad quae notare iuvat Canisiorum noviomagensium nomen tunc variis modis scriptum esse: Kanys, Kanisius, Canis etc. Ita v. g. liber scabinorum neomagensium (Schepenboek van Nijmegen) de patre Petri nostri Canisii ad annum 1519: „Iacobus Kanis dedit Egidie uxori suae" etc.; ad proxime secutum autem annum: „Mgr. Iacobus Canis [profitetur] se debere Iacobo de Rijswick" etc.; ad annum 1560: „Theodericus Canisius et Wendelina uxor ejus"; ad annum 1568: „Otto Canis senator Arnhemensis potentiavit Gisbertum Kanis ejus fratrem." Idem ex aliis quoque scriptis illius temporis intellegitur; v. g. in diplomate quodam, 27. Iulii 1524 confecto, „Iacob Kanys" nominatur; in alio, 16. Maii 1576, „Gerardus Canisius"; in alio, 20. Aprilis 1586, „Gerit Kaniss". „Gisbert Kanijs" anno 1574 inter magistros („meisteren") confraternitatis cuiusdam comparet („Ellendige Broederschap"); anno 1596 „Michiel Kanis" uxori suae 1000 florenos dat [2]. Apud Societatem nostram codex exstat, in quo Canisius noster ipse scripsit: „Petrus Kannees Nouiomagus. Anno 1538. m. Sept." [3] P. Ioannes Polancus, Societatis Iesu secretarius, aliquando scripsit: „Petrus chanisius." [4]

Quaeri etiam potest, num (quod complures dicunt) verum ac proprium Canisii nomen fuerit „De Hondt" sive „De Hond" [5]. Asserunt familiam Canis neomagensem ortam esse ex „Doornik" et nomen sibi imposuisse ex vicino quodam praedio suo, quod „op den Hond" vocabatur; asserunt, inquam, haec; sed non probant [6]. Equidem in monumentis archetypis saeculorum XV. et XVI., quae ad hanc familiam certo spectant, nomen „Hondt" non repperi, neque repertum est in iisdem a Ludovico Philippo van den Bergh, tabulariorum neerlandicorum summo olim praefecto [7]. Anno quidem 1392 in tabulis capituli, quod tunc Cliviae exstabat, „Peter Canis dictus de Hondt" comparet [8], et ex alio quodam monumento antiquo intellegitur „Henricum

---

[1] *Ios. Hartzheim* S. J., Concilia Germaniae IV (Coloniae 1761), 125.

[2] *L. Ph. van den Bergh*, Het Geslacht Kanis p. 9. 10. *I. G. Ch. Joosting*, Inventaris van het Oud-Archief der Nijmeegsche Broederschappen (Nijmegen 1891) p. 235. 308. 315. 496. *B. F. W. von Brucken-Fock*, Het Geslacht Roukens, Bijvoegselen (Oisterwijk 1893) p. 3.

[3] * Cod. „Scripta B. P. Canisii X. a." p. 4.

[4] Ita Polancus Canisii nostri nomen conformavit in litteris, quas iussu S. Ignatii Roma 7. Februarii 1548 Coloniam ad Adrianum Adriani et Leonardum Kessel misit; * autographum est in cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I." f. 36.

[5] Ita v. g.: „Petrus Canisius, der ursprünglich de Hondt hiess" etc. (*Ios. Ritter von Aschbach*, Geschichte der Wiener Universität III [Wien 1888], 145). „Petrus Canisius, uit het geslacht Canis, de Hondt" etc. (*I. W. Staats Evers*, Nijmegen [Arnhem 1891] p. 101).

[6] Ita *Iac. Kok*, Vaderlandsch Woordenboek. Negende Deel. Tweede Druck (Te Amsterdam 1788) p. 50. Kok de Canisio nostro complura falso affirmat: obiisse Romae 27. Decembris 1596 (obiit Friburgi Helvetiorum 21. Decembris 1597), praepositum generalem Societatis Iesu factum esse etc. Kocium in nomine Canisii explicando secutus esse videtur *N. C. Kist* in „Nederlandsch Archief voor kerkelijke Geschiedenis. Door N. C. Kist en H. J. Royaards" IV (Leiden 1844), 362.

[7] „Nooit toch is mij zelfs in Nederduitsche stukken van dien tijd de naam de Hondt anders dan als vertaling voorgekomen; de familie noemt zich somtijds Canis, maar de gewone door haar gevolgde schrijfwijs is Kanis en de geleerden onder hen voegden er een ius achter en schreven Canisius" (l. c. p. 2).

[8] *Van den Bergh* l. c. p. 3.

Hont de Arnhem" initio saeculi XV. (1409—1416) decanum capituli S. Plechelmi in Oldenzaal fuisse [1]; atque Ioanni „de Hondt" sive „Canio", canonico curtracensi, Erasmus Roterodamus annis 1524—1527 aliquot epistulas misit [2]. Sed hos Hondios ad familiam „Canis" neomagensem pertinuisse certo non constat. Multae enim olim in Germania exstabant familiae, quibus nomen „Hundt" vel simile erat: in Tiroli, Carniola, Franconia, Saxonia, Hassia, Borussia orientali etc. [3] Wiguleus Hundt, ducis Bavariae consiliarius, Canisio aequalis et amicus erat. Etiam nunc in Bavaria comites „Hundt von Lauterbach", in Borussia liberi barones „von Hundt und Alten-Grottkau" et domini „Hundt von Hafften" exsistunt [4]. Nec tamen hos cum Canisiis neomagensibus cognatos esse compertum est. Attamen hos quoque olim nomen „Hundt" vel potius „Hondt" habuisse utcumque verisimile dicendum est, praesertim cum eorum insigne praeter alia etiam imaginem canis contineat atque idem vel fere idem sit atque insigne familiae „Hundt von Hafften" [5]. Saeculis XVI. et XVII. atque ineunte XVIII. praedium „Neerhoven" sive „Nierven" prope vicum Nuth (nunc provinciae limburgensis regni neerlandici) situm familiae „Canisius" erat, quae etiam „Hundjens" vocabatur [6]. Exeunte saeculo XV. etiam in Italia familia quaedam „Canis" vel „de Canibus" (Cani, dei Cani?) exstabat. Nam Ioannes Iacobus „Canis" vel „de Canibus" eo tempore in academia patavina ius professus est et annis 1476, 1479, 1488 etc. Patavii, Venetiis, Bononiae opus „De modo studendi in iure" aliosque libros de iure, carmina etc. in lucem emisit. Ac complures hunc ipsum Petri nostri Canisii patrem fuisse asseruerunt [7]. At falso id quidem; nam Petri Canisii patrem in Italia professorem fuisse numquam compertum est; ac patavinus ille iam anno 1468 opusculum conscripsit, cui titulus: „De Inivriis Et Damno Dato Rvbrica" [8]; sin autem libri huius auctor Petri Canisii pater fuisset, dicendum esset hunc plus quam 90 aetatis annos attigisse; quos si attigisset, id certe a Petri Canisii biographis atque immo a Petro ipso memoriae traditum esset.

---

[1] *Archief voor de Geschiedenis van het Aartsbisdom Utrecht* III (Utrecht 1876), 288—290.

[2] *Des. Eras. Roterod.* Epistolarum opus (Basileae 1558) p. 635—636. Magni *Des. Erasmi* vita; acced. epistolae illustres (Lugduni Batavorum 1615) p. 136—143.

[3] *Manfr. Mayer*, Leben, kleinere Werke und Briefwechsel des Dr. Wiguleus Hundt (Innsbruck 1892) p. 9 [1].

[4] Medio saeculo XVIII. Hagae Comitis ('s Gravenhage) bibliopola degebat, cui nomen erat „P. De Hondt". Cuius complures * epistulae autographae ad cardinalem Passionei anno 1752 datae nunc in bibliotheca vaticana exstant, cod. vat. lat. 9812 f. 337—359. Anno 1878 Stutgardiae editum est opusculum „Abraham Lincoln. Von Dr. Theodor Canisius".

[5] Similia insignia, in quibus tamen canis non cernitur, habent familiae Chatillon, van Haeften.

[6] *Ios. Habets*, Beschrijving der voormalige Heerlijkheid Nuth (Roermond 1880) p. 17—18.

[7] *Bongaerts* p. 4. Collection de *Précis historiques* XXV (Bruxelles 1876), 23. *L. H. Chr. Schutjes*, Geschiedenis van het Bisdom 's Hertogenbosch. Vijfde deel (St. Michiels-Gestel 1876) p. 267 [2]. Atque hunc *editor* ipse secutus est in „Zeitschrift für katholische Theologie", 14. Jahrg. (Innsbruck 1890), p. 721.

[8] *Lud. Hain*, Repertorium bibliographicum. Vol. 1, P. 2 (Stuttgartiae et Lutetiae Parisiorum 1827), n. 4321—4333. *I. G. Th. Graesse*, Trésor de livres rares et précieux II (Dresde 1861), 35. Bibliotheca instituta et collecta primum a *Conrado Gesnero*, amplificata per Iohannem Iacobum Frisium (Tiguri 1583) p. 371. 459.

2.

CANISIUS

WENDELINAE VAN TRIEST,

sorori.

Colonia 23. Martii 1543.

Ex libello periodico „Collection de Précis historiques . . . sous la direction de *Ioseph Broeckaert*“ S. J. XXV (Bruxelles 1876), 26—27. Una cum hac epistula in eodem libello primum editae sunt litterae, quas Canisius ad cognatos dedit 1544 [?] Dec. 27., 1546 Oct. 30., 1553 Aug. 20., 1574 Oct. 12., 1579 Dec. 20., 1585 Iun. 16. (ibid. p. 25—29. 77—84). At editor anonymus (ante complures annos mortuus) solum versiones gallicas harum epistularum proponit a se confectas; Canisium autem ipsum primas quattuor epistulas lingua vlamica scripsisse affirmat cum aliquot germanismis mixta, ceteras germanica. Archetypa interpres ipse habuit; sed unde acceperit vel quo miserit, non liquet. Ego annis 1892 et 1893 in Belgio et Hollandia frustra quaesivi; in domo aliqua privata ea latere suspicor.

Poterat quidem sola versio latina, ex gallica deducta poni, omissa ipsa gallica; sed melius visum est hanc quoque lectoribus offerre, quia versionibus quantumlibet accuratis sententia auctoris aliquantulum mutari scriptique color quasi diminui solet.

Epistula usus est *Ios. Hansen*, Die erste Niederlassung der Jesuiten in Köln 1542—1547, in „Beiträge zur Geschichte vornehmlich Kölns und der Rheinlande“ (Köln 1895) p. 174[1].

Sorori timorem Dei et paenitentiam commendat, exemplo boni latronis proposito. Superbia mundi fugienda, maxime in vestibus et ornamentis. Liberi diligenter custodiendi. De baccis iuniperi emendoque vino quaedam addit.

Conformément à la résurrection du Christ, vivons dans la nouveauté de notre vie, de sorte que nos anciens défauts demeurent morts et ensevelis avec la mort et l'ensevelissement de Notre-Seigneur[1].

Chère sœur, conservez-vous forte dans la foi chrétienne, et apprenez ainsi à mépriser la vanité du monde et la concupiscence de la chair. Vous n'arriverez jamais à cela, à moins que vous ne restiez ferme dans la crainte de Dieu qui est le commencement de la sagesse[2]. C'est pourquoi soyez toujours soigneuse sous les yeux de votre Seigneur et juge sévère. Les jugements de Dieu sont profonds et terribles[3]. Par sa miséricorde nous ferons toujours en sorte que nous nous conformions à sa justice. Les hommes

Sicut Christus resurrexit, ita et nos in novitate vitae nostrae vivamus, ut vetera peccata nostra commortua et consepulta maneant morti et sepulturae domini nostri[1].

Cara soror, serva te fortem in fide christiana, sicque disce vanitatem mundi et concupiscentiam carnis spernere. Ad hoc autem numquam pervenies, nisi firmiter perstabis in timore Dei, qui est initium sapientiae[2]. Propterea semper sollicita esto in conspectu domini tui iudicisque severi. Iudicia domini profunda sunt et terribilia[3]. Per cuius misericordiam semper ita agemus, ut ad iustitiam eius conformemur. Ac caeci quidem homines vana seducuntur fiducia, quam in

[1] Cf. Rom. 6, 4—6. Canisius secundo ante pascha die haec scribebat.
[2] Ps. 110. 10. [3] Cf. Ps. 35, 7: 65, 3.

aveugles se laissent séduire par une vaine confiance en la miséricorde de Notre-Seigneur; nous, nous considérerons le profond repentir du bon larron[1] et penserons quelle prudence il y a eu en lui. C'est ainsi qu'il a dit avec un plein abandon: „Seigneur, souvenez-vous de moi dans votre royaume.“[2] Un si profond repentir ne nous sera pas accordé, si nous ne nous appliquons pas à écouter et à suivre la voix de Dieu qui nous dicte dans notre conscience de faire ou de laisser ceci ou cela par amour pour lui. Nous faisons donc bien d'observer si nous employons notre temps pieusement et utilement et de nous préserver soigneusement d'occasions mauvaises et de soucis inutiles. Gardez-vous surtout de l'orgueil du monde, qui maintenant consiste surtout dans les ornements usuels, les bijoux et l'élégance [reprochable dans les habits][a]. Communément les gens sont si aveuglés et si enveloppés par cet orgueil qu'ils n'y voient pas de péché; mais, à la fin de leur vie, ils seront autrement éclairés et alors il n'y aura plus de temps pour faire pénitence.

Vous parlez comme d'un nouveau fruit (enfant[3]). Vous voulez conserver cela avec vous (garder là-dessus le secret). Les mères ont la coutume d'être très-folles de leurs premiers enfants. Tâchez d'éviter cela, et sachez que vous devez garder soigneusement vos enfants, pour qu'ils puissent conserver leur innocence et qu'ils grandissent dans la crainte et le service de Dieu. Aujourd'hui on ne fait pas attention à cela. Je vous remercie du genièvre[4] qui me

---

misericordia domini nostri collocant; nos vero paenitentiam magnam boni latronis considerabimus [1], ac perpendemus, quanta in eo fuerit prudentia. Itaque ille animo plene resignato: „Domine,“ inquit, „memento mei in regno tuo.“ [2] Tanta paenitentia nobis non concedetur, nisi diligenter audiemus et sequemur vocem Dei in conscientia nostra nobis dictantis, ut hoc illudve pro eius amore faciamus vel omittamus. Convenit igitur attendere, num pie et utiliter tempus nostrum expendamus, et occasiones pravas curasque inutiles diligenter evitare. Cave tibi imprimis a superbia mundi, quae nunc potissimum in ornamentis est usitatis, in gemmis, in cultu [vestium inepto]. Hac superbia homines communiter ita occaecati et perturbati sunt, ut peccatum in ea non cernant; sed in fine vitae alia edocebuntur, et tunc tempus paenitentiae agendae iam non erit.

Loqueris quasi progeniem exspectans [3]. Quam rem tacitam tenere vis. Matres primarum stirpium suarum insano solent amore incendi. Stude ut id vites, et scito liberos studiose tibi esse custodiendos, ut innocentiam conservare queant atque in Dei timore et servitio succrescant. Hoc tempore id non curatur. Gratias tibi ago pro baccis iuniperi [4],

---

[a] [irréprochable dans les habits] *editor belga; sed totus sermo contrarium postulat.*

---

[1] *Editor belga:* „Les réflexions que le bienheureux fait ici sur le repentir sincère du bon larron sont évidemment le fruit de la méditation qu'il avait faite le matin même du vendredi-saint. [2] Luc. 23, 39—42.

[3] Inter filios Wendelinae van Triest nominantur: Iacobus, Everardus, Godefridus (*Bongaerts* p. 4).

[4] *Editor belga* asserit Canisium scripsisse „geinwerais“. Canisius vinum ex baccis iuniperi factum (Genever, Gin, Wachholderbranntwein) significare videtur; quo homines pro medicina tunc utebantur.

convient bien et qui, je l'espère, me fortifiera. Soyez tous recommandés à Dieu!

Cologne, l'année 1543, le vendredi-saint

Pierre Kanijs, votre frère.

Dites à votre mari que, s'il vient ici, il trouvera chez le beau-frère de M. Everarts ou ailleurs ici en ville autant de bon vin à acheter qu'il en a besoin. Ce vin est meilleur que celui que nous avons bu chez lui et qui ne sera probablement plus à trouver. Mais cet achat ne peut pas être en dessous de quarante iochòd (?)[1]. Remerciez Immel[2] de ma part. Il n'était pas nécessaire de m'expédier ce qu'elle m'a envoyé, et il n'y a rien de nécessaire ou de particulier que j'aie à lui écrire.

---

quae bene mihi conveniunt quibusque valetudinem meam firmatum iri spero. Omnes vos Deo commendo.

Coloniae, anno 1543, die per Christi mortem sacrata.

Petrus Kanijs, frater tuus.

Dic marito tuo, eum, cum huc venerit, apud affinem [fratrem uxoris vel maritum sororis] Domini Everarts vel alibi in hac urbe tantum boni vini venale inventurum, quantum ei necessarium erit. Vinum illud melius est eo, quod apud eum bibimus, quodque putarim iam reperiri non posse. Neque tamen haec emptio inferior esse potest quadraginta . . . [?] [1] Immelae [?] [2] meo nomine gratias age. Opus non erat ad me perferenda curare, quae ipsa mihi misit, neque necessarium quicquam vel peculiare habeo, quod ei scribam.

Nota: Editor belga censet Canisium hic eam temporum rationem secutum esse, qua anni festo paschali incipiuntur, ideoque has litteras 11. Aprilis 1544 datas esse. Sed si Canisius novum annum tunc censuisset instare, certe eius aliquam mentionem fecisset, laeta optans etc. Medio quidem aevo colonienses annum saepe incipiebant sabbato sancto sive vigilia paschatis; sed id iam saeculo XIV. ineunte abolitum est [3]. Anno 1543 „parasceve domini“ 23. Martii fiebat.

Haec epistula et praecedens solae supersunt ex iis, quas Canisius misit, antequam Societatem Iesu ingrederetur.

3.

VOTA DEO FACTA
A CANISIO.

Moguntiae 8 Maii 1543.

Ex autographo (4°, 1 pag.), quod est in codice, qui inscribitur „Vota Simplicia“ et incipit „Omnipotente et sempiterno Iddio, Io Joan bolognes“, f. 353.

---

[1] Forte „ochshoofd“, „oxhoofd“, quae mensura erat vinorum et liquorum acriorum et in Germania 3 amphoras (Eimer) vel 6 „Anker“ aequabat. An „iuchart“ = Juchert = iugerum (mensura vinearum)??

[2] Im, Immetje Batavis erat = Emerentiana. Magis autem mihi probatur „Immel“ esse = Himelina; sanctus enim Himelinus (10. Martii) in Brabantia mortuus est, et in antiquiore quodam libro liturgico Neerlandiae inter „nomina vernacula Frisiorum“ invenisse me memini: Ime = Himelinus.

[3] *Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein*, 21. und 22. Heft (Köln 1870), p. 272—280.

Sunt etiam in vita a P. *Iacobo Keller* S. J. scripta; qui asserit se ea ex Canisii „ipsius tabulis ab obitu relictis“ accurate exscripsisse; v. g. cod. monac. „Keller, Can. 3“ f. 2.

Edd. *Raderus,* Can. p. 18—19. *Reiffenberg* l. c. p. 8—9. *Boero* l. c. p. 26—27 (italice). *Riess* l. c. p. 33—34 (germanice). *Séguin* l. c. p. 31 (gallice).

Vovet se Societati Iesu oboedientiam praestiturum et, quantum eiusdem praesides statuerint, paupertatem servaturum ac Romam peregrinaturum et, si in Societatem non recipiatur, in aliam religionem ingressurum.

Ihesus

In nomine domini amen. Anno 1543 die apparitionis S. Michaelis aut in octaua Maij, quae dies mihi natalis est, tribuens initium anni 23 aetatis meae, post maturam deliberationem[1] ego Petrus Kanisius, Nouiomagensis voueo simpliciter[2] DEO omnipotenti, B. virgini Mariae .S. Michaeli archangelo et omnibus sanctis, ex nunc me transiturum ad obedientiam societatis quae dicitur IESV CHRISTI.

Similiter domino DEO et sanctis eis [?][a] promitto firmiter et voueo, quod per diuinam gratiam velim etiam exnunc actualem assumere paupertatem, nisi quatenus et quamdiu Praepositus dictae societatis, aut eius loco M. Petrus Faber impedierit: qui nunc dignatus est me in probationem[3] suae societatis recipere.

Voueo praeterea peregrinationem instituere ad limina S. Apostolorum Petri et Pauli Romae, et hoc quamprimum, si non aliter determinauerit idem M. Petrus. Quod si in ordinem societatis huius me non acceptari contingat, volo me tunc statim obligatum esse secundum consilium ipsorum professorum in eadem societate, ad acceptandum protinus ordinem alium approbatum in vita communi et approbatae obedientiae.

Atque haec omnia dumtaxat propter honorem et amorem IESV CHRISTI domini nostri, deinde simul ad honorem et seruitium Gloriosae Virginis Mariae, Sancti quoque Michaelis ac omnium sanctorum: in salutem animae meae. amen.

Sic praesenti manus meae subscriptione sic et sumptione sanctissimi corporis Christi perpetuo contestatum manere volo.

† † †

---

[a] *Sic; sed valde probabile est Canisium scribere voluisse:* eius. *Hoc etiam Raderus et Reiffenberg posuerunt.*

---

[1] Vide supra p. 9. 43—44. Canisius B. Petro Fabro 12. Aprilis 1543 ad priorem Carthusiae coloniensis scribenti iam erat perspectus et exeunte Aprili exercitia spiritualia nondum absolverat (vide infra, monum. 1); ex qua re concludendum est eum exercitia fecisse integra; quae quattuor hebdomadas vel „plus minusve triginta dies“ complectuntur (*Liber exercitiorum,* adnotatio 4) et „electionem“ muneris seu „status vitae“ capessendi (si quis eam facere velit) hebdomada secunda incipi iubent.

[2] Ita, ut haec vota non sint sollemnia secundum ius canonicum. Vide infra, monum. 3. [3] In tirocinium sive noviciatum.

Modis omnibus oro simul et requiro, vt superiores mei me commoneant, corripiant, et ad haec obseruanda rigide compellant, si forte (quod absit) contingat me conuerti retro et meditari suffugium et excusationem ab omnium horum impletione[1].

4.

CANISIUS

AMICO CUIDAM.

Moguntia mense Maio (die 8. vel paulo post) 1543.

Ex apographo P. *Iacobi Bidermann* S. J., quod est in cod. monac. „Keller, Can. 1" f. 4^b—5^a.

Alterum apographum est in codice: „Scripta B. P. Canisii, X. V. a. 11" (p. 4), qui biographiam Canisii a P. *Iacobo Keller* compositam et a P. Ludovico Arano S. J. († 1652) descriptam continet; tertium, quartum (saec. XVII.), quintum (saec. XVII. vel XVIII.) sunt in codd. monac. „Keller, Can. 3" f. 2^b—3^a et „Lat. 1606" ff. 70^a et 127^a.

Edd. *Raderus* l. c. p. 20—21. *Nic. Orlandinus* S. J., Forma sacerdotis apostolici expressa in exemplo Petri Fabri (ed. 2, Dilingae 1647) p. 48—49. *Python* l. c. p. 25—26. *Reiffenberg* l. c. p. 9. *Séguin* l. c. p. 31 (gallice). Partem epistulae proponit *Janssen* l. c. IV, 383.

Petri Fabri doctrina et virtus. Ab eo multi, inter quos Cochlaeus, instituti, multi e clero reformati. Canisius ipse exercitiis spiritualibus in novum quasi hominem transformatus.

Secundis uentis Moguntiam ueni[a], uirum quem quaesiui[2], si tamen uir est, et non potius Angelus Domini[b], meo magno bono reperi; quo nec uidi nec audiui doctiorem profundioremque Theologum[c], aut tam illustris eximiaeque uirtutis hominem. Illi nil aeque in uotis est, ac Christo cooperari in salute[d] animarum; nullum ex illius ore uerbum siue in usu, familiarique congressione[e], siue dum mensae accumbit prodire audio[f], nisi quod DEI honorem ac[g] pietatem sonet, neque tamen ob facundiam[h] audientibus grauis aut molestus est. Auctoritatem tantam habet[i], ut ei se spiritualiter informandos multi religiosi,

---

[a] attigi *Pyth.* [b] Dei *Reiffenberg.*
[c] doctiorem profundiorem Theologum *Aranus.* [d] salutem *Pyth. Reiff.*
[e] sive in familiari . . . congressione *Reiff.* [f] prodit *Pyth.*
[g] et „Lat. 1606" f. 70^a *Orl., Reiff.* [h] *Pyth. om.* ob facundiam.
[i] habuit *utrumque apogr. in „Lat. 1606", et Rad.*

---

[1] *Sacchinus:* „Forte quis admiretur, quod nulla in his votis mentio fiat castitatis. Causam putarim, quod virginitatem iam dudum singulari proprioque voto dedicarat" (De vita Canisii p. 25—26; cf. supra p. 39). P. *Ioannes de Polanco:* „Inter caetera, quae . . . sunt a Fabro acta ad Dei gloriam et Germaniae utilitatem, id fuit, quod Petrum Canisium, jam tunc zelum catholicae religionis contra sectarios defendendae et propagandae, cum eruditione, eloquentia et pietate insigni, conjunctum prae se ferentem, per spiritualia Exercitia Societati genuit" (Chronicon Societ. Iesu I, 115). [2] Cf. supra p. 42—43.

multi Episcopi, multi Doctores tradiderint[1], inter quos est[a] Cochlaeus ipse, qui pro ipsius instructione gratias se reddere pares unquam posse negat[b][2]. multi Sacerdotes et cuiusuis ordinis Ecclesiastici uel concubinas abiecerunt, uel saeculum reiecerunt[c], aut a grauioribus[d] flagitijs ad frugem meliorem eo adnitente adlaboranteque se se receperunt[e][3]. Quod ad me attinet, dici uix potest[f], quemadmodum exercitationibus illis spiritualibus[g] animum meum ac sensus immutari, mentem nouis coelestis gratiae radijs[h] collustrari, et nouo quodam me[i] uigore affici senserim, sic ut[k] et in corpus redundante diuinae beneficentiae copia totus corroborari, atque in alium prorsus hominem transformari uiderer[l].

[a] et *Orl. Reiff.* [b] nunquam posse affirmat *Pyth.*
[c] reliquerunt „*Lat. 1606*" *f. 127[a]*; vel concubinas, vel saeculum rejecerunt *Pyth.*
[d] grauibus *utrumque apogr. in „Lat. 1606", Orl. Pyth.*; e gravibus *Reiff.*
[e] ad frugem meliorem se receperunt *Pyth.*
[f] non possum verbis consequi *Pyth.*
[g] quantum illis exercitationibus *Pyth.* [h] fulgoribus *Pyth.*
[i] *om. Pyth.* [k] sicut *Bidermann.*
[l] senserim, ut in alium prorsus hominem transformari viderer *Pyth.*; *cetera omittit.*

[1] Inter hos erant Philippus de Flersheim, episcopus spirensis; Georgius Mussbach, eiusdem vicarius generalis; Ioannes Morone, episcopus mutinensis et nuntius apostolicus, atque etiam abbas imperialis monasterii campodunensis (Kempten), ordinis benedictini. Exercitiis spiritualibus S. Ignatii Faber anno 1542 Ottonem Truchsessium de Waldburg Spirae et Michaelem Helding, auxiliarem episcopum moguntinum, ac Iulium Pflug, electum episcopum naumburgensem, Moguntiae excoluerat. Anno autem 1541 Ratisbonae inter comitia imperii compluribus principibus se confessarium praestitit. „In quibus confessionibus," inquit ipse in „Memoriali" suo, „factus est multus fructus, et iactum est semen in alia maiora, quae inde sunt orta; in Exercitiis etiam Magnatum Hispanorum, Italorum et Germanorum". Cf. Memoriale *Beati Petri Fabri*, ed. P. Marcellus Bouix S. J. (Lutetiae Parisiorum 1873) p. 20 (in editione maiore p. 19). Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 29. 45. 49. 91. 95. 139. 143. 164. 166. *Polancus* l. c. I, 114—115. *Riess* l. c. p. 23—28. *Cornely* l. c. p. 76 ad 87; *Gius. Boero* S. J., Vita del Beato Pietro Fabro (Roma 1873) p. 74—79. 112—116.

[2] De Ioanne Dobeneck, vulgo Cochlaeo (1479—1552), qui rector scholae latinae norimbergensis, dein decanus ecclesiae Beatae Mariae Virginis Francofurti ad Moenum, tandem canonicus eystettensis et vratislaviensis fuit ac 190 fere scripta ad fidem catholicam illustrandam et defendendam edidit, Faber Spira 23. Ianuarii 1541 Romam ad S. Ignatium et P. Petrum Codacium scripsit: „Deo profecto laudes tribuendae, de extrema qua [Vormatiae] Exercitia aggrediebatur voluptate. Cum ipsi de discrimine sermonem habuissem inter scientiam et sensum spiritualem, coelesti subridens laetitia: Gaudeo, inquit, quod tandem magistri circa affectus inveniantur." Memoriale p. 378 (ed. mai. p. 367—368). Cochlaeus postea „alios atque alios Germanos vel ad Fabrum exercendos adducebat, vel ipsemet exercebat" (*Polancus* l. c. I, 93).

[3] Ita v. g. Faber Moguntia 22. Decembris 1542 S. Ignatio scripsit Ioannem Aragonium discipulum suum parocho cuidam moguntino exercitia tradere coepisse, huncque concubinam iam dimisisse; is Conradus, parochus ad S. Christophorum, fuisse videtur, cuius hospitio Faber et Canisius utebantur. Narrant eum carthusianum ordinem ingressum esse et reliquum vitae religiosissime exegisse (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 164. 166; *Reiffenberg* l. c. p. 6).

Canisium has litteras ad amicum sive familiarem dedisse Keller et Rader testantur. Qui Coloniae degisse videtur et fortasse fuit Laurentius Surius vel Gerardus Kalckbrenner, prior Carthusiae; hic certe Canisii sive litteris sive sermonibus edoctus 31. Maii 1543 Colonia ad priorem Carthusiae treverensis inter alia haec de Fabro scripsit: „Spero quod Dominus dabit mihi videre hominem Dei, singularem amicum suum, antequam moriar, ut ab eo dirigar ad interiorem hominis reformationem, et unionem cum Deo.“ [1]

In apographis huius epistulae tempus, quo data sit, adnotatum non est. Vidimus autem Canisium 8. Maii 1543 Moguntiae Deo votis se obstrinxisse. Certum etiam est vota illa ex exercitiis spiritualibus quasi nata esse, quibus Canisius Moguntiae operam dedit, ideoque aut inter ipsa exercitia aut in eorum fine facta esse. Cum autem S. Ignatius in Libello exercitiorum (adnot. 20) magnopere suadeat, ut eo tempore a suis quisque amicis notisque quam maxime se segreget, vix credi potest Canisium hanc epistulam ante 8. Maii 1543 scripsisse.

Pulchra certe haec epistula est, sive res spectantur sive verba; quae tamen verba aliquid ornamenti fortasse a Kellero acceperunt.

In memoriam Petri Fabri et Petri Canisii, qui Societati Iesu portas Moguntiae quasi aperuerant, postea ibidem in vestibulo interiore domus probationis S. J. saxeae eorum statuae positae sunt, „quasi“, inquit moguntinus quidam scriptor, „e lapide exprimant illud Isai. 6. Attendite ad Petram, unde excisi estis“ [2].

5.

CANISIUS

FR. FRANCISCO STRADAE S. J. [3]

Colonia mense Maio [?] 1543.

Ex *Sacchino,* De vita Canisii p. 26—27.

Idem paulo brevius exponit *Orlandinus,* Historiae Societatis Iesu prima pars l. 4, n. 34.

Sacchinus: „Communicauit et suum gaudium de inita Societate Canisius cum sociis, qui Loranij versabantur, ac nominatim cum Francisco Strada. . . . Qui acceptam a Petro epistolam ad Romanos Socios mittendam censuit, cum hoc non elogio magis, quam oraculo. ‚Canisius‘, inquit, ‚benedictissima [a] *illa,*

[a] eruditissima *Orl.*

[1] Egregia haec epistula est in *Actis Sanctorum* Iulii VII (Parisiis et Romae 1868), 493 et (cum lectionibus aliquot variantibus) in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 421—422.

[2] Vide *Io. Seb. Severum,* Moguntia Ecclesiastica hodierna (Werthemii 1763) p. 78.

[3] Franciscus Strada (d'Estrada) hispanus a S. Ignatio in Italia Societati additus et ab eodem anno 1554 provinciae S. J. aragonicae praefectus est; anno 1543 Lovanii studiorum causa morabatur; obiit Toleti anno 1584. Quem *Sacchinus* „inter prima Societatis Columina merito numerandum“ dicit additque: „Excelluit in eo donum Sacrae praedicationis. Adolescens per Italiam, iuuenis in Belgio, dein per omnem Hispaniam matura aetate, et facultate, cum singulari grauitate, vi motuque concionis vbique frequentissimae auditus est“ (Historiae Societatis Iesu pars quinta I [Romae 1661], l. 4, n. 124, p. 197). Cf. etiam *Polanci* Chronicon I, 192—197. 257. 303—304 etc. Stradae vitam copiosius enarravit *Mathias Tanner* S. J., Societas Jesu Apostolorum imitatrix (Pragae 1694) p. 184—189.

ac purissima anima literas dedit[a] *ad me, quas mitto in Vrbem, vt agatis gratias Deo tam de sincero spiritu, tamque electo*[b], *et eximio Dei famulo, quem seruabat sibi Christus absconditum tanquam triticum electum in magna copia palearum ad magnam laudem, et gloriam tremendae Maiestatis suae, et amabilis bonitatis.'"* [c]

Canisium ex urbe coloniensi scripsisse ex toto Sacchini sermone intellegitur. Orlandinus affirmat eum Ignatio scripsisse, non Stradae. Fortasse haec epistula et ea, quae proxime praecessit, una eademque est.

6.

CANISIUS
GEORGIO DE SKODBORG,

archiepiscopo lundensi et primati Daniae et Sueciae [1].

Colonia 3. Iunii 1543.

Ex editione germanica operum Ioannis Tauleri O. Pr., facta Coloniae anno 1543 (f. A IIa—A IIIa); quae inscribitur: „Des erleuchten D. Johan | nis Tauleri, von eym waren Euangelis- | chen leben, Götliche | Predig, | Leren, | Epistolen, | Cantilenen, Prophetien, Alles eyn kostpar Seelenschatz, in alten geschryben Büchern funden, vnd nü erstmals ins liecht kommen. Auch seynd hier bey die vorgedruckte Predigen Thauleri, wölche in vori | gen Exemplaren dorch ab vnd zusätzung, gekurtzt, gelegt vnd ver | dunckelt waren, auß den selben geschriben exemplaren treüwlich gebessert. | Weytern inhalt diß büchs fyndestu zür | andern seyd dises Blats angezeicht. | Gedrückt zü Cöllen im jar Vnsers Herren, M. D. XLIIJ. den vierten tag Junij." In fine libri legitur: „Gedrückt bey Jaspar von Gennep" (2° ff. CCCXLI) [2].

---

[a] misit Epistolam *Orl. Puto, mutationem factam esse a Sacchino, ne bis legeretur vocabulum „mittere".* [b] lecto *Orl.* [c] *ultima tria verba om. Orl.*

---

[1] Lund (Lunda Gothorum, Londinum Scandinorum sive Danorum) urbs est antiquissima, in provincia „Schonen" sita, quae olim modo Danis, modo Suecis suberat, nunc suecica est. Lundensem episcopum Hadrianus IV. metropolitam Daniae agnovit et primatem Daniae et Sueciae appellari voluit. Georgius Skodborg (Schotborch) secretarius erat Christiani II., Daniae regis. Qui anno 1520 capitulo lundensi auctor fuit, ut Georgium archiepiscopum eligeret. At cum regi bona quaedam ecclesiastica occupare volenti obsisteret, is eum loco movit. Verum Georgius aliquot annis post in dignitate archiepiscopali lundensi, quam etiam tres alii sibi vindicabant, a Clemente VII. confirmatus est, consecrationem episcopalem accepit, exeunte Martio anno 1524 Roma in patriam profectus est. Nec tamen umquam archidioecesim suam administrare ei contigit. Coloniam igitur se recepit ibique decanatum ecclesiae collegialis sanctorum Apostolorum et canonicatum aliquem ecclesiae S. Gereonis assecutus est. Vivere desiit Coloniae anno 1551. Georgius de Skodborg bene distinguendus est a Ioanne de Weeze (a Vesa, Vesalio), qui anno 1522 pro sede lundensi „postulatus" est et saepe „archiepiscopus electus lundensis" dicitur. Is episcopus constantiensis postea factus est et in Germania principum legationes et similia officia compluries administravit (*Neher*, „Lund" in „Kirchenlexikon" VIII, 295—300. *Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein* 45. Heft [Köln 1886], p. 43. *Lud. Schmitt* S. J., Der Karmeliter Paulus Heliä [Freiburg i. Br. 1893] p. 67—69. *Hansen* l. c. p. 190—192).

[2] Index libri est in pagina altera folii titularis, epistula nostra in duobus foliis, quae titulum sequuntur. Bibliographiae S. J. a PP. De Backer et Sommervogel

Dedicat ei editionem operum Ioannis Tauleri. Priores editiones valde mendosae. Quomodo hanc emendaverit, auxerit, disposuerit. Tauleri virtus; summa divinae, quam docet, sapientiae; cur Taulerus interdum obscurus sit; a quibus solis intellegi possit; eum nequaquam improbare bona opera, recitationem precum, cultum sanctorum. De aliis hominibus spiritualibus, qui Tauleri aetate floruerint. Quae Christinae Ebnerae de Taulero et Susone revelata sint. Schotborchium Canisius laudat. Tauleri versionem latinam desiderat.

Dem hochwerdigen in Got vatter vnd heren heren Georgio von Schotborch, Ertzbuschoff zů Londen, Primat von Sweden, Gebornen legat etc. wunsch ich Petrus Nouiomagus[1], Gnad von got, mit erbietung meins willigen gehorsamen diensts.

Hochwirdiger here, vnter ander gůten büchern, die vns das wort gots, vmb vnse sele inn disem jamerthall zů speisen, reichlig mit theylen, haben mir allezeitt fürderlich wol angestanden, die Sermones oder predig des erleuchten D. Johan. Tauleri[2], als eyn kostpar bůch, das vns den rechsten kurtzsten weg, zů vnsen vrsprung, das Got ist, mitt klaren worten treüwelig entdeckt vnd weyset. Aber so ich mich in den selben, an etligen orten, da der sinne scheinet verdunckelt, verderbt, oder vngewarsam aufsgetruckt, in den vorgetruckten exemplaren gestoffen[3], darumb hab ich mit fleifs nach den waren ge-

Reverendo in Deo patri ac domino domino Georgio de Schotborch, archiepiscopo lundensi, primati Sueciae, legato nato etc. ego Petrus Noviomagus[1], gratiam precor a Deo promptumque offero obsequium.

Reverende domine, inter alios bonos libros, qui verbum Dei ad animas in hac lacrimarum valle alendas nobiscum large communicant, semper imprimis mihi convenerunt sermones sive contiones illuminati D. Ioannis Tauleri[2]; hic enim pretiosus est liber, rectissimam et brevissimam viam ad auctorem nostrum Deum claris verbis et fideliter nobis patefaciens et commonstrans. Sed cum in sermonibus illis legendis locos nonnullos, in quibus sententia scriptoris obscurata vel corrupta vel minus clare enuntiata esse videretur, in exemplis antehac editis offenderim[3], germana

editae titulum huius operis non habent. Epistula ipsa ex exemplo descripta est, quod bibliotheca urbana coloniensis possidet; quod cum folio titulari spoliatum sit, titulus Friburgi Brisgoviae suppletus est ex exemplo, quod in bibliotheca universitatis est. Tertium exemplum rari huius operis Monachii (ni fallor) in bibliotheca regia est. [1] Vide adnotationem post hanc epistulam positam.

[2] Ioannem Tauler († 1361), ordinis Praedicatorum, „doctorem illuminatum", a Luthero laudatum, Ioannes Eckius acriter reprehendit; at *Ludovicus Blosius* O. S. B., abbas laetiensis, vir piissimus et doctissimus, strenue defendit, inter alia scribens: „Taulerus catholicae fidei cultor integerrimus est. Ea quae scripsit, sana et plane divina sunt . . . Ex unius Tauleri scriptis haereses, quae hisce temporibus emerserunt, plenissime confutari possunt . . . Utinam Taulerus ubique gentium cognitus esset atque a quampluribus diligentissime legeretur" (Venerabilis Patris D. *Ludovici Blosii* opera [Antverpiae 1632] p. 343—352. De Tauleri doctrina cf. *Heinr. Suso Denifle* O. Pr., Der Gottesfreund im Oberlande und Nicolaus von Basel [München 1875] p. 56—68. Das Buch von geistlicher Armuth, herausgegeben von *H. S. Denifle* O. Pr. [München 1877] p. IX—L). Videnda etiam sunt, quae infra post epistulam ipsam ponentur.

[3] Tauleri sermones editi sunt Lipsiae anno 1498 dialecto saxonica, Augustae Vindelicorum anno 1508 dialecto augustana, Basileae annis 1521 et 1522 dialecto

schreyben exemplaren zů überkomen, vmbgefragt, vnd zůleſt anno M.D.XLIJ zů S. Gertruden inn Cöllen[1] (da der gedachte doctor zů wonen vnd das wort gots zů predigen plach) vnd auch an anderen orten, geschreiben bücher (so alt das die schrift an etlichen orten gar nach verschliffenn was) gefunden, Jn welchen vil gůte, ja die beste Taulerus predige, lerunge, epistolen, vnd cantilenen, alles von eynem volkomen christlichen leben, wie wir vns mit got vereynigen, vnd eynn geyst mit jm werden sollen, gar klarlich geschreyben steen, die biſs her nye getruckt noch offenbar gewesen. Aufs welchen alten büchern befindet sich auch, das die vorgetruckte predige Tauleri, durch vnd durch (mit ab vnd zůsatzung viler worten, auch grosser stucken) jemerlich verkurtzet, verlengert, vnd an den sinnen verandert vnnd verdunckelt waren, mee dan ich von keynem bůch ye gesehen oder gehort hab[a].

Demnach so mir vnbillich gedochtt, das soliche selenschatz langer

---

exempla manu scripta diligenter requisivi, ac demum anno 1542 Coloniae in monasterio S. Gertrudis[1] (in quo doctor ille habitare et verbum dei explicare solebat) et aliis etiam locis libros manu scriptos (qui tam vetusti sunt, ut litterae nonnullis locis paene evanuerint) repperi, in quibus multae ac bonae, immo et optimae Tauleri orationes sacrae, institutiones, epistulae, cantilenae (quae omnia de perfecta vita christiana scripta sunt, quomodo nimirum Deo nos coniungere et unus cum eo spiritus fieri debeamus) clarissime scriptae sunt, quae numquam adhuc typis exscriptae neque cognitae sunt. Ex libris illis veteribus hoc quoque intellegitur, Tauleri orationes ante editas penitus (praecisis aut adiectis vocabulis multis, atque etiam magnis partibus) ac misere decurtatas productasque esse, et earum sententias mutatas et obscuratas, idque magis quam de ullo alio libro factum esse umquam viderim vel audiverim[a].

Cum igitur parum aequum mihi videretur, huiusmodi animarum thesaurum

---

[a] *Aliam nunc incipiendam esse huius epistulae partem in libro ipso significatur signo quodam apposito; hic placuit, signo illo omisso, novum versum incipere. Quod et in reliquis epistulae capitibus fiet.*

Rheni superioris, Halberstadii anno 1523 dialecto Saxoniae inferioris; 84 illis sermonibus Tauleri, quae in editione lipsiensi exstant, editor basileensis 42 alios sermones taulerianos et 61 sermones etc. ab aliis magistris scriptos adiunxit. Petrus Noviomagus praeter 126 illos taulerianos sermones alios 25 posuit, qui antea editi non erant; attamen complures eorum Tauleri esse non videntur; insuper editione hac coloniensi haec opera tauleriana primum in lucem emissa sunt: 1) Vaticinia, 2) Epistulae piae fere 27, quarum maior pars ad virgines sacras data est, 3) 6 Poemata mystica, 4) Tractatus de novem statibus vitae christianae, 5) „Divinae institutiones" sive „Medulla animae". Attamen complura ex his opusculis vel excerpta tantum esse videntur ex Tauleri sermonibus vel ab aliis composita, v. g. a Rulmano Merswino, Susone, Ruisbrochio, Eccardis (*Carl Schmidt*, Johannes Tauler [Hamburg 1841] p. 68—78. *W. Preger*, Geschichte der deutschen Mystik im Mittelalter, 3. Thl. [Leipzig 1893] p. 58—89).

[1] Templum hoc et monasterium erat virginum dominicanarum, in foro novo (Neumarkt). Ineunte fere saeculo XIX. suppressum et destructum est (*Gelenius* l. c. p. 556—559. *F. E. Freih. von Mering* und *L. Reischert*, Die Bischöfe und Erzbischöfe von Köln II [Köln 1844], 57).

verborgen bleiben vnd vergeen solte, hab ich die vorgetruckte predige, wa der sinne geschedicht was, nach den alten exemplaren treuwelich helffen befferen, Vnd alle ander noch nye getruckte predige vnd leren obgemelt, auch da bey gefügt[1]. Es sein auch hie mit alle sontag durchs jar, vnd etliche festen die vor ledig stunden, mit schönen predigen verziert, vnnd etliche predig die vff wercktage stunden fürderlich in der fasten, den sontagen zů verordnet[2]. Vnd daffelb haben wir darumb für gůt angesehen, Wann D. Taulerus in seynen predigen, den text des hilgen euangelij oder der epistel nit vil aufslacht. Aber offtmal alleinn vff einem thema, oder wort eyn gantze predig gestift hat, welche man leichtlig vil sontagen oder festen des jars zůfügen kan. Auch darumb, wan in dem elstenn exemplar, das in D. Tauleri zeyten geschreiben, sein deffelben D. Thauleri predige keynem tag oder fest überal zůgeschrieben[3]. Wan sie haben gemeinlig alles eynen titel alfus lautende (Disen sermon sprach B. Johan thauler zů sant Gertrut) Auch steen alle Thaulers predig vnd leren in rechter Cǒlnischer sprachen geschreiben, vnd seint nachmals vffs hoich theutz getzogen.

Differ doctor ist gewesen ein übertreflig hochgelerter man in der heilger schrifft, vnd in menschlichen kunsten, auch eyns heilgen

---

diutius latere et perire, ad sermones sacros antea editos iis locis, in quibus a mente auctoris discessum erat, exemplis vetustis fideliter emendandos operam contuli reliquasque omnes orationes et institutiones addidi, quas supra dixi adhuc numquam in lucem emissas[1]. Sic etiam omnes, quotquot per annum sunt, dominici dies, atque aliquot festi, qui adhuc sermonibus carebant, orationibus pulchris ornati sunt, et sermones aliquot, qui in ferialibus diebus, maioris potissimum ieiunii, positi erant, dominicis destinati sunt[2]. Quod idcirco ex usu esse iudicavimus, quod D. Taulerus in sermonibus suis verba sancti evangelii vel epistulae haud multum interpretans, saepe in una propositione unove verbo integrum sermonem constituit, qui facile in multos per annum dominicos vel festos dies accommodari possit; accedit alia ratio: in vetustissimo exemplo, quod Tauleri ipsius aetate scriptum est, eiusdem sermones certo diei certaeve sollemnitati non fere destinati sunt[3]. Omnes enim eundem titulum habere solent; qui est: „Hunc sermonem B. Ioannes Taulerus ad sanctae Gertrudis habuit.“ Atque Tauleri orationes institutionesque cunctae sincera lingua coloniensi conscriptae reperiuntur, et postmodum in sermonem Germaniae superioris conversae sunt.

Hic doctor vir erat eximius et doctissimus tum in scriptura sacra tum in artibus humanis, ac sanctae etiam vitae. Idem a Spiritu sancto tam copiose illumi-

---

[1] Canisius editionem basileensem sequi solet; quam tamen alio ex fonte nonnumquam supplet vel corrigit; eum bene corrigere etiam *Preger* affirmat (l. c. III, 64—67).

[2] Pro compluribus diebus sacris bini vel plures sermones ab editore positi sunt.

[3] „Es ist möglich, dass ‚jenes älteste Exemplar das in D. Tauleri zeyten geschreiben‘ die Sammlung der Taulerpredigten in ihrer ersten Gestalt repräsentierte. Dass die Sammlung zu Köln entstanden ist, geht daraus hervor, dass sich für die meisten Predigten derselben . . . . die Zeit des Jahres 1357 als das Jahr, und Köln als der Ort, da sie gehalten worden sind, ermitteln lassen“ (*Preger* l. c. III, 68—69).

lebens. Da by ist er von dem heilgen geyst so reichlig erleuchtet vnd überformet inn gott, das er durch den geyst der prophetien, die groſſe plagen vnd irrung im heilgen glauben (die nu über vns, got erbarms gefallen) furgesehen, vnd mit klaren worten beschreiben hat.

Die meynung seiner leren geet fürderlig dar vff, das wir durch die gnad gots vns grunts inwendig sollen warnemen, alle sünd vnd gebrechen absterben, allen lust vnd liebe zů zeitlichen creaturen in vns tödten, vnsen eygen wil in gots liebsten wil auſsgeen, verlaſſen, vnd verleugnen, Christum durch alle tugenten nachfolgen, vnd vnse sele mit allen krefften, in rechter liebe, mit got vereinigen, vnd eyn geyst mit got werden[1]. Das ist das wir got vſs gantzem hertzen, auſs gantzer selen, auſs gantzem gemüt vnd allen krefften liebhaben, vnd vnsen nechsten wie vns selbst[2]. Her zů seint alle christen menschen geladen vnd verplicht, Wiewol jrer vil diſs groſs ewige gůt (das sie nu lichtlig überkommen kunten) mitt den snöden zergencklichen dingen, vnd eigen lieb vnd lust, jemerlig versaumen, Welch sie in der ewigkeyt beschreien[3] werden. Diſe götliche weyſsheit trucket D. Taulerus mit klaren worten vnnd gleichniſſen so offentlich auſs, das sie auch slechte gůte menschen etliger maſſen begreiffen mögen. Wie S. Dionys[a] Ariopagita, vnd etlige ander, die selbe mit dunckelen worten vormals beschreiben hatten[4].

---

natus et in Deum transformatus est, ut per spiritum prophetiae magnam vexationem sanctaeque fidei dissensionem (quae nunc, proh dolor, in nos irruerunt) praeviderit clarisque verbis descripserit.

Praeceptorum eius summa haec est: nos debere per gratiam Dei nosmet ipsos penitus cognoscere, peccatis et vitiis omnibus mori, omnem rerum creatarum externarumque cupiditatem et amorem in nobis exstinguere, voluntatem nostram tradere suavissimae Dei voluntati, relinquere, abnegare, Christum sequi omnium virtutum exercitio, et animos nostros viresque omnes caritate vera Deo coniungere unumque cum Deo spiritum fieri[1]. Quod idem est ac Deum diligere ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente et omnibus viribus, ac proximum nostrum sicut nos ipsos[2]. Ad hoc christiani omnes vocantur et obligantur, quamquam multi ex iis magnum illud aeternumque bonum (quod nunc facile consequi possunt) vanarum fluxarumque rerum gratia et sui ipsorum nimio amore ac studio misere amittunt; quod quidem in altera vita lugebunt[3]. Divinam hanc sapientiam D. Taulerus claris verbis et similitudinibus tam aperte exprimit, ut eam probi homines, etiamsi rudiores sint, aliquo modo capere possint. Quam sapientiam S. Dionysius Areopagita[4] et alii nonnulli obscuris verbis olim descripserant. Verum homines delicati

---

[a] Diony *editio coloniensis.*

---

[1] Inter „epistulas" huius libri una est: „wie man die götlige Lieb anzund," altera: „vom Entsinken in den Wunden Jesu," tertia: „wie man das Kind Jesus umbfange," quarta: „wie man ein Himmels, Engels- und göttlicher Mensch werde."

[2] Matth. 22, 37—39. Deut. 6, 5.

[3] Beschrîen = beklagen, beweinen (*Ant. Birlinger,* Glossar, in „Die Chroniken der niederrheinischen Städte. Cöln" III [Leipzig 1877], 973).

[4] Canisius praecipue librum „*Περὶ τῆς μυστικῆς θεολογίας*" significat, qui cen-

Aber vppigen sinlichen menschen (die nicht smecken das dem geist gots zugehörtt[1], wie Paulus sagt) bleibt dise gotliche Theologie verborgen, vnd sie achtens für ein irrung oder thorheyt, wie hohe sie sunst geleret seyn, Darumb sollen sie dyſs bůch nit geschwind verachten, wan die kostpar perle darumb nit geringer seyn das sie von den schweynen vertreden werden.

Das aber diser heilge doctor an etligen orten dunckel vnd zweyfelhafftig lautet ist da von herkomen, das seyner predigen vil, nitt durch jn selbs, sonder durch ander leüte auſs seynem mundt, vff der cantzel (wie wir gnůgsam berichtet) geschreiben sein, Jn welchem schrieben, kan man der eyle halben, alle wort nit so volkomlich antzeigen, noch in rechter ordnung auſstrucken, wie man das mit reiffer tichtung vnd schreibung selbs bas thůn kan. Deshalben hat man auch byweylen mit etligen worten den sinne můſſen verfullen, das er klar vnd gůt sey. Aber was er etwan dunckel spricht, das trucket er an ein ander ort klerlig gnůg auſs. Darumb kan niemant D. Taulerum recht versteen er hab jn den vorhin offtmal gantz durchlesen, vnd das ein ort mit dem anderen vergleichet. Er můſs auch von süntlichen gebrechen abgekert, vnd mit demütiger gelaſſenheyt vnd anderen tugenten in eyn gůt innig[2] leben getreden vnd geübt seyn, das er gesmeckt habe wie süſs der here ist[3], so wirt er hie eynen schatz finden, den got den kleynen offenbart, vnd den

corporisque voluptatibus dediti (qui non percipiunt ea quae sunt Spiritus Dei[1], ut Paulus dicit) divinam hanc theologiam non cognoscunt eamque pro errore vel stultitia habent, quantumvis ceteroqui docti sint. Ne igitur facile hunc librum despiciant; pretiosae enim margaritae non sunt viliores eo, quod a subus conculcantur.

Quod autem sancti huius doctoris sermo nonnullis locis obscurus et incertus est, id factum est ex eo, quod multae orationes eius non per ipsum, sed per alios, ipso e suggestu sacro dicente litteris mandatae sunt (quod sat certo rescivimus); in qua scriptione propter festinationem non potest totus sermo tam integre reddi neque tam recto ordine servato exprimi, quam si orator ipse diligenter componat scribatque sermonem. Ideo etiam auctoris sermonem aliquando vocabulis aliquot complere oportuit, ut eius sententia clara bonaque esset. Sed sicubi ille obscure quid dixit, eandem rem alio loco satis clare exprimit. Propterea nemo D. Taulerum recte intellegere potest, nisi antea saepe integrum perlegit in eoque legendo locos cum locis contulit. Quem etiam oportet animo esse a vitiis averso, demisso, a perturbationibus libero aliisque virtutibus ornato, ac vitam inisse bonam et spiritualem[2] in eaque se exercuisse, sicque gustasse, quam suavis sit dominus[3]. Ita in hoc libro thesaurum inveniet, quem Deus parvulis revelat, a sapien-

sebatur esse illius S. Dionysii, quem S. Paulus apostolus discipulum et Athenienses primum episcopum habuerunt.

[1] 1 Cor. 2, 14.

[2] „Innig“ seu „inwendig“ saepe = spiritualis; „auswendig“ = ad corpus pertinens, sensualis, „animalis“ (1 Cor. 2, 14). *H. Denifle* O. Pr., Das geistliche Leben. Eine Blumenlese aus den deutschen Mystikern des 14. Jahrhunderts (Graz 1873) p. XXIII.

[3] Ps. 33, 9. 1 Petr. 2, 3.

grossen weltweyſenn verbirgt[1]. Solcher milter leser wirt wol mircken vnd erkennen, das D. Taulerus kein gůtt werck verwirfft. Dan wir sollen vns on vnterlaſs in gůten wercken üben, weill wir die zeit habenn[2]. Aber er strafft die gleiſsner die sich allein von jren gůten wercken erheben, vnd darumb groſs geacht wo̊llen sein von den menschen, als weres alles da mit auſsgericht. Vnd bleiben inwendig in jren suntlichen gebrechen vnd eigen willen vnerstorben, vnd ledig aller go̊tlicher liebe vnd tugent, vnd sleiſſen da mit got auſs jren hertzen. Darumb treibt D. Taulerus solche menschen hefftich vffwartz das sie jres gruntz von innen warnemen[3], alle gebrechen vnd eigenwillen absterben, vnd got lauterlig in allen dingen süchen vnd meinen, vnd nit sich selbs in keynen dingen. Da mit werden jre werck zůmal gůt vnd go̊tlich. Aber volkomen go̊tliche menschen (spricht D. Taul.) sollen sich inwendig in rauwe vnd inn lediger bloſsheit halten, das got alleyn in vnd durch sie wircken mo̊ge, Das ist aber den gemeinen gůten menschen nit gesacht, Wan die selb müſſen sich fast woll üben in fasten, beden, krancken dienen, vnd in allen guten wercken nach jrer magt, vnd alle müſſigkeit scheuwen, bis sie got hoher tziehe. Doch also, das sie jre gůte werck nit groſs achtenn, noch mitt eygen schafft dar vff steen, noch jre haubt vnd sinne durch vnbescheidenn harttigkeit nitt verderben.

Auch spricht D. Taul. das eyn inwendig mensch wen er in seinem gebede oder gezeyten in got mit allen krefften vffgetzogenn wirt, so sol er das gebet lassen fallen vnd gott folgen, biſs das er

---

tibus autem ac prudentibus huius temporis abscondit[1]. Huiusmodi pius lector facile animadvertet ac cognoscet, nullum opus bonum a D. Taulero improbari. Sine intermissione enim (ut ait) in operibus bonis nos exercere debemus, dum tempus habemus[2]. Verum simulatores Taulerus castigat, qui solis bonis operibus suis se efferunt et propter haec ab hominibus magni aestimari volunt, ac si in operibus istis omnis virtus salusque vertatur. Atque hi vitia in animis retinent neque voluntatis libidinem exuunt, atque omni caritate divina et virtute carent sicque Deum ab animis suis excludunt. Idcirco D. Taulerus tales homines acriter incitat ad altiora, ut se ipsi penitus cognoscant[3], vitiis omnibus et arbitrio suo moriantur, Deum in rebus omnibus sincere quaerant et ament, neve in ulla re se ipsos. Hac ratione opera eorum simul bona evadunt ac divina. Homines autem prorsus divini, inquit D. Taulerus, animos tranquillos, vacuos, nudos servare debent, ut Deus solus in iis et per eos agat. Haec autem non dicuntur bonis hominibus, qui sunt ex genere vulgari; hos enim necesse est strenue se exercere in ieiuniis, precationibus, curis aegrorum et in cunctis, quae facere possunt, operibus bonis atque omnem desidiam fugere, donec Deus altius eos tollat, ita tamen ut bona opera sua magni ne faciant vel praefracte iis insistant vel capita sensusque immodesta severitate perdant.

Dicit etiam D. Taulerus, hominem spiritualem, cum inter precationem vel officium divinum recitandum in Deum omnibus viribus efferatur, precatione relicta

---

[1] Matth. 11, 25. Luc. 10, 21. [2] Gal. 6, 10.

[3] „Grund: Seelengrund, dasjenige was wir mit dem Innersten, Innersten des Herzens bezeichnen“ (*Denifle,* Das geistliche Leben p. XXIII).

des tzugs verlaſſen werde. Den sol er das selb das er von der h. kirchen oder seins standts wegen schuldig ist betzalen, vnd alle güte insatzungen halten noch seynem vermögen.

Weyters da er spricht das wir vnse gemüt bloſs vnd ledig sollen haben von allen creaturen, lebendich oder todt, das bedeutet er selbs offtmale an anderen orten, das er meyne, Von allen creaturen auſſen gott, der got nit ein ware vrsach ist, vnd da got nit lauterlig in gemeynet wirt, da man mit eigen lieb vnd lůst an klebet, Hie mit meinet er die werdige mütter gotz, noch die liebe heyligen überal nit, Wan so wir die heilgen in got, nit auſſen got anrůffen, so anrůffen wir got selbs. Von welchem man sie nummer kan scheyden, wan sie mit got eyn geyst, vnd vns als jren mitglideren, by got, mit jren gebet zů helffen, auſs groſſer erbarmde gotz gegeben seyn. Aber wen die sele mit allen krefften sich in got versencket, oder das sy mit sonderbar gnaden überschwungen wirt in den gőtlichen abgrunt, denn vergiſset sie alle heilgen vnd engelen, auch sich selb, vnd al ding das nit lauter got ist, so lang die selige stund weret, Auſsgenommen das got selbs in sie leuchten, vnd jr zu kennen geben wőll. Aber sölcher heilger menschen die dar zu kommen, seyn gar wenig. Das aber diſs alles D. Johannis Tauleri meynung vnd leer sey, vnd das keyn falsche leer durch jn gestifftet wirt, kann man leichtlich beweren, furderlich auſs den alten geschrieben, vnd auch neüwen exemplaren, der es recht süechen vnd versteen wőll[1].

Deum sequi debere, donec ita ferri desinat. Deinde ei persolvenda esse ea ipsa, quae ex ecclesiae praecepto vel ex officio debeat, ac quaecumque bene statuta sint, servanda, quantum fieri possit.

Porro cum dicit, nos animis esse debere nudis et vacuis ab omnibus rebus creatis, sive vivis, sive vita expertibus, ipse saepe aliis locis id interpretatur, ostendens se omnes res creatas dicere, quae extra Deum amentur, quarum [amandarum] Deus non sit vera causa, in quibus Deus non sincere quaeratur, quibus nos agglutinemus amore et studio nostri ipsorum. Quibus verbis nusquam venerabilem Dei matrem significat, neque sanctos; nam si sanctos in Deo, non extra Deum invocamus, Deum ipsum invocamus, a quo numquam separari possunt; unus enim cum Deo spiritus sunt, et nobis sodalibus suis ex summa Dei misericordia dati sunt, ut precibus suis apud Deum nos adiuvent. Sed cum anima omnibus viribus in Deum se submergit, vel cum per gratias speciales in abyssum divinam transfertur, omnium, dum beata illa adest hora, obliviscitur sanctorum angelorumque atque etiam sui ipsius et omnis rei, quae non est ipse solus Deus, praeter ea sola, quae Deus lumine suo ei manifesta facere velit. Sed paucissimi tam sancti sunt, ut ad haec perveniant. Haec autem D. Ioannem Taulerum sentire et docere, nec falsam ab eo introduci doctrinam, si quis res recte examinare et intellegere vult, facile probari potest, praecipue ex vetustis exemplis manu scriptis, atque etiam ex recentibus[1].

---

[1] Anno 1551 auctore cardinali Henrico Lusitaniae Infante Conimbricae in lucem emissae sunt versiones hispanica et lusitanica Institutionum Tauleri. Albertus V. Bavariae dux, catholicae religionis studiosissimus, anno 1569 monasteriis bavaricis inter opera, quibus bibliothecae ornandae essent, etiam Tauleri scripta commendavit (*Fr. Heinr. Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher I [Bonn

Auch waren in D. Thaulers zeiten vil inwendige menschen vnd freunde gots in Teuchſslant, vnd sonderlich zu Cöln, wie vſs seynen schrifften wol zu mercken ist. Do lebten auch zu Cöln D. Eckard von Straſsburg[1], D. Henricus Seüser[2]. D. Henricus von

Atque cum D. Taulerus in vita esset, multi homines spirituales Deique amici in Germania erant, et maxime Coloniae; quod ex eius scriptis facile cognoscitur. Tunc enim vivebant Coloniae D. Eckardus Argentinensis[1], D. Henricus Suso[2], D. Hen-

1883], 466—469. 523). Ac 5. Ianuarii 1577 ex collegio dilingano (cuius rector erat Theodoricus Canisius, Petri Canisii frater germanus) P. Iulius Priscianensis S. J. Everardo Mercuriano, praeposito generali, scripsit: in eo collegio tempore ieiunii quadragesimalis inter epulas Tauleri librum „De passione" legi (* Epistula autographa, italice scripta, in Cod. „Epp. Germ. 1577 A" f. 113 [cf. tamen supra p. 57[8]]). At alii cautius agendum esse censuerunt. In „appendice" indicis librorum prohibitorum tridentini, anno 1569 et 1570 iussu Philippi II. Antverpiae edita, versiones Tauleri hispanica („Instituciones") et vlamica („Homilien") prohibentur. Easdem Gaspar cardinalis Quiroga, archiepiscopus toletanus et „in regnis Hispaniarum" inquisitor generalis, „apostolica auctoritate" prohibuit in „indice prohibitorio", quem anno 1583 Matriti edidit; qui eadem Tauleri opera aliis etiam linguis edita indirecte prohibuisse videtur (*Reusch* l. c. p. 405—406. 490. 523). Atque in „Novo Indice librorum prohibitorum et suspensorum" anno 1580 (ab inquisitore parmensi, ut videtur) Parmae edito simpliciter prohibetur „Jo. Taulerus" (Index, gedruckt zu Parma 1580, herausgegeben und erläutert von *Fr. Heinr. Reusch* [Bonn 1889] p. 10). Quirogam autem secutus esse videtur Sixtus V., cum anno 1590 in indice suo romano prohiberet „Io. Taulerii Sermones et Institutionem passionis Domini donec corrigantur". Sed index sixtinus videtur non satis esse promulgatus ideoque plenam vim legis numquam habuisse. Clemens VIII., cum anno 1596 novum conderet indicem, Taulerum eidem inserere noluit, nec postea in indicem romanum relatus est. Attamen ineunte saeculo XVII. congregatio indicis, ut videtur, Tauleri opera emendare et emendata approbare volebat; quod numquam effectum esse videtur (*Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher l. c. p. 370. 501—503. 523). Mirum ergo non potest esse *Everardum Mercurianum*, Societatis Iesu praepositum generalem (1573—1580), iam antequam Sixtus V. indicem suum composuerat, inter auctores „spirituales", „qui instituto nostro minus congruunt", quique sociis non essent „permittendi" „passim ac sine delectu", Taulerum quoque recensuisse (Ordinationes praepositorum generalium c. 2, n. 1. Institutum Societatis Iesu auctum et recusum. Vol. 2 [Pragae 1757] p. 243. Institutum Societatis Iesu. Vol. 3 [Florentiae 1893], p. 259). Quae ordinatio Robertum Bellarminum et Antonium Possevinum, filios Societatis Iesu certe oboedientissimos, non impedivit, quominus Taulerum a suspicione haeresis tuerentur laudibusque ornarent (De scriptoribus ecclesiasticis liber unus, *Roberto Card. Bellarmino* auctore (Romae 1613) p. 229. *Anton. Possevinus* S. J., Apparatus sacer I (Coloniae 1608), 942—943).

[1] In scriptis Magistri Eccardi (Eckhart, Eckard) O. Pr., quem Taulerus et Suso theologiae mysticae magistrum habebant, pantheismum quendam latere negari non poterit. Ioannes XXII. anno 1329 sententias eius 29 damnavit. Eccardus omnem suam doctrinam iudicio sedis apostolicae plene subiecit (*C. Greith*, Die deutsche Mystik im Prediger-Orden [Freiburg i. Br. 1861] p. 60—69. *Ios. Bach*, Meister Eckhart [Wien 1864] p. 51—64. *H. Denifle* in „Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters" II [Berlin 1886], 417—687; V [Freiburg i. Br. 1889], 349—364).

[2] Beati Henrici vom Berg († 1365) O. Pr. („Amandus" etiam et ex matre sua „Seuse" vel „Suso" vocabatur) cultum ecclesiasticum Gregorius XVI. anno 1831

Lôuen[1]. D. Eckardus junior[2]. D. Johan Ruifsbrůch zu Bruxel[3]. D. Gerhardus Groit, zu Dåuenter[4], vnd mehe ander erleuchte lerer, die nach den prophetien Johelis[5], vom heilgen geist reichlig übergoffen waren, vnd auch groffe selen frucht theten im wyngart des herren, Da von auch herkommen (als zu gläuben ist) das etliche jre predig vnd leer, vnder D. Thauleri name vnd bey sein leren geschryben seynd. Aber weil sie vfs eym heilgenn geist kommen, vnd gleich eynen weg zu got weisen, sol mann nicht darnach fragen ob sie gleich all D. Taulers stilum vnd gedicht haben, vnd seyn eyger sein oder nit.

Von disem heilgen Doctor fyndet man in der offenbarung seliger Christine Ebnerynn (die ein aufserwelt gemahel Christi was, vnd vil schôner offenbarung von got hat in jrem leben)[6] das jr ein mal vff S. Andreas abent[7] verkundigt wart, das eyn Prediger die zeit lebte, der got der allerliebste mensch were, der er vff ertreich eynen hette,

---

ricus Lovaniensis[1], D. Eckardus iunior[2], Bruxellis D. Ioannes Ruisbruch[3], Daventriae D. Gerardus Magnus [Groote][4], compluresque alii magistri illuminati, in quos, ut Ioel vidit propheta[5], spiritus sanctus large effusus erat, quique magnum animarum fructum in vinea domini faciebant. Quo etiam factum esse credendum est, ut nonnullae eorum orationes et institutiones D. Tauleri nomine inscriberentur eiusque institutionibus ascriberentur. Quae quia omnes ex eodem Spiritu sancto proveniunt et eandem viam ad Deum commonstrant, quaerendum non est, num in omnibus D. Tauleri stilus sit et compositio, et utrum omnes ipsius Tauleri sint necne.

De sancto hoc doctore in revelatione beatae Christinae Ebnerae (quae electa Christi sponsa erat, cuique in terris viventi Deus multa pulchraque revelabat)[6] haec leguntur: Vigilia quadam S. Andreae[7] eidem patefactum esse, praedicatorem eo tempore vivere, quo in terris nemo Deo carior esset, eumque Taulerum vocari.

---

confirmavit (Heinrich Suso's, genannt Amandus, Leben und Schriften. Herausgegeben von *Melch. Diepenbrock*. Mit einer Einleitung von *I. Görres* [2. Aufl., Regensburg 1837] p. III—CXXXVI). Scriptorum Susonis germanicorum editionem criticam incepit P. *Heinr. S. Denifle* Monachii 1880.

[1] Henricus, ex familia lovaniensi „de Calstris“ oriundus, ordinis praedicatorum, Taulero mentium consuetudine coniunctissimus erat. Vixit saeculo XIV.

[2] Dominicanus, in Germania inferiore, e schola magistri Eccardi, † 1337. Pauca scripta eius supersunt.

[3] Ioannes Ruisbroek (1293—1381), „doctor ecstaticus“, „doctor divinus“, prior canonicorum regularium ordinis S. Augustini in monasterio Viridis Vallis (Groenendael) prope Bruxellas sito, de operibus suis germanicis, sublimibus quidem, sed aliquanto obscurioribus, a Gersone et Bossueto impugnatus, a Dionysio Carthusiano, Sixto Senensi O. Pr., Leonardo Lessio S. J., aliis defensus est. Nostro saeculo archiepiscopus mechliniensis a sede apostolica petiit, ut cultus ecclesiasticus in regione Vallis Viridis ei tribui solitus confirmaretur et amplificaretur (*Otto Schmid*, „Ruisbroek“ in „Allgemeine deutsche Biographie“ XXIX [Leipzig 1889], 626—630).

[4] Gerardi Groote sive Magni (1340—1384), „fratrum vitae communis“ parentis, vitam scripsere praecipue *Thomas a Kempis*, et *Carolus Grube*, Gerhard Groot und seine Stiftungen, Köln 1883. [5] Ioel 2, 28. Act. 2, 17.

[6] Christina Ebner (1277—1356), patricia norimbergensis et monialis dominicana in „Valle Angelorum“ (Engelthal) prope Norimbergam, revelationes suas germanico sermone ipsa litteris consignavit.

[7] Die 29. Novembris.

vnd hieſs Thauler. Furbaſs sprach der herre vnder andern worten, Etliche haben das ertreich entfengt mit jren feürigen zungen. Jn disem stand (sprach der herre zu diser jungfrauwen) steent all deyne geistliche freunde im hôchsten grad, Vnd sagt jr von zweyen der namen geschriben wåren im hymmel, der eyn heischt Thaulerus, der ander Henricus. Biſsher die offenbarung. Jch glåub das diſs sey Henricus Seüſser, Wann er ouch mit miraculen vnd gôtlichen leren, vil menschen an got getzogen hat. Hiemit haben wir den gůtwilligen leser kurtzlich wôllen furkommen, vmb D. Taulerum båſs zu verstehen, vnd disen vnsern arbeit E. G. zu schreiben, die sôlche gôtliche ler von inwendigem leben, lange zeit in sich selb vnd auch in andern menschen geliebt, vnd durch lieb vnd leyt, mit überflussiger verfolgung vnd trubsal fur die gerechtigkeit, in sich selb versůcht vnd bewert hat. Wôll got das hier nach eyn erleuchter mensch vomm heilgen geist gesalbt (wann keyn ander vermag es) disen kostparen selenschatz in Latinsche sprach veran[dere,][a][1] vil menschen die das begeren (auch frembden nationen) zu trost, das sie got loben von seynen milten gaben, die er seinen freunden reichlig mit geteilt hat[2]. Dem

Praeterea dominus, inter alia: „Nonnulli", inquit, „orbem terrarum linguis suis igneis incenderunt". „In hoc ordine", inquit dominus virgini illi, „omnes amici tui spirituales summum gradum tenent", ac de duobus, quorum nomina in caelo scripta essent, ei dixit, unum Taulerum vocari, alterum Henricum. Haec in revelatione illa sunt, et puto equidem, Henricum Susonem significari; quippe qui miraculis divinisque institutionibus multos ad Deum traxit. Haec lectorem benevolum breviter praemonere voluimus, quo D. Taulerus melius intellegeretur hocque opus nostrum tibi, clementissime vir, dedicaretur. Tu enim divinam hanc, quae de vita spirituali est, doctrinam, diu in teipso atque etiam in aliis amasti et per amorem iniuriamque, persecutionibus et aerumnis pro iustitia abunde exantlatis, in te ipso expertus es ac probasti. Faxit Deus, ut posthac homo aliquis illuminatus atque a Spiritu sancto unctus (nemo enim alius id facere potest) pretiosum hunc animarum thesaurum in linguam latinam transferat[1], ut multorum, atque etiam nationum exterarum, postulationibus satisfiat, utque ab iisdem Deus laudetur pro beneficiis, quibus amicos suos large affecit[2]. Quem omnes res creatae laudent et revereantur in aeternum.

[a] *Hae litterae in exemplo coloniensi desunt.*

[1] Mense Martio anni 1548 Tauleri opera Coloniae ex officina Ioannis Quentelii prodierunt latine primum versa a Laurentio Surio carthusiano et Canisii familiari; quae Gerardus Kalckbrenner, Carthusiae prior, Adolpho de Schauenburg, archiepiscopo coloniensi, dedicavit, scribens carthusianos Tauleri opera ex codicibus manu scriptis emendasse, „adeo vt nonnunquam etiam ab vltima illa Coloniensi editione, quinto abhinc anno emissa, quae caeteris correctior est, cuius et ordinem pene secuti sumus, haec nostra Latina dissentiat". Haec versio suriana iterum edita est Coloniae ab heredibus Io. Quentelii anno 1553, eaque ab ipso interprete recognita et aucta. Utrumque opus (2°) Romae exstat in bibliotheca casanatensi.

[2] Ex hac Tauleri editione canisiana ortae esse videntur editiones illae, quae anno 1565 Francofurti sermone Germaniae inferioris et anno 1588 Amstelodami sermone batavico factae sunt; in his tamen Tauleri opera a protestantibus mutilata et corrupta esse queritur P. *Ioannes de Lixbona* O. Pr. in editione a se facta

all lob vnd eer von allen creaturen erbotten werd in ewigkeit. Der wôll auch E. G. in langweriger gesuntheit behalten. Datum zů Côln des IIJ. tags Junij, Anno M.D.XLIIJ.

Idem te, vir clementissime, diu incolumem servet. Datum Coloniae die 3. Iunii, anno 1543.

Nota: Qui hanc Tauleri editionem curavit, nomen suum nusquam prodidit nisi in initio epistulae huius dedicatoriae, vocans se „Petrum Noviomagum". Hunc vero Petrum eundem esse ac Petrum Canisium nec Canisius ipse in suis libris scriptisque (quae supersunt) fassus est, nec ante annum 1890 ullus Societatis Iesu bibliographus vel historicus (quod equidem sciam) affirmavit. Primus hanc hypothesim protulit anno 1875 Augustus Jundt, professor gymnasii protestantium argentinensis, eamque rationibus compluribus munivit[1]. Eas rationes anno 1890 ex parte corrigere, ex parte confirmare et augere conatus sum[2]; easdem hic repetendas iterumque augendas et magis confirmandas esse puto.

Loco nominis gentilis illo tempore saepe nomen terrae vel urbis, in qua quis ortus erat, usurpatum esse sat notum est. Velut Canisius ipse anno 1540 vel paulo post coloniensem magistrum suum Ioannem Bronchorst, Noviomagi ortum, „Iohannem Nouiomagum"[3] appellavit.

Difficultas in hoc est, quod inter litteras apostolicas Clementis VII. „Breve" quoddam exstat, quo pontifex Romae 20. Iunii 1525 facultatem lutheranos ad fidem catholicam revertentes absolvendi tribuit „Andreae Ungonis provinciali Germaniae inferioris et Petro de Novimagio et Guillelmo de Alten[4] ordinis predicatorum"[5]. Quid mirum, si ille „Petrus de Novimagio" etiam „Petrus Noviomagus" vocabatur et, dominicanus cum esset, opera Tauleri dominicani edidit eaque potissimum ex codicibus monasterii S. Gertrudis hausta, quod regulam S. Dominici sequebatur? At

a) editor noster, cum in praefatione sua tam multa dicat in laudem Tauleri, atque etiam aliorum praeclarorum dominicanorum mentionem faciat, numquam dicit se eiusdem ordinis sodalem esse.

b) Qui dominicani ordinis historiam litterariam admodum erudite conscripserunt, dominicani patres Iacobus Quétif et Iacobus Echard, editionem hanc Tauleri non ponunt[6]. Idem silentium tenet P. Bernardus de Ionghe O. Pr., qui historiam provinciae Germaniae inferioris fratrum praedicatorum conscripsit[7].

(„Gheestelyke Sermoonen ghemaeckt door den hoogh-verlichten Leeraer Ioannes Taulerus" [t'Antverpen 1647]), praef. n. II. Si *C. Schmidt* (l. c. p. 70—78) credimus, Tauleri editio italice versa est a Gaspare Sciotto (Piacenza 1568), atque in germanicum sermonem reducta non solum a Carolo ab Anastasio carmelita (Coloniae 1660 in 4°, et saepius), sed etiam a protestantibus (Francofurti 1621 in 4°; ibidem 1681 cum praefatione Speneri etc.).

[1] Histoire du Panthéisme populaire au moyen âge et au seizième siècle (Paris 1875) p. 63—65.

[2] Zeitschrift für katholische Theologie (14. Jahrg., Innsbruck 1890) p. 721—724.

[3] * Cod.: „Scripta B. Petri Canisii X. A." Plura vide infra, monum. 7.

[4] Guillermus de Alten († 1540) monasterii dominicanorum calcariensis fuit; lectoris theologiae, prioris, provincialis, inquisitoris coloniensis munera administravit (*Bern. de Ionghe* O. Pr., Belgium Dominicanum [Bruxellis 1719] p. 324).

[5] Monumenta saeculi XVI. historiam illustrantia. Ed. *Petr. Balan.* Vol. I (Oeniponte 1885), p. 158.

[6] Scriptores Ordinis Praedicatorum I (Lutetiae Parisiorum 1719), 677—679; II (ibidem 1721), 821.

[7] Cf. supra, adnot. 4. De editione hac etiam silet P. *A. Touron* O. Pr. (de

c) „Petrus de Novimagio" ille, de quo modo scripsimus, idem esse omnino videtur ac „P. Mag. Petrus Fabri De Novimagio", quem De Ionghe testatur Noviomagi natum esse, ibidem in monasterio dominicano professionem fecisse, Parisiis anno 1522 docuisse, ibidem anno 1514 „tertiam partem Summae S. Thomae cum supplemento" et anno 1519 cardinalis Caietani „commentaria in secundam secundae S. Thomae" evulgasse. Mortuus autem est Romae 23. Iulii 1525 [1]. Huius igitur „Petri de Novimagio" editio tauleriana Coloniae facta anno 1543 esse non potest.

d) Canisius ineunte fere anno 1536 Coloniam in gymnasium montanum [2] missus et 18. Ianuarii eiusdem anni in matricula universitatis inscriptus est hoc nomine: „Petrus Canes de Nouimagio" [3]. Eodem anno in libro facultatis philosophicae inter discipulos gymnasii montani, qui die 2. Novembris „ad baccalaureatum in artibus" admissi sint, refertur „Petrus Nouiomagus" [4]. Ac „Petrus nouiomagus de domo montis" in eodem libro inter eos numeratur, qui die 3. Februarii 1538 „praesentati sunt" ad „tentamen" pro „licentiatu" in artibus obtinendo [5]. Porro die 25. Maii anni 1540 „praesidente Magistro Johanne Nouiomago" magister artium factus est „Petrus Canisius Nouiomagus" [6]. Die 31. Octobris 1543 in schola theologorum „M. Petrus Canisius a Noviomago" latinam orationem ad clerum habuit, et die 18. Iulii 1544 „M. Petrus Canisius Noviomagensis artium liberalium magister de bursa Montis" de summo pontifice disputavit [7]. Qui in tribus epistulis dedicatoriis, quas anno 1546 editionibus S. Cyrilli Alexandrini et S. Leonis Magni a se curatis praeposuit [8], „Petrum Canisium Nouiomagum" se dixit. Nemo suspicabitur dominicanum illum „Petrum de Novimagio", qui anno 1525 iam sacerdos erat et a summo pontifice imprimis aptus habebatur ad lutheranos convertendos, annis 1536—1544 Coloniae in bursa montana cursum institutionis philosophicae et theologicae peregisse. Neque verisimile est eodem tempore, quo Canisius noster Coloniae „Petrus Noviomagus" vocabatur, ibidem alterum aliquem in scripto publico idem nomen sibi imposuisse.

e) Patribus dominicanis, qui Coloniae degebant, Canisius certe notus et carus erat; eminebat enim inter studiosos, quos illi in scholis universitatis excolebant. Ad B. Petrum Fabrum Canisius Colonia 12. Augusti 1545 scribit: Patrem provincialem et patrem priorem praedicatorum iubere eum salvum esse.

f) „Petrus Nouiomagus" opus suum Georgio de Scodborg, archiepiscopo lundensi, dedicavit. Certum autem est hunc Beato Petro Fabro, Canisio, primis eorum sociis coloniensibus amicissimum fuisse. Faber iam anno 1542 Moguntiae in eius gratiam venerat [9]. Sancto Francisco Xaverio Colonia 10. Maii 1544 scripsit archiepiscopum lundensem sermones, quos de rebus sacris latine habeat, semper audire [10].

Tauleri operibus scribens), Histoire des hommes illustres de l'ordre de Saint Dominique II (Paris 1745), 334—364.

[1] *B. de Ionghe* O. Pr., Desolata Batavia Dominicana (Gandavi 1717) p. 130—131.

[2] Canisius ipse testatur se in gymnasio montano liberalibus disciplinis operam dedisse. Vide supra p. 17. 38.

[3] * Cod.: „Matricula quarta vniuersitatis Studij Coloniensis" f. 147b. Coloniae in archivo historico urbis.

[4] Haud recte Jundt: In ipsa matricula scriptum esse: „Petrus Noviomagus", et manu posteriore additum: „Canisius".

[5] * Cod. colon.: „Lib. fac. Art. quartus" f. 203b—204a. 208b. Utroque loco postea quidem, sed, ut videtur, manu eiusdem aetatis vel saltem valde antiqua inter vocabula „Petrus" et „Nouiomagus" insertum est: „Canisius".

[6] Ibidem f. 215b—216a. In illo libro decani facultatis artium notabant, quae tempore administrationis suae acciderant.

[7] * Acta facultatis theologicae coloniensis, in codice bibliothecae nationalis parisiensis „Nouv. acq. lat. 2165" f. 6b—7a. Plura infra ponentur.

[8] Hae epistulae infra proponentur.

[9] Cartas del B. P. *Pedro Fabro* I, 160. 345. [10] Cartas etc. l. c. 235.

Erat is, si Iosepho Hartzheim[1] credere licet, Canisii et Surii „contubernalis et commensalis" apud Andream Herll, canonicum ecclesiae S. Gereonis. Certe Petrus Faber 28. Novembris 1543 ad Canisium et Alvarum Societatis novicios scribens (qui tunc apud Andream Herll habitabant) eos iubet canonico Andreae „et Reverendissimo domino londensi" „esse obsequiosissimos et obedientes in domino". Et Canisius ipse 5. Februarii 1545 Colonia comiti montensi scribens inter patronos, quos Societas Iesu Coloniam modo introducta ibidem habeat, „Georgium a Schotborg Archiepiscopum Lundensem Primatem Sueciae" primo loco nominat[2].

g) Melchior Canus O. Pr. Vallisoleto 28. Martii [1556] magistro Venegas haec scripsit de hominibus Societatis: „Tambien he oido decir lo que Vmd. que siguen á Juan Thaulero y á Henrique Herp; y . . . . á Fray Baptista de Crema"[3]. Mirae huius sententiae pars illa, quae Harphium spectat, eo explicatur, quod eodem anno carthusiani colonienses „Theologiae mysticae D. Henrici Harphii" editionem novam Coloniae in lucem emiserunt eamque S. Ignatio totique Societati Iesu dedicaverunt. Quae res suadet, ut etiam eorum, quae de Taulero scripta sunt, explicationem Coloniae quaeramus et dicamus Taulerum anno 1543 editum esse a Canisio paulo ante Societatem Iesu ingresso.

h) Canisius eo tempore Coloniae in media quasi theologia mystica versabatur[4]. Nicolaus Eschius, quem in vita spirituali magistrum habebat summeque amabat, anno 1543 librum „De templo animae" primum edidit, eique suam „isagogen seu introductionem ad vitam introversam capessendam" praeposuit; idem anno 1545 Coloniae „Margaritam Evangelicam" e germanica lingua in latinam a se translatam edidit[5]; atque anno 1548 a Laurentio Surio, Canisii amico, Coloniae una cum Tauleri „Exercitiis de vita et passione Salvatoris nostri" edita sunt „eiusdem fere argumenti" „exercitia quaedam alia, divina prorsus, et quae compendio hominem in Deum transformare queant, Authore D. Nicolao Eschio". Atque carthusiani colonienses, quorum „pio contubernio" Canisius iuvenis, ut ipse scribit, „suauiter in domino fruebatur"[6], toti erant in libris eiusmodi. Tales Iustus Landsbergius et Gerardus Kalckbrenner, Carthusiae prior, eo fere tempore composuerunt; Gertrudem in lucem emittendam curavit Landsbergius, Harphium Bruno Loher, versiones latinas Tauleri, Ruisbrochii, Susonis (1548—1555) Surius. Canisius autem ipse testatur se tunc ad nil magis affectum fuisse quam ad „mysticam theologiam et spiritualia studia"[7]. Mirari igitur non possumus virum illum librorum edendorum per totam vitam studiosissimum conferre etiam voluisse ad thesaurum monumentorum mysticorum augendum. Quod autem huius suae editionis postmodum nullam vel fere nullam mentionem fecit, id ex animi eius demissione explicabis vel potius ex eo, quod videbat Taulerum a quibusdam haeresum vel saltem errorum accusari et in indicibus librorum prohibitorum poni.

De hac re etiam propter rationes bibliographicas uberius hic disserere placuit. Primi libri a Societate Iesu in lucem emissi putabantur esse „Directorium" Polanci (1554), Exercitia spiritualia S. Ignatii (1548), Sermo quidam in concilio tridentino a Salmerone habitus (1546). Sed ecce Canisius omnes, quotquot Societas habuit scriptores, tribus annis praevenit![8]

---

[1] Bibliotheca coloniensis p. 218–219.

[2] Vide epistulam ipsam infra n. 19.

[3] Cartas de *San Ignacio* II, 498.

[4] *Paulus Drews*, scriptor protestans: „Das mufs anerkannt werden, dafs der Jüngling [Canisius] noch unter den verhältnismäfsig besten Einflüssen der katholischen Kirche aufwuchs, unter den Einflüssen der Mystik. . . Er erfuhr den Einflufs eines Kreises, der durch die strenge Mystik dem Jesuitenorden geistesverwandt war" (Petrus Canisius p. 6—7).

[5] *Hartzheim* l. c. p. 255.

[6] Vide supra p. 37.

[7] Vide supra p. 22.

[8] *Sommervogel* l. c. II, 617. *A. Jundt*, cum anno 1875 non sine dubitatione quadam Canisium editorem Tauleri dixisset, postea cum certitudine dixit (La grande En-

Ceterum grato animo profiteor me in his, quae modo proposui, inveniendis et stabiliendis consilio et opera reverendorum Patrum Henrici Denifle et Pauli de Loe, ordinis praedicatorum, adiutum esse.

7.

BEATUS PETRUS FABER S. J.

CANISIO.

Moguntia 21. Iunii 1543.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est in pagina altera epistulae archetypae a Fabro ad Alvarum et Canisium 28. Novembris 1543 missae.

Edita in „Cartas del B. *Pedro Fabro*" I, 355—356. Usus est ea *Hansen* l. c. p. 175.

De exercitiis spiritualibus Ioannis et Danielis sacerdotum a Canisio missorum. Iubet Canisium pro iis Deum precari.

Jhesus[1]

Charissime in Jesu Christo Frater.

Gratia Jesu Christi dominj nostrj et pax illa quae exuperat omnem humanum sensum confortet et confirmet cor tuum et intelligentiam tuam[2].

Nuncius hoc sero sese mihi certus obtulit, quem nolo abire ad vos vanum, et tamen nihil nouj habeo quod scribam, nisi quod cupiam intelligere sj quid nouj apud vos est[a].

Duo sacerdotes quos ad me impulistj bene habent, et maxime optant vt tu memoriam ipsorum continuam facias in tuis orationibus[3], absque his enim alter eorum non facile sperat se posse inuenire eos affectus quos tu maxime coniectas, alter vero timet vt non possit inuenire id quod nimio affectu optat, Nolj igitur deesse eis, sed obsecra dominum vt alterj det voluntatem faciendi id quod nouerit, alterj vero vt det potestatem inueniendj id quod vult, sic vellent fierj ipsj orationes pro se, Ego vero cupio vt oretis dominum deum ipsorum et nostrum, vt dignetur vtrique aperire voluntatem suam bonam beneplacentem et perfectam[4] vt eam possint exequj postquam agnouerint[b].

[a] *Signum sequitur, quo indicari videtur in autographo novum versum incipere.*
[b] *Sequitur idem signum, quod supra.*

cyclopédie. Sous la direction de MM. *Berthelot*, *Derenbourg* etc. IX (Paris, sine anno), 39—40.

[1] Ipse quoque S. Ignatius epistulas suas a nomine Iesu incipiebat atque etiam eodem concludebat; nam in sigillo Societatis idem nomen comparere volebat. Vide quae hac de re disputata sunt in „Cartas de *San Ignacio*" I, 416—421.

[2] Phil. 4, 7.

[3] Deliberasse hi videntur, essetne vita religiosa sibi capessenda. Utrumque Societatem Iesu ingressum esse, asseritur in * cod. „Hist. gymn. tr. cor.", f. 19b. Sed vide infra, p. 94 adnot. 1. 2. [4] Rom. 12, 2.

Dominus Joannes[1] esset contentus paucis vt cito posset redire ad vos, dominus autem Daniel[2] adeo cupit bona finalia et ipsos fructus, vt nulla media ad lucrum deputet, nondum intelligit quam bona sit acquisitio spiritualis aurj, Vtinam ipse posset iuxta desideriorum famem et sitim[a].

Habenda autem mihj est ratio aetatis eius quae alioquj nimium multis exercicijs est aggrauata[b].

Commenda me domino meo et patrj et fratrj in Christo priorj Carthusiensium coloniensium[3], et domino vicario eiusdem domus[c].

Christus Jesus semper sit in corde tuo, et in corpore tuo senciatur spiritus eius.

Moguntiae XXI die Junij 1543.

Tuus in Christo frater et amicus singularis
Rescribe. Petrus Faber.

† Charissimo in Christo fratri et singulari amico magistro petro Kanisio nouiomago in edibus Mag. Andree Bardwick licentiati theologie Canonici ad gereonis Coloniae.

[a] *Idem signum sequitur.* [b] *Idem signum sequitur.*
[c] *Idem signum sequitur.*

[1] Sunt qui suspicentur Ioannem Covillonium (Couvillon) insulensem significari, qui sub id tempus in Societatem receptus est, vel etiam Ioannem Aragonium (Mosen Juan de Aragon), qui Fabrum ex Hispania in Germaniam comitatus erat et aestate anni 1542 Spira Coloniam ad loca sacra visenda venerat (Cartas del B. P. *Pedro Fabro* I, 127—128. 150—152. *Fabri* Memoriale p. 51—54. 81—83). Sed Canisius Colonia 12. Augusti 1545 Fabro de monasterio quodam ordinis S. Birgittae scribit, in quod ingressus sit „D. Ioannes Domini Danielis socius" Moguntiae.

[2] In *„Historia gymnasii trium coronarum" l. c. asseritur eum fuisse Danielem Paeybroeck denderamundanum, qui Societati nomen dedit. Sub idem tempus „M. Daniel Coloniensis" Societatem ingressus esse videtur (*Oliv. Manareus* S. J., De rebus Societatis Iesu commentarius [Florentiae 1886] p. 4). Inter amicos et discipulos, qui Fabrum 30. Decembris 1544 per Canisium salutant, „Dominus Daniel in Carthusia" comparet, et Faber litteris Vallisoleto 9. Iulii 1545 Coloniam missis priorem Carthusiae „cum toto conventu et D. Daniele" salutat. Daniel igitur ille, qui anno 1543 Moguntiae cum B. Petro Fabro fuit, non Societatem Iesu, sed Carthusiam coloniensem ingressus esse videtur.

[3] Gerardo Kalckbrenner sive Hammontano.

8.

CANISIUS
CORNELIO VISHAVAEO,

sacellano in ecclesia S. Petri lovaniensi [1].

Colonia mense Septembri 1543.

Ex libro operis manu scripti instar edito „De rebus Societatis Iesu commentarius *Oliverii Manarei*" (Flor. 1886) p. 10—11.

Ex *Radero*, De vita Canisii p. 236 ad 238.

Petrum Fabrum et institutum Societatis Iesu ei commendat.

P. Oliverius Manareus S. J. [2] *circiter annum 1600 inter „puncta", quae iussu Claudii Aquavivae praepositi generalis pro historia Societatis collegit et Romam ad P. Nicolaum Orlandinum Societatis historicum misit, haec ponit (c. 1, § 13):*

Primus autem omnium qui Lovanii ad Societatis institutum animum adiecerunt, fuit P. Cornelius Wischaven, Mechliniensis, in aede primaria D. Petri Sacellanus, et Confessarius ordinarius, vir probatae virtutis ac pietatis [3]. *Oraverat diu multumque vir pius Deum et*

P. Franciscus Costerus S. J. [4] *P. Matthaeo Radero S. J., Bruxellis 24. Ianuarii 1613:*

Accepi hesterno die, quas R. V. dederat 5. Idus Ianuarij, cum initio vitae B. Memoriae [a] *P. Petri Canisij quod initium mihi valde probatur, estque conforme cum iis, quae mihi a B. M. P. Cornelio Wischouio narrata fuerunt, eius condiscipulo apud D. Nicolaum Eschium, qui postea praefuit conuentui Beginarum Distemii* [b]. *Addebat bonus P. Cornelius ad se datas ab eo ex Germania (Moguntia, ni fallor* [5]*) literas per P. Petrum*

[a] Mariae *Rad.* [b] Bostenii *Rad.*

[1] De hoc Vishavaeo (Wischaven) vide infra, adnot. 3; nota etiam, quae post hoc regestum de altero „Cornelio Wischaven" ponuntur.

[2] Oliverius Manareus (Manare), anno 1523 in pago Quincy prope Duacum natus, studiis in universitate lovaniensi absolutis et sacerdotio suscepto, in Societatem Iesu receptus est Parisiis anno 1551. Qui rector fuit collegii romani, „commissarius" ordinis sui in Gallia et Germania, „assistens" et „admonitor" Mercuriani, praepositi generalis; quo mortuo totius Societatis „vicarius generalis" constitutus et a Claudio Aquaviva, Mercuriani successore, in Austriam, Germaniam, Belgium ad visitandas Societatis provincias missus est; in provinciis belgica et rhenana (1587 ad 1589) etiam praepositi provincialis munus gessit; mortuus est Tornaci die 28. Novembris 1614.

[3] Piissimum hunc virum, anno 1543 in Societatem Iesu admissum, S. Ignatius postea Romam evocavit et Messanam in Siciliam misit; qui in utraque urbe praeter alia etiam munus magistri noviciorum gessit; mortuum esse Laureti „in brachiis, ut dici solet", Manarei (anno, ut videtur, 1557) *Manareus* ipse refert l. c. p. 155. Huius eximias virtutes enarrat *Matth. Tanner* S. J., Societas Iesu apostolorum imitatrix p. 70—76.

[4] Franciscus Coster (1532—1619), mechliniensis, in Societatem Iesu anno 1552 admissus, in provincia S. J. rhenana semel (1578—1585), in belgica bis praepositus provincialis fuit; 40 fere libros edidit asceticos, polemicos, catecheticos, qui recensentur a *Sommervogel* l. c. II, col. 1510—1534, p. XIV.

[5] Vide infra, p. 96 adnot. 2.

B. Virginem ut indicare dignarentur, in quo vitae genere Deo et Ecclesiae ipsum deservire vellent. Sensit autem non raro obversantem menti suae cogitationem, quod venturi essent aliquando boni aliqui Sacerdotes, quorum studiis et institutis si se adiungeret, Deo et Ecclesiae recte deserviret. Dum hoc animo versat, ecce illi redduntur per P. Fabrum et Franciscum Stradam[1] *(quem secum Faber assumpserat) litterae datae Moguntia*[2] *a P. Petro Canisio, qui Exercitia Spiritualia Moguntiae, P. Fabro directore persolverat .... Acceptis litteris P. Cornelius gratias ipsis egit, ac benigne eos dimisit, antequam litteras reseraret. Lectis porro litteris bonus pater totus confusus est, sensitque valde, quod viros tam praestantes, sicut ex litteris intelligebat, a se tam rustice dimisisset, non dubitans quin illi essent, quos illustratio divina assignaverat. Nam Canisius eum hortabatur ut ipsis se adiungeret, eos esse eius instituti ad quod aspirabat. Nescius Cornelius quid ageret, continuo ad altare B. Virginis se supplex prosternit, in simplicitate cordis dicens: O beatissima Virgo, duo ad me viri paulo ante venerunt, quos iam diu desideravi videre, eos autem a me dimisi, nec scio quo se receperint, et ubi eos invenire possim; dirige me, quaeso, et doce ubinam eos inveniam. Finita oratione novo lumine illustratus, visus est videre domum, ad quam diverterant, et continuo ad eam concitato gressu se confert: pulsat fores, a Francisco Strada Fabrum, quas ei Lovanium [?]*[a] *adferebat Franciscus Strada tunc adolescens. Cumque ei non esset ocium illas statim legendi propter vespertinum officium, ad quod in Ecclesiam S. Petri properabat, post reditum, vt eas aperuit, multa inuenit de nostrae Societatis instituto, quae ipsum ad illud non mediocriter permouebant: sed cum ab eo Franciscus Strada discessisset, ipseque ignoraret, vbinam hi duo in ciuitate hospitium haberent, contulit se postridie in templum fratrum Praedicatorum, vbi ad altare B. Virginis precatus [est] B. Virginem pro auxilio inueniendae Domus illorum · et tunc diuinitus ei suggestum est, vt portam internae ciuitatis iuxta Monasterium S. Francisci egressus ad latus sinistrum ianuam cuiusdam domus pulsaret*[3]*, quod vt fecit inuenit ibi vtrumque. A P. Fabro de instituto Societatis nostrae instructus, deduxit ambos in domum suam iuxta Parochialem Ecclesiam B. Michaelis, quam Societati donavit, atque ex eo tempore Societas Louanium non deseruit, ad quam concionibus praedicti Francisci Strada necdum Sacerdotis, multorum magna accessio facta est. Haec ab ipsomet P. Cornelio Wischouio audiui ....*

[a] *Mendum librarii vel typographi id esse videtur ac legi oportere* Louanii; *nam Strada anno 1542 Lovanium venit (Orlandinus, Hist. S. J. P. 1, l. 3, n. 75), nec quisquam prodidit eum illo vel proximo anno Lovanio Coloniam venisse.*

[1] De hoc vide supra p. 78[3].

[2] Scribendum fuit „Colonia". Nam Canisius mense Maio vel initio Iunii Coloniam revertit. Faber autem eodem venit mense Augusto vel Septembri (*Cornely* l. c. p. 132. *Boero*, Fabro p. 125), atque eodem mense Septembri Lovanium profectus est (*Fabri* Memoriale p. 335; ed. mai. p. 326. *Boero* l. c. p. 127).

[3] *Raderus* ex relatione anno 1600 a Costero facta: „Secundum coenobium [S. Francisci ?] iubetur dextrum viae latus ingredi, tertiaeque inde domus ad sinistram fores pulsare."

hae aperiuntur; accedit et evistigio P. Faber: se mutuo consalutant: P. Cornelius enixe rogat, ut ad suas aedes licet humiles et angustas se recipere non gravarentur, se vero non passurum ipsis quidquam deesse pro sua tenuitate. — Haec cum ante plurimos annos mihi narrata essent in Urbe, et nisi fallat memoria, etiam alibi, rursus eadem confirmari audivi a PP. Bernardo Oliverio iam Praeposito nostro Provinciali [1], *ac Francisco Costero.*

Raderus l. c. p. 234—236 testatur Costerum anno 1600, „ad conuentum Sociorum publicum inter alios Romam vocatum", eadem fere „in itinere exposuisse".

Claris hisce virorum gravium testimoniis ea refelli videntur, in quibus — capite tamen narrationis servato — complures Canisii Fabrique biographi nobiscum discrepant [2]. H. P. Vanderspeeten S. J. censet Canisium non Cornelio Wischaven, sacellano S. Petri, scripsisse, sed eius nepoti, qui eiusdem nominis ac cognominis erat et paulo post Societatem et ipse ingressus est; huncque Cornelium Canisii condiscipulum fuisse, atque ita nodum omnem dissolvi posse [3].

9.

CANISIUS

NICOLAO ESCHIO,

pastori Beginarum distemensium [4].

Colonia mense Septembri 1543.

Ex *Sacchino*, De vita Canisii p. 27—28, scribente „ex eius aetatis commentariis" deprompta esse.

„Degebat", inquit Sacchinus, „Nicolaus hoc tempore haud Louanio procul in oppido Diestemio. Igitur literas ad eum Canisius dat, rogatque vt Francisci Stradae, qui redditurus eas literas esset, ne grauaretur audire consilia, et quas exercendae mentis vias idem proponeret [5], *experiri. Eas literas vbi Nicolaus accepit, et Stradam vidit hominem tanto se aetate inferiorem, sibi uetusto Magistro superuacaneum putauit imberbis pene adolescentis subire dictata"* [6].

---

[1] Bernardus Oliverius (Olivier) anno 1556 Tornaci mortuus est.

[2] V. g. *Sacchinus*, Can. p. 27—28.

[3] „Corneille Vishaven, premier Jésuite belge" in „Collection de Précis Historiques" XI (Bruxelles 1862), 457—472.

[4] De eo v. supra p. 17—19. 36. 92. 95.

[5] Exercitia spiritualia S. Ignatii.

[6] Eschius postea Societati amicissimus fuit. Quae apud Sacchinum sequuntur, cum iis parum convenire videntur, quae Canisius Fabro 12. Martii 1545 scripsit.

10.

BEATUS PETRUS FABER[1] ALVARO ALFONSO[2] ET PETRO CANISIO,

noviciis S. J.

Lovanio 28. Novembris 1543.

Ex archetypo (formae romanae, 1 p.); sola subscriptio (vester etc.) est Fabri ipsius.

Edita in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 360—362. 197—200. Usus est ea *Hansen* l. c. p. 180.

De aegrotatione sua. Num sit (quod Poggius Nuntius et Ererardus Billick cupiebant) Coloniam rediturus. Socios monet, ut valetudinem et studia diligenter curent, carthusianis et archiepiscopo lundensi obsequantur. De Stempelio et Groppero ad Caesarem profectis et de Stradae orationibus sacris.

Jhesus

Charissimj in christo fratres.

Gratia: Et pax: dominj nostri Jesu christi: sit semper in cordibus nostris: literas vestras manu magistri petri[3] ad me .23 novembris

---

[1] Cum Hermannus de Weda [Wied], archiepiscopus coloniensis, per Bucerum, Melanchthonem aliosque lutheranos gregem suum a fide catholica avertere conaretur, Faber Moguntia Coloniam venit mense Augusto vel ineunte Septembri anni 1543, ibique exercitiis spiritualibus tradendis et sermonibus sacris latine habendis operam dabat (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 192—194. 352. Acta Sanctorum Iulii VII [Parisiis et Romae 1868], 493 [ex „*Annalibus Carthusiae Coloniensis*“]). Sed a S. Ignatio iussus est in Lusitaniam ad Ioannem III. regem proficisci: „Ad profectionem“, inquit ipse, „ego me accinxi in mense Septembri. Veni autem Antuerpiam, et dum non possem navigare, rediens Lovanium, incidi in febrem tertianam quae me detinuit duos ferme menses“ (Memoriale p. 335 [ed. mai. p. 325]). Notatu dignum est Fabrum Coloniam primum venisse *Canisio* auctore; hic enim * Friburgo Helvetiorum 3. Iunii 1590 Coloniam ad P. Arluinum Madium S. J. scripsit: „R. P. meus Faber cui tam multum debemus, non venit Coloniam nisi a me rogatus.“ Sed a priore quoque Carthusiae rogatum esse ea ostendunt, quae *Faber* Moguntia 28. Maii 1543 Claudio Perissin, priori Carthusiae „du Reposoir“, scripsit: „Le Dom Prieur des Chartreux de la citté de Cologne . . . m'hat escript ces jours passés, m'exhortant fort et désyrant affectueusement, afin que je veulle visiter la citté de Cologne . . . La necessité est grande, laquelle le faict escrire; et pour tant je hay proposé d'i aller“ (Cartas I, 352). Hic non vacat disputare, a quibusnam aliis Faber Coloniam evocatus sit, num archiepiscopum accesserit etc. (*Reiffenberg* l. c. p. 10—12. *Hansen* l. c. p. 168—180).

[2] Alfonsus Alvarus (Alvaro Alfonso) et Ioannes Aragonius (cf. supra p. 94[1]), sacellani aulici Mariae et Ioannae, Caroli V. filiarum, anno 1542, Fabri virtute sancte delectati, eum ex Hispania in Germaniam comitati sunt, Spirae exercitiis spiritualibus ab eo exculti sunt, Societati nomen dederunt. Aragonium Faber Moguntia secum Coloniam et inde Lovanium adduxisse videtur, ut litterarum studia prosequeretur. Alvarus mensibus Augusto et Septembri anni 1542 Treveros et Coloniam adierat, ut sepulcra sanctorum visitaret, atque inde Spiram reverterat; ineunte mense Ianuario anni 1543 iterum Coloniae fuit (Memoriale p. 31. 209. Cartas etc. I, 127—128. 140. 152. 161—165. 413—415).

[3] Canisium significari ex inscriptione huius epistulae intellegitur.

scriptas. hoc die recepi. gratissimas quidem illas. propterea quod multas res (quarum[a] tenebamur desiderio) nunciarent. desiderio inquam sciendi. dolemus quidem: quod multa sint. que nos non possint consolari. ea videlicet que de Religione scribitis. Jesus christus dominus noster: cuius res agitur. det omnibus saniorem mentem. Quidam tabellarius, sese nunc nobis obtulit: qui adeo festinat. vt nobis non detur locus respondendi ad singulas partes epistolae magistri Petri, Sed et infirmitas mea etsi jam satis remissa sit non permittit me multa scribere. Dominus Franciscus[1] postea respondebit ampliter, hoc igitur tantum scitote ex me. longe melius habere quam hactenus quamvis febris nondum omnino sit expulsa. Sed et dominus Johannes nondum redijt ad pristinam valetudinem[2]. dimissus est tamen a febre, Rogate igitur dominum. vt jn nobis compleat voluntatem suam. De meo reditu in coloniam nondum scio quid futurum est, Nuncius apostolicus mihi significavit: se habere potestatem a summo pontifice: jmpediendi profectionem meam in hyspaniam, oportebit tamen me videre litteras. vt intelligam si sufficiant ad impediendam priorem obedientiam[3]. Jam scripsimus ad domnum Alvarum[4]. quemadmodum factor[5] regis portugalliae paratus est providere: juxta tenorem epistolae domine Leonorae[6]. videat igitur et sibi caueat, de sua culpa ne propter malum regimen corporale, incidat in aliquam infirmitatem. non mihi admodum probatur. sic dimissis studijs vestris vos totos detis operibus charitatis. res quidem sancta est quod pauperes recipiatis hospitio[7]. Sed danda est opera: vt habeatis aliquos: quos substituatis tali ministerio. id quod scribitis de primo hospite meo[8]. mihi valde displicet. vtinam deus det illi mentem, cum ven-

---

[a] *Sequitur vocabulum* „singularum", *postea deletum.*

---

[1] Fr. Franciscus Strada S. J.; de quo supra p. 78. 95—97.

[2] P. Ioannem Aragonium tunc aegrotasse Lovanii etiam *Polancus* testatur I, 116.

[3] Ioannes Poggius (Poggio), Nuntius ad Caesarem missus (postea cardinalis), qui Moguntiae tunc moratus esse videtur, optabat, ut Faber germanicam ac maxime coloniensem ecclesiam iuuare pergeret (cf. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 202).

[4] Alfonsum Alvarum, de quo supra, p. 98, adnot. 2.

[5] Id est: procurator vel quaestor. („Uxor . . primarii ministri Ducis [Factorem vocabant"] etc. *Polancus* II, 495.)

[6] Nobilis ac pia femina Eleonora de Mascareñas cum Isabella, sponsa Caroli V., in Castiliam venit et Philippum, „infantem Hispaniae", eiusque sorores ac postea etiam Carolum, eius filium („Don Carlos"), educavit; S. Ignatium, quem virum sanctum putabat, eiusque socios tantopere protegebat et adiuvabat, ut hic eam „Madre de la Compañía" dicere soleret (Cartas de *San Ignacio* I, 205[2]. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 127. *M. Gachard,* Don Carlos et Philippe II. I [Bruxelles 1863], 6—8).

[7] *S. Ignatius* inter sex experimenta praecipua noviciis subeunda recenset servire in uno vel pluribus xenodochiis per mensem, et in variis officiis abiectis et humilibus se exercere (Constitutiones Societatis Iesu, Ex. c. 4, n. 9. 11. 13).

[8] *Canisius* in epistula anno 1590 Friburgo Helvetiorum Coloniam missa de Fabro Coloniam primum advecto: „Hospitium illi obtinuimus, apud bonum Civem,

ditione omnium rerum suarum extinguendi litem illam: aut si nihil habet. publice cedendi bonis[a]. Ego vellem vt nulle littere vestre ad me venirent. absque aliqua mentione commendationum prioris carthusiensium. et fratrum eius. quos maxime et omnibus modis salvos cupio et fortes in omnj virtute[1]. vos autem ipsis esse obsequiosissimos. et obedientes in domino. Sicut et magistro Andreae[2] et Reverendissimo domino londens[3]. Animus quem Reverendus dominus prouincialis erga me habet[4]: et semper habuit. facit, vt ego cupiam secundum christum. voluntatem eius fieri. dico voluntatem eam: qua ipse desiderat reditum meum, Jndispositio corporis non me sinjt plura scribere, precor Jesum christum dominum nostrum. vt nobis omnibus det gratiam faciendi, patiendi, suam voluntatem bonam beneplacentem et perfectam[5].

Lovanij. 28 novembris 1543. vester in christo Frater
Petrus Faber.

Litterae in quibus dicit Magister petrus se scripsisse, ad me de omnibus rebus. et eas misisse ad .M. Nicolaum[6] ad nos nondum pervenerunt.

Laurentius[7] apud nos est. et dominus tilanus[8] bruxellis vbi est cesar. spero. quod cito ad vos revertentur.

---

[a] *Vocabulum* suis, *quod sequitur, a Fabro ipso deletum esse videtur.*

---

non procul a templo Apostolorum habitantem" (*Reiffenberg* l. c. p. 11). Ac P. *Ioannes Rethius* S. J., regens bursam trium coronarum coloniensem, in suis „Ephemeridibus" ad annum 1558 haec scribit (f. 15[a]): „8 Jdus Januar. venit ad nos Ioannes Spengius Rector scholae et concionator in Wroeden, dioecesis Monasteriensis W., petens aliquem Societatis, per quem ille paulatim in ea civitate jaceret fundamentum Collegii societatis; sed ob paucitatem personarum nullus illi adjungi potuit. primus hic fuit hospes R. P. Fabri Coloniae. Huic dedimus catalogos undecim, quos ille spargat per Westphaliam et inferiorem Germaniam. ille in sua schola leget . . . utrumque Canisii Catechismum, Evangelia, et epistolas cum annotationibus Canisii, et nostras selectas epistolas Ciceronis. Curabit, ut iidem hi libri in aliis quibusdam scholis legantur" (Ex *apographo saeculo XVII. confecto, quod est Coloniae in archivo studiorum fundatorum).

[1] Faber carthusianos colonienses, ab ipsis rogatus, sacris S. Ignatii meditationibus exercuerat, eaque exercitia etiam in libellum sua manu relata iis reliquerat; quorum et hospitio aliquamdiu usus est (*Acta Sanctorum* l. c. *Reiffenberg* p. 12).

[2] Andreae Herll de Bardwick; cf. supra p. 17. 94. [3] Georgio de Skodborg.

[4] P. *Iacobus Kritzradt* S. J. (cf. supra p. 67) super verbum „prouincialis" scripsit „Carmelit. Billichius". Ac dubitari vix potest, quin Faber egregium illum scriptorem et fidei propugnatorem Everardum Steinberger, vulgo Billick, ordinis carmelitarum, significet, qui in universitate coloniensi theologiam tradebat et anno 1542 ordinis sui provincialis per Germaniam designatus erat.

[5] Rom. 12, 2. [6] Nicolaum Eschium?

[7] „Laurentius famulus" 30. Decembris 1544 et 12. Augusti 1545, Coloniae degens, Fabrum per Canisium salutat.

[8] Dominicani huius coloniensis compluries in Canisii litteris fit mentio. In actis facultatis theologicae coloniensis (*Excerpta P. *Iacobi Kritzradt* S. J., in cod. „Hist. gymn. tr. cor." in fine; et *Excerpta P. *Nicolai Brewer* O. Er. S. Aug., exeunte

Dominus Gropperus[1] hac transijt. et iam est bruxellis. Faxit Jesus optimus vt ipsi querant diligenter: et jnvenjant gratiam apud cesarem. in vtilitatem totius germanje.

Dominus Franciscus[2], singulis dominicis pergit in predicationibus. idque cum admirabili auditorio. quod ita crescit vt iam ter opus fuerit ei mutare locum.

Jhesus.

Charissimis in christo fratribus meis.

Domino Alvaro Lusitano. et magistro petro Kanisio in domo dominj licenciati Andreae Barduich. Canonici sancti Gereonis. Apud eundem sanctum Gereonem. Coloniae.

Latorj vnum stuferum[3] det.

11.

BEATUS PETRUS FABER S. J.

CANISIO.

Colonia exeunte Ianuario 1544.

Ex *Radero,* De vita Canisii p. 24.
Eadem fere narrat *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 86.

---

saec. XVIII. facta, in archivo urbano coloniensi [cod.: Univ. N. 14, p. 7]) compluries „Iohannes Stempel" „a Tyla" vel „Tylanus" comparet; Thiel oppidum est Geldriae. Annis 1542—1544 Coloniae decanus erat facultatis theologicae (* Acta facultatis l. c.). Exstat epistula archetypa a *clero coloniensi* Colonia 5. Septembris 1544 ad Ioannem a Naves, Caroli V. vicecancellarium, missa, qua eidem commendant „venerandum et religiosum patrem, fratrem Ioannem a Tyla dominicanum, Sacrae Theologiae professorem et studij conuentus predicatorum Coloniae regentem . . . virum pari doctrina et pietate zeloque domus dei non vulgari preditum" (* Cod. „Causa Hermanni de Weda 1540—1546" Litt. A Conv. 3, n. 4). Distinguendus est Ioannes hic Tilanus ab „Iohanne Pesselio Belga Tilae in Geldria ad Vahalim nato", quem Coloniae ordinem praedicatorum ingressum esse, ibidem aliquamdiu theologiam tradidisse, „provinciae Teutoniae" „priorem provincialem" fuisse, circa annum 1549 obisse asserunt *Quétif* et *Echard* (Scriptores Ordinis Praedicatorum II, 135) et „Epitomen operum S. Augustini" anno 1539 Coloniae vulgasse scribit *Hartzheim* l. c. p. 191. In necrologio monasterii dominicanorum viennensis „P. Joannes Tilanus Magst. Provinc. Teut." Viennae professor universitatis fuisse et 7. Octobris 1556 obisse traditur; at „Liber de Universitate Viennensi", qui manu scriptus Viennae in archivo monasterii dominicani exstat, asserit eum anno 1558 vita cessisse (*Seb. Brunner,* Der Predigerorden in Wien und Oesterreich [Wien 1867] p. 5. 15). Simili ratione Ioannes Stempelius noster distinguendus est ab illo Ioanne Stempelio, qui anno 1577 Coloniae praefectus Sodalitatis marianae (civium?) erat, cum antea Goudae consulatum administrasset. De quo „Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585", Bd. I, bearbeitet von *Ios. Hansen* (Berlin 1892) p. 138. 610 etc.

[1] Ioannes Gropper, canonicus ecclesiae metropolitanae et „scholasticus" ad S. Gereonis, praecipuum ecclesiae coloniensis columen in tempestate ab Hermanno Wedano excitata; qua in causa et ipse, et Tilanus Carolum V. adierant. [2] Strada.

[3] Stuferus (Styver, Stüber) = 9 centimes (centesimi) = 7 fere nummi germanici (Pfennig). Pecunia tunc multo maioris pretii (tripli, quadrupli, sextupli?) erat.

Canisius versus finem mensis Decembris anni 1543 Neomagi patri morienti adstitit [1] *et hereditatis suae magnam partem pauperibus distribuit, reliqua sibi assumpta, qua se sociosque Coloniae sustentare posset. Faber autem, urgente Nuntio Poggio, a Paulo III. et Ignatio Coloniam redire iussus est. Qui, ut ipse scribit, „post festum Regum hujus anni“* [2] *(post diem 6. Ianuarii 1544) Lovanio abiit et per Leodium, Traiectum, Aquisgranum transiens Coloniam advenit die 22. Ianuarii cum duobus Sociis: Aemiliano de Loyola, S. Ignatii fratris filio, et Lamberto Castrio [Duchâteau] leodiensi, theologiae baccalario* [3]. *Canisium Coloniae non invenit; nam 24. Ianuarii Cornelio Vishavaeo de eo scripsit: „Ipse in patriam ivit et patrem sepelivit, ... reversurus autem ad primam vocem, quam ex nobis receperit.“* [4] *„Postquam“ autem — haec de Fabro Raderus refert — [Canisium] „Patri funebria persoluere didicit, extemplo ad eum literas amoris et officij plenissimas expediuit, in quarum exordio, eum de morte patris aequo animo ferendo solatus, monet, vt quamprimum Coloniam reuertatur.“*

12.

CANISIUS

WENDELINAE CANIS,

novercae suae.

Colonia exeunte Ianuario 1544.

Ex *biographia Canisii, a P. *Iac. Keller* S. J. composita et a P. Iac. Bidermann S. J. transcripta, cod. monac. „Keller, Can. 1“ f. 6^{b}.

Cf. *Raderum*, De vita Canisii p. 25.

Cum Canisius, Fabro monente, Neomago Coloniam revertisset, e vestigio litterae novercae [5] *eum secutae sunt, quibus haec graviter querebatur, Petrum praepropere Coloniam redisse, fundos paternos alienis erogasse, a peregrino homine (Fabrum significabat) per speciem religionis ob spem praedae circumventum* [6]. *Respondit Canisius lenibus verbis Fabrum et seipsum defendens atque exponens, quare Neomagum redire non expediret* [7].

13.

CANISIUS

BEATO PETRO FABRO S. J.

Colonia 27. Augusti et 27. Septembris 1544.

Ex apographo, confecto circiter annum 1870 ex autographo, quod est in *„Varia Historia rerum gestarum a Societate Iesu intra et extra Europam“ [8] tom. I, f. 63—64.

---

[1] Cf. supra p. 8. [2] Memoriale p. 337 (ed. mai. p. 326—327).

[3] Memoriale l. c. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 212—213. 215. 372.

[4] Cartas etc. l. c. p. 374.

[5] „Quam de cetero nihil minus quam Nouercam sibi ipse testatur fuisse“ (*Sacchinus*, Can. p. 30). [6] Cf. *Raderum* l. c. p. 24—25.

[7] De epistula, qua Faber novercae respondit, vide infra, monum. 16.

[8] „Varia Historia“ tribus tomis manu scriptis constat; olim collegii S. J. complutensis (Alcalá de Henares) erat; cf. Cartas de *San Ignacio* I, p. VII.

Pars epistulae, italice versa, est apud *Boero,* Fabro p. 183—186 [1].

Socii colonienses a senatu urbe cedere iubentur. Canisii responsum. Rector universitatis in auxilium vocatur. Canisius ad Societatem deserendam vehementer sollicitatus, in ea etiam firmior consistit. Rector ab universitate ad consules placandos mittitur. Socii separatim habitare incipiunt. P. Claudius Iaius ab iis consulitur, et Poggii, nuntii apostolici, auxilium imploratur. Hermannus archiepiscopus Socios urbe pelli postulat. Ipsi in aerumnis gaudent. Vexatio augetur; intercedit Tilanus dominicanus; finis turbarum. Aliqui Socii Colonia discedunt. Canisius scholas et orationes sacras habet. P. Vishavaeus Lovanii mira efficit.

ihesus

Reverende semper in Christo pater ac domine mi FABER.

Gratia et pax Domini Nostri Iesuchristi semper maneat una cum Dominatione Vestra.

Quod hactenus nemo nostrum coepit ut ne miserabilem tragoediam imperfectam narraremus [2], id ego nunc, Deo juvante, qualecumque est, scribere aggredior. Neque moror amplius quin paternae pro nobis solicitudini tuae mirandam filiorum sortem adaperiam [3]. Igitur a discessu tuo qui fuit XII Julii plane fraterno animo nos mutuo complectebamur, studia vero quiete, ut numquam antea, praecipuoque ardore tractabamus. In suo quisque [a] officio consistebat quomodo

[a] quidquam *apogr.*

[1] *Boero* haud recte asserit diebus 21. Augusti et 21. Septembris datam esse.

[2] In secunda matricula universitatis coloniensis (f. 168) 25. Iunii 1544 hi Societatis Iesu vel candidati vel tirones vel scholastici inscripti sunt: „Mag. Lambertus de Castro juravit ad theologiam et est baccalaureus, Mag. Petrus Faber juravit ad theol. et est baccalaureus, Dom. Leonardus Kessel de Lovanio juravit ad artes, Mag. Ambrosius de Lyra juravit ad theol., Mag. Daniel Paeynbruck de Teneramunda juravit ad theol., Mag. Jacobus Faber Duacensis juravit ad theol., Thomas Balvich de Thornaco juravit ad artes, Dom. Alvarus Lusitanus juravit ad artes, Mag. Franciscus Calsa ex Balsalona juravit ad theol.“ (*Leon. Ennen,* Geschichte der Stadt Köln IV [Köln und Neuss 1875], 498—499).

[3] Cum B. Petrus Faber mense Ianuario anni 1544 Lovanio Coloniam revertisset, ex Canisii aere hereditario conducta est domus „auf der Burgmaur“, haud longe ab ecclesia metropolitana, in qua Faber cum Canisio et tribus aliis sociis iuvenibus (cf. supra p. 98 [2]. 102) habitare coepit; quibus mense Iunio complures alii accesserunt Societatis scholastici. Hos Faber ad pietatem formabat, et praeter alia, ut ipse scribit, „latine praedicavit, in schola artium, omnibus diebus Dominicis, et reliquis festis, absque extraordinariis praedicationibus“ (Memoriale p. 337; ed. mai. p. 327). Sed sub finem mensis Iunii ad senatum urbis delatum est advenas illos novum ordinem religiosum meditari. Qui senatoribus ad rem cognoscendam delectis responderunt se veterem religionem catholicam tenere et vitam, quam instituissent, ex speciali facultate summi pontificis instituisse. Paucis diebus post Faber novum a S. Ignatio mandatum accepit, quo in Portugalliam ad regem proficisci iubebatur, et 12. Iulii Colonia discessit (Memoriale l. c.). Abiens autem Sociis „M. Leonhardum Kessel praefecit“. *Canisius* in *litteris 3. Iunii 1590 ad Madium datis (cf. supra p. 98 [1]). Similiter (temporum tamen ordine nonnihil neglecto) *idem* in *parte nondum vulgata epistulae ad P. Ioannem Busaeum S. J. datae Friburgo Helvetiorum 2. Ianuarii 1596; apographum est in cod. colon. „Litt. Epistt. var.“ f. 11. 12. Ceterum vide infra, monum. 17—20.

abiens constitueras; et exorta per Senatum contra nos turbatio rem nostram stabilire tacite videbatur. Verum XXVIII die Iulii praeter omnem exspectationem redit ad nostrum hospitium Consul ille qui prius cum hic etiam esses, a Senatu missus ad nos venerat[1]; nunc tamen celebriori quam tunc Senatorum Caterva stipatus. Is Magistrum Petrum de Hallis[2] et me domi offendit, omniumque Senatorum Consedentium nomine sic locutus est: Retulimus ad Senatum quas nuper instituti ac purgationis vestrae rationes accepimus: nunc auctiorem reddi numerum vestrum intelligimus. Tum hic erant plus minus undecim. Ego, recte, inquam, nunc tantum novem[3]. Ille, nihil cunctatus, ut ut est inquit, Amplissimi Senatus nostri sententiam ac edictum adfero. Vobis quotquot hic una degitis ex nostra civitate statim demigrandum erit, quoquo tandem velitis, nec longius hic nobis eritis ferendi. Nullam ad haec rationem prorsus allegarunt. Ego itaque sic interloquebar: Dominos nostros Senatores tantum rogamus ut, si nobis hinc fuerit cedendum, relinquant honestum testimonium salvae nobis et famae et innocentiae, quo probemus exteris nulla flagitiorum causa nos hinc exturbatos; quod multis alioqui in proclivi erit de nobis suspicari. Rem veluti indignam hanc repudiarunt. Si, inquiunt, non acciti, neque rogata prius nostra sententia huc accessistis, neque nunc ullo nostro testimonio comprobati abscedetis. Rursus ego: Si vobis est pro ratione voluntas, animadvertant, precor, Domini, quam indigne viros innocuos ejicere cogitent, ut qu suis tantum sumptibus literarum studia prosequuntur; adeoque rectius expendite qua demum purgatione summo Judici Deo tantum his illatam injuriam comprobetis. Tum illi concitatiores dixere: et tu minaris nobis? Placide respondeo: nihil minarum vobis intento, sed de ratione Judici Deo reddenda vos admoneo quod Dominis innocentibus gravissimum edictum praescribatis. Curate vos, inquit Consul, ut ne secundo redeundum nobis huc sit ob praeteritam Senatus hanc sententiam: octo dies concedimus intra quos de re familiari disponere liceat; interim ad hinc exeundum accingimini. Tandem exeuntes ita dimissi: Deum libentes[a] precabimur pro vobis omnibus ubicumque futuri

[a] libens *apogr.*

[1] Goswinus de Lomersheim is erat (vide infra, monum. 19c). Qui 24. Decembris 1543 senator (ad annum) electus est sive „intravit consulatum". * Cod. „Ratsliste 1439 Weihn. — 1622 Ioh." Coloniae in archivo historico civitatis.

[2] Petrus Faber (De Smet), natus anno 1518 in oppido Hal prope Bruxellas, in Societatem admissus Lovanii ineunte anno 1544, inde statim cum compluribus aliis tironibus a Beato Petro Fabro in Lusitaniam missus et a P. Simone Rodericio inde statim in Belgium remissus, obiit rector collegii S. J. patavini anno 1548. ([*L. Delplace* S. J.] L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas [Bruxelles 1886] p. 1*. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* 1, 210. 212. *Manareus*, Commentarius p. 4).

[3] Faber mense Iulio, cum ad iter lusitanum se accingeret, Danielem Paeybroeck et Iacobum Lhostium Colonia Romam miserat (*Orlandinus* l. c. l. 4, n. 104. *Polancus*, Chronicon I, 133).

sumus[1]. Oh nos jam felices tanto honore cohonestati! Cur enim honor non est tanta severitate dijudicari, proscribi, exterminari, citra rationem omnem, praesertim ubi tam atrox injuria praeter demeritum infligitur, non a scurris, sed a viris honoratis ac omnium opinione prudentissimis, atque in fide per omnem Germaniam longe constantissimis; quorum concors sententia causam facit illustriorem[2]. Hanc vero sententiam in nos editam tota pene civitas etiamnum comprobat, eo quod juste factum clamant ut sectae novae auctores submoveantur. Omnes hominum congressus et convivia circa nos judicandos damnandosque versantur. Quin volitant passim et carmina de Jesuitis, bene famosa. Signum sumus cui contradicitur, ut revelentur ex multorum cordibus cogitationes[3]. Prius auditum est, Boni; nunc vero, Non, sed seducunt[4] juvenes quos ad se pelliciunt; seducunt matronas etiam quarum nummis gaudere norunt. Sic transimus per famam bonam et ignominiam[5], non digni fortasse, qui corporis itidem et sanguinis oblatione confiteamur et glorificemus Dominum crucifixum. Amicos vero, quibus confidere posse videbamur, fideliter mutos et quietos experti sumus, aut qui saltem privatis[a] consiliis nos juvare contenti fuere potius quam sese pro nobis objicerent Magistratui. Quod proculdubio Prior Carthusiae[6] non detrectasset, si Dominus pro maiori nostrum probatione tantum amicum non voluisset abesse in hunc usque diem. Ego Senatorum edictum retuli primum ad Reverendum Dominum Londensem[7] et Licentiatum Magistrum Andream[8]. Hi non parendum existimantes jubent audiri Rectorem[9]. Rector in coena me detinuit, querelas, nescio quas, ut satis audivisti, replicans, et hoc nostrum institutum diuturnum esse non posse pro suo capite contestans, me vero magno cum fructu putans ad communem istorum statum divertere posse, etc. Nunquam putaram futuros tantos ac [tam] varios qui,

[a] saltem privatis saltem *apogr.*

[1] Multa ex iis, quae in hac epistula de primorum Sociorum coloniensium vexatione referuntur, adhuc ignota fuerunt.

[2] Leo X. Coloniam „agri domini piissimam et religiosissimam cultricem" appellavit (*L. Ennen*, Geschichte der Stadt Köln III, 781; IV, 189). Anno 1520 Lutheri scripta Coloniae sollemniter concremata; ibidem multi contra eum eiusque sectatores libri compositi sunt. Bucerus 30. Martii 1542 Vadiano scripsit: Hermanno de Weda „cum maxima cleri parte etiam ipsa civitas in causa Christi [lutheranismi] refragatur" (apud *C. Varrentrapp*, Hermann von Wied I [Leipzig 1878], 120²). [3] Luc. 2, 34. [4] Io. 7, 12. [5] 2 Cor. 6, 8.

[6] Gerardus Kalckbrenner. [7] Georgium de Skodborg dicit.

[8] Andream Herll.

[9] Rector universitatis tunc erat Magister Hermannus Blanckfort (Blankenforst) monasteriensis, pastor ad S. Columbae, quem capitulum metropolitanum anno 1542 Hermanno de Weda miserat ad orationes in feriis natalitiis habendas Bucerumque ab eius aula arcendum (*Varrentrapp* l. c. I, 134. *Fr. I. v. Bianco*, Die alte Universitaet Koeln I [Koeln 1855], 833).

ut illi fecere, amanter alio me vellent abduxisse: In duobus Gymnasiis me jam saepe multumque Lectorem expetiverunt, etiam illi penes quos Lectorem instituendi jus manet. In Collegiatis Ecclesiis duabus, ut in summo templo, et apud Sanctum Gerionem, omnium Coloniae clarissimis, obtulerunt mihi praebendas; fucus hic erat. Primum ingenii mei nobilitatem aliquam commendare visi sunt, ita ut, quum possem, jure velle quoque deberem id quod hoc tempore plurimum illustraret hic gloriam Christi, quod ad communem fructum et aliorum salutem rectissime spectaret, et quod me cumprimis Deo gratum, Coloniensibus frugiferum, piisque omnibus acceptum redderet, nempe, si, non alio secedens, quae jam coepissem studia absolverem, docendi vero auctoritatem doctorali promotione mihi facerem auctiorem. Id quod ut commodius assequerer, ecclesiasticis bonis opus esse in hoc ipsum constitutis, etiam juxta Christi intentionem, ut, qui deservit altari, non suis militet impensis sed vivat de Altario[1]. Quasi modo praesumptuosum sit ad vitam redire apostolicam illam quando ministris sua stipendia constituta non erant[2], quae etsi [?][a] nunc non essent Apostolos in nuditate imitandos arbitrarentur. Sed quia, inquiunt, patrimonium tibi obtigit opimum satis, aut hinc pios et studiosos tibi fovendos assume[3], aut si plane vis Evangelium ut tu interpretaris, imitari, patrimonium desere, bonisque pauperum in Ecclesia sustentare. Nihil hinc amplius tibi permitte [quam][b] quod ad victum et amictum satis est. Reliquum in honestos usus ad omnem aedificationem converte. Tuum est pro tuis viribus quas firmabit Deus, huic afflictae Ecclesiae opem adferre vivendo [?][c], legendo, concionando. Ceterum pudet ista longius prosequi ne frigidorum hominum nugis, quas facile confutavi, videar ipse mihi conciliare[d] laudem, quam certe nullam mereor. Dominus docet manus ad praelium et digitos ad bellum[4], cum eruit servulum suum de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem[5]. Quidni? Promptuaria eorum plena, utinam adhuc non eructantia ex hoc in illud[6], etc. Ego quidem istorum insultu firmior factus adhuc Deum precor pro ipsis ac etiam contra ipsos ut in concilium eorum non veniat anima mea et in coetum[e] illorum non veniat gloria mea[7]. Cumque sit mei memoria frequens, ubicumque de Jesuitis incidit sermo, nihil tamen adeo deplorant quam me. Bonus is est, inquiunt, et hujus ingenii candore simplici abutuntur ad suae sectae confirmationem, eumque nobis hinc abstrahunt et abducunt longius.

[a] si? [b] *Vel* nisi. [c] *Sic.* orando? [d] conciliari *apogr.* [e] coetu *apogr.*

[1] 1 Cor. 9, 4—15. Cf. Matth. 10, 10. Luc. 10, 7. 1 Tim. 5, 18.
[2] Act. 20, 33—35. 1 Cor. 9. 15. 18.
[3] Canisius id praestabat tum erga eos, qui de Societate erant, tum erga externos, v. g. Georgium Ederum. Cf. supra p. 45 et infra, monum. 14.
[4] Ps. 143, 1. [5] Ps. 143, 11. [6] Ps. 143, 13. [7] Gen. 49, 6.

Hoc modo cunctorum calumniis etiam Ecclesiasticorum obnoxii sumus. Nunc ad Rectorem redeo, cui nescio quid imputant amici nostri. Consultum fuit ut indignam edicti severitatem Rectori per supplicationem explicaremus, et ad ipsum ceu patrem et judicem nostrum referremus causam omnem ac totius innocentiae famaeque defensionem[1]. Id a me factum est. Quae supplicatio omnibus omnium calumniis abunde respondit ac Rectoris erga nos curam et patrocinium debitum[a] postulavit in tanto Senatus furore. Placuit supplicatio tam Rectori quam Decanis omnium facultatum. Rectori tantum ea cura credita fuit ut praecipuos Consules super nostro negotio conveniret auditurus cur ita censuissent[2]; deinde commodius ab Universitate supplicationem pro nobis exhiberi posse judicatum est. At Rector Consules admodum nobis offensos invenit partim ob speciem conventiculi quam prae se ferret nostra cohabitatio, partim ob novae Religionis quam meditaremur introductionem[3] et ad quam bonos juvenes pelliceremus cum parentum injuria. Hac hebdomada sibi literas a Caesare missas fuisse testabantur quibus juberentur e civitate pelli novatores omnes aut novae sectae vel professionis homines, cujusmodi hic manere conquestus esset ipse Caesar[4]. Id vero pro sua prudentia retorserunt in nos. Respondi Rectori tantum abesse ut Caesar suis literis nos voluerit notatos ut etiam polliceamur statim nos exhibituros longe diversam Caesaris sententiam quam suis ipse scriptis comprobaturus sit. Consules nullam dilationem recipiendam

---

[a] deditum *apogr.*

---

[1] Urbanus VI., cum anno 1388 Coloniae „Studium Generale ad instar Studii Parisiensis" institueret, parisiensis etiam universitatis privilegia eidem impertivit, v. g. „securitatem viarum et portuum, eundo, redeundo, morando, portando, reportando". Omnia universitatis „supposita" immunitatibus et privilegiis clericorum fruebantur (*Bianco* l. c. I, 75. 90; Anlag. 1—3). Ac *Iacobus Middendorpius*, qui et ipse saeculo XVI. rector universitatis coloniensis fuit, affirmat: [Rector huius academiae] „in omnibus causis, criminalibus et ciuilibus, iurisdictionem exercet. . . Solius haeresis cognitionem non vsurpat. . . Est huius academiae Rector, praeter aliarum quarundam morem, priuilegiorum quoque conservator et iudex" (Academiarum orbis Christiani libri duo [Coloniae 1572] p. 279). Urbs coloniensis academiae patrona quaedam erat; academicorum personas, iura, bona, libertates tuebatur, idque potissimum per quattuor „provisores" suos praestabat (*H. Keussen,* Die Stadt Köln als Patronin ihrer Hochschule, in „Westdeutsche Zeitschrift für Geschichte und Kunst", Jahrg. 9 [Trier 1890], p. 344—404; Jahrg. 10 [Trier 1891], p. 62—104).

[2] „Sex Coloniensis Reipublicae consules habentur, quorum bini, per vices, integro anno magistratum gerunt: quatuor autem seniores, academiae prouisores appellantur, qui nihil, quod ad splendorem eius pertineat, de sua diligentia praetermittunt" (*Middendorpius* l. c. p. 281—282). *Keussen* vero affirmat quattuor illos provisores ex consilio quidem urbis delectos esse, munus autem „provisorum" usque ad mortem retinuisse (l. c. IX, 349—351).

[3] Quia Coloniae monasteria iam exstabant multa eaque compluribus oneribus publicis libera, cives nova condi nolebant.

[4] Nescio an litterae Caroli V. significentur, quas 15. Augusti 1543 [1544?] coram senatu urbis lectas esse affirmat *Ennen* (l. c. IV, 454).

esse putarunt, sed nec Caesaris quidem literis in aliam sententiam quam quae pronunciata esset se permovendos esse testantur, non dubitantes quin praesenti Caesari suae sententiae justam dare possint rationem. Ista cum renunciasset mihi Rector, parum spei nobis reliquum fecit, addens, ita pertinaciter Consules tueri sententiam suam, ut praemonuissent nulla ratione vel opera Universitatis in aliam mentem deflecti se posse. Quare non est, inquit Rector, ut frustra tentemus quicquam contra Magistratus quorum favore nobis et gratia opus est: alios velim amicos vobis concilietis. Tantum hoc remedii superest ut in varia hospitia segregemini. Quae disjunctio paulatim placabit Senatus furorem, cui nunc patienter cedendum est ad tempus: facile fuerit postea ad mutuum redire consortium [1]. In hanc sententiam amici, quotquot consulere poteramus convenerunt nec aliter mitigari posse Magistratum testificati sunt. Non tamen acquievimus nisi primum collatis inter nos quoque sententiis judicassemus ad Dominum Claudium [2] haec omnia referri oportere, quomodo nos ipse praemonueras. Tardius enim Roma super his responsura videbatur. Missimus [a] igitur Magistrum Ambrosium [3] Augustam una cum Canonico Tornacensi [4]. Is ex auditu quia praeclaram de nostra Societate opinionem conceperat, clam quaesivit nos Lovanii, inde Coloniam nostra causa petens. Vir hic est aetatis provectae, nuper sacerdos, et ante annos forte sex apud Parisienses Artium Magister effectus; genere quidem et patrimonio clarus at longe clarior eo quod insciis parentibus fortiter et suos et sua relinquere constituerit ob nudum Christum cui soli, vel apud nos, si permittatur, vel in alia Religione totum se cupit devovere. Mirabilis ac plane laudabilis Deus qui tum afflictos servos suos novo fratre dignatus est consolari et augere. Confratrem jure dixerim qui nobiscum in tribulationibus gaudere potuit [5], sed et nobiscum, si opus fuisset, non solum in carcerem, verum etiam in crucem et mortem duci voluit [6]. Nos tamen ut ne saevientium ani-

[a] *Sic. Eadem scribendi ratio postea quoque compluries recurret.*

[1] Quid rector hac de re in „libro Actorum“ notaverit, vide infra, monum. 20.

[2] P. Claudium Le Iay S. J. (cf. supra p. 43 [4]) paucis ante mensibus a Paulo III. et ab Hieronymo Verallo Nuntio sibi obtinuerat consiliarium et adiutorem Otto Truchsessius de Waldburg, episcopus augustanus (*Gius. Boero* S. J., Vita del Servo di Dio P. Claudio Iaio [Firenze 1878] p. 55—60).

[3] „Ambrosius de Lyra“, „Belga“ (Lierre, Lier. urbs prope Antverpiam), Gandiae in collegio a S. Francisco Borgia condito anno 1546 magister constitutus et proximo anno mortuus est (*Orlandinus* l. c. l. 6, n. 60; l. 7, n. 58). De eo scribit etiam *Ioh. Nadasi* S. J., Annus dierum memorabilium Societatis Iesu (Antverpiae 1665) p. 74.

[4] Is erat Quintinus Charlat, theologiae licentiatus, in pago Baudour (in Belgio) natus. Qui anno 1553 primus in collegio romano casus conscientiae explicavit et anno 1554 a S. Ignatio Tornacum ad causam fidei fulciendam missus est; mortuus ibidem mense Iulio anno 1556 (*Orlandinus* l. c. l. 13, n. 2; l. 14, n. 48. *L. Delplace* S. J., Le Protestantisme et la Compagnie de Jésus à Tournai au XVI[e] siècle [Bruxelles 1891] p. 16—25). [5] Cf. 2 Cor. 7, 4. [6] Cf. Luc. 22, 33.

mos aucto jam numero provocaremus illico dimissimus Magistrum Ambrosium et ejus comitem hunc ipsum Canonicum. Nunc vero quid Dominus Claudius sive Chaius de nobis statuet rescire percupimus, utrum[a] Romam, an Lovanium, quod plerique malunt, profecturi simus. Magister Lambertus[1] et Ego a Magistro Andrea, veteri meo hospite, vocati sumus et excepti. Magister Petrus de Hallis et Magister Jacobus[2] apud Praedicatores; Dominus Alvarus et Magister Franciscus[3] apud Bursam[4] cubicula sibi conduxere. Dominus Leonardus[5] et Thomas[6] quotidie Bursam visitant, etiamsi victum et domicilium habeant in Carthusia[7]. Sed vivit Dominus qui dispersiones Israelis congregabit[8]. Corpore disjunctos ad tempus, idem spiritus firmiori glutino brevi connectet spero quam antehac unquam. Dei gratia fit ut jam in suo quisque officio contineatur perinde ac dum congregatim viveremus. Domum quam in annum conduxeras alteri tradere cuperemus. Quicquid a Domina Margareta[9] et altera vidua mutuo sumpseramus modo restitutum est. Ut primum alio ablegabimur, Deo juvante ad iter erimus expediti; quod nec mihi difficilius fore confido prae aliis, tametsi pluribus adhuc sarcinis gravato. Sed juvabit certe ab his collum excutere tandem ut jugo Christi suscipiendo sim aptior, dum nudus nudum Christum et hunc crucifixum specto, sequor, disco, et teneo. Quia vero Senatus non movebatur literarum mentione quas a Caesare nos impetraturos promisseramus, idcirco Dominum Poggium Legatum Apostolicum urgere super his noluimus, cum partim tuis ad ipsum literis, quas missimus, partim Reverendissimi Domini Londensis et Magistri Nostri Tilani[10] scriptis haec omnia sint perscripta. Iunxit tamen et Dominus Alvarus suas ad illum literas, ut certo credamus tantum Patronum vel tua causa nobis adhuc profuturum, licet ea defensio sera forte futura sit. Mirum quam simus odiosi Archiepiscopo nostro, cujus fides apud Catholicos omnes tam olet sordide[11]. Is Consules Colonienses jam saepe monuit coram ac severiter, ut nos, diabolicae sectae homines et Reipublicae pestes

[a] an utrum *apogr.*

[1] De Castro (Castrius, Duchâteau); cf. supra p. 102.

[2] Iacobus Faber, duacensis, magister artium; qui theologiae operam dabat; cf. supra p. 103[2].

[3] Calza (Calsa), studiosus theologiae, de quo supra p. 103[2]. [4] Montanam.

[5] Leonardus Kessel, lovaniensis; de quo supra p. 103[2]. 103[3], et saepe infra.

[6] Thomas Balvich, tornacensis, artium studiosus (cf. supra p. 103[2]); qui idem esse videtur ac Thomas ille Poghius, de quo *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 82. 104, et *Manareus* l. c. p. 4; cf. *B. Petri Fabri* Memoriale p. 337.

[7] His verbis refelluntur Orlandinus, Reiffenberg etc., scribentes hanc Sociorum separationem factam esse anno 1545. [8] Ps. 146, 2.

[9] Questenburch seu Questenberg; de qua plura infra.

[10] Ioannem Stempel O. Pr., tilanum, dicit; cf. supra p. 100[8].

[11] Faber clero, universitati, civibus in fide catholica confirmandis operam dabat; id quoque agebat, ut Caesaris et Nuntii auxilium contra archiepiscopum per litteras imploraretur (cf. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 194. 238. 378).

minime ferrent, sibi nostros conatus jam perspectos esse, nec alios quam exploratores hic manere nos, hinc sibi cessandum prius non esse quam omnes e sua Diocesi comperiat exturbatos iri [1]. Benedictus Deus qui tanto potiores haberi nos voluit ipsis Apostatis, Haeresiarchis, ac Monasteriorum desertoribus; qui non modo [non] propelluntur, sed propositis etiam stipendiis huc undecumque accersiuntur, ac splendide foventur [2]. Timent quidam impulsu Archiepiscopi nos hic ne segregatim quidem ferendos esse a Senatu quoad a Domino Chaio [3] responsum detur. Verum, quantula vis hominum est quamlibet malorum, si ea non divina voluntate fulciatur. Ubi proinde sic Deo visum erit, recte nobiscum agi non dubitabimus, ac eo rectius, quo plurium saevitiam experiemur. Tyrocinium hoc est ac ludus tantum. Utinam, utinam digni simus nonnumquam quibus pro Christi nomine legitima certamina decernantur, ita ut nostra sitis, et fames, et gloria, et quies, et pax, et vita omnis in cruce sit Domini Nostri Jesu Christi [4], Patris totius consolationis [5] ac spei. Per quem summis votis Reverendam Paternitatem Tuam ac fratres nostros qui tecum et circa te sunt, obsecramus hic omnes ut orationibus vestris infirmitatem nostram adjuvetis [6], perpetuo memores nostri. Salutamus denique quotquot isthic nobis in Christo charissimi fratres agunt, quos et ego peculiariter compellans oro et obsecro, lacrimans etiam, ut peccatoris Kanisii velint libentes [a] apud Deum semper meminisse.

Coloniae 27. [7] Augusti.

Reverendae Dominationis Vestrae

Quem in Christo genuisti filius et servus

Petrus Kanisius Noviomagensis

---

[a] libens *apogr.*

---

[1] Haec (cf. etiam infra, p. 111) clare ostendunt, quam non recte *Ios. Hansen* affirmet, Societatis Iesu historicos fabulam narrasse et sua ipsorum commenta protulisse, cum assererent, Socios ab Hermanno archiepiscopo ad consules delatos esse („Die Ordenslitteratur fabelt von einer besondern Anzeige Hermanns v. Wied an den Rat... Die Anzeige gehört in den oben geschilderten Märchencomplex." Die erste Niederlassung der Jesuiten in Köln 1542—1547. Zugleich ein Beitrag zur Kritik der Litteratur des Ordens: in „Beiträge zur Geschichte vornehmlich Kölns u. der Rheinlande" [Köln 1895] p. 196 [3]).

[2] Martinum Bucerum, ex sacerdote zwinglianum, anno 1542 secundis nuptiis iunctum Wibrandi Rosenblatt, Oecolampadii et postea Capitonis viduae, Hermannus archiepiscopus mense Decembri eiusdem anni contionatorem constituit in summo templo bonnensi; quem proximo anno, Hermanno probante, religionis „reformandae" gratia convenerunt Melanchthon, Pistorius, Hedio, ex catholico contionatore moguntino zwinglianus minister apud argentinenses. „Reformationem" a Bucero et Melanchthone exaratam Hermannus anno 1544 omnibus capitulorum rusticorum decanis misit. Eodem favente „evangelium purum" promulgabatur Andernaci a Sarcerio, et Bonnae a Ioanne Meinertzhagen, qui ex conventu minoritarum coloniensi profugus palam uxorem duxerat . . (*Bianco* l. c. I, 424. *Varrentrapp* l. c. p. 123. 125. 157—158. 178. 232. *Ign. Döllinger*, Die Reformation II [Arnheim 1854], 22—23).

[3] Claudium Iaium (Le Iay) dicit. [4] Gal. 6, 14. [5] Cf. 2 Cor. 1, 3.

[6] Cf. Rom. 15. 30—33; 2 Cor. 1, 11.

[7] Ita — non 21 (Boero) — interpretari oportet signum, quod est in auto-

pro quo Tua Paternitas orare dignetur.

Cum ista scripsissem[1], adeo non refrixit Senatus aestuans saevitia ut deinde quotquot nostrum invenissent[a] comprehendere voluerint utut jam disjunctos. Quod certe factum fuisset nisi in ipso quasi momento Magister N. Tielanus occurrisset duci carnificum qui nos jamjam in carcerem erant abducturi. Sed nescio an potius gaudere debeamus quod per amicissimum virum Deus id a nobis tum averterit, an potius dolere, ut mihi videtur, quod tanta gratia frustrati simus. Etenim veram gratiam fore putassem dum ejuscemodi beneficiis pensantur tua[b] erga Colonienses beneficia nostrumque omnibus gratificandi studium. Sed et optabile mihi videtur vinculorum carcerisque fructus gustasse. Paulo jam post creati sunt novi Consules et hi nobis addicti[2], praesertim mihi, quem, veluti ducem fratrum maleficorum, statuerant prius conjiciendum esse in carcerem. Sed brevi post deferbuit furor, nullumque periculum nobis timendum fuit. Conquievit saeva de nobis fama; coepitque major fieri de nobis existimatio. Nisi quod Archiepiscopus palam testaretur et repeteret se facturum ut hic non relinqueremur, scilicet, e sua Diocesi profligaremur. Nunc vero Clerus primarius et secundarius[3] plane concors liberrime obsistit conatibus Archiepiscopi sui ut is facile nos dimissurus sit. Responsum Domini Claudii sic habebat ut 14 Septembris abiremus hinc Augustam et Romam universi, quod fieri non potuit ob languentem Dominum Lambertum qui nunc mensem febribus affligitur cum vitae suae periculo ut etiamnum una cum medico metuimus. Dein fratribus visum est magis ex tua sententia futurum, si, ut et praemonueras, hinc omnes non facile discederemus, nisi tamen Superioribus ita videretur. Verum Dominus Alvarus in primis literis dum rem omnem retulit ad Dominum Claudium, ait se non prudenter satis egisse, quod timidiuscule scripsisset ac si nullus hic omnino locus aut

[a] invissent *apogr.* [b] tum *apogr.*

grapho (*W. Wattenbach,* Anleitung zur lateinischen Palaeographie [4. Aufl., Leipzig 1886] p. 102).

[1] Occasio opportuna has litteras ad Fabrum mittendi Canisio mense Augusto non videtur esse oblata.

[2] Quam consulum electionem Canisius hic significet, nescio. Bis singulis annis altera senatus „sedentis" pars officium deponebat, aliique ad annum iis substituebantur, sive „senatum" vel „consulatum intrabant", sub festum nativitatis Domini et sub festum nativitatis S. Ioannis Baptistae (24. Iunii), atque ex publico senatorum coloniensium catologo („Ratsliste 1439" etc.; cf. supra p. 104[1]) constat dimidias illas senatus renovationes pro anno 1544 factas esse 24. Decembris 1543 et 23. Iunii 1544. Consules rem publicam gerentes (Bürgermeister) a 23. Iunii 1544 — 24. Iunii 1545 erant Arnoldus de Siegen et Hermannus Sudermann.

[3] „Clerus primarius" vocabatur capitulum metropolitanum; „secundarius" ceterorum canonicorum collegia, abbatiae, nobilium virginum coenobia; „tertiarius" pastores, monasteria, ceteri conventus. Hoc eo ipso tempore testatus est Caspar Gennep typographus coloniensis (*Varrentrapp* l. c. p. 142[2]).

spes manendi superesset. Unde post acceptum a Domino Claudio responsum, quia vidit nullo modo verum esse quod ipse putarat, mutavit sententiam, dicens sibi dubium non esse, quin et Domino Ignatio et Dominationi Tuae placeret ut saltem per hiemem etiam omnes maneremus Coloniae, nisi major habenda esset ratio impensarum. Quae ut satis essent, potius mediam partem ad Dominum Claudium abire oportere. Profecto apud omnes ego multum urgebam ut ob multas vitae meae distractiones ablegarer: id quod diu credidi certo futurum. Sed re tandem omnium votis trutinata nemo non reclamavit, et me cum infirmo relinquendum decreverunt, adjunctis etiam Domino Alvaro, Domino Francisco[1] et Domino Leonardo[2]. Ceteri iter ingressi sunt Augustam versus. Unus Thomas in hac perturbatione sic se a nobis alienavit ut Carthusiam adiens ibi recipi constanter petierit; sed quia nos non audiebat permissimus eum suo spiritu duci. Qui Carthusiensibus ipsis postmodum agnitus prorsus improbabatur nec juvenem sibi convenire dicebant. Tandem ad nos rediens Thomas, flexis genibus, tentationem illam profitetur et in sodalitium nostrum restitui rogat. Quidam recusarunt prius, at Magister Petrus jam difficilem hunc expertus in peregrinando[3] talem invenit spiritum ut Thomam qui alioquin Lovanium fuerat a nobis remittendus Romam usque secum perduceret etiam solus[4]. Alii consenserunt ut Dominus Claudius de juvene disponeret, quem non constantiorem fuisse dolemus[5]. Ego denique modo Germanice concionari coepi. Lectionem habeo diebus festis in Matthaeo. Sic enim Regentes Bursae Montanae postulaverunt[6]. Et cogor jam Diaconatum hic suscipere. Tanto magis Kanisii velint meminisse fratres quum orant. Intra mensem centum fere Virgines ad Monasteria transierunt opera Domini Cornelii[7] qui nunc in dies apud omnes majoris ducitur cum etiam Dominus Licentiatus ille qui contradixerat, graviter poe-

[1] Calza.

[2] Leonardus Kessel B. Petro Fabro Colonia 18. Ianuarii 1545: „Consilio fratrum ego servivi infirmo, et M. Petrus Kanisius quotidie visitavit medicum et curavit alia necessaria" (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 426—427).

[3] Petrus Faber halensis et Thomas Poghius ineunte anno 1544 Lovanio Conimbricam missi, sed inde brevi post in Belgium remissi erant (*Manareus* l. c. p. 3. 4. *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 82. 103. 104).

[4] Id est: Thomae Romam perducendi studio incendebatur, idque studium a bono spiritu proficisci censebat.

[5] Kessel in litteris supra allatis Fabro referre potuit Thomam iam Romae esse apud S. Ignatium.

[6] „In bursa montana Evangelium . . . docui" (*Canisius* in *litteris ad Madium datis; cf. supra p. 98[1]).

[7] Lovanii haec effecta sunt a P. Cornelio Vishavaeo, qui etiam, antequam Societatem noverat, „monachorum et monialium monasteria replebat" (*Polancus* l. c. I, 116). Mirum prorsus sancto huic viro inerat charisma, quo taedium rerum humanarum et virginitatis amorem animis inspiraret. *Imago primi saeculi Societatis Iesu* (Antverpiae 1640) p. 865—866.

niteat. Oretis pro Magistro Lamberto diligenter qui nunc morti propinquior videtur quam vitae. Salutabis plurimum venerandos Dominos meos Franciscum de Strada, Andream[1], AEmilianum[2], Alexandrum[3] et praesertim Germanos omnes.

Propter Dominum Nostrum velis me fratrum omnium precibus commendare. 1544 27[4] Septembris. Coloniae.

ihesus

Reverendo plurimum in Christo Patri ac Domino meo Magistro Petro Fabro de Societate nominis Iesu.

Facile patet scribendi et interpungendi rationem, qua Canisius ipse in hac epistula scribenda usus erat, a librario ad nostri temporis morem accommodatam esse. Qui idem in ceteris quoque epistulis Canisii ad Fabrum datis praestitit, quas infra ponemus. Quomodo autem ipse Canisius scribere consueverit, ex multis aliis epistulis facile cognosci poterit, quas ex ipsis autographis descriptas proponemus.

Faber Canisio rescripsit Vallisoleto 9. Iulii 1545.

14.

M. HERMES POËN[5],

canonicus lovaniensis et Societatis Iesu novicius

SOCIIS COLONIAE DEGENTIBUS[6].

Conimbrica[7] 19. Decembris 1544.

Ex apographo eiusdem temporis (2^0, 1$^1/_2$ pp.).

Hortatur eos, ut persecutionem Coloniae exortam atque aerumnas quaslibet patienter et laete perferant, propositis sibi aeternis praemiis ac Christi doctrina et exemplo.

---

[1] Andreas Oviedus (Oviedo) S. J. toletanus studiorum causa Parisios et Lovanium et inde anno 1544 a Fabro cum Strada, Ioanne Aragonio, Hermete Poën, Ioanne Covillonio, Maximiliano Capella (de la Chapelle), Cornelio Vishavaeo iuniore, aliis in Lusitaniam destinatus est. Qui postea episcopus hierapolitanus et socius Nunnii, Aethiopiae patriarchae, designatus et in ea terra multa pro Christo passus est.

[2] De Loyola; cf. supra p. 102.

[3] „Alexandrum" in actis non reperio; fortasse Canisius scripsit vel scribere voluit „Maximilianum" [Capellam]; vide supra adnot. 2.

[4] Idem signum in autographo, quod supra p. 110.

[5] Hermes Poën (Pijn, Payneus), ex oppido belgico Renaix oriundus, Lovanii canonicus erat ecclesiae S. Petri et in collegio liliano ethica explanabat, cum anno 1544 a Deo in Societatem Iesu vocatus et a Beato Petro Fabro in Lusitaniam destinatus est. Mortuus est Vallisoleti in Hispania (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 210. *Polancus* l. c. I, 189. *Manareus* l. c. p. 4. *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 82. 84. *L. Delplace*, L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas [Bruxelles 1886] p. 1*).

[6] Cum Canisio Coloniae tunc erant Alvarus Alfonsus, Leonardus Kessel, Lambertus de Castro, Franciscus de Calza.

[7] Conimbricae (Coimbra) Ioannes III., Lusitaniae rex, Societatis collegium liberalissime condidit, quod valde amplum et celebre factum est. Vide opus multis

Jesus
Charitas flamma ardorque amoris Dominj nostrj Jesu Christj jnflammet atque exurat corda vestra fratres in Christo Jesu Charissimj.

Paucis ab hinc mensibus aliquorum fratrum schedas non minus gratas quam suaues accepj, quibus nonnihil afflictionis a Coloniae jncolis fratres nostros vrbe explodere conantibus perpessos cognouj, nunc eorum animos vobis placatos Diuina clementia an habeatis et a temerario atque iniquo conatu cessent, nescio, hoc vnum per misericordiae viscera vos rogo, vrbe eijci sj contingat, etiam pulueres calceamentorum excutite[1] hostilem fugientes ciuitatem atque vitae euangelicae memores cum gaudio omnia sustinete, patienter ferte, hilariter tolerate, et patientiam habete propter eum quj extreme patientiae exemplar nobis omnibus fuit. Terreno oppido excludj sj durum videatur, patriam coelestem vobis patere gaudete, ab hominibus despicj, abijcj et deprimj graue sj sit, a Deo erigj, suscipj et consolarj magnifacite, miseriam et paupertatem patj molestum sj judicetis, aeternis fruj delicijs jucundum esse perpendite, sj denique dolores, merores, anxietates, tribulationes, afflictiones, persecutiones, opprobria, contumelias, iniurias, irrisiones, detractiones, frigora, calores, famem, sitim, jnfirmitates, flagra, verbera, mortem (inquam) ipsam ferre difficile sit, jn memoriam reuocate vestram, paulj verba consolationis plena. non sunt condignae passiones huius seculj ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis[2], hic Christo morj lucrum est[3]. Secundum carnem viuere perire est[4]. Christo moritur quj Christo patitur, Christo patitur quj Christj vestigia sequitur[5]. Christj vestigia sequitur quj abnegat semetipsum (juxta Dominj verbum) et tollit crucem suam[6] et nudus nudum sequitur, quo? ad crucis supplicium, ad carnis mortificationem, ad corporis passiones, in laboribus, in sudoribus, in angustijs, in miserijs, et sanguinolentum Jesum miserijs plenum in terris jmitetur quem regnantem in coelis et triumphantem assequj sperat, quippe ad Christj gloriam peruenire quj studet, Christj ignominiam ferat ante necesse est. Haec enim sola via est qua itur ad superos. Haec sola via est qua nulla breuior, nulla commodior, nulla certior coeleste regnum petentj esse poterit. Huius viae dux imo jpsa via est Jesus Christus Dominus noster quj se viam nominat quj se ducem declarat, dum ait Ego sum via veritas et vita[7], quj sequitur me non ambulat in tenebris[8]. Sequaminj igitur illum fratres in Christo Jesu Charissimj, in humilitate, patientia, longanimitate, paupertate, obedientia et charitate[9]

figuris ornatum „Histoire de saint Ignace de Loyola par le P. Daniel Bartoli. Traduction revue et annotée, par le P. *L. Michel* S. J. (Bruges 1893) p. 354.

[1] Matth. 10, 14. Marc. 6, 11. Luc. 9, 5.
[2] Rom. 8, 18. [3] Phil. 1, 21. [4] Cf. Rom. 8, 12. 13.
[5] Cf. 1 Petr. 2, 21. [6] Matth. 16, 24. [7] Io. 14, 6. [8] Io. 8, 12.
[9] Cf. 2 Cor. 6, 6. Col. 1, 11.

semper gaudentes, sine intermissione orantes, in omnj re gratias agentes[1] Domino Deo nostro quj bonorum omnium remunerator est[2] fidelissimus, sj quid durj aut praeter animj sententiam vobis eueniat imperturbato (precor) semper feratis animo, fortique sustineatis pectore, ob oculos ponentes Ducem nostrum Jesum in Cruce extrema patientem, vulneratum, laniatum[a], flagellatum, laceratum, sanguine madentem, tabidum, marcidum, languidum, pressum denique mille doloribus, et expirantem animam benedictam, vt spiritum viuificantem inspiraret peccato mortuis[3], quo (vt spero) sj viuatis, iam vos exoptare Dej filio in omnibus conformes fierj non dubito, quem quj propius accedit in hoc exilij loco proximiorem se fore speret in futura gloria, seruus Domino quj [?][b] adest in omnibus, seruus cum Domino patitur in omnibus, seruus cum Domino gaudet in omnibus; vt cum Domino miseriarum particeps est, jta cum Domino delicias communes habet. O foelix ille seruus et omnj ex parte beatus, quem rex gloriae in seruum assumpsit, foelix ille seruus quj Dominatuum Domino seruire meretur. foelix seruus quj nudum Jesum in terris sequj dignus est. quem nudum sequj ditescere est, Cuj seruire regnare est, cum quo morj viuere est. Moriamur fratres Charissimj cum Christo vt viuamus cum Christo, sequamur nudum, vt veste regia tegamur nudj, seruiamus humiliter et [?][c] triumphanter regnemus. atquj Domino fideliter vt quis seruiat, paucula verba sunt cordj habenda, Quicquid agat, ad Dominum referat, ab illo mercedem petat, quicquid patitur. Domino patiatur[d], cum illo patientiam habeat, quicquid querat, Dominum querat, in illo inueniet, cum illo dabuntur omnia quae mens beata desiderare posset. Conemur igitur viribus omnibus gratiam implorando illius[e], imitarj illum, venarj[f] illum, curare illum, somniare illum, amare illum, amplectj illum, sperare ad illum, aspirare ad illum [, ad] Jesum nudum, velut ad extremam anchoram confugere. a quo omnis nostra dependet salus, in quo vno omnis spes sita est, per quem solum subsistimus, viuimus, morimur ad gloriam quam nobis tribuere dignetur quj est benedictus in secula[4]. Vobis omnibus fratres in Domino amantissimj salutem exopto plurimam, singularique amplector amore P: petrum Fabrum[5], D. Canisium, FF. Jacobum[6] Duacensem, Danielem[7], P: Leonardum[8] caeterosque nobis fraternitatis

---

[a] laneatum *apogr.* [b] qui *omittendum esse videtur.* [c] vt? [d] patitur *apogr.* [e] illum *apogr.* [f] Venerari?

---

[1] 1 Thess. 5, 16—18. [2] Cf. Hebr. 11, 6. [3] Cf. Rom. 6, 2. Eph. 2, 5. [4] 2 Cor. 11, 31.

[5] Petrum De Smet („Fabrum de Hallis") significare videtur. Nam Beatus Petrus Faber (Favre, Le-Fèvre), S. Ignatii primus socius, ipse in „Memoriali" (p. 338; ed. mai. p. 328) affirmat se 24. Augusti 1544 „appulisse Ulissiponem": idque Hermes certe comperit; immo haud multo post Faber conimbricenses Socios invisit (*Orlandinus* l. c. l. 4, n. 138). [6] Fabrum; vide supra p. 109.

[7] Paeybroeck?; vide supra p. 103[2]. 104[3]. [8] Kessel.

vinculo iunctos quorum nomina mihj incognita sunt. Jubet quoque ad vnum omnes salutarj Pater andreas[1]. bene valete in Christo. Conijmbrie anno 1544: 14 Ca: Janu.

Vester confrater in Domino Hermes pijn.

Viro[a] non minus docto quam pio P: Petro Fabro caeterisque Fratribus in Christo Charissimis Coloniae.

15.

CANISIUS
WENDELINAE CANIS,

novercae suae[2].

Colonia 27. Decembris 1544 [?].

Ex versione gallica archetypi flandrici, ab *anonymo* confecta et edita in „Collection de Précis historiques“ XXV, 25—26; cf. supra p. 72.

Maestam novercam consolatur, proposita imagine et doloribus Beatae Matris Dei; monet, ut sollicitudines omnes in corde Mariae deponat. Liberorum et famulorum curam ei commendat; matrimonium novum dissuadet.

Que Jésus-Christ vous conserve! Très-Chère Mère,

Gisbert[3] m'a remis votre lettre. Je ne puis pas l'aider, parce qu'il n'a pas les talents nécessaires pour étudier. Je vous donne pour

Iesus Christus te incolumem servet! Mater charissima,

Gisbertus[3] epistulam tuam mihi tradidit. Non possum eum adiuvare; nam ingenium ei deest ad litterarum studia necessarium. Imaginem Mariae tibi do, quae

[a] *Haec inscriptio in initio apographi a librario posita est.*

[1] Oviedus.

[2] Filia fuisse haec fertur Wichmanni van den Bergh consulis et Margaritae Zeller et vita cessisse circiter annum 1560 (*Bongaerts* l. c. p. 4[3]). P. *Ioannes Hasius* S. J. Embrica die 11. Ianuarii 1614 haec de ea scripsit Monachium ad P. Matthaeum Raderum S. J.: „Intelligo P. Alberum cupere scire nomen nouercae P. Petri, et matris P. Theodori *[sic Hasius; at Theodoricus hic vocabatur]* Canisij, secundae vxoris Jacobi patris vtriusque, vocata fuit ea Wendelina von dem Berg, sive de Monte, quae fratrem habuit R. D. Doctorem Burchardum von dem Berg, qui fuit a sacris Imperatori Ferdinando f. r. et post Decanus aut Praepositus collegiatae ecclesiae Arnhemij: quae Wendelina Jacobo Canisio genuit quatuor filios, P. Theodorum, D. Gerardum II. Consulem Neomagensem, patrem P. Jacobi vestri Canisij; Ottonem Arnhemiensem Consulem, et Gisbertum. Item totidem eidem filias procreauit, Aegidiam matrem nostrorum PP. Jacobi p. m. et Theodori Riswichiorum; Elisabetham matrem Domini Jacobi Uwens exconsulis Neomagensis, cuius filius societatis est in Flandria; Claram Abbatissam Wameliae, et Jacobam matrem Domini Reineri Riswichij LL. Licentiati, et Aduocati in Belgio. familia autem illa von dem Berg Neomagij fuit multo tempore Consularis“ (*Epistula autographa, in Cod. lat. 1611 bibliothecae regiae monacensis, n. 100). Burchardus van den Bergh, postquam ab aula Ferdinandi recessit, Arnhemii decanus ecclesiae collegialis S. Walburgis fuit (*L. H. Chr. Schutjes,* Geschiedenis van het Bisdom 's Hertogenbosch. Vijfde deel [St. Michiels-Gestel 1873] p. 266).

[3] Canisius certe fratrem suum ex patre Gisbertum, Wendelinae filium, significat.

gage d'affectueux souvenir une image de Marie. Qu'elle vous serve de miroir et de consolation lorsque la tristesse vous accable! La sainte Mère Marie fut, durant toute sa vie, en mille douleurs et anxiétés à cause de son cher Fils. Car, lorsque le Seigneur était encore jeune, elle méditait et voyait clairement, grâce à l'illumination de son esprit, tout ce que les tendres membres de son Enfant avaient encore à souffrir. Elle couvrait de ses pleurs les petites mains et les pieds à travers lesquels on devait faire passer violemment de gros clous, et elle baisait la tête bénie qui devait être couronnée d'épines. Ainsi, Très-Chère Mère, offrez toute votre affliction en union avec la douleur de la Sainte Mère de Dieu. Remettez tous vos soins, toutes vos charges dans le cœur affligé de la Reine du ciel, qui peut mieux vous protéger que tous les hommes[1]. Ne prenez pas tant à cœur ce qui ne peut être changé. Si vous avez dû satisfaire par des versements d'argent M. Vanden Berghe[2], pensez que vous n'avez pas fait assez pour les pauvres. Je crains que vous n'attachiez trop d'importance aux deux prébendes. Malheur, malheur à vous, si vous ne faites pas dire pour les deux les heures prescrites à la place de [vos] deux [enfants auxquels vous les destinez] et si vous ne faites pas élever ceux-ci sévèrement[3]. Je vous prie avec instance au nom de Dieu que vous usiez de plus d'autorité et de sévérité envers vos enfants et votre domesticité. Vous êtes accoutumée à

---

pignus sit gratae, quam colo, tui memoriae. Haec imago speculi instar tibi sit et consoletur te, cum tristitia opprimeris. Sancta mater Maria per totam vitam suam sexcentos dolores et angores capiebat pro dilecto filio suo. Cum enim dominus noster puer esset, ipsa pro intelligentia, quam a Deo acceperat, omnia considerabat et clare videbat, quae teneris filii sui membris perferenda forent. Lacrimis parvas manus pedesque conspergebat, qui magnis clavis atrociter transfigendi essent, et beatum caput osculabatur, quod spinis esset coronandum. Ita, charissima mater, omnes aerumnas tuas Deo offer, coniunctas cum dolore sanctae illius matris Dei. Omnes sollicitudines omnesque molestias tuas in cor maestum reginae caeli conde, quae melius te protegere potest quam ceteri homines cuncti[1]. Neve tam aegre feras id, quod infectum fieri non potest. Quodsi pecuniis solutis Domino Vanden Berghe[2] satisfacere debuisti, cogita, te pauperum saluti parum consuluisse. Timeo, ne nimis sollicita sis de duabus illis praebendis. Vae, vae tibi, si preces horarias pro ambabus praescriptas non curaveris loco duorum, quibus eas praebendas destinasti, filiorum ab aliis recitandas, vel filios illos diligenter educandos non curaveris[3]. Dei nomine enixe te rogo, ut gravius et severius cum liberis et famulis agas. Nimis

---

[1] En, sicut Canisius inter primos cultores cordis Iesu fuit, ita et cultum quasi praecurrit, quem ecclesia nunc cordi beatae matris Dei tribuit.

[2] Hic cognatus Wendelinae fuisse videtur.

[3] Wendelina duobus filiis suis (Theodorico et Gerardo vel Ottoni?) comparare voluisse videtur beneficia duo ecclesiastica ex illis, quae „simplicia" vel „non curata" dicuntur, vel similia, ad quae lege vel testamento onus adiunctum erat horarum Beatae Mariae Virginis vel maiorum canonicarum recitandarum. Notandum autem haec agitata esse ante reformationem, quam concilium tridentinum hisce in rebus instituit.

être en cela trop faible. Je désire de même que vous vous débarrassiez de beaucoup d'imaginations fantastiques par lesquelles le démon vous empêchera de prier avec ferveur et pourrait vous entraîner à contracter un nouveau mariage. Il me semble que vous suivriez un bon conseil en formant le ferme propos de ne pas vous marier du moins cette année: vous obtiendriez ainsi de grandes grâces. Je ne vous oublierai pas, non plus que la croix [que vous portez]. Cette croix vous ne devez pas seulement la porter, mais encore la désirer, la rechercher, l'aimer et y rattacher toute votre espérance, même si tous vos amis devaient devenir vos ennemis et si vous ne deviez recevoir ni de moi, ni d'aucune autre créature la moindre consolation. Dieu daigne vous fortifier et vous gouverner par sa grâce. Amen.

Cologne, à la fête de saint Jean[1], 1545 [?].

Pierre Kanijs, votre fils,
toujours votre serviteur en Dieu.

---

enim eis indulgere soles. Opto etiam, ut a multis cogitationibus ineptis te expedias, per quas diabolus te a fervore precationis abducet et ad novum matrimonium contrahendum inducere possit. Bonum consilium secutura esse mihi videris, si firmiter tibi propones, te hoc saltem anno nemini nupturam: sic enim magnas gratias a Deo impetrabis. Non obliviscar tui nec crucis, quam baiulas. Hanc crucem non solum ferre debes, sed etiam desiderare, inquirere, amare et omnem spem tuam in ea defigere, etiamsi omnes amici tui inimici fierent, et si neque a me neque ab ulla alia re creata vel minimum solatium tibi praeberetur. Deus gratia sua te confirmare et gubernare dignetur. Amen.

Coloniae, die S. Ioanni sacra[1], anno 1545 [?].

Petrus Kanijs, filius tuus,
qui semper servus tuus est in domino.

Nota: Editor belga in fine huius epistulae loco anni 1545 ponit annum 1543 et putat Canisium haec scripsisse 27. Decembris 1544 „stili" quem dicunt nostri; annum enim ab eo incipi stilo tunc communi, sive „stilo aulico", i. e. a festo paschali. Verum incipi a festo nativitatis Christi epistula proxime secutura ostendit, quae incipiendi ratio tunc Coloniae recepta erat[2]. At 27. Decembris 1543, stili coloniensis, Wendelina nondum erat vidua[3]. Dicendum igitur esse videtur errore vel editoris belgae vel ipsius Canisii annum 1543 positum esse loco anni 1545, hasque litteras datas eo ipso, quem Belga noster dicit, die 27. Decembris 1544.

16.

CANISIUS

BEATO PETRO FABRO S. J.

Colonia 30. Decembris 1544.

Ex apographo, circiter annum 1870 confecto ex autographo, quod est in „Varia Historia" etc. (cf. supra p. 102) t. I, f. 79—80.

---

[1] Festum S. Ioannis Baptistae agitur 24. Iunii, festum S. Ioannis Evangelistae post festum nativitatis Christi, id est 27. Decembris; hoc festo Canisium scripsisse, non illo, indicari videtur eo, quod novercae infantem Iesum considerandum proponit.

[2] Cf. supra p. 70. 74. [3] Vide supra p. 102.

Particula italice versa est apud *Boero,* Fabro p. 216—217.

Quam strenue Colonienses et Leodienses religionem catholicam contra Hermannum de Weda tueantur. Quid pro eadem fecerint archiepiscopus salisburgensis, Cochlaeus, P. Claudius Iaius. Canisius concilium agi cupit. Largitiones Ottonis Truchsessii et Theodorici Hezii. Profectio aliquot Sociorum. Fratris Lamberti de Castro mors, sepultura, virtutes. Conradus moguntinus. Fabri „Dictata in psalmos". Canisius, diaconus factus, in templo contra protestantes disputavit, „declamationem quodlibeticam" magno cum splendore habuit, ad theologiam docendam urgetur. Petrus Kannegiesser Societati additus. Prioris Carthusiae beneficentia. Amici alii. Canisius pro subsidiis spiritualibus supplicat.

ihesus.

Reverende pater in Christo Domine Faber.

Gratia et pax Domini Nostri Jesuchristi sit semper cum Dominatione vestra.

Si molestum est filio patrem non videre, non salutare coram, bis molestum erit de absente nihil audire prorsus. Ita nobis peracerbum fuit et plus quam mirum, quando paternis saltem literis hucusque frui non potuimus. Tot nunc mensibus desiderabili tuo conspectu fraudamur. interim neque Roma quicquam ad nos missit neque Portugallia, nisi quod paucis ante diebus accepimus literas Domini Francisci de Strada scriptas festo Sancti Lucae[1]: priores duas de quibus meminit ac indicas[2] etiam non contigit videre. Tandem[a] hae postremae nihil quoque laetum indicant praeter morbos Dominationis vestrae et AEmiliani[3], necnon Domini Francisci[4]. Sunt menses fere quatuor quod etiam Reverendus Dominus Claudius[5] desideratis suis literis nos desiit convenire. Dominus Cornelius ante quatuor menses in Flandriam abiit[6]; hic vivatne hodie nobis non constat: totidem anteactis mensibus nihil huc denunciavit. Intelligis igitur, Pater charissime, nos hic filios dici posse desolatos. Reverendus Dominus Alvarus, ut nosti, non facile procedit ad scribendum ita ut ob nostrum silentium saepe soleam conqueri apud fratres. In summa, nulla non ex parte justus dolor nobis ingravescit, tam nostra quam Patrum absentium ratione. Si vero quae

[a] Tantum *apogr.*

[1] 18. Octobris.

[2] S. Franciscus Xaverius eiusque socii ex Indiis orientalibus ad socios europaeos scribebant de laboribus et triumphis suis litteris longis ac iucundis, quae per omnes Societatis domos legebantur; multae adhuc exstant et typis exscriptae sunt a PP. Tursellino, Possino, Menchaca, Coleridge, de Vos, Delplace, aliis. Vide *Aug. de Backer* S. J., Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus. Nouv. éd. II (Liège-Lyon 1872), 239—244; III (Louvain-Lyon 1876), 1602—1605.

[3] De Loyola. [4] Stradae. [5] Iaius.

[6] Cornelius Brogelmannus (de quo infra)? An Cornelius Vishavaeus „parvus", Cornelii Vishavaei sacerdotis nepos, qui a Fabro anno 1544 Lovanii in Societatem receptus eiusque permissu in Lusitaniam profectus est? An patruus eius, P. Cornelius Vishavaeus? Hic certe a Canisio in litteris 27. Augusti et 27. Septembris 1544 ad Fabrum datis „Dominus Cornelius" vocatur.

ante oculos sunt respiciamus, non sine commiseratione occurrit Archiepiscopus, qui saevire non desinit in suorum animas, dum nihil intermittit quod ad suae Reformationis comprobationem facere videatur. Obsistit tamen Clerus universus per appellationem interpositam et apud Pontificem et [apud] Caesarem [1]. Huic appellationi prosequendae non desunt et Leodienses [2], quorum zelum utinam et Colonienses ad finem usque retinerent. Maximam collocant spem, ut solent, in Caesaris Majestate, cujus adventum exspectamus quotidie [3]. Nam Comitia Wormatiae coepta sunt celebrári [4]. Putamus in his adfuturos Dominum Claudium et Dominum Nicolaum [5]. Inhibitum est Archiepiscopo Salzburgensi ut non pergat esse sollicitus de Reformatione adornanda, pro qua doctos viros ac Dominum Claudium ad se adsciverat [6]. Respondit

---

[1] Hermannus mense Decembri anni 1544, comitiis electoratus sui Bonnae institutis, ordines „saeculares", ut pro sua „reformatione" starent, permovit. Clerus vero et universitas coloniensis, cum libros complures („Sententia delectorum . ." 1543, „Judicium deputatorum . ." 1543, „Bericht eines Hochw. Capittel von S. Gereon . ." 1544, „Antididagma . ." 1544) contra novatores edidissent et imperatorem, electores omnes, nuntios, ipsum Hermannum ore et per litteras invocassent, tandem 9. Octobris 1544 coram Georgio, duce brunsvicensi et ecclesiae cathedralis praeposito, ab Hermanno provocarunt ad summum pontificem et ad caesarem, atque 8. Novembris eiusdem anni ii, quos totius archidioecesis clerus delegerat, provocationem illam secuti sunt (*Arnold. Meshovius*, „De origine et progressu defectionis et schismatis Hermanni Comitis de Weda", opus typis descriptum una cum quattuor libris *Michaelis ab Isselt* „De bello Coloniensi" [Coloniae 1620], p. 45—135. *Bianco* l. c. I, 426. *Varrentrapp* l. c. p. 143—236. *Joh. Christ. Lünig*, Dritte Continuation Spicilegii Ecclesiastici des Teutschen Reichs-Archivs [Leipzig 1721] p. 560—568).

[2] Vide supra p. 46.

[3] Carolus V. in hac re nec precibus nec minis pepercerat; et denuo, ne quid novaretur, Coloniam scripsit Bruxellis 12. Octobris 1544 ac rursus 14. Novembris, quo mense etiam Navium vicecancellarium Coloniam misit (*Varrentrapp* l. c. p. 237. *G. Drouven*, Die Reformation in der Kölnischen Kirchenprovinz zur Zeit des Erzbischofes und Kurfürsten Hermann V., Graf zu Wied [Neuss und Köln 1876] p. 152—209).

[4] Melius dixeris incepta esse mense Ianuario anni 1545 per Caesaris legatos. Caesar, podagra afflictus, 16. Maii demum ex Neerlandia Vormatiam advenit (*Janssen* l. c. III, 561. 565).

[5] P. Claudius Iaius et P. Nicolaus Bobadilla, e primis S. Ignatii sociis, ab anno 1541 Ratisbonae, Viennae, Ingolstadii, in dioecesibus augustana et passaviensi etc. contionibus, exercitiis, sacramentorum administratione, monitionibus, consiliis principes, episcopos, nuntios apostolicos adiuvabant.

[6] Ernestus, Bavariae princeps et archiepiscopus salisburgensis, sub finem anni 1544 Salisburgi synodum provincialem habuit, ad quam invitati etiam Otto Truchsess augustanus et Mauritius Hutten eystettensis episcopi convenerunt. Deliberatum est, quid respondendum foret imperii ordinibus Vormatiae de religione stabilienda consultaturis. Cui deliberationi P. Claudius Iaius publice interesse noluit, sed privatis consiliis profuit et maxime duabus conscriptis „conclusionibus", quibus probabat episcopos nullo modo laicis indulgere debere, ut res fidei decernerent aut disputarent, et novatores, etiamsi in ceteris fidei articulis cum catholicis consentirent, nisi simul romanum pontificem Christi vicarium crederent, haereticos et schismaticos esse. Quae Ernesto bene placuisse videntur; nam probantibus ceteris „decrevit, nec suo nec suorum Episcoporum nomine quicquam injussu Romani Pontificis de

Dominus Cochleus Regi Ferdinando frustra cogitari de moderandis fidei negotiis absque auctoritate Vicarii Christi[1]. Quam sententiam Dominus Claudius tuetur sedulo. Quare, nisi Caesar Concilium indicat, nihil de asserenda Religione apud Germanos licet sperare. Quamquam forte non erit inutile tot millia Hispanorum adduxisse quae non longe hinc castrametantur[2]. De nobis dicam potius qui Jesuitae dicimur. Quandoquidem Coloniensium furor nos exturbare moliebatur, consultus Dominus Claudius respondit omnibus abeundum esse Romam. Interim Charissimus frater Magister Lambertus[3], Deo percutiente, factus aeger aliquot nostrum retinuit secum, reliquis abeuntibus. Ne de his quidem postea quicquam intelleximus. Verum et alias dedimus rationes Domino Claudio, cur praestare videretur ut ex tua sententia nonnulli remanerent hoc in loco. Nihil ad haec respondit hucusque Dominus Claudius, mensibus anteactis quatuor. Nos instamus denuo ut, si propter silentium diuturnum testatum velit sibi displicere quod manemus, ut, inquam, edicat libere suam de nobis sententiam, cum e vestigio cupiamus abscedere si velit. Sumus tantum quatuor, duo Sacerdotes, Dominus Alvarus et Dominus Leonardus[4]. Magister Franciscus de Calza nunc sua sponte parat abitum Parisios usque[5]. Sumptus non desunt partim ex 50 aureis[6] Reverendissimi Domini Augustani, partim ex 12 Coronis[7] Domini Hezii[8]. Liberaliter mihi solverunt debitores ut vel hinc sustentandis nobis sit satis. Sed ecce[9], Domine quem amabas infirmatur[10] adeo ut infirmi-

religione in conventibus civilibus actum iri" (*Marc. Hansizius* S. J., Germania Sacra II [Augustae Vindel. 1729] 613—614. Cf. etiam *Polanci* Chronicon I, 133—134, et *I.-M. Prat* S. J., Le Père Claude Le Jay [Lyon 1874] p. 166—169, ac litteras, quas Iaius hac de re ad S. Ignatium dedit, apud *Boero,* Iaio p. 61—63).

[1] Cf. *Urb. de Weldige-Cremer,* De Ioannis Cochlaei vita et scriptis (Monasterii 1865) p. 45—46.

[2] Compluribus iam ex annis Philippus, Hassiae landgravius, aliique bellum moliebantur, sive ut Ferdinandum, Romanorum regem, perderent, sive ut Lutheri et Zwinglii dogmata propagarent, ad quae tenenda in ipsis eorum dicionibus multi vi tantum ac metu adigebantur.

[3] Lambertus de Castro, Societatis novicius.

[4] Kessel.

[5] Leonardus Kessel B. Petro Fabro Colonia 18. Ianuarii 1545 de eo scribit „Reliquit nos, et ivit Antverpiam pro habendis pecuniis ad studendum in aliqua Universitate, ubi studia florerent" (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 427).

[6] Aureus 8 marcas colonienses paene exaequasse videtur.

[7] „Cron", corona, nummus aureus burgundicus, exaequans tunc 11 marcas et 4 albos colonienses (*K. Höhlbaum,* Das Buch Weinsberg II [Leipzig 1887], 388).

[8] Theodoricus Hezius (Hesius, van Heeze) Hadriano VI. a secretis et a sacris confessionibus fuerat; postea fidei inquisitor et capituli leodiensis prodecanus factus est. A B. Petro Fabro anno 1543 exercitiis S. Ignatii informatus totum se illi credidit (*Orlandinus* l. c. l. 4, n. 50. *Riess* l. c. p. 65—66. *H. I. Allard* S. J., Dirk Adriansz van Heeze, in libello periodico „Studien" N. R. XXII [Utrecht 1884], 203—266).

[9] De Lamberto de Castro loquitur. [10] Io. 11, 3.

tas haec ei fuerit ad mortem[1]. Vere lugenda mors, licet pretiosa in conspectu Domini[2], mors inquam illius qui nobis fratre carior et quovis amico major erat. Quid vero debuimus facere et non fecimus ut is qui nobiscum in uno spiritu vivere coeperat, nobiscum superesset? Quod si manus Domini sic ordinavit, resistere non possumus et ne quidem debemus: nam sive vivimus, sive morimur, Domini sumus[3]; et qui moriuntur in Domino[4] non tanget hos tormentum malitiae[5]. Vivebat Lambertus Deo, vivebat sibi, vivebat proximo, sed nunquam atque nunc augustius, felicius, illustrius, ut mori vere lucrum illi fuerit[6]. Lucrum inaestimabile dixerim terrena coelestibus, caduca aeternis commutasse. Pauca sibi vendicavit[a] qui multa possidere potuit; nihil sibi servavit qui cuncta contempsit; reliquit quae habuit et ut nihil haberet elegit, mundum sibi sufficere non putavit, cujus pretio nudum Christum redimeret. Non ei grave visum est propriam odisse carnem. Parentes reliquit etiam senes. Dulce otium fugit, adeoque literarium. Doctrinae suae gloria sic elatus non est, ut humilibus consentiens[7] discere mallet quam docere, servire quam imperare. Si quisquam ejus operam desideraret, beneficium accepisse sibi videretur quum benefaceret, potius accurreret expeditus quam faceret rogatus, non causaret difficultatem, non discuteret praeceptum, non impatientiae signum ederet, non in opere segnius tardiusve moraretur; vel propter hoc unum sibi libebat quod aliis placebat. Si quid exigeretur injustum hic animo praefracto homines offenderet ut Deum non offenderet. Hoc modo quia vivere didicit mori non timuit qui se moriturum etiam praedixit. Nam tertio ante mortem die, quando moriturus esset praesignavit. Nihil sibi reservavit moriens qui totum se Christo dedidit vivens. Ad extremum usque et ingenii et linguae vivacitate pollebat, saepe nos exhortatus et pro beneficio ministerii gratias agens, tandem et suae voluntatis arbitrium in alium transferens ut ne quavis illusione falsus in extremis probaret illicitum. Ubi nunc festivus Campanarum tinnitus ad vesperas evocaret eos qui Sanctorum Angelorum festivitatem celebrarent, dulciter obdormiens ille vivendi pariter ac moriendi finem tum fecit cum Vesperarum peteretur exordium[8]. Felix anima quae jungenda cum Angelis Angelorum excepit festivitatem; nec infelix quoque corpus quod multis comitantibus[b] elatum honorifice nostro quidem cum luctu, sed nec sine Carthusiensium gaudio meruit sepeliri. Carthusienses enim (ut sunt nobis addictissimi) tam singulare

[a] venditavit *apogr.* [b] comitatibus *apogr.*

[1] Io. 11, 4. [2] Ps. 115, 15. [3] Rom. 14, 8. [4] Apoc. 14, 13.
[5] Sap. 3, 1. [6] Phil. 1, 21. [7] Rom. 12, 16.
[8] Eum „in festo Sancti Michaelis“ (29. Septembris) obisse scribit Leonardus Kessel in litteris Colonia 18. Ianuarii 1545 ad Fabrum datis (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 427).

pignus sui erga nos amoris retinere gaudent, et quem adhuc vivum sibi vendicare[a] prorsus non potuere, mortuum servare inter fratrum sepulcra voluere[1]. Sed nescio utrum hujus fratris vicem dolere debeamus necne, hujus inquam qui sancte vixit, sancte mortuus est, nec tam hinc excessit quam nos omnes praecessit. Ita nimirum ingratam patriam grato funere cohonestavimus. Furiant quoad velint, exturbent omnes. Felix Colonia intra suae sanctitatis complexum semper ostentabit Lambertum, semper tenebit Socium, eumque nostris ex fratribus non minimum. Quid autem majus esse queat [quam] qui commune cum Sanctis regnum Christi possidet ac proin mundi regnum nec vivus nec mortuus tenet. Pauper erat ob Christum, dives ergo sit oportet in Christo. Crucis militiam amplexus erat, Crucis gloriam et Crucifixi Domini Majestatem nunc felix apud felices sibi vendicat[b]. Nec dubium quin si quicquam purgandum hinc asportaverit, hoc ipsum tuis ac fratrum omnium[c] precibus expiari facile possit. Dabis autem veniam Reverende Pater, quod Carissimi tui filii nostrique Confratris [obitum] longe verbis prosequar, lacrimis enim digne prosequi non possum, sive solum obitum ipsum, sive ad hunc[d] meipsum contempler. Quod ad nos hic superstites attinet, valemus recte sic satis. Ego rectius valere poteram, et corpore et animo, ut mei praecipuam curam habere debeatis in orationibus vestris quemadmodum Domino Francisco[2] pluribus indicavi. Dominus Chunradus Carthusiensis jam statim professionem peraget[3]. Adfuit hic Dominus Georgius Vicarius ille Moguntinus qui partem exercitiorum acceperat. Cum invisisset hoc loco veterem amicum suum Dominum Chunradum, raptus amore loci et ordinis petiit et ipse Carthusianorum albo adscribi, multum diuque rogitans ut sese hic manere paterentur. Id quod haud recusassent boni Patres nisi capitis ac naturae perspecta debilitate consultius illi fore videretur ad alium transire ordinem. Ita coactus est Dominus Georgius intermittere quod sancte moliebatur, ac Moguntiam regressus est. Car-

[a] venditare *apogr.* [b] venditat *apogr.* [c] omnibus *apogr.* [d] adhunc *apogr.*

[1] Carthusiani, priore coloniensi praecipuo auctore, anno 1544 in capitulo suo generali decreverunt inter suum ordinem et Societatem Iesu peculiarem amicitiam sanciendam thesaurosque suos spirituales omnes cum ea communicandos esse. Cuius confoederationis litteras exhibent: *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 107. *Petr. Ribadeneira* S. J., Vita Ignatii Loiolae l. 3, c. 12 (Ingolstadii 1590), p. 200—202. *Acta Sanctorum* Iulii VII (Parisiis et Romae 1868), 718—719.

[2] Stradae.

[3] Canisius Chunradum illum dicere videtur, de quo ipse 2. Ianuarii 1596 Friburgo Helvetiorum P. Ioanni Busaeo scripsit: „Reuerendus Pater meus Faber . . . Moguntiam habitandi causa peruenit anno 1542. . . . Vixit idem Moguntiae in aedibus D. Chunradi parochi apud D. Christophorum, quem ex concubinario Carthusianum effecit, idemque, vt puto, in Carthusia Coloniensi diem clausit extremum. In huius aedibus versabar et ego, quum solus ad inuisendum dictum patrem Fabrum venissem Moguntiam“ (*Nic. Serarius* S. J., Rerum Moguntiacarum libri quinque [Moguntiae 1604] p. 894). Cf. supra p. 77 [3].

melita Moguntinus[1] cui dictata in Psalmos credideras tandem ad nos eadem transmissit[2]. Benedictus Deus qui tanto paternoque thesauro filios non defraudavit quem nos non immerito asservabimus diligenter. ut si Patrem habere non possumus, vivam hanc Patris imaginem inspiciamus[3]. Ad meipsum redeo qui pridie Sancti Thomae Apostoli[4] sum institutus Diaconus[5], urgente sic Domino et Patre Domino Alvaro. licet alioqui tot nominibus huic tanto gradui non respondeam, ut etiam neutiquam ignorat Dominatio vestra. Commode tamen oblata fuit opportunitas hujus ordinis jam exercendi. Non longe hinc vacabat Parochia suo Parocho, qui multis in locis desideratur. Acciti proinde sumus ad eam Parochiam Dominus Leonardus[6] qui sacra persolveret ac ego qui praedicarem Evangelium. Ita factum est ut festum hoc Natalis Christi celebraverimus foris, cantando, celebrando. et praedicando. Fuit illic mihi res cum haereticis quos publice in Ecclesia confutavi, quum publice obstreperent doctrinae Ecclesiae de cultu et invocatione Sanctorum. Qui meae responsioni interfuerunt abunde responsum judicabant, adversarium autem non sine confusione dimiserunt. Non dubito quin Dominus Leonardus in audiendis confessionibus multum fructus retulerit et non parum aedificatos confido fuisse agricolas ad quos ipse Suffraganeus nos miserat. In oratione quam habui coram auditorio celeberrimo de poenitentia, conatum meum audio multis fuisse salutarem et bene gratum[7]. Adfuerunt duo Episcopi illi[8], Dominus Gropperus[9], tota facultas juris et Artium, ac Theologorum plurimi, adeo ut schola non caperet universos, quidam etiam abire cogerentur[10]. Iam novies rogor ut sinam excipi quae tum proponebam horis plus quam duabus. Nec desinit monere Provincialis Carmelitarum[11], Dominus Tielanus[12], et reliqui Theologi omnes. prae-

[1] Faber Moguntiae „in monasterio carmelitarum quemdam monachum in spiritualibus exercuit, et ab haeresi revocavit eum Dominus" (*Polancus* l. c. I, 101).

[2] Canisius in epistula modo dicta de Fabro haec scribit: Anno 1543 „Psalterium Dauidicum ab eodem patre in schola Theologica praelegebatur: atque vtinam scripti ab eo commentarij reperirentur, quos Carmelitanus quidam sic satis illi familiaris exceperat" (*Serarius* l. c. Cf. etiam Testamentum *Canisii*, supra p. 43).

[3] Dolendum valde hos commentarios perisse.

[4] 20. Decembris.

[5] Inauguratus esse videtur a Ioanne Nopelio, episcopo cyrenensi i. p. et suffraganeo ac vicario generali coloniensi. Vide epistulam a Canisio ad eum datam 10. Septembris 1546. [6] Kessel.

[7] Canisius anno 1544 in sollemnibus illis iucundisque „disputationibus quodlibeticis", quas facultas artium quotannis post diem 13. Decembris instituebat, quinto loco „declamavit" (*Cod. colon. „Lib. fac. Art. quartus" f. 232). Plura de hac re infra, monum. 9—11.

[8] Georgius de Skodborg et Ioannes Nöpel. [9] Ioannes Gropper.

[10] In „schola artium", anno 1420 a senatu coloniensi exstructa, atrium exstabat, quod 600 homines capere poterat; in eo etiam ‚disputationes quodlibeticae' habebantur (*Bianco* l. c. I, 169).

[11] Everardus Billick. [12] Ioannes Stempel O. Pr.

sertim Dominus Licentiatus Magister Andreas[1] ut statim inter Bacchalaureos Theologiae recipiar, ac per hanc occasionem sacra profitear[2]. Id quod multis mensibus a me nunc efflagitatum est eodem impellente nonnumquam Domino Alvaro. Verum soleo me tueri auctoritate Dominationis vestrae cui non admodum probabatur ullius in me promotionis gradus sublimior eo quod probabile sit me statim hinc evocandum literis Romanis. Dicam de Petro Kannegiesser qui cum sit Coloniensis, tamen noster est[3]. Is, ut nunquam antea studet diligenter et affectu crescit in his in dies quae nostrae sunt Societatis. Fidenti animo retulit matri se totum ex nostris esse ac futurum semper, ita ut a Societate sejungi nec velit nec possit; hoc vitae genus a se nullius impulsu susceptum, sed propriae voluntatis legitimis rationibus delectum fuisse. Mater haec omnia probavit libens, illud interim amanter taxans quod hactenus ista sibi reticuisset, a quibus explendis nullum filiorum vellet remorari: adjecit etiam sibi dolori nunc esse quod Dominationem Vestram coram non convenisset, imo se posthac omnia libere curaturam quaecunque posset in gratiam Societatis nostrae, quantumvis alii sint nobis infensi, quibus et innocentiae nostrae rationem dare promissit. Certe Magistro Lamberto aegrotanti se munificentissimam matrem declaravit, et quem non viderat omnibus humanitatis offitijs fovere non destitit. Aliquando visitatur a me vidua et Domina Domini Iohannis nunc apud Brigittanos eremum incolentis[4]. Haec vidua conclusit tandem ad religionem se transferre una cum duabus nobilissimis virginibus, cujuscemodi plures,

---

[1] Herll.

[2] Baccalarii theologici Coloniae per duos fere annos Scripturam sacram et dein „Sententias“ Petri Lombardi exponere debebant (baccalarii „biblici“ et „sententiarii“), ut tandem baccalarii „formati“ ac deinceps „licentiati“ et „doctores“ sacrae theologiae fieri possent.

[3] Is Fabrum in litteris sub idem tempus Colonia (9. Ianuarii 1545?) ad eum datis „confessorem“ suum vocat. Ac de eo Faber Colonia 10. Maii 1544 S. Francisco Xaverio scribere videtur: „En los exercicios entró un mancebo, hijo de una principal viuda de esta ciudad, el cual de tal manera se ha aprovechado, que no ha parado hasta resolverse muy clara y distintamente para ser de nuestra Compañía“ (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 236. 423). Petrus Kannegiesser 2. Novembris 1543 ex gymnasio montano admissus est ad examen baccalariatus in artibus subeundum (* Cod. „Hist. gymn. tr. cor.“ f. 20[a]). Familia eius Coloniae consularis erat. „Petrus Kannegisser a Colonia, u. j. Doct.“, anno 1545 universitatis coloniensis rector, Henricus Kannegiesser († 1571) bis consul eius urbis fuit; etiam inter „presbyteros canonicos“ ecclesiae metropolitanae coloniensis tunc erat „Petrus Kannengiesser“ (*Bianco* l. c. I, 833. Das Buch *Weinsberg*, bearbeitet von Konst. Höhlbaum, II [Leipzig 1887], 168. 226. *Varrentrapp* l. c. p. 129—130).

[4] Cf. supra p. 94. Hic a Canisio in litteris 22. Decembris 1545 ad Fabrum datis „illius Dominae Capellanus“ vocatur. Coloniae monasterium ordinis S. Birgittae sive S. Salvatoris tunc nondum exstitisse videtur. Ioannes fortasse in „Foresto Beatae Mariae Virginis“ (Marienforst) prope Godesbergam sito degebat. De quo *C. Fr. W. v. Nettelbla*, Vorlaüfige . . . Nachricht von einigen Klöstern der H. Schwedischen Birgitte (Frankfurt und Ulm 1766) p. 52—59.

ut spero, me urgente lucrabitur Christo [1]. Carthusienses valent recte. Prior [2], ut est humillimus, totum sese fratrum omnium precibus isthic commendat, praesertim Dominationis Vestrae. Didicit brevi longe majori confidentia uti erga Dominum deplorans jam intime quod ob temporum malitiam eleemosynas erogare detrectaverit. Orate pro illo diligenter ad amovendam gravem turbationem quam tenaces quidam in eum conceperunt ubi sentiunt tot centenorum aureorum eleemosynam hactenus clam a Priore dispensatam fuisse, ut nec infitiatur Prior. Salutat Dominationem Vestram imprimis Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Londensis, Provincialis Carmelitarum, Inquisitor haereticae pravitatis Prior Praedicatorum [3], Dominus Tielanus, Magister Andreas hospes meus, et Pater Sancti Maximini [4], ambo Theologiae Licentiati, Dominus Philippus Bacchalaureus; Dominus Daniel in Carthusia [5]; Magister Iohannes apud Apostolos [6], Iohannes Cochlaei nepos [7], et socius hujus Georgius [8] una cum Laurentio fa-

---

[1] Haec ea vidua esse videtur, de qua B. Petrus Faber Colonia 10. Maii 1544 S. Francisco Xaverio scripsit: „Una señora principal de esta ciudad, viuda, está muy movida para entrar en religion y me ha pedido consejo, aunque todos sus conocidos, doctores y confesores la disuaden que no lo haga, y no puede hallar paz en el consejo de la multitud, teniendo dentro claras inspiraciones del espíritu bueno para la religion. Rogad á Dios Nuestro Señor por ella, porque tambien le debemos muchas buenas obras que ella nos ha hecho y hace." Faber ad eam aliosque, qui linguae latinae ignari erant, aliquoties „per interpretem" dixerat (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 237). [2] Gerardus Hammontanus.

[3] *Georgius Eder* inter eos, a quibus eo ipso tempore Coloniae beneficiis affectus sit, laudat „Tilmannum Sibergensem Priorem Dominicanorum tum haereticae pravitatis Inquisitorem" (Partitiones Catechismi catholici etc. [Coloniae 1571] in epistula dedicatoria). *Kritzradt* eundem „Sigeburgensem" (Siegburg) appellat. Gentilicium nomen „Smeling" erat. De sacramentis egregie scripsit.

[4] Is erat Ioannes Volsius, ex Lünen, Westphaliae oppido, ortus; de quo *Hartzheim*: „Rector", inquit, „primum fuit scholae Ludgerianae post Joannem Murmellium, postmodum factus est Rector Monialium ad sanctum Maximinum Coloniae" (Bibliotheca Coloniensis p. 207). Moniales maximinianae regulam S. Augustini sequebantur et illae esse videntur, de quibus B. Petrus Faber SS. Ignatio et Francisco Xaverio scripsit: Plus quam 60 esse; se bis latine ad eas dixisse; nam 20—30 ex iis latine scire; ceteris sermones suos a confessario monasterii germanice versas esse; hunc etiam omnia pectoris secreta sibi aperuisse (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 193—194. 236). [5] Cf. supra p. 94.

[6] Canonicus vel vicarius ecclesiae sanctorum Apostolorum, quae nunc quoque exstat, is fuisse videtur.

[7] Inter nepotes praeclari illius Ioannis Cochlaei memoratur Ioannes Agricola (Bauer), e Wendelstein oriundus, clericus dioecesis eystettensis, qui avunculo Moguntiae successit in canonicatu ecclesiae S. Victoris et mortuus est eiusdem ecclesiae decanus 4. Novembris 1569 (*C. Otto*, Iohannes Cochlaeus der Humanist [Breslau 1874] p. 189).

[8] Georgium Eder significari puto, qui postea universitatis viennensis rector et ecclesiae catholicae fortis propugnator fuit. Hic enim eo tempore in academia coloniensi studiorum causa versabatur et postea testatus est se in iis complurium virorum coloniensium „opera et commendatione plurimum adiutum esse", „adeo ut illorum testimonio et pietate permotus insignis Theologus Reverend. D. Ioannes

mulo[1] salutant inquam Dominationem vestram cujus precibus bonisque desideriis vellent se commendatum iri. Quanto studiosius id nobis faciendum erit qui tuo magisterio instituti Christi partem[a] accepimus in hac filiorum Dei sancta societate? Superest igitur Reverende Pater ut quos jam Christo non infaeliciter genuisti precibus tuis apud Christum provehas ac benedicas. Videmur quidem filii desolati, sed egregie consolati putabimur ubi nostrae imbecillitatis causam defenderis apud Deum et Sanctos ejus. Quod si filios agnoscis qui semper nos te Patrem fatebimur, agnosce nunc singulos in terra prostratos, agnosce complosas manus, demissum corpus, humidas genas, lacrimabilem vocem, tantum ut paterna viscera solitum commisserationis affectum exhibeant, praesertim filiis pauperibus et orphanis in quorum domibus[b] nec panis nec vestimentum sit[2]. Sed cur his panem postulo quibus adhuc lacte opus est, ut posteaquam adoleverint tum cibo solido vescantur?[3] Forte autem fallit me judicium, ut quos ego mei similes existimo, hi etiam in domo Patris abundent panibus[4] utpote plus quam mercenarii. Saltem hoc vere profiteri possum, cur perit fame[5] Kanisius dum nullus est qui fere misereatur ejus inopiae nisi tu Pater et adjutor fortis[6] in cujus manibus sortes meae[7]. Respice igitur in adjutorium mihi[8], et laetifica animam servi tui[9] ut dicas animae meae, Salus tua Deus est[10]: confide fili et noli timere[11]: sit benedictio et pax super Caput tuum[12] in die et nocte: Semper ego tecum[13] in omnibus viis tuis. Ita, pater mi, semper tu a dexteris meis ne commovear[14]. Fiducia mihi magna et spes valida si benedixerit mihi potentia tua per nomen Dei virtutum[15], per merita Sanctorum, per caritatem, per simplicitatem, per patientiam, et fortitudinem et salutem omnem quae est in Christo Jesu Domino Nostro[16]. Is nos hic et isthic erudiat, augeat, firmet, purget, perpetuetque in omne opus bonum usque ad plenitudinem Sanctorum[17] et aetatis Christi[18]. Amen.

Coloniae 30 Decembris 1545[19].

Fratres nostros et filios tuos qui sunt tecum toto affectu salutatos cupimus. Parce, parce, Pater, filio loquaci, quamquam nullus esse

[a] Patrem *apogr.* [b] domus *apogr.*

Cochlaeus coeperit me beneficiis et sumptibus ad studia necessariis juvare et prosequi etiam non visum" (Partitiones Catechismi l. c.). Plura infra, monum. 14.

[1] Cf. supra p. 100.

[2] Canisium panem et vestimentum mentium, non corporum dicere sententiae sequentes patefaciunt.

[3] Hebr. 5, 12. [4] Luc. 15, 17. [5] Ibidem. [6] Ps. 70, 7.
[7] Ps. 30, 16. [8] Ps. 34, 2. [9] Ps. 85, 4. [10] Ps. 34, 3.
[11] Marc. 6, 50. [12] Cf. Prov. 11, 26. [13] Ps. 72, 23.
[14] Ps. 15, 8. Act. 2, 25. [15] Ps. 58, 6; 88, 9 etc.
[16] Cf. Eph. 3, 19. 2 Thess. 3, 5. Act. 4, 12. [17] Eccli. 24, 16.
[18] Eph. 4, 13. [19] Vide, quae post hanc epistulam notantur.

modus debet, ubi filius totum se statuit effundere ut nullum apud Patrem officium praetermisisse[a] videatur.

Reverendae Paternitatis Tuae
Filius et servus infimus Petrus Kanisius
quem Christo genuisti.

ihesus
Reverendo Patri meo et Domino Magistro Petro Fabro Theologo, de societate nominis Jesu Colimbriae[b].

Epistulae huic dies 30. Decembris 1545 adscripta est. Sed si Canisius nostram temporum rationem secutus esset, scripsisset: „30. Decembris 1544". Stilo enim, ut dicunt, coloniensi annus tunc a nativitate Christi sive a die 25. Decembris incipiebatur[1]. Hoc autem stilo Canisium usum esse clare patet. Nam aliter epistula haec plena esset anachronismis et absurda contineret; quod facile patet, si cum epistulis illis comparatur, quas Canisius ad Fabrum dedit Colonia 12. Martii, 12. Augusti, 22. Decembris 1545. Quamquam hoc unum omnem scrupulum tollit, quod Canisius in hac epistula inter nova illa, quae Fabro affert, provocationem ponit a clero et universitate contra Hermannum Wedanum ad papam et caesarem factam; haec autem exeunte anno 1545 minime iam nova erat; nam mense Octobri anni 1544 factam esse certissime constat.

Faber ad hanc epistulam respondit Vallisoleto 9. Iulii 1545.

17.

SANCTUS IGNATIUS DE LOYOLA SOCIIS COLONIENSIBUS[2].

Roma anno 1545 [ineunte?].

Ex „Historiae Societatis Iesu prima parte", auctore *Nic. Orlandino* S. J. (Romae 1615) l. 5, n. 37, p. 154.

Etiam in „Cartas de *San Ignacio*" I, 392—393. 193.

Consolatur eos et ad animorum unionem hortatur.

Orlandinus ad annum 1545 haec refert: Socios colonienses, quum procella adversus eos exorta esset, decrevisse urbe non excedere, sed potius vita communi relicta separatis in aedibus habitare. „Nec alia fuit", inquit Orlandinus, „aut Ignatij in Vrbe sententia, aut in Hispania Fabri: qui segregationem illam eodem quasi ducti spiritu ita collaudarunt, vt ad eam constanter retinendam per literas hortarentur, quarum haec erat fere sententia.

,Licet inter vos tecto sitis, corporibusque seiuncti, Diuina tamen ope facile consequemini, vt fraternis inter vos animis semper esse, versarique videamini; cum et in voluntario disciplinarum studio, et in vitae proposito, susceptisque

[a] Praetermisse *autographum.*

[b] *Inscriptioni huic altera (ut videtur) manu antiqua adscriptum est:* Posterior [epistula Canisii ad Fabrum data].

[1] Vide supra p. 70. 74.

[2] Ineunte anno 1545 Coloniae de Societate supererant P. Alvarus Alfonsus P. Leonardus Kessel, Fr. Petrus Canisius, Petrus Kannegiesser novicius.

rite votis tam arcto inter vos nexu ad IESV Christi gloriam ipsi vos adstrinxeritis. Cuius veluti glutino caritatis, totam hanc conglutinari familiam, et copulari par est. Ceterum diuinae tutelae fuerit, vt cuius causa ista perfertis, is aliquando dispersiones congreget Israelis.' [1]

Haec fere illi tametsi alter ab altero longe distaret, vt appareat eodem spiritu, vt dicebamus, illa fuisse dictata." [2]

In „*Historia Collegii Coloniensis S. J.*" manu scripta, quae Coloniae in archivo ecclesiae Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae exstat, (f. 12b) pars epistulae proponitur, quam S. Ignatius „Romae IX. Cal. Junii 1545" ad socios colonienses dederit[3]. *Reiffenberg*[4] autem dicit: „Extant in Cod. Ms. Colleg. Colon. responsoriae S. P. Nri ad Danielem Paybrock . . . scriptae Roma Coloniam anno 1545. 28va Augusti"; quarum deinde particulam proponit[5]. Atque *Augustus de Druffel* scribit[6] se apographum (quod ex archetypo transcriptum esse videatur) habere epistulae „9. Calend. Ian. 1545" a S. Ignatio ad Socios colonienses datae; cuius etiam partem ponit, a duabus illis, quae modo descriptae sunt, diversam[7]. Alia quaedam nuper proposuit *Everardus Gothein*, quae anno 1545 ab Ignatio ad Socios colonienses de Societatis privilegiis scripta essent[8].

Harum assertionum aliae verae sunt, aliae falsae. Est apud nos apographum antiquum epistulae integrae a S. Ignatio datae „Romae 9 Calend: Ianuarij 1545". Quae, praeter alia multa, etiam omnia illa, quae a quattuor illis historicis ponuntur, continet. Inscriptio ipsius epistulae in initio apographi nostri collocata erat; sed nunc, ceteris vocabulis desectis vel erasis, sola ferme haec duo apparent, quae ex ultimis sunt: „Paybrock Coloniam." Quicquid autem de illis sit, ad colonienses Socios epistula illa data esse non videtur. Nam Ignatius inter alia haec scribit: „Quod censetis idoneum fore, ut vobis praesit, Iacobum Lhostium de Geldonia, et ego sane idem censeo. . . Daturum me operam polliceor vt si ille non ijs occupationibus distinebitur, quas omittere sine dispendio maiori non possit, vos propediem invisat." Lhostius autem non a coloniensibus, sed a lovaniensibus Sociis, ut praeesset, expetitus et tandem anno 1547 a S. Ignatio iisdem praeesse iussus est[9]. Ac si ad Danielem Paeybroeck S. Ignatius litteras nostras misit, Coloniam non misit; Daniel enim iam anno 1544 Colonia discesserat[10], neque anno 1545 eodem rediit[11]. Ex *Polanco* autem cognoscitur eum anno 1547 Lovanii fuisse, et eodem anno Socios lovanienses, cum antea inter se locis tectisque discreti fuissent, in unam eandemque domum esse congregatos[12].

---

[1] Ps. 146, 2. [2] Epistula Fabri, 9. Iulii 1545 data, infra ponetur.

[3] Incipit: „Distracta habitatio vestra mihi vehementer probatur"; finitur: „arrham utique non vulgarem accepistis."

[4] Historia Societatis Jesu ad Rhenum inferiorem (Coloniae 1764) p. 23p.

[5] Incipit: „Binas literas tuas accepimus 4 Non. Martii"; finitur: „omnium sitis futuri." [6] Ignatius von Loyola an der römischen Curie (München 1879) p. 40.

[7] Incipit: „Quod mones ergo tum de cohabitatione vestra"; finitur: „numero et virtute."

[8] Ignatius von Loyola und die Gegenreformation (Halle 1895) p. 394. Gothein scribit, se haec ex archivo quodam coloniensi hausisse.

[9] De eo *Polancus* l. c. I, 139. 236—238. 245. *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 104; l. 6, n. 10; l. 8, n. 27. *Imago primi saeculi S. J.* p. 735; *Emm. Aguilera* S. J., Provinciae Siculae Societatis Jesu ortus et res gestae ab Anno 1546 ad Annum 1611 (Panormi 1737) p. 1—4. [10] Vide supra p. 103. 112.

[11] Vide etiam infra, epistulam 2. Iunii 1546 a S. Ignatio ad Canisium ceterosque Socios colonienses datam.

[12] L. c. I, 244. Mirum est ab historico collegii coloniensis (*Henrico Simonis* S. J.) Ignatium dicentem induci: „Distracta habitatio vestra mihi vehementer probatur."

Dicendum igitur esse videtur:

Ignatium (1545—1547) Sociis lovaniensibus scripsisse, eiusque epistulae apographum ad colonienses pervenisse, idque fortasse per Danielem Paeybroeck, sive is ipse Coloniam id attulerit, sive, quod verisimilius, Lovanio Coloniam miserit. Eiusmodi litterarum mutuae communicationes frequentes tunc erant, et hae litterae ea continebant, quae scire coloniensium quoque Sociorum maxime intererat, v. g. condiciones sub quibus Ignatius facultatum spiritualium a pontifice acceptarum Socios participes reddere volebat[1]. Epistula ipsa hic non ponitur; spes enim est Socios hispanos in nova serie epistularum S. Ignatii, quam edituri sunt, id mox praestituros.

18.

IOANNES PELLETARIUS S. J.[2]

CANISIO EIUSQUE SOCIIS COLONIENSIBUS.

Parisiis mense Februario 1545.

Ex apographo eiusdem temporis, quod Coloniae ex autographo exscriptum est a Petro Kannegiesser, Societatis novicio (2°, $1^1/_4$ pp.). Cod. colon.: „Litt. Epistt. var.", f. VI².

Pro Canisii litteris gratias agit. Coloniensibus Sociis parisiensium fratrum charitatem testificatur. Gaudet, quod a Deo in Societatem vocatus sit. Vitia sua deplorat, proposita aperit, preces efflagitat, terrena cuncta spernit. Fratres monet, ut unum Christum sequantur magnisque animis sub arbore crucis persistent.

ihesus.

Ioannes pelletarius dilectiss. in Christo Iesu fratribus suis Coloniae.

Gratia et pax Iesu Christi Domini nostri vobiscum. Literae vestro nomine per Kanisium scriptae[3], ad nos (Deo gratias) peruenerunt,

---

Contra Ignatius „de cohabitatione" Sociorum scribit: „mihi vehementer probatur". Deceptus autem ille esse videtur verbis, quae paulo post sequuntur: „cum separati ab alijs habitatione ac vitae forma in oculis omnium ac linguis sitis futuri." „Ab aliis" igitur, qui Societatis Iesu non erant, separati erant, inter se autem et habitatione et vivendi ratione iuncti.

[1] Cf. epistulam a S. Ignatio ad Kesselium et Canisium datam 6. Iunii 1546.

[2] Ioannes Pelletarius (Pelletier, Lepelletier), gallus, postea primus rector collegii romani constitutus est a S. Ignatio, qui eum „sanctum rectorem" appellabat. Dein collegium ferrariense rexit, in eaque urbe Herculi duci a confessionibus fuit eiusque uxorem Renatam, Ludovici, Galliarum regis, filiam et protestantismi sectatricem tenacissimam induxit, ut ad catholicos ritus reverteretur. Tandem in Galliam remissus, collegii apamiensis initia egregie iuvit; Beatae Mariae Virginis eximius cultor et laudator, in dioecesibus apamiensi, tolosana, ruthenensi, cadurcensi permultos calvinistas ad fidem catholicam reduxit, pro qua et vincula tulit et, laboribus exhaustus ac fortasse veneno correptus — haec fama fuit — mortem occubuit Tolosae 1. Ianuari 1564 (Cartas de *San Ignacio* III, 248—249. 409. *A. v. Druffel*, Herzog Hercules von Ferrara und seine Beziehungen zu dem Kurfürsten Moritz von Sachsen und zu den Jesuiten [München 1878] p. 39—45). Pelletarii gesta post Manareum, Orlandinum, Sacchinum, Iuvencium, Bartolum breviter complexi sunt *Gius. Ant. Patrignani* S. J. (Menologio di pie memorie d'alcuni religiosi della Compagnia di Gesù [ed. G. Boero S. J.] I [Roma 1859], 4—8) et *Elesban de Guilhermy* S. J. (Ménologe de la Compagnie de Jésus, Assistance de France. I. partie [Paris 1892] p. 1—5). [3] Hae perisse videntur.

adeo concinnae, vt verbis consequi, ἀδύνατόν[a] ἐστι. Ex quibus non mediocrem profecto caepimus voluptatem. Quid enim vnquam dulcius, quid iucundius, quid vero suauius ad amicorum fratrumque aures peruenire poterat, praeterquam epistola prosperae valetudinis eorum nuncia, qui vinculo amoris indissolubili coniunguntur? Ita me Deus bene amet, tam iucunda est vestri recordatio, quam iucunda foret consuetudo. Nec tantum forte animos Apostolorum exhilarauit amicorum praesens conuictus[1], quantum nostros memoria vestri per epistolas refricata[b]. Mutuum amorem saepe dissoluit vel minuit corporum disiunctio. Vestris literis vestra charitas magis illustratur ac illucescit. dum radij quos in vos transfudit consolator[c] ille Sanctissimus[2], etiam ad nos vsque penetrarunt. Vtinam apud Dominum digni habeamur, vt superabundantis erga nos charitatis vestrae, participes euadamus. Quod fieri non potest sine Dei Opt. Max. inexhausta bonitate: cui vel hoc etiam praecipue debeo, quod me vestro sodalitio, vestrae fraternitati et professioni adiunxit, ex ipsis mundi fluctibus vix tandem emergentem. Ac vtinam is qui sic fecit misericordiam suam[3] cum seruo suo, perficiat quod iam coepit[d][4]. Sed an deneget gratiam Dominus? Minime, (vt mihi videtur) debite quaerentibus. Nam dubio procul, qui quaerit, inuenit: qui petit, accipit: et pulsanti aperietur[5]. Ego forte quod quaero et peto, propterea non accipio, quia nec recte nec licite peto[6], et instanter non quaero, vtpote terrenus, carnalis, animalis, omnibus vitijs obuolutus, non perspiciens[e] quae sunt Spiritus[7], neque sapiens quae sursum, sed quae super terram[8]. Confido tamen in omnibus dilectissimi, per vestras apud gratiarum Datorem preces, supplicationes et obsecrationes assiduas, animum in melius mihi mutandum esse, vitia corrigenda, carnem edomandam, mundum per[f] me fortissime contemnendum, mentem purgandam, satanam conterendum esse. Quibus pactis gratiam abundantius mihi praesidio futuram, dubitare non possum. Id tamen, vt citius feliciusque contingat, ad Dominum clamare cogor cum Regio propheta, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte[9]. Sed praestat vt coecus coelum[g] sine intermissione spectem, et improbis vocibus acclamem, Domine vt videam[10]. Nunc interim nunc valeat hoc seculum infoelix, valeant amici fures temporis, valeant voluptates mellita venena, valeant opes irritamenta malorum: valeant ambitio, fastus, aemulatio, valeant aurae seculares mentis carnificinae, denique

---

[a] ἀδυνατὸν *apogr.* [b] refricta *apogr.* [c] consolatur *apogr.* [d] cepit *apogr.*
[e] *Fortasse legendum:* percipiens. [f] prae *apogr.* [g] coecum *apogr.*

---

[1] Cf. v. g. 2 Cor. 7, 6. 3 Io. 3. [2] Spiritus sanctus; cf. e. g. Act. 9, 31.
[3] Ruth 1, 8 et saepe. [4] Phil. 1, 6. [5] Matth. 7, 8. Luc. 11, 9.
[6] Iac. 4, 3. [7] 1 Cor. 2, 14. [8] Col. 3, 2.
[9] Ps. 12, 4. [10] Luc. 18, 41.

valeant mihi terrena omnia vt solus mihi incipiat sapere Christus Dux meus et Imp. meus, cui seruire dixi regnare, cui militare putaui imperare. Desyderia carnis exuantur, affectiones proscindantur, voluntates mortificentur. vt rectissime Christo crucifixo conformemur et adhaereamus. Hunc vnum (qui via est[1]) totis animi viribus sequamur in fame, siti, nuditate, carceribus, flagris, quoad crux nobis vna sit vita et gloria. Ille nostrae delitiae, nostra bona, nostrae curae, nostri thesauri, nostrae spes, ille vnus sit nobis omnia in omnibus[2] et prosperis et aduersis. Vocem eius intentissime sequamur. Qui non renunciauerit (inquit) omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus[3]. Et, Qui venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, uxorem fratres etc., adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus[4]. Hoc nobis durum videri poterat, nisi idem qui verbo docuit, opere etiam maiora complesset ob magnitudinem ergo nos amoris sui. Non enim sat erat, si regium honorem aspernaretur, et pro summis infima, pro sublimibus abiecta eligeret, sed ne loculum quidem possideret, iniurias subiret, contumelias exciperet, denique crucis partem vbique sibi vendicaret. Et nos o viri fratres hanc crucis gloriam expetamus, hanc arborem excolamus, quae sola solidos profert fructus, per cuius virtutem in omnibus (ne dubitetis) superiores estis euasuri. Sepeliant interim mortui mortuos suos[5], rideant, qui lugebunt sed sero, contemnant qui poenitebunt sed non ad salutem forte[6], sint iniurij qui vobis obtrectabundum [*sic*] putarunt[a], sed tangunt pupillam oculi Dei[7]. Nos arbori crucis adhaereamus et configuremur indies magis ac magis. Ego, sicut non ignoro multum [valere] vel vnius iusti deprecationem[8], ita quam maxima mihi polliceor in Domino de vest[ris] precibus, sacrificijsque. pius ille pater et misericors Dominus, qui vos vocauit in [admira]bile lumen suum[9], nos prouehat, augeat perficiatque, vt in [sancto] ipsius seruitio perduremus foeliciter. Amen. Lutetiae ex collegio Longobardorum[b] [10] . . . Februarij 1545.

D. Kanisio et caeteris ipsius in Christo fratribus. Coloniae.

---

[a] putarit *apogr.* [b] Longebardorum *apogr.*

---

[1] Io. 14, 6. [2] Eph. 1, 23. [3] Luc. 14, 33.
[4] Luc. 14, 26. [5] Matth. 8, 22. Luc. 9, 60.
[6] Cf. 2 Cor. 7, 8—10.
[7] Zach. 2, 8. [8] Iac. 5, 16. [9] 1 Petr. 2, 9.
[10] In hoc universitatis collegium iam anno 1540 primi parisienses Socii recepti sunt; ac cum anno 1544 in belli trepidatione paulisper Parisiis discessissent, anno 1545 iterum in idem collegium recepti et numero aucti sunt (*Polancus* l. c. I, 97. 156. *Orlandinus* l. c. l. 2, n. 97; l. 4, n. 119; l. 5, n. 42).

19.

CANISIUS

OSWALDO II.[1],

comiti montensi[2] et romani imperii principi.

Colonia 5. Februarii 1545.

Ex apographo, circa annum 1657 Embricae confecto (2°, 2 pp.), in cuius fine altera manu scriptum est: „Exacte convenit cum autographo, in quo agnosco manum R. P. Petri Kanisij s. mem. Ita testor Embricae 20. Maij 1659 Winandus Weidenfeld Societatis Iesu.“ Cod. colon.: „Litt. Epistt. var.“, fol. non signato, inter f. VI et VII posito.

Epistula usi sunt *Reiffenberg* l. c. p. 25[d] et *Hansen* l. c. p. 189. 197. Particulas germanice versas posuit *E. Gothein*, Ignatius von Loyola und die Gegenreformation (Halle 1895) p. 285. 678.

Comiti gratias agit, quod Sociis coloniensibus perfugium obtulerit. Quam insignes patronos hi modo nacti sint. De nomine „Iesuitarum“. Socios nil quaerere nisi salutem animarum, ceterarum rerum omnium spem in Deo ponere, in cruce Christi ferenda gaudere. De persecutione contra eos Coloniae mota et communi habitatione iterum ab iis coepta. Comitem Canisius patris sui memoria excitat et fratres ei commendat.

ihesus

Illustris admodum et reverende Domine Princeps Clementiss.

Gratia domini nostri IESV CHRISTI et pax cum C. T. sit semper.

Eam Christianae charitatis vim esse sentio, quae[a] non praesentes modo conglutinare possit, sed absentes etiam atque adeo ignotos amicitiae foedere coniungat copuletque. Nam ut exempla peregrina

[a] *Vel* ut; *apogr.:* ut quae.

[1] Tertius huius nominis inter dynastas montenses hic erat, secundus inter comites.

[2] Erat hic „Grave van 'S Heerenbergh“ (quod oppidum nunc est provinciae geldricae regni neerlandici). Oswaldus I., avus eius, a Friderico III. comes imperii creatus erat. Probe igitur distinguere oportet comitatum hunc montensem non solum ab illo, cuius caput erat urbs Belgii (Hannoniae) notissima „Mons“ sive „Bergen“, et a ducatu montensi (Berg, nunc regni borussici), sed etiam a marchionatu montensi sive Bergis ad Somam (Bergen-op-Zoom, nunc regni neerlandici), cuius dynasta Ioannes Glymaeus (de Glymes) cum uxore Maria de Lannoy S. Ignatio, Everardo Mercuriano, collegio lovaniensi magnam benevolentiam praestitit (*Oliv. Manareus* S. J. [1523—1614], De vita et moribus Everardi Mercuriani [primum ed. Bruxellis 1882] p. 25. *Fam. Strada* S. J., De bello Belgico [Antverpiae 1649] l. 1, p. 34. *Delplace* l. c. p. 88. *E. H. Kneschke,* Neues allgemeines deutsches Adels-Lexikon I [Leipzig 1859], 331). Oswaldus ille, cui Canisius scripsit, natus esse traditur anno 1508, mortuus 9. Maii 1546; uxorem duxerat Elisabetham a Dorth, Ioannis Horstii viduam. Oswaldi genealogiam proponunt *Nic. Rittershusius* (Genealogiae Imperatorum, Regum etc. [ed. 2, Tubingae 1658]) sub v. Comites Montium et *Iust. Christ. Dithmarus* (in *Wernh. Teschenmacheri* „Annalibus Cliviae, Iuliae“ etc. denuo editis [Francofurti et Lipsiae 1721] ad p. 534). Brevem eius historiam texuit *Ar. van Slichtenhorst,* Geldersse Geschiedenissen I (t'Arnhem 1654), 83—84.

volens praetermittam, quae sicut quotidiana ita sunt innumera, liceat obsecro prudentiam tuam hic mihi testem proferre. Quid enim aliud praeterquam charitatis in CHRISTVM tuae virtus in causa fuit, ut me una cum his qui mecum in CHRISTO sunt fratribus, diligas absentem, foueas immerentem, et quos necdum videris fovere cupias, tueri gaudeas, omnique benevolentia prosequaris, nullis etiam offitiis provocatus? Ego vero dum incomparabilem hanc erga nos charitatem tuam cogito, certe non possum non admirari: primum quod admirabilem illam charitatis energiam a D: Apostolo praescriptam, ad cor. 13[1] re ipsa comperio. Deinde quod Dei Opt: Max: et filii eius Domini nostri IESV CHRISTI effusissimam erga servos suos bonitatem contemplor. Huius enim gratia fit proculdubio, quod praeter meritum et exspectationem omnem tanti quotidie Patroni nobis obveniant, qui causam instituti nostri provehere et velint et possint. Ante paucos menses (mirum dictu) paterno plane affectu complecti nos coeperunt Reverendissimi in CHRISTO Patres, Domini nostri clementiss: D: Georgius a Skotborg[a] Archiepiscopus Lundensis Primas Sueciae[b]. D. Hieronymus Varallus [*sic*] Archiepiscopus Rossanensis[c][2]. D. Johannes Poggius Episcopus Tropaeensis, ambo Legati Apostolici. D. Otto Truchses Episcopus Augustanus, nunc etiam Cardinalis. D. Theodoricus Hezius Prothonotarius Apostolicus, idemque Subdecanus D. Lamberti Leodiensis[3]. Hisce summis viris tu nunc annumerandus es vir summe, qui non minori virtutum quam stemmatis ac nominis nobilitate apud tuos praecellis, eo tamen maior, quo te nobis hoc est infimis clementiorem ostendis. Illi quos commemoravi praeter amicos alios bene synceros, non aliter profecto ac patres suam nobis operam omnem, quoties vellemus, humanissime polliciti sunt, pro[d] interim admonentes, ut in hoc nostro instituto, quod CHRISTO Duce sumus amplexi, persisteremus ac promoveremus. Facimus ita quidem, tametsi non sine quorundam invidia simul et obtrectatione, quae nobis etiam Iesuitae nomen dedit[4]. Absit enim procul ut sacro-

[a] Stotborg *apogr.* [b] Sueviae *apogr.* [c] Rossenensis *apogr.* [d] pre *apogr.*

[1] 1 Cor. 13, 4—7.

[2] Anno 1537, cum Hieronymus Verallus, romanus, Venetiis legatione pontificis fungeretur, Ignatius eiusque socii vota paupertatis et castitatis coram eo renovaverant. Eodem fere tempore idem publica tabula sanctitatem et doctrinam Ignatii attestatus erat. Anno 1549 cardinalis creatus est (*Io. Petr. Maffeius* S. J., De vita et morib. Ignatii Loiolae [Duaci 1585] l. 2, c. 4, p. 94. Cf. *Ch. Clair* S. J., La vie de saint Ignace [Paris 1891] p. 200—201).

[3] Vide supra p. 121.

[4] Anno 1555 Sorbonnae parisiensi Martinus Olave S. J., doctor et ipse sorbonnicus et concilii tridentini theologus, de institutione Societatis Iesu inter alia hoc asseveravit: „Non fuit consilium, vt qui in hac congregatione essent, Iesuitae simplici dictione vocarentur“ (*Orlandinus* l. c. l. 15, n. 47). De eodem nomine saeculo XVII. ineunte *Franciscus Suarez* S. J. (1548—1617): „Nomine Iesuitarum“, inquit, „abutuntur haeretici, ut homines Societatis proscindant.“ Quam-

sanctum illud nomen ullatenus usurpemus nobis, qui CHRISTI IESV vixdum discipuli vel sane tyrones sumus, adscripti militiae crucis eius[1]: quam contemptis omnibus unice nobis proposuimus, et passim apud quosvis exaltare percupimus, nec sine certo quidem foenore: nimirum ut aliorum salutem nostrum et lucrum et peculium faciamus[2]. Hic scopus est quem studia nunc nostra consectantur[a], huc enitimur, huc spectamus, nihil interim ambigentes de adfuturo nobis Dei Opt: Max: praesidio, qui nos ad hoc militiae genus clementer evocavit, quique certo certius promisit fore, ut primum quaerentibus regnum Dei, et iustitiam eius nihil unquam defuturum, sed adiicienda sint caetera omnia[3], quae cum terrestre corpus, tum coelestem animam nobis foveant, nutriant, tueantur ac servent. Nec ignoramus, quin imo compertum habemus, in crucis CHRISTI militia cum piis omnibus communia nobis impendere pericula, incommoda, adversa: praesertim hoc exulceratissimo saeculo, quod pietatem omnem contemptui habet, imo superstitionem vocat, et crucis CHRISTI gloriam[4] ducit ignominiam. At eo magis nunc animos obfirmamus et adversus huius vitae mala omnia praemunimus, ut si dominus vineae nonnunquam extrudere dignetur operarios suos in messem[5], operarios habeat idoneos, atque iuxta D: Pauli sententiam, in omnibus praebeamus exempla bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate[6]: ut etiam is qui ex adverso est revereatur nihil habens malum dicere de nobis[7]. Quamquam non video quid homini Christiano durum molestumve possit videri, ut cui vexilla crucis debent esse ipsissimae delitiae: ut sciat suae militiae trophaea non pompis, sed miseriis reportari oportere. Nec enim alia Sanctorum vita fuit, quam[b] perpetua quaedam crux

[a] coniectant *apogr.* [b] quae *apogr.*

quam „in hoc nomine recte interpretato nihil est a veritate aut pietate alienum. Nihilominus tamen, ipsa Societas non solet hoc nomine suos appellare“ (Tractatus de religione Societatis Iesu, denuo ed. a P. *P. Guéau de Reverseaux* S. J. (Bruxellis et Parisiis 1857) l. 1, c. 1, n. V. VI, p. 3. 4). *Bollandistae* quoque nomen, „quo Iesuitae dicimur“, vocant „adventitium, vulgare et compendiosum“ (Acta Sanctorum Iulii, VII [Parisiis et Romae 1868] p. 485. Ac *Iulius Nigronus* S. J. affirmat „hanc appellationem a nobis minime fuisse excogitatam“, sed „fictam esse a vulgo, quod amat compendia sermonis“ (Regulae communes Societatis Iesu commentariis asceticis illustratae. Ed. 3 [Coloniae 1617] p. 103—104).

[1] P. *Petrus Ribadeneira* S. J., qui S. Ignatii discipulus erat eoque intime utebatur: „Animadvertendum est“, inquit, „nomen Societatis Iesu non ita esse interpretandum, ut congregationem hominum denotet, qui Iesu Socii sint, sed cohortem veluti militum, qui sub Imperatore Iesu stipendia faciant; vel, si melius placet, familiam, quae Christi magni Patrisfamilias mores induere, censumque amplificare satagat uberrima animarum fruge coacervanda“ (De ratione instituti Societatis Iesu; ex Hispano vers. a P. *Laur. Carli* S. J., Romae 1864) c. 1, p. 74).

[2] Constitutiones Societatis Jesu, Ex. c. 1, n. 3; c. 4, n. 27.

[3] Matth. 6, 33. Luc. 12, 31. [4] Cf. Gal. 6, 14.

[5] Matth. 9, 38; 20, 1—7. [6] Tit. 2, 7. [7] Tit. 2, 8.

et quotidiana mortificatio. Quapropter egentes, angustiati, afflicti[1] per patientiam currebant ad propositum sibi certamen, aspicientes in autorem fidei et consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta[2]. Nos vero qui nondum usque ad sanguinem restitimus[3], hanc summam felicitatem ambire possumus, quae quidem in hac vita percipitur, ut ex ipsis Domini flagellis (quibus filij Dei quum castigantur, simul dignoscuntur) nos haud plane spurios esse comprobemus. Nam per mille tribulationes ad imitationem crucis CHRISTI contendendum est, in qua omnis gloriatio tandem certissime constituenda venit[4]. Ac proinde qui variis nunc modis nos exercent, nos cruciant palam iniurii, clam detractores, his magna quidem a nobis gratia debetur: cum vel nolentes rebus nostris non tam incommodent quam commodent, non tam cursum nostrum remorentur, quam promoveant. De Coloniensibus nihil dicam, qui si nobis infesti esse voluerunt, poterant forte quorundam falsis calumniis adversus nos non perperam exacerbari. Ferebat [fa]ma, nos novae sectae homines hic mala mente consedisse. Statim extortum est contra nos ed[ictum,] ut abscederemus e civitate. Intercesserunt viri aequi et boni, qui concitatum senatus contra nos furorem mitigarent, ita ut disiunctim hic vivere liceret. Non diu post bona pars ex nostris concessit Romam, ubi praecipui de Societate nostra Patres agunt apud Pont: Max: nonnulli apud Portugalenses manent, non sine maximo Regis[5] gaudio, qui centum studiosis huic Societati addictis collegium exstruxit[6]. Est et nostris collegium Parisijs, Paduae, Walenzenis[7], Romae, Colimbriae, multisque alijs in locis. Vt ad nos redeam, relicti nunc sumus pauciores Coloniae quam septem, et in easdem aedes commigravimus[8]. Vn[us] est CHRISTVS, per quem tuta nobis omnia pollicemur, et in cuius manibus non tantum sortes nostrae[9], sed et ipsa Regum corda[10] diriguntur. Caeterum ista commemorandi ra[tio] propterea mihi suscipitur, ut non ignorares eximie Princeps, quid cum tuis clientulis ageretur: quos tanto favore prosequeris, vt (sicut amici testantur:) [vitae] sumptus et

---

[1] Hebr. 11, 37. [2] Hebr. 12, 1. 2. [3] Hebr. 12, 4.

[4] Cf. Gal. 6, 14. [5] Ioannes III. is erat. [6] Conimbricae.

[7] Scribendum potius fuit: Valentiae (in Hispania). Quod collegium vel potius seminarium inceptum est anno 1544. Valencenense autem collegium (Valenciennes in Gallia septentrionali) plus quam viginti annis post institutum est. Cf. *Alfr. Hamy* S. J., Documents pour servir à l'histoire des domiciles de la Compagnie de Jésus (Paris [1892]) p. 54.

[8] Iam tunc factum est, quod *Kritzradt*, ad „Histor. Collegij primam" provocans, anno 1546 factum affirmat, cum scribit: „Nostri hoc anno ante Praedicatores iuxta aedes D. Proc. Auerdunck [Averdong] e regione parui ostij Praepositurae S. Andreae" [habitare coeperunt] (* Cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 21[b] adnot. in margine. Cf. infra, monum. 17. Huius rei summam etiam narrat *Gelenius* l. c. p. 504).

[9] Ps. 30, 16. [10] Prov. 21. 1.

vivendi locum istic nobis polliceare. Pro qua tam rara in Deum pietate et singulari tua erga nos benevolentia nihil non debemus, debemus inquam amp[lissi]mo tui nominis splendori. Quod ad nos attinet, si usquam aut voluntati tuae, aut tuorum de nobis expectationi respondere possumus, libentes[a] ac singulatim operam nostram C. T. pollicemur. Cum enim publico omnium commodo nos totos devoverimus, illi tamen in omni vita nobis plurimum observandi sunt et colendi, qui Reip: gubernac[ulis] adhibiti se nobis interim exhibent Patronos, et in curanda gregis Dominici salute comministros. Iam quia[b] studiorum nostrorum ratio sedes mutare non sinit, hoc unum iterum pollicemur Comes magnifice, tui memoriam in orationibus nostris apud D[eum] esse duraturam. Ego vero qui fratrum infimus plane sum, hanc scribendi provintiam aliorum nomine suscepi, fretus praecipue tua singulari humanitate et clementia, qua tot annis patrem meum M. Iacobum foel. mem: complecti dignatus es[1]. Nec dubito fore quin fratres et sorores meas ex noverca, perpetuo sis propugnaturus: memor quam sit salutaris orphanorum, pupillorum ac viduarum defensio. Sed p[uto me] modum epistolarem excessisse. Tantum boni consulas precor quod ab animo C. T. deditiss. proficiscitur. Dominum IESVM precor ut per spiritum suum[c] D. V. conf[ortet] atque corroboret in interiore homine[2], ut implearis in omnem plenitudinem Dei[3]. Coloniae[4] V. Februarij 1545.

S. V.

Servus et filius in Christo
Petrus Kanisius
Noviomagensis.

Illustri Domino ac Principi magnifico D. Oswaldo Comiti Montensi etc. Domino meo clementiss.

20.

CANISIUS

BEATO PETRO FABRO S. J.

Colonia initio Februarii et 12. Martii 1545.

Ex apographo, circiter annum 1870 confecto ex autographo, quod est in „Varia Historia" etc. tom. I, f. 69–70.

Particulam italice vertit *G. Boero* S. J., Vita del Servo di Dio P. Nicolò Bobadiglia (Firenze 1879) p. 31; duae latinae sunt in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 266[7].

[a] libens *apogr.* [b] qui *apogr.* [c] sum *apogr.*

[1] 'S Heerenbergh haud procul abest a Neomago. Atque Oswaldus saepius, v. g. de agro wischensi, egerat cum Carolo Egmondano, Geldriae duce, apud quem Iacobus Canis multum valuerat (*Ioh. Is. Pontanus*, Historia Gelrica [Hardervici Gelrorum 1639] p. 762. 764. 767). [2] Eph. 3, 16. [3] Eph. 3, 19.

[4] Falso *Reiffenberg* affirmat hanc epistulam scriptam esse Neomago (l. c.).

Canisius Distemium et Lovanium profectus ad stipem Eschio et P. Cornelio Visharaeo afferendam. Eschium Societati conciliat et eo adiuvante Lovanii cum Tappero et aliis de constitutione collegii agit. Statuitur, Canisio Colonia Lovanium transmigrandum esse. De Cornelio Visharaeo, Adriano Adriani, Petro Kannegiesser, aliis Societati adiunctis vel adiungendis. De Sociorum coloniensium nova habitatione et de victu iis parando. Cornelius Visharaeus in daemones potens. Quantum Coloniae Socii confirmati sint visitatione P. Bobadillae et Nuntii Veralli. Canisius in Capitolio prosperrime contionatur. Optimates summam operam dant ei Coloniae retinendo. Ipse totus ex praepositis pendet. Evervardus Questenburch quam dure a Societate prohibeatur.

ihesus

Reverende domine et pater in CHRISTO.

Gratia Domini Nostri Jesuchristi sit semper cum Dominatione vestra.

Scribam de profectione mea quam, dirigente Domino, jam confeci per Brabantiam. Profectionis haec fuit causa. Reverendus ille noster amicus, imo Pater, Prior Carthusiae Coloniensis, ut est in erogandis eleemosynis effusissimus, destinaverat mittere M. Nicolao Diestensi[1] 500 aureos quibus monialium ipsius penuria sublevaretur. Iamque benignius de me sentiebat M. Nicolaus, clam quoque subindicans ut ad se venirem[2]. Eo facilius Prior animum meum confirmavit ut 500 aureos allaturus ad M. Nicolaum properarem. Quam ego nactus occasionem fidentius apud Priorem intercessi pro venerabili fratre Domino Cornelio, quem tu semper dignissimum judicasti, ut qui tam indignis debitorum vinculis exemptus, quamprimum ad studia rediret liber[3]. Quod ad me attinet, hac de causa potissimum iter hoc ingredi volui, acceptis a Priore centum adhuc aureis in gratiam D. Cornelii, cui tantum ego adjeci pecuniae[4] quantum persolvendis debitis omnibus sat erat, ne scilicet prudentia tua suo desiderio et exspectatione diutius fraudaretur. Benedictus Deus qui M. Nicolaum modis omnibus affabilem, benignum, et placidum restituit mihi, dum per omnia me submisse coram illo gererem, sperans humilitate expugnari posse quod vi rationum hactenus ab eo impetrari non potuit[5]. Quin usque adeo benevolum illum mihi reddidi, ut postero statim die Lovanium ierit mecum, nihil tamen intelligens de pecunia D. Cornelio per me numeranda. Sed vide, obsecro, quam ille totus nunc noster

[1] Canisius magistrum suum Nicolaum Eschium dicit, qui tunc Distemii (Diest, in Belgio) beginagium regebat.

[2] Fortasse Eschius idem, quod alii quoque viri piissimi eius temporis, timuerat: ne nova illa Societas, cui Canisius se addixerat, sub specie catholicae pietatis catholicam fidem clam impugnaret.

[3] P. Cornelium Vishavaeum, Societatis novicium, dicit; cf. supra p. 95—97. *Manareus:* [Societas] „aedes proprias Lovanii anno 1544 nullas habebat, . . . sed pauci degebant in eiusdem P. Cornelii domo secus coemiterium D. Michaelis, quam conductitiam habebant" (l. c. p. 13).

[4] Ex hereditate paterna; cf. supra p. 45 [7].

[5] Ut probaret Societatis institutum Canisiique consilium in ea semper vivendi.

sit, prius vix aliqua parte noster, praecipue, quod nosti, Coloniae. Nam ubi M. Nicolaus hic pauca audisset quae a me desiderari dixeram de Collegio nostrae Societatis apud Lovanienses instituendo, statim hujus rei curam in se vel ultro suscepit[1]. Primum igitur ea de causa convenit mecum D. Cancellarium[2], dein Magnificum Rectorem, Praesidentem scilicet Collegii Pontificis[3] D. Tilmannum[a 4], alios itidem nonnullos. Responderunt omnes hi (quorum et favor et consilium expetebatur) sibi consultissimum videri, et magnopere proficuum ut ex nostris aliqui praesertim studiosi apud se considerent, et paulatim in Collegii formam conjunctim viverent; quibus favorem, consilium, benevolentiam, amoremque omnem pollicebantur. Ego vero tacite non poteram non admirari et magnificare Dominum, qui commodissimam aperiebat viam nobis, licet insperatam, ut a nobis tandem et Lovanii Collegium erigeretur. Quod eo videri debet admirabilius quo citius impetratum est, praesertim ab eo qui videri poterat nostris infensissimus. Est enim illa speciosior victoria, cujus causam nobis praebent ipsi etiam adversarii. Breviter, in eam sententiam discessum est ut D. Cornelius, partim ab aemulis, partim a virginibus nimium impeditus[5], quam primum contenderet ad studia Coloniam; Ego vicissim, dimissa Colonia Lovanium commigrarem in locum ac domum D. Cornelii, habiturus illic mecum sacerdotem imprimis quem Dominus Cornelius et Christo et nobis lucrifecit, et quos idem quotidie lucrifacit, cum in exercitiis habuerit[6], me tum praesente, tres egregios

[a] Tiemannum *apogr.*

[1] Eschius postea Societatem Iesu sincere amavit. P. *Franciscus Costerus* S. J. Lovanio 11. Ianuarii 1570 S. Francisco Borgiae, praeposito generali, scripsit: Senatum distemensem et abbatem vicini monasterii everbodiensis collegium Societatis instanter petere, domum et 600 florenos annuos offerentes, simulque promittere se reditui illi augendo diligenter operam daturos. „Idem mihi promisit dominus Nicolaus escius Pastor Beginagij Diestensis, patribus societatis notus, et ualde addictus, qui iam augmentum aliquod centum fortasse florenorum annuorum videtur habere paratum“ (ex * epistula Costeri archetypa, quae est in cod. „Germ. 1569 sqq. II.“ f. 493. 494).

[2] Is erat Ruardus Tapperus, magni nominis theologus, quem Franciscus Strada induxerat, ut exercitia spiritualia S. Ignatii summa cum diligentia faceret (*Polancus* l. c. I, 115). De eo plura infra.

[3] Collegium hoc ab Hadriano VI., olim decano ecclesiae collegialis S. Petri lovaniensi, conditum erat.

[4] Rector universitatis lovaniensis tunc erat Tilmannus Clerici, geldropensis, theologiae licentiatus; cui 28. Februarii 1545 Iodocus Ravesteyn successit (*Valer. Andreas*, Fasti academici studii generalis Lovaniensis [ed. 2., Lovanii 1650] p. 42).

[5] Hae ei peccata confiteri et animas regendas tradere volebant. Cf. supra p. 112.

[6] S. Ignatius in adnotatione decima quinta libri exercitiorum sic praecepit: „Ille, qui tradit Exercitia, non debet ea accipientem movere magis ad paupertatem neque ad promissionem (aliquam) quam ad opposita; neque ad unum statum vel modum vivendi [magis] quam ad alium: quia licet, extra Exercitia, possimus licite ac meritorie movere omnes, qui probabiliter idoneitatem habeant, ad eligendam continentiam, virginitatem, religionem et omnem modum perfectionis evangelicae: tamen,

juvenes, et post istos admissurus sit et alios in hoc praeparatos[1]. Ubi Coloniam in Quadragesima pervenerit, adducet secum laudabilem juvenem M. Adrianum Antuerpiensem, eumdemque non vulgarem Theologiae Bacchalaureum, sic satis divitem, et nobiscum sua sponte pauperem, nunc plane nostrum et nobiscum ipsius Christi condiscipulum, quo suaviter frui poterit D. Cornelius in Domino Coloniae non sine magno suorum studiorum profectu[2]. Praeter Petrum Kannegiezer[3] qui mecum abit Lovanium, habeo et alios non modo Lovanii, sed et Coloniae quos per Dei gratiam ausim certo nobis polliceri, praecipue vero nepotem amicissimae nobis Dominae Margarethae[4], nepotem inquam ex unico suo fratre, convictorem nunc M. Andreae[5] hospitis mei. Is nepos a Natali Christi coepit sibi totus displicere, ita ut anteactae solitaeque vitae pertaesus, deinde lacrymabundus incesserit[a], et varia secum reputarit de certo vitae genere amplectendo dum animus illi propendet modo ad Carthusiensem ordinem, modo ad Societatem nostram, adeo tamen fortiter, ut nec parentum nec opum ratione se sinat quicquam abduci. Propter quae potuit non difficulter ad exercitia perduci, quae duobus jam diebus non sine magno fructu coepit tractare. Propter communem nobis

[a] intercesserit *apogr.*

in talibus exercitiis spiritualibus, convenientius est, et multo melius, quaerendo divinam voluntatem, ut ipse Creator ac Dominus animae suae (sibi) devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, eamque disponens ea via, qua melius poterit ei deinceps servire (vel, quae melius poterit ipsi convenire in posterum); ita ut qui tradit Exercitia, non divertat, nec se inclinet ad unam neque ad alteram partem; sed consistens in medio, ad instar bilancis, sinat Creatorem cum creatura, et creaturam cum suo Creatore ac Domino immediate operari." Ita versio litteralis a R. P. *Io. Roothaan* S. J. ex autographo hispanico facta, Exercitia spiritualia S. P. *Ignatii de Loyola* (ed. 5., Romae 1854) p. 12. Nec tamen negari potest ipsos, qui ab Deo ad vitam religiosam vocati sint, in sancta exercitiorum horum quiete multo facilius quam inter sollicitudines vitae consuetae hanc Dei vocationem posse cognoscere et, quae ei obstant, removere. Ac fortasse nonnumquam ipsa haec vocatio a Deo tamquam praemium quoddam ei tribuitur, qui pie ac fortiter sacra haec exercitia obiit.

[1] Anno 1545 Lovanii Societati additi esse feruntur: Nicolaus Goudanus (Floris), parochus Bergae ad Somam, Rumoldus Vishavaeus, Petrus Gillonius (Legillon), Adrianus Adriani (Adriaenssens), Antonius Vinck, Nicolaus Lanoius (Delanoy), Georgius Colibrant (*Delplace,* L'établissement etc. p. 2*).

[2] Adrianus Adriani, a S. Ignatio „angelus" vocatus, anno 1549—1558 Sociis lovaniensibus praefuit; calumnias et carceres perpessus, Lovanii 18. Octobris 1581 cum opinione sanctitatis obiit. De eius scriptis vide *Sommervogel* l. c. I, 57—59.

[3] Cf. supra p. 125.

[4] Margaretham Questenburch dicit, amitam Everardi Questenburch, qui Societati nomen dedit; de epistula, qua is B. Petrum Fabrum ea de re certiorem fecit, vide infra, monum. 21. Margaretham Questenburch Faber significare videtur, Colonia 10. Maii 1544 S. Francisco Xaverio scribens: „Otra señora asimismo hay, la cual mucho más nos ha obligado á que roguemos por ella, por las muchas obras que ha hecho en nuestra sustentacion corporal" (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 237 ad 238). [5] Herll.

Patrem ac Dominum Jesum velitis tam hujus quam aliorum ac nostrum omnium perpetuam habere memoriam in orationibus vestris.

Addam et de nova domo. Nam antea, saeviente contra nos publico paene tumultu, certum nobis erat emigrare non e domo tantum, sed etiam ex oppido. Fecissemus[a] id quidem, praesertim D. Claudio[1] nos jam Romam ablegante, nisi afflicta valetudo M. Lamberti[b] intercedens quosdam sibi custodes reservasset. Cogitare audeo, scribere non audeo, tantum beneficii huic ingratae patriae tum obtigisse divino quodam consilio. Interim quamlibet solicitis nobis, ingravescens morbus potuit carissimum fratrem, si non exstinguere, saltem eripere, ut grato funere ingratam terram cohonestaremus. Cumque jam Februarius impenderet ac domus[2] aliis conducta[c] foret, ne plane sine tecto maneremus, conduxi domum priore commodiorem[3], siue structuram spectes, siue locum. Est enim quinque et pluribus cubiculis distincta, est horto insignita, est Bursae Montanae propinqua, est templo Praedicatorum contermina[4], nisi quod aureis decem elocetur. Ego pretium numeravero, Carthusienses D. Cornelio sumptus pollicentur. D. Alvarus habet unde vivat, similiter Lusitanus quidam, Augustinus nomine, juvenis ad quidvis paratus, quocumque tandem a nobis mittatur. Si quid praeterea horum victui deerit, numquam committam ut a quoquam emendicasse videantur vel quamminimum. Fortassis et pro sua pietate succurret magnifica Portugallia, vel inclyta Hispania ut est omnis humanitatis magistra[5]. Poteram forte justius queri de sumptibus Lovanii necessariis; sed, juvante Domino, quod quorumdam negat tenuitas meae supplebunt facultates, maxime, si Lovanium commigraro. Quamquam Christi servos ab omni solicitudine decet alienos esse, ut paupertatem expetant potius quam fugiant. Faxit Dominus ut novae domus inhabitatio mentes nobis innovet ac studia, quae fratribus inhabitantibus majori quam antehac quiete transigantur.

Omitto scribere infinita de Domino Cornelio qui tanto nunc admirabilior videri potest quanto daemonibus ipsis terribilem se magis

[a] Fecissent *apogr.*
[b] Nicolai *apogr.; sed Lambertus de Castro aegrotavit; cf. supra p. 111. 112.*
[c] *Sic legendum esse videtur; apogr.:* condicta.

[1] Le Iay.
[2] Domum significat, in qua Socii antea communiter habitaverant, „auf der Burgmauer"; cf. supra p. 103[3].
[3] Gerardi Hammontani, prioris Carthusiae, aliorumque amicorum industria ac precibus effectum est, ut id per optimates civitatis iam liceret. Neque tamen (ut verbis Reiffenbergii vel potius Henrici Simonis utamur) „coenobiticum continuo adoptaverunt una habitandi agendique morem, sed academicum potius atque aliis quoque rei litterariae studiosis communem" (*Reiffenberg* l. c. p. 24).
[4] Vide supra p. 136[5].
[5] S. Ignatius Romae, B. Petrus Faber in Hispania identidem corrogavit, quae Coloniensibus ad domesticos usus submitteret, atque Iaius, cum comitiis vormatiensibus interesset, ab Alexandro cardinali Farnesio stipem iis impetravit. Nec Bobadilla iis defuit (*Reiffenberg* l. c. p. 24).

ostendit. Brevi daemones octo propulsavit, et eos daemones qui Sacerdotum aliorum exorcismis non moverentur. Stupenda profecto, si quis videat coram: alioqui, nisi interfuissem et ego, citius contemnerem quam crederem. Sed ex illius literis quas mitto rectius intelliges[1]. Heri fuit apud nos Reverendus Pater ac Dominus M. Nicolaus de Bobadilla[2] cui consilia nostra de studiis ac habitatione tam Coloniensi quam Lovaniensi perplacuerunt[3]. Sed vix ullum dabatur otium de singulis pertractandi, eo quod hac festinanter transiret ad Caesarem Bruxellas comitatus Reverendissimum D. Hieronymum Varallum [*sic*] Nuntium Apostolicum hactenus apud Ferdinandum nunc vero apud Caesarem qui acturus est potissimum de celebrando Concilio Dominica ipsa Laetare[4]. Is Reverendissimus D. Nuntius plus quam paterno affectu nos hic excepit, convenit, admonuit, confirmavit, omnem suam operam pollicitus sive quid Romae, sive apud Caesarem vellemus expeditum iri. Ad haec diligenter nos commendavit Domino Praeposito Hoituijltero[5], commendaturus nos etiam huic Senatui quamprimum una cum Caesare huc redierit, iturus ad Comitia[6]. Caesar enim podagra detentus hucusque nihil promovet. Ac in eo reditu D. Bobadilla nobis magnam de se spem fecit, ita, ut nobiscum aliquandiu velit hic permanere. Interim se curaturum dixit apud D. Cornelium[7] Lovanii quidquid ad Coloniensis et Lovaniensis domus dispositionem pertineret. At scribit ad nos Reverendus Pater Dominus Claudius Vormatia se nuper ad nos misisse literas Romanas, quae certum quiddam de nobis statuant[8]. Nos eas literas dolemus interceptas, libenter sequuturi quidquid a nobis postulassent. Verum cuncta referimus ad Reverendum D. Bobadilla qui nostrorum quoque

[1] De his vide „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 266[7].

[2] P. Nicolaus de Bobadilla iussu Pauli III. per septem annos (1542—1548) cum nuntiis Morono, Verallo, Sfondrato in Germania fuit, ut ipse scriptum reliquit (*Boero,* Bobadiglia p. 196).

[3] Cum Canisius „initio mensis Februarii" haec scripserit (vide infra p. 143), *Hansen* haud recte asserit, Bobadillam primum Coloniam advenisse 11. Martii 1545 (l. c. p. 199[1]).

[4] Pace inter Carolum V. imperatorem et Franciscum I., Galliae regem, 18. Septembris 1544 Crespii composita Paulus III. 19. Novembris eiusdem anni concilium oecumenicum, eo usque suspensum, iterum incipiendum esse edixit 15. Martii 1545, quae dies tunc futura erat dominica „Laetare".

[5] Iodocus Hoitfilter (Hoetfilter), iuris canonici doctor, praepositus erat lubecensis et ecclesiae S. Mariae ad gradus, quae Moguntiae est, canonicus hildesiensis et mindensis, consiliarius Alberti, electoris moguntini (anno 1540), „familiaris" Alexandri cardinalis Farnesii, canonicus ecclesiae metropolitanae coloniensis (anno 1547): a Morono „antiquo curial di Roma" dictus et valde laudatus est; mortuus est Romae anno 1551 (*Fr. Dittrich*, Gasparo Contarini [Braunsberg 1885] p. 554. *W. Schwarz,* Römische Beiträge zu Joh. Groppers Leben und Wirken, in „Historisches Jahrbuch der Görres-Gesellschaft VII [München 1886], 395—407).

[6] Vormatiensia. [7] P. Cornelium Vishavaeum.

[8] P. Claudius Iaius ab Ottone, cardinali augustano, iussus erat Dilinga Vormatiam venire (*Boero,* Iaio p. 74).

studiorum impensas pollicitus est. Pater D. Alvarus ad vos properare voluisset nisi D. Bobadilla dissuasisset prorsus. Probat autem meam ad Lovanienses commigrationem. Haec initio mensis Februarii scribebam: postea nihil addere volui quum nulla mihi jam spes esset reliqua quod isthuc pervenirent literae meae, quas Dominus Alvarus, nescio qua de causa, detinet quo ad suas etiam adjungat. Tarditatem ejus in scribendo (ut verum fatear) indignissime tuli, nonnumquam ut plorans[a], eo quod mihi nimis crudele videretur paterna tua erga nos viscera tot modis cruciare, quum tot mensibus desideratissimam filiorum salutem ignorares, nostraeque negligentiae culpa esset ut ne tantillum isthuc mitteremus. Sed ne sim nimius, reliqua puto nunc tandem perscripta esse a Reverendo Domino Alvaro, sive quod ad Comitem Montensem spectat (qui nos omnes in Geldriam evocans cupit studiorum et vitae sumptus illic liberaliter impartiri, cui proinde literis meis gratias egi) siue quod ad meas conciones facit. Nam per D. seniorem Hardenraet qui paratum cubiculum obtulit aliquando Paternitati Tuae solicitatus sum ad suscipiendum[b] concionandi munus quod ob[c] concionatoris defectum aliquot jam annis non administrabatur[1]. Permovit me P. Prioris[2] voluntas ut hac in re conatum meum non denegaverim. Ita factum est ut ex fratrum quoque consilio sabbathinis et Dominicis diebus in Capitolio Germanus apud Germanos sermociner. Benedictus Dominus qui majorem dedit successum quam credi facile possit. Auditorium obtigit celebrius forte quam velis, aut ego cupiam. De Senatoribus, Doctoribus, Sacerdotibus, praeter promiscuam hominum multitudinem, dici multa possent. Omnes in magnam spem eriguntur fore putantes ut incredibilis hinc sequatur fructus. Ego maxime Momos[3] desidero dum audio mea omnia omnibus placere. Tam sunt benevoli et candidi auditores. Interim nescio quis accesserit favor plurimorum qui dolent ac permoleste ferunt hinc me discessurum. Tota Facultas Theologorum proprias dedit literas ad Reverendum D. Bobadilla Bruxellae agentem, ut is me annis aliquot hic relinquendum curet atque ad promotionem Theologicam exhortetur[4]. Dominus Praepositus Hoitfilter eadem de causa scripsit

---

[a] *Sic; sed legendum videtur* et plorans *vel* ut plorarem.
[b] suscipiendi *apogr.* [c] ad *apogr.*

---

[1] Ecclesia „Beatae Mariae Virginis in Capitolio" (tunc collegialis, nunc parochialis) ex antiquissimis est et pulcherrimis templis coloniensibus. Huius pars est sacellum S. Salvatoris, in quo magnifice exornato Ioannes Hardenraet civis coloniensis eiusque uxor circiter annum 1466 missam cantandam laudesque vespertinas Beatae Virginis cotidie faciendas instituerunt, ideoque sacellum illud etiam „Hardenraits capell" vocabatur. Idem Hardenraet apud eandem ecclesiam habitationem pro cantoribus aedificavit et dotavit (*Chronica Koelhoffensis* [1499] denuo edita a *H. Cardauns*, Die Chroniken der niederrheinischen Städte: Cöln II [Leipzig 1876], 392—393. *Buch Weinsberg* II, 202. [2] Gerardi Hammontani.
[3] Reprehensores. [4] Has litteras vide infra, monum. 11.

Reverendissimo Domino Nuntio Apostolico. Scribit et Dominus Gropperus[1]. et P. Prior, et M. Andreas, et M. N. Prior Praedicatorum[2]; qui omnes Domino Tilano Bruxellae haerenti[3] solicite commendarunt Kanisium ut ne hinc ablegaretur. Omitto quibus apud me solicitationibus usi sint. Ego qui palam reclamare tantis viris non debui, hoc unum respondi praecipue magis consultum iri meis studiis in Academia florentiori quam haec[4] sit, nihil tamen apud me discriminis esse, sive superiores me Coloniae detineri velint, sive alio putent ablegandum eum qui totus ex ipsorum pendet auctoritate et sententia. Sic igitur haeret animus in dubio, dum hi sibi rapere contendunt, superiores vero paulo post alio me destinaturi sunt ut ex literis Domini Bobadilla intelligo. Benedictus Deus qui nostra consilia pro sua voluntate et, ut spero, gloria commutat. Nam et Dominus Cornelius ita totus esse debet circa obsessos qui quotidie multiplicantur ut Reverendus D. Bobadilla non audeat illum Lovaniensibus ereptum dare Coloniensibus[5]. Sunt modo quatuor Lovanii qui sese Societati nostrae devoverunt. De quibus et nobis qui hic sumus una exspectatur sententia e Roma. Sed satis esse nobis debet ubicumque demum vivamus si Christo Domino et ex voluntate superiorum vivamus. Everardus Dominae Margarethae nepos (de quo supra dixi) suas literas Paternitati tuae transmittit[6]. Mirum dictu quanta perpetiatur hic bonus juvenis tam apud M. Andream quam in aedibus paternis. Ludibriorum nullum habet finem, quae gaudens praeterit. Nunc singulis Dominicis nobiscum communicat. Pater et apud M. Andream et apud filium diserte cavit ut mihi nunquam loqueretur filius et hesterno die graviter cum hoc expostulavit quod nonnumquam ad meum cubiculum veniat, prohibet etiam mihi seriosissime [*sic*] ne ullum cum filio colloquium misceam; alioqui se curaturum minatur ut hinc a Magistratu ejiciar. Sed admonebo hominem per P. Priorem[7] se falso suspicari quod ad Societatem nostram illius filium pertrahere contendam, nihil mihi magis in votis esse dicam quam quod ipse sibi suoque filio quam optime prospiciat caveatque ne sero doleat spiritum Dei per se in filio exstinctum iri. Confido tamen (ut est juvenis invicti animi) per hanc tribulationem filium nihilo deterius habiturum.

---

[1] Joannes Gropper. [2] Tilmannus Smeling.

[3] Ad causam religionis contra Hermannum Wedanum defendendam mense Decembri a. 1544 „missus fuit" ad Carolum V. caesarem „cum litteris credentialibus venerabilis et egregius Magister noster Iohannes Stempelius Tilanus ordinis Praedicatorum" (Annales universitatis coloniensis apud *Bianco* I, 429).

[4] Annis 1529—1543 singulis albo academiae inscribebantur 36—99 homines. Anno 1546 professores conquerebantur, „dass die studia an dieser loeblichen Universitaet durch Mangel und Gebrech guter Professoren schier verfallen sind, besonders in facultate theologica" (*Ennen* l. c. IV, 667—668).

[5] Cf. supra p. 139.

[6] De hac Everardi Questenburch epistula vide infra, monum. 21.

[7] Gerardum Hammontanum.

Nunc tuam Paternitatem oro et moneo, Reverende Pater, ut meam in scribendo ineptitudinem boni consulas, dein pro Kanisio precari Deum numquam cesses; ad haec mihi meisque in Christo fratribus tuam benedictionem impartias, postremo nos omnes Reverendis in Christo Patribus et fratribus qui sunt isthic solicite commendatos habeas in Christo Domino Nostro. Cuius gratia Paternitatem Tuam prosperet ac servet.

Amici omnes plurimum salutant Paternitatem Vestram.

Coloniae 1545. 12 Martii

Reverendae Paternitatis Vestrae
Petrus Kanisius
Noviomagensis
servus omnium indignissimus et filius in Christo vilissimus.
ihesus.

Reverendo Domino in Christo Patri et Domino meo Magistro Petro Fabro Theologo eximio de Societate nominis Iesu
in
Spaniam [?][a].

Faber ad hanc epistulam (et ad eas, quae supra nn. 13. et 16. positae sunt) respondit Vallisoleto 9. Iulii 1545.

21.

CANISIUS
FRIDERICO NAUSEAE,

episcopo viennensi [1].

Colonia 18. Maji 1545.

Ex libro: „Epistolarum miscellanearum ad Fridericum Nauseam Blancicampianum, Episcopum Viennensem, etc. singularium personarum, libri X" (Basileae 1550) [2] p. 373—375. Edidit hunc librum, nomine suo tacito, Iacobus Taurellus (Oechslin) [3],

---

[a] *Spaniā apogr.; fortasse legendum germanice:* Spanien.

---

[1] De doctissimo viro Friderico Grau (1480—1552), vulgo Nausea, waischenfeldensi, qui tum orationibus sacris in ecclesia cathedrali moguntina et in aula Ferdinandi I. regis habitis, tum vero maxime scriptis plurimis ecclesiam insigniter adiuvit, vide *Ios. Metzner*, Friedrich Nausea (Regensburg 1884) et „Zur Nausea-Biographie" in „Geschichtsblätter für die mittelrheinischen Bisthümer" (2. Jahrg., 1885) p. 189—193.

[2] Iterum hoc opus editum esse Basileae anno 1553 asserit *Christ. Moufang*, Die Mainzer Katechismen (Mainz 1877) p. 15.

[3] *Metzner*, Nausea p. 7 [3]. *Taurellus* in praefatione operis asserit se ante aliquot annos ex „myriadibus" epistularum ad Nauseam datarum hasce (fere 700) elegisse et typis descripsisse, quod ab illustribus viris scriptae atque imprimis utiles pulchraeque visae essent. Inter quas sunt epistulae Pauli III., Ferdinandi I. regis Romanorum, cardinalium Gasparis Contarini, Ioannis Moroni, Marcelli Cervini, doctoris Ioannis Eckii, Ioannis Cochlaei etc.

„Selestadinus, Alsacius“, qui anno 1551 „comes palatinus apostolicus“, notarius, Nauseae secretarius erat [1].

Canisius a Bobadilla et Hasenbergio de Nauseae virtute edoctus inter eius clientes recipi cupit, precibus et praeceptis iuvandus. Illustres recenset patronos, quos iam nactus sit. Societatem Iesu commendat. Si quid novi Coloniae acciderit, id Nauseae referet. Nova ibi spes religionis conservandae orta; clerus fortissimus. Novi libri a Groppero et Billichio contra novatores edendi. Canisius evangelium interpretatur et concionatur.

PETRVS KANISIVS NOVIOMAGVS REVERENDISSI-*mo in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Nauseae Episcopo Viennen. etc. S. P. D.* [2]

Gratia Domini nostri Iesu Christi, et pax, quae exuperat omnem sensum, custodiat te [3]. Equidem scio parum ciuile uideri, quod homo peregrinus, obscurus, et ignotus ego, tantum Episcopum compellare instituerim. Est quidem apud me et aequi et honesti ratio, sed forte non tam anxia, ut amplifs. Praesulem, sed eundem humanissimum uirum, interpellare, semper alicui uicio uertendum putem. Iamdudum nosti fide dignos illos homines, ac perinde amicos tuos, meos uero dominos iugiter obseruandos, D. Nicolaum de Bobadilla, Reuerendifsimi Domini nuncij Apostolici plane colendum illum Theologum [4]: simul et D. Ioannem Hasenbergium, qui diuino munere datus est maximorum in Germania principum (siquidem de iuuenibus agatur) dexterrimus institutor [5]. Ab hisce tam praeclaris uiris tua uirtus multis hic mihi nominibus commendata fuit, per se alioqui nulli non probata: ut nihil iam dubitarem, quin si quid posthac uti nominis tui studiosifs. istuc mittere curarem, gratiose admitteres, fauorabiliter exciperes, et quoties filiorum clientulorumque tuorum album introspiceres, me uel in postremis haberes, amaresque. Non meriti, sed clementiae fuit officium, quod me non repulit R. D. Card. idemque Augustanus episcopus [6]. Non me repulit, quem dixi, dignifs. ille nuncius Verallus [7], non Poggius [8]: non repulit etiam doc-

---

[1] *Mich. Denis,* Wiens Buchdruckergeschicht bis M.D.LX (Wien 1782) p. 471.

[2] Tota haec epistula „humanismum“ illius temporis sapit, sive genus scribendi et elocutionem spectes sive studium illud, quo proceres ac litterati laudantur eorumque amicitiae et patrocinia quaeruntur. [3] Phil. 4, 7.

[4] Cum Hieronymo Verallo Nuntio is tunc erat Bruxellis apud Carolum V. Octo supersunt epistulae, a Bobadilla ad Nauseam scriptae, in „Epistolis ad Nauseam“ p. 369. 370. 372. 381. 394—397. 409.

[5] Magister is erat Lipsiae circiter annum 1528. Lutheri nuptias versibus carpsit et Catharinam de Bora gravi scripto monuit; cui aspere responsum est a Luthero. Postea praepositus lithomericensis constitutus est ac praeceptor liberorum Ferdinandi regis fuit (*Christ. Gottl. Ioecher,* Gelehrten-Lexicon II [Leipzig 1750], col. 1395. *Epistolae ad Nauseam* 172. 360. 376). [6] Otto Truchsess de Waldburg.

[7] Hieronymus Verallus (Verallo) nuntius ordinarius fuit apud Ferdinandum I. a mense Iunio anni 1541 usque ad Ianuarium anni 1545, et apud Carolum V. a mense Februario anni 1545 usque ad Septembrem anni 1547 (*A. Pieper,* Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen [Freiburg i. Br. 1894] p. 209. 213.

[8] Ioannes Poggius, episcopus tropaeensis, a mense Septembri anni 1541

tiſsimus D. Cochlaeus, et integerrimus D. Hezius[1]. Quos, ut mittam caeteros, ego singulatim omnes, reuereor tanquam Patres, audio ut Dominos, et sentio uti Mecoenates. Foelicior ero, si tantis uiris tantus Episcopus accedet, idemque Viennen. ac etiam Nausea, doctis iuxta et pijs ubique gratus: qui me bonorum omnium praesidijs egentem, in suam quoque tutelam et fidem beneuole recipiat. Non quod honores ullo ambitu appetam Viennae, qui summam gloriam in ferenda mihi cruce, licet opprobriosiſs. pro Christo collocaui. Non quod munera etiam tua uener, aut lucrum spectem: qui, Deo iuuante, sarcinas opum abijcere malui, quam ut hisce degrauatus, ad obeundam crucis Christi miliciam[a] segnior eſsem. ut enim Christo Domino, qui seruos petit alacres et expeditos, toto pectore militarem, et si quid in me uirium est, proximos ex profeſso lucrifacerem, in illud militiae genus me libenter transtuli, quod non sine fructu colit pater meus D. Bobadilla, et a Iesu nomen habet. iam innotuit in orbe noster conatus, iam in India nostrorum opera. Christi religio latiſsime propagatur[2]. Iam ita probatum tibi puto nostrum institutum, ut licet ardua, pia tamen: licet molesta, non tamen insalubria, meditari nos in uinea Christi, facile perspicias. Verum idcirco me bonorum praesidijs egentem appellaram, quod ueluti tenella in Christo plantula, ut foeliciter conualescam, multis multorum precib. et doctrinis firmari, fouerique opus habeam miser. Quare nec tu mihi praetereundus[b] eras, quo minus ueluti pro Christo stipem emendicaturus, tuae pietatis orationib. me totum (ut quam maxime cupio et obsecro) solicite commendarem. Feceris autem proculdubio rem ut a meis meritis alieniſsimam, ita profeſsione[c] clementiaque tua digniſsimam, si tuis aliquando me forte labantem scriptis[d] sustinere, cadentem subleuare, respirantem erigere, dubium confirmare, et ad pietatem omnem cohortari dignaberis. Non senior certe sum, sed iunior, annos natus uixdum XXIIII. Argue igitur cum omni imperio, qui reuera senior existis[3]. A r g u e, i n c r e p a, minare, et castiga. I n s t a o p p o r t u n e, i m p o r t u n e[4]: nimirum sequutus illius opt. max. parentis exemplum,

[a] maliciam *Taur.* [b] praetereundns *Taur.* [c] profeſsionem *Taur.* [d] serptis *Taur.*

usque ad Decembrem anni 1544 nuntius pontificis ordinarius apud caesarem fuerat (*Pieper* l. c. p. 209).

[1] Theodoricus van Heeze, prodecanus capituli leodiensis, vide supra p. 121.

[2] S. Franciscus Xaverius anno 1541 cum sociis in Indias orientales profectus erat. Quae illi primis illis annis ibidem egerint, narrant *Io. Petr. Maffeius* S. J., (Historiarum Indicarum libri XVI [Coloniae 1593] l. 12, p. 228—235), *Dan. Bartoli* S. J. (Dell' istoria della Compagnia di Giesù l' Asia P. I [ed. 3., Roma 1667] l. 1, p. 8—56), *I. Crétineau-Joly* (Histoire de la Compagnie de Jésus I [3. éd., Paris-Lyon 1851], 160—176), *Henry Iames Coleridge* S. J. (The life and letters of St. Francis Xavier I [New ed., London 1881], 114—177).

[3] Obversantur animo Canisii, quae scribit Paulus 1 Tim. 5. 1.

[4] 2 Tim. 4, 2.

qui quem diligit, castigat: flagellat autem omnem filium quem recepit[1], ut cum tentatione faciat prouentum[2]. Habes (quod uelim de me certo tibi pollicearis) habes inquam Kanisium non modo filium, sed seruum, sed clientulum, sed mancipium pro tua uoluntate. Si quid nouarum hic rerum emergeret, uoluit pater ac D. Bobadilla te facerem certiorem. eo fidentius haec mitto, quae Colonien. cleri tot modis afflicti causam explicant. neque ceſsant enim quidam omnem mouere lapidem, ut pro luce ueritatis caliginem haeresis nobis offundant. Sed omnem profecto laudem superat cleri fortitudo. Quas hic uias, et artes non tentauit, ut corruptos semel animos ad pietatem reuocaret? taceo laborum magnitudinem, et sumptuum non aestimandorum copiam[3]. Plurimorum iam animi desperauerant de continenda hic religione: sic saeuiebant, immiſsis undique lupis[4], ij quos nosti[5]. Nunc ubi Caesar pios hic omnes animatos uoluit[6], eaque omnia quae mitto annuens confirmauit, in optimam certe spem erecti sumus, fore ut diſsimulata nimirum impietas, et quorundam proteruia sic insolescens, cohibeatur tandem, retineatur autem pietas. Clariſs. uir D. Ioannes Gropperus, V. I. Doctor, quo fruor perquam familiariter, breui suam edet responsionem in Bucerum[7]. Prouincialis Carmelitarum, qui nundinis exactis[8] maximam de se fecit expectationem in eo opere, quo Philippos[9], Buceros, Oldendorpios[10]

---

[1] Hebr. 12, 6. [2] 1 Cor. 10, 13. [3] Cf. supra p. 101. 120. [4] Vide supra p. 110.

[5] Praeter Hermannum archiepiscopum etiam Philippus, Hassiae landgravius, et alii foederati smalcaldici per litteras ac legatos fidem Coloniensium aggrediebantur (*Varrentrapp* l. c. p. 157. 204—208). Connivebant iis etiam aliqui e capitulo metropolitano.

[6] Per litteras et legatos (cf. supra p. 120[3]) ac denique coram; nam 7.—9. Maii 1545 Coloniae commoratus est (*Ennen* l. c. IV, 487).

[7] Mense Decembri anno 1542 Martinus Bucerus ab Hermanno accersitus Bonnae in templo maiore contionari coepit. Obstitit capitulum coloniense et maxime Ioannes Gropperus, quem una cum Bernardo de Hagen, Hermanni cancellario, catholicorum caput („Leithammel") tunc fuisse ipse Bucerus testatur. Atque inter alia Gropperus hoc contra Bucerum coram Hermanno eiusque ordinibus proferebat, eum alia de religione docuisse anno 1540 in colloquio vormatiensi, alia anno 1541 in ratisbonensi, alia postea. Bucerus autem eum refellere conatus est, libro ad imperii principes scripto, cui titulus: „Wie leicht und füglich christliche Vergleichung der Religion bei uns Teutschen zu finden sein solt." Respondit Gropperus libro, quem inscripsit: „An die Roemsche Keyserliche Maiestaet vnsrn Allergnedigsten Herren. Warhafftige Antwort vnd Gegenberichtung. V. Johann Gröpper. . . . Vff Martini Buceri Frevenliche clage vnd angeben wider jm D. Gröpper, in eynem jüngst aussgangen Truck beschehenn. Im jar Jesu Xi 1545." In hoc opere ambiguum ingenium Buceri depingitur, quem „nebulonem" („Windbeutel") appellavit Gerardus Veltwyck, Caroli V. secretarius, et garrulum („Klappermaul") Lutherus (*Varrentrapp* l. c. p. 125—133. 143. 212. *Janssen* l. c. III, 541).

[8] Nundinas paschales dicit. Francofurtum ad Moenum tunc erat quasi forum, in quo libri venales exponebantur (*Friedr. Kapp*, Geschichte des Deutschen Buchhandels [Leipzig 1886] p. 454—458). [9] Melanchthonem.

[10] Ioannes Oldendorp († 1576), vir iuris valde peritus, Coloniae „lectionem in Jure a Senatu acceperat"; sed „quia factus Bucerista . . . privatus lectione sua a

refellit: modo secundam parat responsionis partem[1]. Ego, quia Mathaeum Euangelistam enarro[2], et qualis qualis Diaconus sum, perpetuo concionandi munus obeo, uix poſſum esse longior, nisi tamen omnem epistolae modum excefsi, tuumque animum aequo longius a curis Ecclesiae tuae auocaui. Vale in Christo, Reuerendifs. Pater, et hanc interpellandi scribendique meam libertatem, ni male consulis, nouum quaeso clientulum aſſume. Coloniae, apud S. Gerionem. XVIII die Maij, Anno salutis M.D.XLV.

22.

P. PAULUS ANTONIUS DE ACHILLIS S. J.[3]

CANISIO CETERISQUE SOCIIS COLONIENSIBUS.

Parisiis 29. Iunii 1545.

Ex autographo (2° min., 2½ pp.); cod. colon.: „Litt. epistt. var.“ ff. VII[7] et 7, inter quae 4 folia interserta sunt, in quibus altera est epistula.

Pro litteris Coloniensium gratias agit. Horum prudentiam et constantiam audat. Eos ad amandum Iesum excitat, qui ad colendam vineam suam omnes invitet, tanta promittens, tam bonus in se ipso. Monet, ut contra novatores (quorum impietatem depingit) fortiter agere pergant, divino freti auxilio. Sociis gratulatur, quod Petrum Fabrum pietatis magistrum habuerint.

Senatu, jussus exire civitatem“ (Annales universitatis coloniensis, *Bianco* I, 422), Marburgi ius civile professus est et Philippo, Hassiae landgravio, a consiliis fuit (*Varrentrapp* l. c. p. 160—162. *Janssen* l. c. III, 332—335. *Hartzheim*, Bibliotheca Coloniensis p. 190. *C. Krafft*, Briefe Melanthons etc. in „Theologische Arbeiten aus dem rheinischen wissenschaftlichen Prediger-Verein“ II [Elberfeld 1874], p. 67—69).

[1] Everardum Billick dicit. Anno 1543 is edidit: „Judicium deputatorum Universitatis et Cleri secundarii Coloniensis de doctrina et vocatione M. Buceri.“ Responderunt ei Bucerus („Die ander verteydigung und erklerung der Christlichen lehr“ etc.) et Oldendorpius („De scripto quodam cleri secundarii et leguleiorum Coloniensium plane detestabili adversus Evangelii doctrinam et ordines Imperii nuper edito“) atque imprimis Philippus Melanchthon in „Responsione ad scriptum quorundam delectorum a clero secundario Coloniae Agrippinae“ germanice etiam edita, cui Lutherus praefatus est. Contra hos ergo Billick edidit anno 1545 illum, quem Canisius hic exspectare videtur, librum; quem inscripsit: Judicii Universitatis et Cleri Coloniensis, adversus calumnias Philippi Melanchthonis, Martini Buceri, Oldendorpii et eorum asseclarum, defensio, cum diligenti explicatione materiarum controversarum“ (*Bianco* l. c. I, 366—367. *Varrentrapp* l. c. p. 165—171. *Ennen* l. c. IV, 435—436).

[2] In bursa montana; cf. supra p. 112.

[3] Paulus de Achillis sive Achilles, sacerdos parmensis, sub annum 1540, aetatis annum agens 25., Parmae, ubi tunc Beatus Petrus Faber iussu Pauli III. contionabatur confessionesque excipiebat, Societati Iesu se adiunxit. Parisios, deinde in Siciliam missus, collegii panormitani primum magister, dein, inde ab anno 1551 ad ultimos fere vitae suae annos rector fuit; mortuus est ibidem cum singulari sanctitatis fama anno 1586 (*Polancus* l. c. I, 82. 86. 156. 384; II, 236 etc. *Orlandinus* l. c. l. 2, n. 78; l. 4, n. 53 etc. *Franc. Sacchinus* S. J., Historiae Societatis Iesu pars quinta, tom. I [Romae 1661] l. 6, n. 17, p. 280).

Jesus et Maria.

In christo Jesu fratres perdilecti.

Gratia domini nostri Jesu christi nos in ipso vniat, foueat, et tandem cum ipso et per ipsum et in ipso regnare faciat. amen. Ni humanitati ac charitati uestrae fratres desideratissimi deesse (quod certe non mediocri uitio mihi esset ascribendum) viderer labia comprimere, quam vos a dei agricultura his qualiacunque sint verbulis auocare, maluissem. Verum eam de uobis fratres charissimi existimationem concepi, vt uos omnia pro vestro erga me amore aequi bonique consulturos facile mihi persuaserim, ad haec literae vestrae quibus nihil optatius jucundiusque obtingere mihi potuisset[1], animum ad scribendum (ut par erat) impulere, quae quidem quantum in domino delectarint, non est quod multis persuasionibus argumentisque ostendere coner, cum ad eos qui non applausum sed animi candorem atque sinceritatem (licet nihil tale in me comperiam) exoptent, sermonem habeam: caeterum cum non solum charitas ad nos ipsos se extendat, sed et potissimum ad proximum nobis uel naturali uinculo uel spirituali quod sincerius et purius hominum ligat voluntates coniunctum, illud beati Pauli in fructu vestro spirituali me oblectans, proferam, me inquam pro vobis omnibus domino nostro Jesu christo gratias agere[2], cum omnium vestrum ea sit probitas et in bono opere constantia, in omnibus denique actionibus [?] uestris tanta prudentia, ut ne dum germania solum verum et lusitania, Italia ac galia hunc uestri bonum odorem persenserit[3], dignetur dominus deus (ut credo) hunc odorem in omnium aromatum suauitatem odorari, Ne miremini queso fratres in christo Jesu dulcissimo jucundissimi si aliqua ut nos inuicem ad hunc amorosum Jesum excitemus, subiecero, quid enim ad dilectionem sui aliquem efficacius trahere potest, quam cum diligens omne bonum in dilecto conclusum esse certe sciat, cui si accesserit certitudo amoris huius erga illum profecto si sit rationis compos toto conatu ad illum inquirendum iste dilectus feretur, Sed de bonitate suauissimi Jesu quis dubitat? quis amorem illius erga se ignorat? et cum de ratione boni sit ut multis sese communicet consideremus quam excellenter sese nobis donauerit, quanta nobis promiserit, magna certe est eius policitatio omnibus eum diligentibus facta, dicit enim si quis diligit me, sermonem [meum] seruabit, et pater meus diliget eum, et ad eum ueniemus et mansionem apud eum faciemus[4], preterea perpendamus quantam de nostra salute solicitudinem ille prouidus pater familias habeat, qui tertia, sexta, nona et undecima hora per vicos, per plateas[5]

[1] Coloniensium litteras a Canisio scriptas fuisse ex eo conicere licet, quod Achilles hanc epistulam Canisio nominatim inscripsit.

[2] Rom. 1, 8. 1 Cor. 1, 4. Eph. 1, 16. Phil. 1, 3.

[3] Cf. 2 Cor. 2, 15.

[4] Io. 14, 23.

[5] Matth. 20, 1—10. Luc. 14, 21.

atque earum angulos si quos cultores inueniat, perambulat, eosque in vineam suam mittit quibus non praemium momentaneum aut leue sed denarium illum in se omnia bona comprehendentem proponit, faelices vereque felices illi coloni, ab omnibusque tales habendi, cum ex vnius diei labore summam et perpetuam quietem a tam liberali patre familias accipiant, o negociatores huius seculi, o qui diuitijs cito citiusque quam credi possit perituris inhiatis, huc huc properate, manum operi admouete, palmiti tenello paxillum apponite (quod facietis si infirmis in fide bono uitae uestrae exemplo et doctrina robur atque fidei nostrae christianae non verbo solum sed facto argumentum prebebitis), sarmenta illa uetera fructus vbertatem praepedientia falce verbi diuini succidite, Quis mihi dabit ut talium agricolarum socius uel seruulus effici[a] possim? sed horum maiorem faelicitatem attendite, quod certe et mirabile et consideratione dignum est, quis vnquam uel ex scripturis annalibusque antiquorum uel a maioribus nostris tanquam per manus traditum accepit tale insigne liberalitatis opus quale istud est, ubi ipse dominus vniuersorum et nos operarios conducit et nobiscum operando se ipsum in premium donat, o mira liberalitas magnificentiaque, quis igitur huius conductoris operarius brachia sibi ob laborem defatigari conqueretur? Cum haec fratres in visceribus Jesu christi[1] paulo altius sum meditatus (quod uellem frequentius et fecisse et facere) illos sanctos patres desino mirari, qui tanta alacritate, tamque animo feruido hanc vineam ingressi sunt, ut potius uitae iacturam subire, quam opus tam preclarum, tantumque lucrum afferens, faeliciter inceptum deserere, maluerint: quid ni? cum hanc uitam mortalem in perpetuam eamque beatam commutare sperarent, illudque quod eximio illi patriarchae[2] et omnibus fidelibus in eo intellectis promissum consecuturos indubie crederent [*sic*], Ero inquit dominus deus merces tua magna nimis[3], licet non primo premium intenderent, sed domino deo omnium bonorum authori ac creatori sese omnino deuouerint, quis enim abyssum illam bonitatis ac sapientiae et . . . .[b] exacte perpendens toto pectore in illius amorem ferri non deberet? ad uos tandem o fratres charissimi deuenio, quis vos in talem familiam pro singulari dei optimi erga uos gratia ascriptos non amet, veneretur, simul et beet? et ob id maxime cum panem ociosi non comedatis[4], sed strenui operam in munere suscepto nauatis [*sic*], et ut inquit apostolus per bona opera ut uocationem vestram certam faciatis satagitis[5] contenditisque, qua in re vobis pluri-

[a] efficere *autogr. Variorum, quae in hac epistula sunt, mendorum scriptor ipse excusationem affert in fine epistulae.*
[b] *Hic unum vel duo vocabula tam obscure scripta sunt, ut legi non possint.*

[1] Phil. 1, 8. [2] Abraham. [3] Gen. 15, 1.
[4] Prov. 31, 27. [5] 2 Petr. 1, 10.

mum gratulor, et mihi gaudeo, et deo optimo a quo omne bonum descendit[1] gratias quas possum ago, eumque rogo ut qui tam augustum initium operi uestro christianissimo non minus his nostris temporibus deploratissimis necessario, quam laudabili dederit, finem faelicissimum (vt pro sua clementia facere solet) eidem largiri dignetur, fortitudinem animi uestri atque constantiam contra insultus hominum speciem quidem pietatis preseferentium, eam tamen factis negantium[2] adaugeat, In ijs certe illud adimpletum esse videtur, In nouissimis (de huiusmodi hominibus loquens apostolus praedixit) diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes[3] quod certe hi faciunt cum omnino a nostris ueteribus sanctissimisque patribus per quos Ecclesia Christi maximum robur suscepit dissideant et quod iniquius est et maxime dolendum eos quos summo honore prosequi debuissent innumeris contumelijs afficiunt, Ingrati, crucis inimici[4], voluptatum amatores[5], qui iugum sponse christi ab eo ualde dilecte in suis libidinibus paveant[6], atque [?] abijcientes, in captiuitatem diabolicam se se dediderint [*sic*], quorum uicem doleo, caeterum hoc malo, quod tamen maximum est, non contenti, sed crimen crimini addentes, in eam sponsam Ecclesiamque romanam ore illo impurissimo tot blasphema [*sic*] iaculant[7] quo fit ut dum Christum patrem habere [gloriantur] in hoc Judeos gloriabundos imitantes[8], in eius indignationem incurrant, quis enim sponso placere potest si sponsam praedilectam tanto odio prosequatur, sed ignorant quod benignitas dei ad paenitentiam eos expectat[9], atque inuitat, in quorum confusionem nemini dubium esse debet psalmographum de ijs prophetasse dum haec spiritu sancto afflatus enunciat, Dixit deus peccatori quare enaras [*sic*] Justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum[10], Enimuero fratres, non sic nos non sic, nam impij tanquam puluis quem proijcit uentus a facie terrae[11] dispergentur, sed cum beato apostolo psalamus [*sic*] nos autem gloriari oportet in cruce domini nostri Jesu Christi[12],

[1] Cf. Iac. 1, 17. [2] 2 Tim. 3, 5. [3] 2 Tim. 3, 1—2.

[4] Phil. 3, 18. [5] 2 Tim. 3, 4.

[6] Udalricus Zwingli e. g. morum suorum turpitudinem ac praesertim fornicationes ipse confessus est (cf. *Janssen* l. c. III, 89—90).

[7] Lutherus papam dicebat esse antichristum, et ecclesiam in captivitate babylonica versari. Ipso illo anno 1545 librum edidit „Wider das Bapstum zu Rom vom Teuffel gestifft"; in quo principes ad papam et cardinales trucidandos hortabatur; eos neque Deum esse credere neque alteram vitam („Dr. *Martin Luther's* reformations-historische deutsche Schriften", ed. *Joh. Konr. Irmischer* III [Erlangen 1830], 126—127. 155).

[8] Iudaei gloriabantur se Abraham patrem habere (Matth. 3, 9. Luc. 3, 8. Io. 8, 33—53). [9] Rom. 2, 4. [10] Ps. 49, 16. [11] Ps. 1, 4.

[12] Gal. 6, 14.

Exeamus extra castra improperium illius portantes[1], Exuamus hunc hominem veterem contumacem, eumque cruci quantum fragilitas nostra patitur affigamus[2], si pondus vires nostras superare uidetur, oculos ad montem domini leuemus[3], dicebat Heliseus plures pro nobis sunt quam contra nos[4], Dominus jussit Moisi ut Josue confortaret, quia se in ducem ei dare policebatur[5], si igitur dominus deus populum in terram promissionis ingredientem tanta custodia protexit, an nos sui sanguine vnigeniti redemptos in illam requiem ingredi[6] desiderantes in medio cursu deseret? absit a corde christiano tam impia cogitatio, non est deus noster sicut homo, non est hodie minus quam heri potens, cum nullum heri illi sit, sed semper hodie, o immensa et ineffabilis bonitas, o, homo, vnde, et quo, quis sis, et quis esse possis diligenter examina, sed ne me praeceptorem vobis praebere videar, cum certe neque aptus discipulus existam, iam iam huic nostrae extremam manum imponere liceat, si vnum tamen prius adiecero, me inquam plurimum gaudere vos talem patrem et in via domini ducem non qualencunque [*sic*] sed in quouis genere certaminis peritissimum Reuerendum patrem vestrum atque meum dominum petrum fabrum mihi multis nominibus semper suspiciendum, nactos fuisse, sed cordi meo magnus dolor est quod dum cum illo sex aut octo menses vixerim[7] quantum potuerim proficere ignorauerim, neque animum ad id quod vitam meam reformare poterat unquam intenderim, et ita factum est ut in perpetuis tenebris versatus fuerim, a quibus tamen diuino auxilio fretus et illius simul et vestris praecibus adiutus resurgere spero, faxit deus pro sua erga nos misericordia ut professioni nostrae opera respondeant. et nauiculam nostram aura spiritus sancti impulsam ad stationem fidam perducere queamus quod nos si modo illud vehemens desiderium de quo salutis nostrae author[8] loquitur nimirum beati qui esuriunt et sitiunt justitiam[9] habuerimus facile dei gratia interueniente impetraturos spero, Charissimo et multa pietate praedito Domino francisco Caleae [?][a][10] nomine meo plurimam in domino salutem dare non grauabimini[b], in vestrisque orationibus mei et omnium nostrum ac uestrum fratrum memoriam seruare dignabimini, illud idem pro uobis prestare policentes, exaudire clementissimus deus nos dignetur, et nos omnes in viam semper[c] dirigere vellit [*sic*], Valete parisijs III Cal. Jul. M.D.XXXX.V.

Vester in christo frater minimus
Paulus Antonius de Achillis.

[a] *Vel* Calez. [b] grauabini *autogr.* [c] *Sic;* salutis ?

[1] Hebr. 13, 13. [2] Cf. Eph. 4, 22. Col. 3, 9. Rom. 6, 6. [3] Ps. 120, 1. [4] 4 Reg. 6, 16. [5] Cf. Num. 27, 18. Deut. 3, 21. 22 etc. [6] Hebr. 4, 11. [7] Parmae; vide supra p. 149[3]. [8] Hebr. 2, 10. [9] Matth. 5, 6.

[10] Magistrum Franciscum de Calza, Societatis novicium, significari puto; sed is (vide supra, p. 121) ineunte anno 1545 Colonia discesserat.

Libenter hanc transcripsissem sed nuncius me premebat ideo me excusatum habetote pro uestra singulari pietate, vel saltem negligentiae aut ignorantiae meae, si quid minus apte quam par fuisset scriptum (ut multa esse possunt) inueneritis, ascribatis non voluntati, que certe uobis in omnibus obsaequi prompta est sed hoc vnum me consolatur quod ad uos qui me diligitis scribam valete.

Charissimis in christo fratribus Domino Petro Kanisio caeteris studentibus Societatis nominis Jesu, Coloniae.

23.

BEATUS PETRUS FABER S. J.

ALVARO ALFONSO ET PETRO CANISIO S. J.

Vallisoleto[1] 9. Iulii 1545.

Ex „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 386—388. 263—267; in quas haec epistula transcripta est ex apographo ab amanuensi P. Oliverii Manarei facto, quod antea Romae in archivo Societatis asservabatur.

Pars („Legimus omnes" — „alibi bene habere") posita est a *Sacchino*, De vita Canisii p. 33—35, et ab *Henrico Simonis* in cod. colon. „Hist. coll. Col." f. 12^b^—13^a^; sed hic illa verba ex ipso Sacchino descripsisse et nonnihil mutasse videtur. Eadem fere posuerunt *Orlandinus, Reiffenberg, Riess* etc.

Ostendit, quam immerito Socii a Coloniensibus vetiti sint in eadem domo habitare. Pro suo in Colonienses amore eos Coloniae persistere vult, etiam cum studiorum suorum discrimine, nisi oboedientia aliud iusserit. Aegre fert P. Cornelium Visharaeum exorcistam agere. Multos amicos nominatim salutat.

Jhesus.

Charissimi in Christo fratres.

Gratia et pax Salvatoris nostri sit semper in cordibus vestris.

Aut nunc nihil omnino scribendum mihi est ad vos, aut paucissimis verbis agendum. Cursores propter novum Principissae Hispaniarum partum festinant[2], et ego extra propriam habitationem, id est, in aedibus Reverendissimi D. Nuncii Poggii aliud acturus, hac hora invitor ad scribendum; sed malo aliquid quam nihil scribere, ut saltem discatis me et D. Licenciatum Araoz cum quinque aliis instituti nostri iuvenibus bene habere et bene agere[3]. Litterae vestrae ad manus nostras tandem aliquando pervenere tam gratae illae quam desideratae. Accepimus primum fasciculum illum, qui ternas a Ma-

[1] Vallisoleti tunc aula Philippi, Hispaniarum principis (postea Philippi II. regis), et cum ea Ioannes Poggius, nuntius apostolicus, morabantur; cf. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 258.

[2] Maria, Philippi uxor, 8. Iulii 1545 Carolum filium pepererat.

[3] Faber et P. Antonius Araoz (de quo infra) paucis mensibus ante advenerant Vallisoletum, ex ea regni sede aditum Hispaniae Societati patefacturi (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 257—263. *Orlandinus* l. c. l. 5, n. 59—61).

gistro Petro latine scriptas[1], et binas a D. Alvaro hispanice compositas continebat. Inibi quoque fuit quaedam epistola carissimi in Christo amici et fratris Everhardi[2], et illa ipsa, quam Petrus olim noster, nunc vero jam non suus ad me scripsit[a][3]. Legimus omnes, et relegimus cum maximo animorum, nescio an dicam, moerore an gaudio. Quis enim non lugeat, quod vobis, qui unum estis, istic non licuerit in una domo habitare? quis non fleat quod vos soli judicemini indigni unum corpus dici posse, qui unam animam et unum cor[4] habere et habuisse[b] probati estis? Ridet et dolet spiritus meus, cum video vos tolerari separatos, non posse autem sustineri[c] unitos; quasi meliores sitis divisi quam in unum collecti. Lubens dicerem his qui vos conturbant: aut facite arborem bonam et fructus ejus bonos, aut facite eamdem malam et fructus ejus itidem malos[5]. Sed locus non est omni veritati, ubi non est locus unitati vestrae. Sit benedictus Deus, qui vos in unum habitare[6] facit etiam corpore sejunctos, cuique, ut bene speratis mecum, curae erit dispersiones Israëlis congregare[d][7]. In hoc ego gaudebo videre constantiam vestram, et gaudebo videns quod Magister Lambertus isthinc nulla ratione potuerit avelli sed sua morte retinuerit quotquot ex[e] vobis Coloniae erant necessarii[8]. Recte enim tenetis mentem meam in eo esse et fuisse, ut nullo modo relinquamus Coloniam, id quod optime coniectaverunt[f] Decanus[9] et facultas theologiae, Magistrum Petrum[g] in aliquot futuros annos retinendum curantes[10]; id autem faciunt, quia cernunt carneis oculis utilitatem inde proventuram. Utinam atque utinam ipsi quoque cernerent mentalibus oculis longe magis necessarium et magis utile quod plures ejusdem animi et spiritus, cujus est Magister Petrus[h], isthic concrescerent et in unum corpus coalescerent. Ego jampridem posthabui studia vestra utilitati multarum animarum, sciens multo melius proficere posse in aliis Uni-

---

[a] In fasciculo, quem misistis, fuit quoque epistola, quam Petrus olim noster, nunc vero iam non suus ad me scripsit *Sacch.* In fasciculo *[etc., sicut Sacch.]* Canisius olim meus, nunc vero nec suus ad me scripsit *Cod. colon.*

[b] *Sacch. et cod. col. om.* et habuisse.

[c] sustinere *Cart.; in versione:* os toleran separados y no os pueden sufrir unidos. [d] congregaret *Cart.* [e] in *Sacch. cod. col.*

[f] coniectarunt *Sacch. cod. col.* [g] Canisium *cod. col.* [h] Canisius *cod. col.*

---

[1] Epistulas dicit, quas Canisius Coloniae dederat 27. Augusti, 27. Septembris, 30. Decembris 1544; vide supra nn. 13. 16.

[2] Everardi Questenburch; cf. supra p. 140.

[3] Petrum Kannegiesser (non Petrum Canisium) significat, qui Societati nomen dederat, et illas Kannegiesseri litteras (Colonia 9. Ianuarii 15[45] datas) dicere videtur, quae editae sunt in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 422—424.

[4] Act. 4, 32. [5] Matth. 12, 33. [6] Ps. 132, 1.

[7] Ps. 146, 2. Faber, cum haec scriberet, nondum cognoverat Socios colonienses habitationem communem iterum incepisse; cf. supra p. 136. 141.

[8] Cf. supra p. 112. 121. [9] Ioannes Stempel O. Pr. [10] Vide supra p. 143.

versitatibus quam Coloniae unumquemque vestrum; sed illa fuit virtus nimii amoris mei erga Coloniam, ut vos periculis exponerem, et mallem isthic vos indoctos quam alibi doctissimos. Utinam vero hic zelus meus sit secundum prudentiam illius, qui filium suum Unigenitum dedit[1] in manus peccatorum. Dominus Alvarus novit hunc nimis fortem amorem meum, idque, ut ipse aliquando putare videtur, suo magno incommodo[2]; sed ut jam dixi, sic stat sententia animi mei, quod ut libentius[a] sum auditurus unumquemque vestrum (loquor maxime de Magistro Petro[b] et de D. Alvaro) mortuum esse, et cum Magistro Lamberto sepultum, quam alibi bene habere. Hoc dixerim, nisi obedientia aliud suaderet nedum praeciperet: haec enim omni sacrificio melior est[3]. Maxime ego gavisus sum audiens corpus Magistri Lamberti in monasterio Patrum nostrorum et fratrum Carthusiensium reconditum esse; spero quod mercedem suam non sint perdituri in resurrectione in novissimo die[4].

Exercitium illud Magistri Cornelii, quod est in expellendis daemonibus ab obsessis, mihi nullo modo probatur, sed velim ipsum scire multam in ea re deceptionem reperiri. Ejiciat daemones de animabus, quod est officium sacerdotum, et dimittat exorcistis suum implere officium. An non semel expertus est Magister Cornelius daemonum illusiones? Sane expertus est, et quidem non sine periculo suo[5].

Estote importuni Romanis ut frequenter ad vos scribant. Illud non placet quod sciam Magistrum Nicolaum et Magistrum [Claudium][c]

---

[a] *Sic Cart.; Sacch. et cod. col.:* quod libentius. [b] Magistro Canisio *cod. col.*

[c] *In apographo, quod editori operis „Cartas" praesto fuit, post alterum „Magistrum" nomen proprium positum non est. Si quis hanc epistulam cum epistulis*

---

[1] Io. 3, 16.

[2] Hic nimio desiderio Hispaniae et Lusitaniae tenebatur et paulo post, suo arbitratu, eo rediit.

[3] Cf. 1 Reg. 15, 22. Eccles. 4, 17. S. Ignatius in praeclara illa epistula „de oboedientia": „Dice la Escriptura: ‚Quod melior est obedientia quam victimae'" (Cartas de *San Ignacio* III, 190). [4] Io. 11, 24.

[5] De P. Cornelio Vishavaeo P. Oliverius Manareus 15. Martii 1604 P. Nicolao Lancicio scripsit: „Hic autem valde facilis erat ad credendum similibus, quia totus bonus et simplex erat." Attamen „vere vir optimus fuit et per eum Deus multa operatus est" (*Manarei* commentarius, praefatio editoris p. V). Cum anno 1570 Canisius ipse ad exorcismum quendam peragendum paene coactus esset, secretarius Societatis Roma 18. Martii 1570 ei scripsit: „Tale occupatione . . . non è propria del nostro instituto, et potrebbe impedirne altre molto migliori et più utili al ben commune." Ex* commentario eiusdem temporis, in cod. „German. Gallia 1569—1572" f. 75[a]. Canisius autem Augusta Vindelicorum 8. Aprilis 1570 S. Francisco Borgiae, praeposito generali, scripsit: „Illud magnopere probo, ut nostri ad hoc munus uix unquam a Prouinciali admittantur, sicut P. T. optare mihi uidetur, atque ut admissi ab omni daemonum caueant illusione." Ex* apographo saeculi XVII., quod est in cod. monac. „Lat. 1606" f. 149[a]—150[b]. Cf. etiam *Riess* l. c. p. 389—391.

cum illis Reverendissimis Dominis nullam vestri curam habere [1]. Haud plura.

Iesus Christus sit semper vobiscum. Spero me scripturum brevi de rebus nostris et responsurum sigillatim [*sic*] ad litteras omnium vestrum. Salutate Dominos meos et amicos Patrem Priorem [2] cum toto conventu et D. Daniele, R. D. Licentiatum [3], hospitem et refugium nostrum singularissimum, Reverendissimum D. Lodesien. [a] [4], Reverendos Magistros nostros, Patrem Tylanum [5] et Patrem Priorem Dominicanorum [6], Reverendum P. Provincialem Carmelitarum [7], R. Dominum Suffraganeum [8], et R. D. Rectorem, protectorem nostrum semper memorandum [9], cum reliquis, quorum nomina sunt in libro vitae [10]. Haud plura.

Datum Vallisoleti 9 Julii anno 1545.

Vester in Christo frater et conservus.
Petrus Faber.

Secundus fasciculus literarum pervenit ad nos sub festum Visitationis Beatae Mariae [11].

† Charissimis in Christo fratribus, D. Alvaro Lusitano [12] et Magistro Petro Canisio, apud Carthusienses, aut apud D. Licentiatum Andream Barndhet [b], prope S. Gereonem.

Ad hanc epistulam Canisius respondere videtur litteris, quas Colonia 22. Decembris 1545 Fabro inscripsit.

canisianis nn. 13. 16. contulerit, Patres Nicolaum Bobadillam et Claudium Iaium significari dixerit.

[a] *Sic apogr.; sed Faber* Londen. *vel* Londiens. *scripsisse videtur; certum enim est archiepiscopum lundensem ab eo significari.*

[b] *Sic apogr.; eundem Manareus (l. c. p. 5)* Barnedhet, *Orlandinus (l. c. l. 5, n. 36)* Barndhet *vocat; quod librarii potius quam Fabri vitio factum esse videtur; archetypa enim epistula, quam is 28. Novembris 1543 ad Socios colonienses dedit, inscripta est Alvaro et Canisio* „in domo domini licenciati Andreae Barduich“; *cf. supra p. 101.*

[1] P. Nicolaus Bobadilla sub id tempus cum Wolfgango de Salm, episcopo passaviensi, et cum Hieronymo Verallo, nuntio apostolico, fuit; P. Claudius Iaius Ottonem de Truchsess, episcopum augustanum, adiuvabat. Uterque postea sociis coloniensibus subvenit; cf. supra p. 141 [5].

[2] Priorem Carthusiae. [3] Andream Herll de Bardwick.

[4] Georgium de Skodborg. [5] Ioannem Stempel O. Pr.

[6] Tilmannum Smeling. Hi duo „Magistri nostri“ vocantur, quia in universitate ordinarios theologiae professores agebant. [7] Everardum Billick.

[8] Ioannem Nopelium; qui Coloniae Fabrum de rebus sacris dicentem nonnumquam audierat (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 235—236).

[9] Hermannum Blanckfort; cf. supra p. 105 [9]. Sed is in eo munere successorem acceperat, antequam Faber haec scriberet. Cf. *Bianco* l. c. I, 833. [10] Phil. 4, 3.

[11] Sub diem 2. Iulii. In eo fasciculo erant litterae Canisii initio Februarii et 12. Martii datae (vide supra n. 20), P. Alvari Alfonsi, et illae quoque (ut videntur), quae ab Everardo Questenburch 4. Februarii 1545 ad Fabrum datae et in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 424—426 typis descriptae sunt.

[12] *Hansen* (l. c. p. 180) minus recte hunc dicit Hispanum.

24.

CANISIUS
BEATO PETRO FABRO S. J.

Colonia 12. Augusti 1545.

Ex apographo, circiter annum 1870 confecto ex autographo, quod est in „Varia Historia" etc. (cf. supra p. 102) tom. I, f. 81—82.

Pars edita est a *Boero*, Iaio p. 225—226, et duae particulae in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 301[3]. 305[8].

Canisius Vormatiam tempore comitiorum advectus Patrum Bobadillae et Iaii commercio fruebatur. Quorum indolem virtutesque depingit. Quantum Carolo V. et Ferdinando I. Iaii contiones placuerint, quantique hic a cardinali augustano aestimetur. De Canisio Tridentum mittendo deliberatum. Novatorum contumacia; bellum necessarium. An Canisius Parisios transferendus? Ipse, baccalarius „biblicus" factus, „legit" et disputat. Paratus est se totum saluti Coloniensium devovere. Iuvenis quidam Lutheri discipulus Societati se adiunxit. P. Alvarus Colonia discessit. Nobilis femina monasterium ingressa. Bobadilla iuvenes colligere statuit pro Germania reformanda. Canisius Coloniae ad caesarem missus, ut auxilium contra Hermannum Wedanum imploraret.

ihesus

Reverende pater in CHRISTO dilectissime.

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit semper cum Dominatione Vestra.

Quid nobiscum hic actum sit in adventum usque Caesaris et Reverendi Patris Domini Nicolai Bobadilla pridem ex literis meis in Majo scriptis intelligere potuisti[1]. Nunc agam de profectione mea[2] confecta, quam tum, ut nosti, conficiendam praemonueram, ubi primum ab eodem Patre Vormatiam accersirer [*sic*][3]. Accersitus igitur veni serius quam ut Reverendissimum Cardinalem Farnesium Pontificis nepotem videre potuerim: jam enim exposita suae Legationis causa discesserat[4].

[1] Hae perisse videntur.

[2] *Riess* et *Boero* itineris huius vormatiensis non faciunt mentionem in biographiis suis canisianis.

[3] Vormatiae tunc comitia imperii habebantur et de controversiis religionis componendis agebatur. De illis comitiis v.: *Lud. Pastor*, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen während der Regierung Karls V. (Freiburg i. Br. 1879) p. 297—300. *Janssen* l. c. III, 561—566. *F. B. von Bucholtz*, Geschichte der Regierung Ferdinand des Ersten V (Wien 1834), 40—68.

[4] Alexandro Farnesio de bello turcico et de concilio oecumenico cum Carolo V. agendum erat. In itinerario Caroli ab eius secretario Vandenesse conscripto legitur eum nocte 20. Maii profectum esse (*Will. Bradford*, Correspondence of the emperor Charles V. and his ambassadors etc. [London 1850] p. 552). Sed *A. v. Druffel* litteras edidit a Farnesio Vormatia scriptas 22. Maii; idem affirmat Farnesium Vormatia abisse nocte quae erat inter 27. et 28. Maii (Kaiser Karl V. und die Römische Curie 1544—1546 [München 1877. 1881. 1883] Abth. 2, p. 23. 57—59. *P. Kannengiesser*, Der Reichstag zu Worms vom Jahre 1545 [Strassburg 1891] p. 55). Canisius igitur Vormatiam certe non advenit ante 28. Maii.

Benedictus autem Pater Deus cujus gratia multis diebus experiri licuit suavissimum convictum Reverendorum Patrum Domini Bobadillae et D. Claudii[1]. In priore singularis ingenii acrimonia, disserendi et judicandi vis, animi simplicitas, morum candor et grata cunctis affabilitas; in posteriore nec eadem defuere, nec admirabilis humilitas laude caruit, nec eloquentia desiderari, nec pietatis fructus, et exercitia latere potuerunt. Mihi certe maximam attulit voluptatem et conversatio et sermocinatio Domini Claudii semper pietatis et dulcedinis plena. Neque mihi solum, sed Ferdinando Regi, sed Caesari, sed praestantissimis quibusque viris adeo placuere D. Claudii conciones, quas diebus festis habet italice, ut nullum precandi faciant finem, quin idem quae dixerit in scripta redigat ac legenda tradat. Dum illic adessem, usus est mea in scribendo opera, ut hoc pro certo queam de illo pronuntiare[2]. Parum abfuit quin una cum ipso sim profectus ad Concilium Tridentinum; sic enim statuerat Reverendissimus Cardinalis Augustanus; verum idcirco mutavit sententiam, quod, cum Patris ac Praeceptoris loco habeat D. Claudium, ut ipse mihi testatus est, putaret hujus consilium judiciumque sibi necessarium fore si res cum Lutheranis esset. Hactenus nec Lutheranorum, nec Germanorum Principum ulli pene comitiis interesse curaverunt. Haeretici contempta Caesaris auctoritate concilium ferre modis omnibus recusant, et ne nihil agere videantur, in parandis armis et muniendis locis suis toti sunt, eo quod credibile sit aestate proxima Caesarem de illorum contemptu se vindicaturum, ut maximi quoque testantur viri. Proculdubio, si Germanorum licentia non tandem vi reprimatur[3], clementi Caesari omnis hic perit auctoritas. Ut de nostris rebus maxime dicam, utrique Patrum jam dictorum tam meam quam fratrum conditionem exposui[4]. Responderunt sibi plane consultum videri ut circa Octobrem Parisios abirem absoluturus mea studia, quorum primam praecipuamque rationem nunc habendam esse duxerunt. Fratres alios non facile hic relinquendos propterea putarunt, quod certi non adessent studiorum ac vitae sumptus, quando hactenus a me fuerint mensibus aliquot sustentandi. Scripserunt in hanc sententiam Reve-

---

[1] P. Nicolaum Bobadillam Verallus Nuntius Vormatiam secum adduxerat; P. Claudium Iaium Otto cardinalis et episcopus augustanus Dilinga accersiverat (*Boero,* Bobadiglia p. 34).

[2] P. Claudius Iaius ipse ad S. Ignatium rettulit de contionibus Vormatiae a se habitis, exercitiis spiritualibus traditis, confessionibus generalibus exceptis; litteras eius vide apud *Boero,* Iaio p. 76—80; cf. etiam *Polanci* Chronicon I, 154. Iaium tunc aegrotos diligenter curasse et exemplo vitae suae multos ad ecclesiam catholicam reduxisse a. 1575 palam testatus est etiam L. B. Seibert, minister calvinianus, apud *Janssen* l. c. IV, 384.

[3] Id reapse factum est anno 1546 et 1547 in bello „smalcaldico".

[4] Leonardus Kessel B. Petro Fabro Colonia 18. Ianuarii 1545: „Quomodo studia Coloniensium se habeant, puto P. v. bene scire. Vellem bene magis proficere; sed committo me totaliter P. v." (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 427).

rendo P. Praeposito[1], ut brevi, si quid ipsi visum esset, de nobis statueret. Interim ad Promotionem Bacchalaureatus me progredi jusserunt. Et quando amici nostri praecipui multis modis eodem me propellere hactenus non cessarunt, acquievi tandem, ut debui, sed gratissimum erit mihi modo Paternitas Tua hoc facinus comprobarit. Promotus autem rapior ad Lectionum officium, ita ut singulis hebdomadibus tribus diebus mihi docendum sit in scholis Theologorum[2]. Habeo igitur prae manibus vere auream illam Beati Pauli Epistolam ad Thimotheum[3]. Alii frequentiam auditorum admirantur. In dies accedunt plures, quum lectio sit publica. Conciones in Capitolio germanas hactenus numquam intermissi; lectionem in Matthaeo festis itidem diebus profiteor in Gymnasio[4]. Praeterea singulis hebdomadibus coram Magistris nostris[5] mihi disputandum[6] est. Facile judicatu est quantum negotii haec facessant Unius ingeniolo. Sed mihi dulce videtur pro proximis quamlibet asperam servire servitutem, praesertim si Reverendo Patri meo D. Fabro, qui Christum in me amat, gratificari quoquo modo possim. Haec praesens probares et in his me confirmares opinor. Nihil igitur mihi durum, vel nimium erit, si tuae voluntati respondens Colonienses juvero. Quantum his tu faveas, preceris, et prodesse per te tuosque cupias, me quidem non latet. Utinam ea mens esset Reverendo Patri Domino Alvaro, ut, memor quoque desideriorum tuorum, Coloniae totam vitam et quietem suam conservaret. Nunc nihil minus facturus nobis videtur. Quod si obedientia me non hinc abstrahat (dicam libere) uni sed Sanctae Coloniae tradam hoc corpusculum, hanc animulam, omne tempus, sacra studia, me totum denique vivendo, moriendo, docendo, vigilando servatum putabo Coloniensibus; quibus, si tu tantum boni precaris, ego multo majora debeo, majora, inquam, quam per multos etiam reddere juste possim. Reddam, vero, ni fallor, tum maxime, si commilitones aliquot et hujus nostrae Societatis discipulos congregare licebit. Bene-

---

[1] S. Ignatio.

[2] Canisius 26. Iunii 1545 „Baccalarius biblicus" factus est et 8. Iulii 1545 scholas biblicas incepit. Vide infra, monum. 12.

[3] Epistulam priorem significare videtur. Ita et ad comitem montensem scribit de „charitatis energia a D: Apostolo praescripta ad cor. 13" (supra p. 134); haec autem praescribitur in capite 13. prioris epistulae ad Corinthios datae.

[4] Montano.

[5] Id est (ni fallor) coram theologiae magistris „actu regentibus", sive qui „ordinarias lectiones" de rebus praecipuis vel necessariis („lectiones formales") habebant.

[6] „Ordinamus quod vacaciones magne estivales sint iuxta ritum Parisiensis Studii, a vigilia Apostolorum Petri et Pauli usque ad crastinum Exaltationis sancte Crucis inclusive. Item ordinamus quod in vacacionibus magnis fiant disputationes per Bacalarios ad modum quo Parisiis fiunt in Collegio de Sarbona; scilicet singulis sextis feriis de mane nisi festum impediat, et tunc fiant alia die ejusdem septimane convenientiori" (Statuta facultatis theologicae coloniensis, anno 1398 facta. *Bianco* l. c. I, Anl. p. 36—37).

dictus Dominus qui Notarium Spirensem annorum viginti nobis addidit, juvenem diu Lutheranum illum ac familiarem Lutheri discipulum, sed qui, peractis semel exercitiis, nemini non modo mirabilis videtur, et conversatione morum usque adeo spectabilis, ut gaudeam vehementer hunc juvenem ad nos accessisse[a]. Nec dubito quin magno cum fructu peractis[b] videlicet semel studiis in Societate nostra versabitur[1]. Ah, mi Pater, itane D. Alvarus clam a nobis discedere debuit?[2] et ardenter rogatus Antuerpiae ut redire vel paululum dignaretur, omnem nostri curam abjecisse videtur, rescribens prout ipsius literae conjunctae testabuntur. Sed, quia semper hic invitus mansisse videtur, nescio an illi discessus in Hispanias expediat; certe nobis non expedit[3]. Addam de Domina Domini Johannis vidua, scilicet, quae hospitam aliquando se fecit Paternitatis Tuae. Haec paulo post Pentecostem, mirantibus omnibus, et nullis scientibus [?], primum constantissime saeculum repudiavit, liberos deseruit, vitae mollitiem seposuit, et tuum sequuta consilium profiteri coepit institutum B. Birgittae[4] in eodem Monasterio ad quod se contulit D. Johannes Domini Danielis socius Moguntiae[5]. Dici non potest quot promoverit [?][c] exemplum hoc matronae nobilis et omnibus probatae. Vulgo ferunt me hujus rei auctorem esse; docti factum improbant, plebaei mirantur, pii commendant, mundani vituperant. Ego bis terve profectus ad monasterium, eam ipsam sedulo confirmavi, et, quia necesse erat,

---

[a] accersisse *apogr.* [b] pactis *apogr.*

[c] *Sic apogr.; sed propter ea, quae sequuntur, malim legere:* permoverit.

---

[1] De hoc *Everardus Questenburch* B. Petro Fabro Colonia 17. Augusti 1545 scribit: „Per tuos hic [est] conversus haereticus juvenis, isque Spirensis. Hic quoque fecit exercitia, et quantum sibi satis est, confecit etiam. Mirifica quidem haec fuit conversio illius ut ex fero mansuefactum esse dicas. Ipse se miratur; quomodo non ipsum nos admirari possemus. Recensuit ille de se quae quantaque commiserit flagitia haereticus adhuc, Luthero ipsi Buceroque familiarissimus; nunc nonnisi nitidas in eo conspicere est virtutes. Sub duce in bello militavit; belluinam (ut fere fit) ibi duxit vitam, diripuit Sanctorum reliquias, illas canibus pabulum porrigens, templa compilavit despoliavitque quae potuit omnia. Nunc autem Christi miles factus, quae hujus sunt militiae non oscitanter perficit, jam se acriter hostibus opponens ab illis vinci non potest, tametsi plurimos fallendi modos attentent, qui nihil apud illum hactenus profecerunt; hostium excussa sunt tela, ipse salvus nobis incolumisque permansit“ (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 428—429).

[2] Maioribus spatiis interiectis haec epistula a Canisio scripta esse videtur.

[3] Fabro Alvari „adventus, ut minus desideratus, ita et minus gratus fuit, quam ipsae litterae“, quas ei attulit, Gerardi, Carthusiae prioris. Ita Faber in epistula ad Gerardum data Matrito 12. Martii 1546, quae est apud *Reiffenberg*, Mant. p. 12—13, et in *Cartas* etc. I, 394—397.

[4] S. Brigitta, Ulphonis, sueci principis, vidua, ordinem „S. Salvatoris“, cuius regulam a Christo ipso accepisse fertur, ita instituit, ut in singulis monasteriis essent 60 moniales, 13 sacerdotes, 4 diaconi, 8 fratres laici. Viri habitationem habebant omnino seiunctam a mulieribus, quas ne in ecclesia quidem videbant.

[5] In „Foresto Beatae Mariae Virginis“, ut videtur. Cf. supra p. 125.

consolatus sum vehementer. Oremus pro re tam sacra, ut quod recte coeptum est exeat felicius quam hactenus factum est variis et gravibus tentationibus impedientibus. Hodie porro una cum Caesare et Reverendissimo Domino Nuntio[1] rediit huc e Comitiis Reverendus P. Nicolaus Bobadilla[2] qui licet hac de re non scripserit Romam, licet etiam invitus id ferat Reverendissimus Dominus Nuntius, hic hybernare statuit prorsus nobiscum. Colligere sperat juvenes pro reformanda Germania, licet ii non sint etiam nostrae Societatis[3]. Venatur impensas a Reverendissimo Moguntino[4] et Trevirensi[5] Archiepiscopis, et locum ipse sibi seu diversorium quaerit separatum, forte mansurus apud Carthusienses. Dominus illius consilia prosperet confirmetque. Paulo post aget literis suis ad vos datis. Totus in studiis versari videtur. Romani tardant respondere mihi Parisios ituro; sed nulla nunc mihi spes abitus relinquitur, quum intelligam transacto S. Petri festo[6] quatuor hominum millia simul obiisse[7], ut etiam nunc migrarint alio Studiosorum Collegia. Si manendum est, Domino sic disponente, commodum videtur ad manum habere tam Reverendum Patrem Bobadillam. Magister noster Tielanus nunc Provincialis est Ordinis Praedicatorum. Ante paucos dies Legatum me missit Universalis Clerus et Universitas ad Caesarem et Confessorem[8], ut de rebus fidei nostrae in hac diocesi facerem eos certiores[9]. Nihil omittit[a] Archiepiscopus noster quod ad Religionis exstinctionem conducit. Sed praesentia Caesaris nunc plurimum nostra confirmavit adversus Archiepiscopum[10], qui nunc et a Pontifice et a Caesare citatus est ad respondendum juridice ad propositam querelam Cleri et Universitatis hujus. Triginta Ducatos[11] non accepimus, et nescio si

[a] Nihil non omittit *apogr.*

[1] Hieronymo Verallo.

[2] Carolus V. nocte, quae erat inter 9. et 10. Augusti 1545, Coloniam advenisse ibique usque ad 16. Augusti mansisse fertur (*Ennen* l. c. IV, 502. *Chr. Fr. Stälin,* Aufenthaltsorte K. Karls V., in „Forschung. zur deutsch. Geschichte" V [Götting. 1865], 578).

[3] P. Claudius Iaius, Ignatio consilium suggerente, episcopis aliquot, ut augustano, persuaserat, ut seminaria clericorum instituerent (*Orlandinus* l. c. l. 5, n. 31. 32).

[4] Is erat Albertus cardinalis brandenburgensis.

[5] Is erat Ioannes Ludovicus de Hagen. [6] 29. Iunii.

[7] Ex morbo contagioso; nisi malueris dicere Canisium scribere voluisse: abiisse vano hostium timore; eiusmodi timor anno 1544 Parisienses vexarat; cf. *Orlandinum* l. c. l. 4, n. 119.

[8] Petrus de Soto O. Pr. tunc Carolo a sacris confessionibus erat. Quam bene Sotus res germanicas noverit, patet ex „Parecer del confesor sobre la empresa de Alemania"; quod ex archivo regio simancensi edidit *W. Maurenbrecher,* Karl V. und die deutschen Protestanten 1545—1555 (Düsseldorf 1865) p. 29*—33*.

[9] Legatio haec Canisii historicos adhuc usque latuit.

[10] Carolus V. iam 10. Augusti delectos ex senatu coloniensi graviter cohortatus est ad fidem catholicam servandam (*Ennen* l. c. IV, 502). Ideo puto etiam Canisium 10. Augusti Caesarem adiisse.

[11] Carolus V. anno 1551 legem nummariam tulit, qua etiam variorum „duca-

sumus accepturi. Etiamsi Reverendus Bobadilla de sumptibus desperaret, stat certa mihi sententia praestare ut hic maneamus illius freti praesidio qui dat omnibus affluenter[1]. Sed quia mirum in modum properare video tabellarium, non jam datur otium scriptis Reverendae Paternitatis Tuae respondendi. Dabitur autem paulo post, abeunte nimirum Reverendissimo Nuntio Antuerpiam. Ego nunquam in vita minus otiose vixi quam nunc, praesertim cum publicae lectiones omne mihi tempus eripiant. Quo magis ad vestrarum orationum praesidia confugio, et meas occupationes omnes vestra pietate adjuvari et promoveri supplex oro. Bene valeat Reverenda P. Tua, nosque filios amare et adjuvare pergat. Salutamus unice carissimos in Christro Fratres, quotquot vel tecum, vel Coimbriae, vel Salamanticae existunt.

Coloniae 12 Augusti 1545.

Salutant Paternitatem Tuam duo Provinciales, et Carmelitarum[2] et Praedicatorum[3], duo Priores, Praedicatorum[4] et Carthusiensium[5], duo Episcopi Londensis[6] et Suffraganeus[7], duo Licentiati, Magister [Andreas][a][8] et Regens Bursae Montanae[9], insuper Domina Margarita[10] cum duobus Dominis Alexandris cognatis ipsius, D. Daniel[11], D. Johannes ad Apostolos[12] qui nunc Ludimagistrum agit apud Confluentinos[13], item Laurentius Famulus, et Johannes ac Georgius socii[14], multo magis autem Everardus ille qui feliciter provehit bene coepta[15]. Rursus bene valeat Reverenda Paternitas Tua.

Reverendae Paternitatis Tuae

Servus et filius P. Kanisius filiorum infimus
idemque indignissimus.
ihesus.

Reverendo Domino et carissimo Patri Magistro Petro Fabro de Societate nominis Jesu, in curia Reverendissimi Domini Poggii Episcopi Tropeensis etc.

Faber Canisio rescripsit 10. Martii 1546.

---

[a] *Hoc vocabulum ex „Cartas del B. P. Pedro Fabro" I, 305*[8] *suppletum est; apogr.:* Magister et Regens Bursae Montanae.

---

torum" valor statuebatur; ducati duplices 190 ferme crucigeris (Kreuzer), simplices 98 fere crucigeris exaequabantur. Legem illam edidit *Io. Christ. Hirsch,* Des Teutschen Reichs Münz-Archiv. 1. Thl. (Nürnberg 1756) p. 344—365.

[1] Iac. 1, 5. [2] Everardus Billick. [3] Ioannes Stempel.

[4] Tilmannus Smeling. [5] Gerardus Kalckbrenner. [6] Georgius de Skodborg.

[7] Ioannes Nöpel. [8] Andreas Herll.

[9] Matthias Cremerius (Cremers) sive Aquensis, Aquisgrano ortus, canonicus ecclesiae S. Andreae; de quo *Bianco* l. c. I, 266—267. *Hartzheim,* Bibliotheca Coloniensis p. 241. 242. [10] Questenburch. [11] In Carthusia.

[12] Eius ecclesiae vicarius vel canonicus, aut, quod fortasse verisimilius, Ioannes ille Spengius prope illam habitans, de quo supra p. 99[1].

[13] Koblenz.

[14] Ioannes (Agricola?), Cochlaei nepos, et Georgius Eder; cf. supra p. 126.

[15] Everardus Questenburch.

25.

CANISIUS
BEATO PETRO FABRO S. J.

Colonia 22. Decembris 1545.

Ex apographo, circiter annum 1870 confecto ex autographo, quod est in „Varia Historia" etc. (ut supra p. 102) tom. I, f. 83—84.

Particula, italice versa, ponitur a *Boero*, Iaio p. 85—86, altera in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 305[9].

Canisius orationem quodlibeticam habuit. A Coloniensibus in Neerlandiam ad caesarem et nuntium apostolicum missus litteras impetravit attulitque, quibus damna ex comitiis bonnensibus religioni impendentia praecaverentur. Queritur caesarem in lite Coloniensium et Hermanni Wedani dirimenda tardare. In quantum fidei discrimen a Wedano Colonia et omnis regio Rheni inferioris inducantur. Quam audacter protestantes in religionem catholicam invehantur. De Canisii studiis theologicis et contionibus ac de Sociorum coloniensium inopia. Quid PP. Iaius et Bobadilla agant. De fratribus in pietate proficientibus, litterarum studiosis sacramenta frequentantibus, aliis exercitia spiritualia peracturis.

ihesus

Reverende Pater et eximie domine Faber.

Gratia Domini Nostri Iesu Christi et pax maneat nobiscum.

Quatuor fere menses hic degit modo Reverendus P. Bobadilla; interim vix ullas ex tuis literas accepimus[1], praesertim quae adventum Domini Alvari in Lusitaniam significarent. De rebus nostris abunde perscripsit isthuc semel atque iterum D. Bobadilla, quocum literas quoque meas scripsissem, nisi negotiorum magnitudo praepedisset. Nam, praeterquam quod oratio quodlibetica mihi habenda fuit coram Universitate, difficilem quoque profectionem subii seu legationem ad Caesarem nomine Cleri et Universitatis[2]. Convocarat noster Archiepiscopus ordines totius diocesis, ut subito cum his concluderet suasque vires confirmaret pro invehendo Lutheranismo. Pergit enim ille, proh dolor! nihil intermittere quod ad stabiliendam sectam pertinere videatur, jamque nobiles totius Patriae, necnon civitates, in tantam impietatem pertraxit[3]. Datum est tamen hoc mihi negotii, ut quam ocissime profectus ad Caesarem, literas impetrarem et a Caesare et a Legato Pontificis Verallo qui caverent edicerentque ne in hoc

---

[1] Faber 12. Martii 1546 priori Carthusiae coloniensis scripsit se „ad Magistrum Petrum Canisium plus quam quatuor epistolas" dedisse (*Reiffenberg* l. c. Mant. p. 12. *Cartas* etc. I, 395).

[2] Haec quoque Canisii legatio in eius vitis non legitur. Haud recte *Séguin* scribit Canisium ad caesarem missum esse „au nom de l'Electorat de Cologne" ac Vormatiae legationis suae causam ei exposuisse (l. c. p. 48—49).

[3] Electoratus coloniensis „status saeculares" („Graven, Ritterschaft, Stette und gemeyne Landschaft") iam in comitiis Coloniae et Bonnae mensibus Novembri et Decembri anni 1544 habitis cum Hermanno Wedano steterant.

futuro statuum conventu[1] quicquam ab Archiepiscopo statueretur, innovaretur et acceptaretur ante futura Comitia Ratisbonae[2]. Quamvis igitur brevissimum tempus ad rem tantam expediendam praeberetur, Domino tamen meos conatus prosperante, confeci, impetravi, attuli, quicquid Clerus desiderabat[3]. Edixit enim Imperator ut ne quidquam Archiepiscopus vel Ordines in eo Conventu congregrati definirent quod ad causam Religionis ac proinde Cleri enervandam spectaret[4]. Tum Legatus vehementer confortavit optimamque spem fecit foelicis eventus. Quod autem Caesar in causa adversus Archiepiscopum pro Clero tardet pronuntiare, supra modum angit cruciatque plurimos et in desperationem fere adducit, quasi non cordi sit Caesari tantum negotium quo nullum gravius ac infaelicius etiam toti Germaniae si non pessimis Archiepiscopi conatibus quamprimum Caesar occurrat. Hactenus, quum Lutherani conscriptum haberent militem ob ducem Brunsvicensem[5], habuit forte Caesar quod juste causaretur. Nunc quum infirmus apud Buscumducis haereat, rursus erit extrahendi sententiam occasio. Pergit interim, pergit Archiepiscopus quod male coepit, pejus propagare, ita ut, subversa Diocesi tota, nunc unam Coloniam oppugnandam evertendamque sibi proposuerit. Et hanc velut undique succensam et ab inimicis circumvallatam quis tueri queat? Praesertim in Clero et Universitate Senatuque multis hic Archiepiscopo faventibus et consentientibus. Unicum superest a Deo Opt. Max. exspectandum praesidium quod certius etiam promittunt tot Sanctissimorum Martyrum Virginumque corpora foelicem Coloniam illustrantia; sed non paulo plus hac in re profutura, si multorum accederet devotio, si preces piorum jungerentur et certatim Dei iram quisque

---

[1] Wedanus nova comitia 9. Decembris 1545 Bonnae inchoanda edixerat (*Varrentrapp* l. c. p. 261).

[2] Carolus V. 4. Augusti 1545 in „recessu" comitiorum vormatiensium constituerat, ut 6. Ianuarii 1546 Ratisbonae nova imperii comitia inciperentur ad causam religionis transigendam. *Gothein* falso asserit, Canisium illarum litterarum impetrandarum gratia ad comitia imperii vormatiensia missa esse (Ignatius p. 677); haec enim iam dudum absoluta erant.

[3] Carolus V. 18. Novembris — 1. Decembris Antverpiae moratus est. Kalendis Decembribus Verallus Antverpia legatis concilii tridentini scripsit: „Hoggi S. M. parte per la volta di Utrecht." Ac 4.—27. Decembris caesar Boscoduci ('s Hertogenbosch) fuit (*Stälin* l. c. *Druffel,* Kaiser Karl V. und die römische Curie. 3. Abth. [München 1883] p. 109). Canisius igitur Antverpiae apud caesarem et nuntium fuisse videtur; certe non licet dicere cum *Hansen* (l. c. p. 199), Canisium mense Decembri anni 1545 ad caesarem missum esse Vormatiam.

[4] Horum edictorum mentionem faciunt etiam *Varrentrapp* l. c. p. 263, et *Theod. Ios. Lacomblet,* Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins IV (Düsseldorf 1858), 690.

[5] Henricus ille dux anno 1542 contra ius et fas a confoederatis smalcaldicis dicione sua spoliatus, mense Septembri anni 1545 proprio marte eam recuperare conatus est. Quare illi summa vi eum denuo aggressi sunt et brevi devicerunt ceperuntque (*Janssen* l. c. III, 516—532. 583—584).

placare vellet. Id quod eo mihi scribitur non ut scientem ac prudentem admoneam, sed quo tuas potius tuorumque ac nostrum omnium in Christo Fratrum preces expetam pro salute Coloniensium; quos probabile est nunquam in majori discrimine quam nunc versatos fuisse. Parum est ex Pastore lupum, ex Episcopo Haeresiarcham, ex Principe communis Patriae hostem videre, Parum est impune spargi venena, legi ab omnibus haereticorum scripta, Lutheranorum ferri[a] consortia, audiri[b] colloquia, disimulari[c] nefandas blasphemias in Deum ipsum, in summam Virginem, in quosvis Sanctos, in adorandam Eucharistiam, in Sacramenta praecipua. De reliquis quia videntur inferiora volens taceo. Si parum est Deum contempsisse, parum sit Ecclesiam damnasse, profanasse, conculcasse, tot modis demum in omnibus Ecclesiae membris inhonorasse. Cum vero et horum exstent abominanda exempla Coloniae[1] ubi Lutheranismus nulla vi pene cohibetur, vides profecto quantopere juvandi simus ope aliorum vestrisque potissimum precibus Deo commendandi. Una Colonia subversa (quod equidem non speramus) exitium sequatur necesse est et Geldriae et Iuliae et Cliviae et Brabantiae et Hollandiae. Sed longe majora pericula certo certius subsequutura nihil attinet multis hic prosequi.

De me nihil statuit Reverendus P. Bobadilla, num alio praesertim Parisios abire debeam ad studia quae hic negliguntur absolvenda, an potius ad Coloniae messem curandam, ut mihi a Deo praeparata est, hic me manere conveniat. Utrumque mihi non potest non gratum videri quia majorum auctoritati cedo libens. Quamquam animo meo frequenter obverset [*sic*] tua sententia, mens et intentio quae Coloniensibus me servatum semper voluit. Quod si majores mihi suppeterent impensae ad domum familiamque sustentandam, uti suadet Dominus Bobadilla, certe plurimum aedificationis video subsequuturum. Tanta est et tam difficilis rerum omnium annona, quae et in dies augetur, ut quae ad domus nostrae sustentationem pertinent nesciam sane an corrogare possim nisi Deus alicunde sublevet hanc inopiam. Sed ista nec Reverendo D. Bobadilla nec Domino Leonardo[2] ausim exponere. Satis est Reverendam Paternitatem tuam admonuisse....... Quod ad triginta scutatos attinet toties promissos, non ignoras, opinor, nullum eorum huc pervenisse. Vereor ne D. Bobadilla citius hinc me curet ablegari quum intelliget de sumptibus non rectius nobis esse provisum. At vivit Dominus vere dives qui non deerit quaerentibus ipsum in veritate[3]. Consilium vero Paternitatis tuae lubens audiam et exspectabo. Scripsi nuper an expediret me progredi ad susceptionem sacerdotii, aetate id quidem potius quam animi qualitate sufferente[4].

[a] ferre *apogr.* [b] audire *apogr.* [c] disimulare *apogr.*

[1] Aliqua eiusmodi exempla narrantur ab *Ennen* l. c. IV, 493—496.
[2] Kessel. [3] Cf. Rom. 10, 12.
[4] Clemens V. „generalem ecclesiae observantiam“ confirmaverat, ex qua quis

Cum Reverendus P. Claudius acerbissime ferat conditionem suam apud Cardinalem Augustanum, sperat se facturum D. Bobadilla ut ille Coloniam veniens haereat nobiscum. Qua re nihil optatius esset, praesertim cum circa Februarium D. Bobadilla discessurus sit cum Reverendissimo Nuntio Ratisbonam ubi nunc inchoatum est Colloquium, praesentibus illic ex parte Catholicorum Doctore Malvenda, D. Julio Pflüg, Provinciale [*sic*] nostro Carmelitarum aliisque nonnullis [1]. Frater meus et tuus in Christo filius Petrus Cannegiezer Coloniensis non parum et in spiritu et literis promovet apud D. Cornelium [2] Lovanii. Everardus [3] qui nonnumquam ad Dominationem vestram scripsit, in dies augetur et ipse in Domino, junctis etiam sibi studiosis aliis qui frequenter confiteri simul et communicare adsuescunt. Magna nobis et Domino Bobadillae spes est fore ut brevi permultos hic habeamus nostro instituto faventes. Brevi Leodiensis quidam et insignis juvenis ad exercitia sponte accessit. Post Natalem Christi sequetur Hollandus sacerdos, et alius Magister promotus qui et Geldriensis. Quorum omnium profectum vestris orationibus adjuvare velitis. Et quando sacratissima celebritas instat Christi nascituri, paternam erga me caritatem tuam precor et humiliter obtestor, ut Christi parvuli virtutes nascendo simul et mihi impetrare digneris; humilitatem loquor, simplicitatem, paupertatem, obedientiam et innocentiam.

Oratio mea coram Universitate habita plurimos habuit commendatores, et, ut aiunt, fructum multiplicem. Conciones auditorium habent frequens. Sed nisi ipse mihi proficiam, ac tuis precibus etiam subinde confirmer parum est quo aliis prodesse queam. Similiter confratribus in Christo AEmiliano [4], Domino de Strada, et Domino Andreae [5] salutem meam singulariter velim commendatam. Salutant Dominationem Vestram Episcopi Londensis et Suffraganeus, Provincialis Praedicatorum, Prior Carthusiensis, qui seipso in dies fit melior, Magister Andreas hospes meus, Licentiatus Lunensis [6], Dominus Daniel, ac Dominus Johannes illius Dominae Capellanus quae Birgittae ordinem praeclare profiteri coepit [7], sed oborta tentatione cito desiit, conscientia nunc admodum remordente. Dominus Jesus Dominationem vestram custodiat ac servet.

Coloniae 22 Decembris 1545.

Reverendae Paternitatis Vestrae

Quem in Christo genuisti servus et filius

Petrus Kanisius tuus.

vigesimo quinto aetatis suae anno sacerdotio initiari poterat. Quae anno 1563 iterum approbata est a concilio tridentino.

[1] Secundum hoc religionis colloquium ratisbonense accurate descriptum est a *Lud. Pastor,* Reunionsbestrebungen p. 305—326. Cf. etiam, quae de eodem colloquio refert *Od. Raynaldus* in Annalibus ecclesiasticis, tom. XXI, P. 1 ad a. 1546, n. 88—93. [2] Vishavaeum. [3] Questenburch. [4] De Loyola. [5] Oviedo.

[6] Ioannes Volsius; cf. supra p. 126 [4]; de ceteris cf. supra p. 126. 162.

[7] Cf. supra p. 125. 161—162.

ihesus

Reverendo Domino Magistro Petro Fabro Theologo de Societate nominis Jesu

apud Reverendissimum Nuntium Apostolicum.

26.

BEATUS PETRUS FABER S. J.

CANISIO.

Madrito 10. Martii 1546.

Ex autographo (2°, 4 pp.). In suprema parte paginae primae manu antiqua scriptum est: „Manus P. Petri Fabri 1546. Madrito 10. Martij.“ Inscriptio deest; sed ex ipsis litteris intellegitur Fabrum per eas respondisse ad epistulam 12. Augusti 1545 a Canisio sibi missam; qui et quaedam sua manu in marginibus adnotavit.

Edita in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 299—308. 388—394.

De adventu P. Alvari Alfonsi et de molestiis, quas patiatur. Canisium eiusque socios in consilio Coloniae permanendi confirmat. De Lutherano converso gaudet. De Sociis Vallisoleti, Valentiae, Gandiae agentibus. De praeclaris contionibus aliisque laboribus Andreae Oviedi, Antonii Araozii, Aemiliani Loyolae, Fabri ipsius. Araozio auctore multos monasteria ingredi. Canisium Faber hortatur, ut paratus sit ire, quocumque praefecti iusserint. Ex litteris indicis S. Francisci Xaverii narrat de novis martyribus ac de plurimorum infidelium conversione. Canisium corpora quaedam sanctorum suo nomine Coloniae venerari iubet. Feminam nobilem, ordinem S. Birgittae ingressam et in decreto suo labantem, variis allatis rationibus stabilire conatur.

Ihesus.

Charissime in Christo frater.

Gratia dominj nostri Jesu christi et pax sit semper tecum. Litteras quas ad me dedisti in discessu domini Aluari recepi die ab hinc septimo et Idem dies ipsum dominum Aluarum nobis reddidit. Mirare igitur frater mi quo pacto fieri potuerit, eum cum tanta difficultate huc peruenisse, qui tam facile a vobis diuulsus est, ego sane non admodum torquebar desiderio aduentus eius vnde factum est me minus moleste tulisse impedimenta itinerum ipsius, quae iam pridem aliunde mihi nota fuere[1], nostri enim lusitanj significauerant nobis aduentum eius in portugalliam, misericordia domini magna cum ipso fuit semper. singulariter autem in hoc apparuit, quod variis spinis sepiuisse [*sic*] videtur viam eius, quia via eius esset[2], et quod dico de via verissime etiam dicj potest de quiete quam ipse praetendebat, leuior enim longe erat futura crux illa quam ipse fugit quam est illa quam ipse iam sentit, vt vere dicj possit: cecidit in scyllam cupiens vitare caripdim. Ipse

[1] Eum in itinere naufragia passum esse ex epistula Fabri Madrito 13. Ianuarii 1546 ad P. Ioannem Aragonium data satis certe conici potest (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 284).

[2] Ab ipso sibi electa; non via domini, quia via oboedientiae non erat.

agit nunc complutj cum aliis ex nostris scholaribus[1]. Inibj autem est curia filiarum caesaris, vnde primum auulsus fuerat vt me comitaretur in Germaniam[2]. Tu iam aliqua ex parte nostj quam nobis inimicentur nostri domesticj[3] si nobiscum conuersentur. hinc ergo crux nostro Aluaro quotidiana exoritur longe grauior omni cruciatu quem Coloniae sentire poterat. Alteras litteras tuas quas Kalendis septembribus ad me dedisti[4] nescio quis tamdiu detinuerit, aut quae causa sit quod hic martius eas sibi reseruavit nobis reddendas. forte factum est quia oportuerit me eas omnis [*sic*] recipere cum maiore indigerem consolatione id est hoc tempore cuiusdam infirmitatis meae corporalis que tribus ferme hepdomadibus durauit vt durum spiritum meum nonnihil decoqueret ac mollificaret ad salutem, nunc melius habeo et plane valeo[a] cum intelligam vos tam feliciter in domino valere, Doleo equidem tuum dolorem qui in te est propterea quod tam paucj Coloniae relictj sitis sed me abunde [consolatur] ista tua constantia qua sic te adstringis Coloniensibus propter solum Christum et animarum salutem Iuxta quod nostj refrigerare posse viscera mea, gratia dominj nostri Iesu Christj in omnibus tecum sit, et ipsa eiusdem presentia vt benedicaris tu cum caeteris fratribus qui istic tecum sunt et tecum idem sentiunt vt fructum afferatis in patientia[5] vtque edificemini in domos spirituales[6] ad gloriam totius sanctissimae trinitatis et omnium electorum dej. Ego scribo paucis ad Reuerendum patrem priorem respondens ad breuissimam ipsius ad me datam epistolam[7], nunquam possem scriptis explicare quam mihi sapiant cuncta que de germania audire possem modo ea non sint circa lapsus filiorum subtractionis[8] qui semper proficiunt in perdendo, hinc est factum vt maxime gauisus sim audiens et legens reuersionem illius quem spyrensem cognominatis[9], benedictus dominus et pater omnium spirituum, magna sane mutatio fuit transisse ex sensu lutheri ad sensum huius nostrae societatis. Id quod melius judicare aliquando poterit qui vtrumque horum extremorum gustauit et expertus est, det ej qui refecit eum, agnoscere gratiam hanc, misericordiam et clementiam. Multi hic legerunt litteras vestras qui mirum in modum edificatj sunt audientes huiusmodi opus dej omnipotentis. Vtinam per ipsum aliquando trahi possint quamplurimj qui in eadem perditione viuentes gloriantur se pugnare aduersus sanctos

[a] vale *autogr.*

[1] „Casibus conscientiae" discendis operam daturus erat. Cf. Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 294.

[2] P. Alfonsus huius aulae capellanus fuerat; cf. supra p. 98[2].

[3] „Inimici hominis domestici eius" (Matth. 10, 36).

[4] Hae perisse videntur. [5] Luc. 8, 15. [6] 1 Petr. 2, 5.

[7] Epistula haec, 12. Martii ad Gerardum Carthusiae priorem data, proponitur a *Reiffenberg*, Mant. p. 12—13, et in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 309—313. 394—397. [8] Hebr. 10, 39. [9] Cf. supra p. 161.

Ecclesiae Iesu Christj. Scribe ad Petrum Kanegesser[a] [1] epistolam eius ad manus meas peruenisse et fuisse gratissimam gustui meorum viscerum. Idem dixerim de ea quam ad me dedit Charissimus Euerardus[b] [2], Cuius constantiam plurimum probat (vt spero) omnium caelestium ciuium conuentus, det vtrique dominus in omni virtute perseuerantiam ac augmentum Christo Jesu crucifixo dignum. Epistola dominj Leonardj[3] non potuit non esse gratissima animae meae propter singularem dilectionem qua ipsum prosequor videns quam sit tuus in Christo. Ne queso defatigentur istj tres ad me frequentius scribere etiam si non viderint propria rescripta sibi a me darj, sat sit illis me quotidie ad ipsos scribere et rescribere in spiritu amicissimi hominis. Ecce iam defatigatus sum viribus corporis[4] et absoluj mensuram iustae epistolae. Cum tamen nihil de me et de his que circa nos sunt scripsi in quibus sunt multa que oportet vos scire. Hoc tamen non esset admodum necessarium siquidem ad vos peruenerint litterae quas de hisce rebus conscripsj et ad vos misj per manus Reuerendissimi D. nuncij berallj[5]. Inibi dicebam nos reliquisse valesoleti[6] tres ex nostris vt inibi dent operam litteris scholasticorum doctorum inter quos nominabam Magistrum Hermetem[7], quem nobis dedit louaniensis vniuersitas, et alios duos theologos complutenses[8]. Valentia habet sex et dux gandiae[9] quinque, ex valentinis vos neminem nostis, ex illis autem qui sunt Gandiae nostis duos, Magistrum Ambrosium[10] videlicet et Magistrum Andream[11] qui aliquando fuit hospes Reuerendi Andreae[12] postquam scilicet incidisset in latrones prope duren[c] [13]. hic perambulat vias et castella illius optimi ducis ita vt contingat quatuor conciones vno die ipsum habere ad diuersos populos. Magister Ambrosius acceptissimus est et videtur breui sciturus linguam hispanicam. Dominus Licentiatus Aaroz[14] qui vos per-

[a] *In margine manu Canisii ascriptum est:* Kanegiezer.
[b] *Canisius in margine:* Euerard.
[c] *Canisius in margine scripsit:* M. Andre.

[1] Is tunc in lovaniensi academia studiorum causa versabatur; v. supra p. 167.
[2] Questenburch; v. supra p. 125[3]. 161[1]. [3] Kessel.
[4] Beatus hic vir kalendis Augustis eiusdem anni Romae mortuus est.
[5] Hieronymum Verallum dicit; epistula haec periisse videtur.
[6] Valladolid. [7] Poën.
[8] P. Iacobus Mendez et P. Iacobus Gonzalez de Medinacoeli significari videntur. Cf. „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 282. [9] Sanctus Franciscus de Borgia.
[10] De Lyra; de quo supra p. 103[2]. 108. [11] Oviedum; de quo supra p. 113[2].
[12] Andreas Herll, canonicus coloniensis, significari videtur.
[13] Duren, Dura, Marcodurum, urbs ad Ruram sita, nunc Düren, in provincia rhenana regni borussici. Is anno 1543 a sociis lovaniensibus delectus erat ad litteras S. Ignatii Fabro afferendas, Coloniae degenti (*Orlandinus* l. c. l. 4, n. 36).
[14] P. Antonius Araoz, ex Vergara, Cantabriae oppido, ortus et S. Ignatio cognatione iunctus, primus Societatis in Hispania praepositus provincialis fuit (1547—1565). Qui Italiam, Lusitaniam, maxime autem Hispaniam apostolicis contionibus excoluit,

inde atque ego diligit nunc apud me agit, Ipse habet gratiam verbi ita vt possit etiam Aulicis hispaniensibus optime satisfacere, et alioqui duces erga contemptum mundanae gloriae permouere ad Christum, multj per ipsum relinquunt seculum et sic crescunt omnium ordinum filij: id quod mihi valde sapit in domino. In hoc enim cognoscitur Christj verus doctor et predicator quod ducat multos ad christum nudum, quod per ipsum Impleantnr monasteria, quod secularia comtempnantur [*sic*] ac relinquantur. Interim vero non minus docentur caeteri quo pacto viuere recte possint in minoribus vocationibus. Quid de me proprie dicam nescio, nisj quod indies in hominem inutilem fortius pergo: tantum abest vt melius militem meam militiam, aut melius cursum meum curram et tamen non omitto concionarj loco et tempore oportuno, neque audire confessiones, Trado quoque aliquam partem mei illis qui petunt exercitia qui multj sunt ita vt nunc habeamus tres in quibus est quidam pastor vir magnae expectationis, siquidem ipse possit (prout iam cepit intelligere ac probare) eligere meliora ac sequi. Vniversitas complutensis optima et multa vasa nobis pollicetur[1]. Emilianus quem abunde nostis nondum perfecte restitutus est ei sanitati quam habebat Louanij et Coloniae et tamen cepit praedicare in patria cum maxima omnium edificatione. Ipse habet locum in quem conueniunt tria milia hominum quos habet attentissimos. Mirum dictu quantum cupiat scire quecumque ego scio de vobis et quam sit deuotus Coloniensibus[a][2]. Benedictus deus qui dat hinc [?] ex omnibus partibus nostrae societatis multos vobis coadiutores quo fit vt iam non sim solus qui videatur totus vester esse in domino. Quod de abitu ex Colonia nihil cogites et nihil sis sollicitus in te ipso mihi sicut sentis perplacet. sat tibi est quod sis paratus obtemperare si obedientia aliquis [*sic*] volet alio vocare, in eam interim transmitte omnem propriam voluntatem ac propriam rationem. illi[b] quos te contempto sequi debes, de hoc cogitent, de hoc sint sollicitj. fierj poterit vt breuj habeas socios aut etiam filios in quos deo dante transfundere[c] possis tuum sensum quique tuas gerere possint vices tanquam alteri tuj aut Coloniensibus vtiliores, hoc cum fuerit nos liberiores erimus vt consequamur ea que nunc bonum est nolle etsi optima sunt. Nolo longius progredj non quod timeam videri prolixus (sicut nec vos in

[a] *Canisius in margine:* Emilianus. [b] illis *autogr.* [c] transfondere *autogr.*

et apud Philippum II. aliosque proceres magna gratia floruit; vivere desiit Madriti 13. Ianuarii 1573.

[1] Dominus de Paulo: „Vas electionis", inquit, „est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus" etc. (Act. 9, 15). Cf. etiam Rom. 9, 23. 2 Tim. 2, 20. 21.

[2] Aemilianus de Loyola, S. Ignatii nepos, „dicendi vsu in optimorum concionatorum numerum iam peruenerat. sed . . nimijs contentionibus arteriam fregit, et sanguinem excreauit, vt Araozij iussu cessandum denique ei fuerit, nec multo post [anno 1547] in flore aetatis . . . excessit e vita" (*Orlandinus* l. c. l. 6, n. 80; cf. *Polancum* l. c. I, 188. 248.

vestris ad me prolixj esse potestis) sed quia tempus non datur plura dicendj, hoc tantum addo: Nos misimus ad vos litteras indicas[a], quas anno superiore recepimus a Magistro francisco. vtinam ad vos peruenerint vt consolemini solida consolatione videntes mirabilia que operatur Christus in illis populis. Gaudet magister franciscus quod suo tempore sexcentj homines in illis partibus nouiter baptizatj martyrium receperint qui est perfectissimorum baptismus[1]. Gaudeamus et nos propter hoc in domino nostro Jesu Christo. Gaudet Magister franciscus quod vno mense contigerit et datum sit ej baptizare decem milia hominum. Gaudeamus et nos super tam copiosa messe. Gaudet Magister franciscus in ea spe quam ostendit in illis suis litteris dicens. spero in domino quod hoc anno sim baptizaturus plusquam centum milia hominum[2]. Nolo plura commemorare confidens in domino quod ad vos peruenerunt ipsae eiusdem litterae quas latinas fecit quidam ex coinbricensibus nostris, facile est credere eum fuisse Magistrum Ioannem insulanum qui est de louaniensibus solus relictus conimbricae[3], Maximilianus[4] enim complutj studet et hermes[b] (vt

[a] *Canisius in margine:* Indicae.

[b] *Subter vocabula* Maximilianus *usque ad* hermes *linea eaque, ut videtur, a Canisio ipso ducta est.*

[1] Similia a Fabro Madrito 10. Novembris 1545 P. Simoni Rodericio S. J. scripta erant: „En oyendo hablar de los seiscientos mártires no sé lo que siente mi ánima en Jesucristo“ etc. (*Cartas* I, 280).

[2] S. Franciscus Xaverius 27. Ianuarii 1545 Cocino Romam ad socios epistulam misit, in qua haec leguntur: „In hoc Trauancoridis regno, vbi versor (vt aliquid de rebus Indicis scribam, quarum vos auidissimos esse certe scio) plurimos Deus ad Christi Filij sui adduxit Fidem. Mensis quippe vnius spatio amplius decem hominum millia Christiana feci. . . . Manaria insula hinc abest millia passuum circiter CV. eius incolae certos ad me homines ablegarunt rogatum, vt quoniam vellent fieri Christiani, ad eos baptizandos proficisci ne grauarer. Ego cum grauissimis negotiis, maximeque ad rem Christianam pertinentibus distinerer, ire ipse non potui. Itaque certum exoraui Sacerdotem, vt iret meo loco quam primum ad illos Baptismo expiandos. Iamque is plurimos baptizauerat, cum Rex Iafanapataniae, in cuius ditione insula est, complures Neophytos, quod Christiani facti essent, crudelissime necauit. Gratulandum est Christo Domino, qui ne nostra quidem tempestate, sinit desiderari martyres. Et quoniam diuina benignitate atque indulgentia tam paucos vti videt ad salutem, pro sua singulari prouidentia permittit, vt per humanam crudelitatem impleantur destinatae sedes, ac numerus beatorum. . . . Equidem spero pro huius regionis praeparatione, et quasi segete, me hoc anno ad centum Christianorum millia esse facturum“ (S. P. *Francisci Xaverii* e Soc. Iesu Epistolarum Libri IV. Ex Hispano in Latinum conuersi ab *Horatio Tursellino.* Ed. noviss. [Antverpiae 1657] p. 91—101. Cf.: S. Francisci Xaverii Epistolarum omnium libri quatuor. Opera R. M. *[Rochi Menchacae]* Vol. I [Bononiae 1795], p. 187—193. Die Briefe des heiligen Franz von Xavier, übersetzt und erklärt von *Joseph Burg,* I [Köln 1836], 218—223. Lettres de saint François-Xavier, traduites par *Léon Pagès,* I [Paris 1855], 172—177; et saepius).

[3] Ioannes Covillonius (Couvillon, Covillon), Insulis (Lille) circiter annum 1520 natus (*Orlandinus* l. c. l. 4, n. 82. *Delplace* l. c. p. 2*).

[4] Maximilianus Capella, insulensis et ipse (*Orlandinus* l. c. *Delplace* l. c.).

iam dixi) Valesoletj[a]. paruus autem Cornelius[1] Vlisbonae agit breui ad uos (si magister Symon[2] audierit me) huc uenturus vt plus ocij habeat posthac ad studendum. Non satis mirarj possum quod tam raras a te recipiamus litteras (presertim cum habeas viam tam facilem ad Reuerendum D. Nuncium berallum). Vide vt singulis mensibus aliquid ad nos scribas[b]. Salutem pete nobis per Jntercessionem magorum[3], Vndecim milium virginum[4], sanctj Gereonis et sociorum eius[5] sanctorumque machabeorum[6] ad hoc ipsum singulorum templa meo nomine visitando. Dominos Istos Episcopos, Dominos prouinciales, Dominos priores, dominos licenciatos quos nominatim sepius legistj in meis literis[7] resalutato diligenter. Jtem dominam Margaretam[8], vtrumque Alexandrum et ceteros quos tu facilius intelligis quam ego scribere valeam. Domina Magistri Joannis (quam lubentius brigittanam appellassem) mihi commendatissima est et semper fuit ex quo a vobis recessj[9], doleo autem ipsam vsque adeo sollicitari ad retrocessionem, faxit deus vt non praeualeant qui animae ipsius insidiantur[10] quique profectum eius tentant impedire, vtinam atque vtinam mihi nunc liceret ac daretur esse apud eam vel ad horam, habeo enim quam plurima ad conhortationem et ad consolationem eius si velit auertere sensus ab his qui maligna loquuntur in interitum eius[11], maxime velim vt meo nomine siquidem praestat ipsam visites dicasque ej multam salutem, quid minantur inimicj perseueraturae?[12] labores fortassis, paupertatem, opprobria, subiectionem et caetera id genus

[a] Valesotj *autogr.* [b] *Canisius in margine:* singulis mensibus.

[1] Cornelius Vishavaeus, nepos P. Cornelii Vishavaei, qui Lovanii degebat; cf. supra p. 113[1].

[2] P. Simon Rodriguez (Rodericius), e primis S. Ignatii sociis, Societatem in Lusitania egregie propagabat et 10. Octobris 1546 a S. Ignatio primus Societatis per Lusitaniam praepositus provincialis nominatus est.

[3] Ecclesia metropolitana coloniensis in nulla fere re magis gloriatur, quam quod tria corpora sanctorum illorum magorum possideat, quos stella ex orienti ad Christum duxit infantem.

[4] Ferebant S. Ursulam et S. Pinnosam una cum 11 000 virginibus britannicis pudicitiae servandae gratia Coloniae martyrium subisse sub Maximino Thrace (235 ad 238). SS. Ursulae et sociarum virginum et martyrum sacra ossa et reliquiae etiamnunc Coloniae et maxime in basilica S. Ursulae coluntur.

[5] Cf. supra p. 37[2].

[6] Rainoldus de Dassel, archiepiscopus coloniensis, post medium saeculum XII. octo corpora illorum veteris Testamenti (2 Mach. 7) martyrum, quos Machabaeos dicimus, ex Italia Coloniam attulit et in ecclesia monialium benedictinarum collocare statuit, quae in „agro ursulano" exstabat. Nunc in templo S. Andreae (atque e vetere memoria Romae quoque) coluntur (*Gelenius* l. c. p. 537—539. *F. E. v. Mering* und *L. Reischert,* Die Bischöfe von Köln II, 38—46).

[7] Cf. supra p. 157. [8] Questenburch. [9] De hac supra p. 125. 161. 167.

[10] 1 Reg. 24, 12; 28, 9. [11] 2 Par. 22, 4.

[12] Quae sequuntur, Faber certe non pro sola illa muliere conscripsit, sed etiam, ac fortasse maxime, ad confirmandos in propositis suis iuvenes illos colonienses, qui Societati se addixerant.

ex quibus est crux quam quotidie tollere[1] iubemur, an non in his est Christus clare ostensus? Timeat potius ea que nobis minantur propria conscientia, bonus angelus noster, Jpsa denique veritas quibus inimicarj aut non obedire tormentum est durissimum et intolerabile, o sj sciret bona ista Domina quid ipsi repromittat dominus, o sj sciret quam[a] bona ipsam manent. Meminerit peccatorum suorum et earum poenarum que repositae sunt peccatoribus illis videlicet qui poenitentiam non egerint, meminerit actiones ac labores vitae christj, beatae Virginis et omnium eorum quos certa fide scimus vitam aeternam in caelis esse consecutos, meminerit praeterea earum passionum quas christus passus est pro se et pro omnibus, meminerit denique et cum spe firma aspiciat eam gloriam quae ipsam manet in celis. Si dura videtur ipsi conuersatio suarum sororum sciat se promererj omnium sanctorum consortium, Si durus est panis quem nunc comedit sciat se habituram hac via panem angelorum. Si displicet habitatio monasterij sumat inde occasionem contemplandj et sperandj habitationem illam non manu factam[2] quae est domus et ciuitas sanctorum[3], Jdem dixerim de inclusione[4] per quam merebitur libertatem sanctorum corporum, et de laboribus quos imponit obedientia. qui via sunt ad dominum[b] sempiternum et ad quietem quam promittit qui dixit: Jntra in Gaudium dominj tuj[5] et esto supra quinque ciuitates[6], sed credo nihil horum tam ferventem et tam fortem mulierem deterrere ab semel incepto itinere. Jpsa enim iam pridem supputauerat sumptus ad hoc viaticum necessarios, decreuerat enim renunciare omnibus quae possidebat[7] et nuda Christum nudum sequj, hoc namque est supputare sumptus necessarios ad pugnam victoriamque inimicorum nostrorum spiritualium ac carnalium et ad edificationem spiritualis turris[8], quod si bene non supputavit prius (vt forte ipsi viderj potest) institutum[c] quod ingressa est, in hoc ipso tum versatur id est in exercitiis abnegandj omnia et se ipsum quo fit vt non oporteat redire ad seculum. Quia resumere seipsum et sua nihil aliud esse deprehenditur quam inchoatam supputationem necessariorum sumptuum omnino derelinquere, perdere id ipsum quod iam feceras et reducj ad periculum veniendj ad diem [iudicij][d] nulla neque bene incepta denuo neque perfecta supputatione. Et si non fuerit facta supputatio ipsa de qua loquimur nonne sequitur nullam nos de inimicis quj terrent incipientes et opprimunt insipientes victoriam esse reportaturos? Nonne etiam sequitur ipsam turrim

[a] *Fortasse legendum:* quanta.
[b] *Sic; sed probabile est Fabrum scribere voluisse:* dominium.
[c] institum *autogr.* [d] *Hoc vel simile quid supplendum esse videtur.*

[1] Luc. 9, 23. [2] 2 Cor. 5, 1. 2. [3] Cf. Eph. 2, 19.
[4] „Clausuram“ dicere solemus. [5] Matth. 25, 21. 23.
[6] Luc. 19, 19. [7] Luc. 14, 33. [8] Cf. Luc. 14, 28—30.

(quam tamen editam[a] esse oportebit) nullum neque finem neque principium suae aedificationis habituram? Hinc videtur et clare apparet eorum stultitia atque ignorantia qui ob timorem ne non perficere possint quod optime sciunt inceptum esse desistunt ab inceptis, quid enim aliud faciunt quam nolle nec principium neque consummationem suae perfectionis? Ne igitur retrospiciamus[1] nec retro conuertamur aratrum sanctum manibus assecutj, ne resumamus ea quae semel deo dante euomuimus de animis nostris[2]. Si iterum sapit ac placet quod semel despeximus, negleximus ac odio habuimus ne credamus nos parum sapuisse tunc aut non bene oculatos fuisse sed redeamus ad eosdem sensus, eundem illum spiritum quaerentes per quem tale iudicium de rebus assequebamur[3]. Si mutantur sensus interiores et exteriores circa id quod in se semper vile est et nihil, Queramus semper eum statum sensuum in quo res ipsae vilescunt. Paulus dicit hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu qui cum in forma dej esset exinaniuit semetipsum formam serui accipiens[4]. Videat quisque in qua forma est et cupiat formam serui vt seruiat, vt laboret vsque ad mortem crucis factus obediens[5]. Hunc Jesum de se qui non habet querat ex illo qui dat omnia, qui habet ipsum sequatur. Multo plura subministrat cupiditas salutis eius dominae propter quam hec scribo, si autem sero ad ipsam peruenerint mea desideria vos ipsi potestis abunde facere vt ne hunc libellum verius quam epistolam prout venerit in buccam effuderim[b]. Jesus Christus qui est et venturus est iudicare omnem sensum confortet corda vestra in omnj bono sensu et vestras intelligentias[6] in omnj recta ac vera cognitione Amen. Ex oppido madrit vbi est principis hyspaniae curia 10 die martij Anno 1546.

Tuus in Christo frater petrus Faber.

---

[a] *Sic; sed legendum esse videtur:* edificatam. [b] effunderim *autogr.*

---

[1] Luc. 9, 62. [2] Cf. Prov. 26, 11. 2 Petr. 2, 22.

[3] Haec pulchre conveniunt cum regulis, quas *S. Ignatius* in „Libro exercitiorum“ proposuit ad motus animi discernendos (regulae pro 1. hebdom., n. 5—8).

[4] Phil. 2, 5—7. [5] Phil. 2, 8.

[6] Phil. 4, 7.

27.

CANISIUS SEBASTIANO DE HEUSENSTAMM,

archiepiscopo moguntino et romani imperii principi electori [1]

Colonia 1. Aprilis 1546.

Ex opere [2]: „DIVI CYRILLI AR = | CHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPE = rum omnium, quibus nunc præter alia complura noua, | recens acceffere vndecim Libri in Genesim, | nunquam antea in lucem æditi, | TOMVS PRIMVS. | *Omnia iam summo tum studio, tum labore integritati suæ resti = | tuta, & a mendis, quibus conſpurcata erant, repurgata. Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani, Anno | M.D.XLVI. Mense Aprili.*“ (2°, ff. 333, et praeterea in initio ff. 8 non signata). Epistula nostra duo folia occupat, quae sunt proxima a titulari [3].

Epistula usus est *Riess* l. c. p. 57. Partem germanice vertit *Drews* l. c. p. 17.

Cur hoc volumen operum S. Cyrilli Alexandrini Sebastiano dedicet. Ad Cyrillum et Sebastianum transfert, quae veteres de alcedine finxerant. Motus, quibus Germania misere concutiatur, componendos esse per episcopos. Horum officia exponit. Athanasiis, Ambrosiis, Cyrillis opus esse. Sebastiani virtutes et „cum caesare consensum“ praedicat eiusque oculis Cyrillum proponit ecclesiam contra haereses suae aetatis defendentem. In similia et peiora prolapsuros, qui nil nisi sacram Scripturam sequi velint. Rationem reddit huius editionis. Qui libri nunc primum in lucem emittantur. Cupit editiones Cyrilli magis magisque emendari.

---

[1] Sebastianus de Heusenstamm, iuris utriusque doctor, 20. Octobris 1545 archiepiscopus moguntinus electus est. In conventu, mense Ianuario anni 1546 Vesaliae ab electoribus rhenanis habito, cum a Palatino urgeretur, ut pro Hermanno Wedano apud caesarem intercederet, constanter abnuit. Synodum dioecesanam habuit anno 1548, provincialem anno 1549; annis 1551—1552 tridentino concilio interfuit. Parochias et monasteria dioecesis suae visitanda et inspicienda curavit. Magnos bellorum tumultus perpessus, Eltvillae mortuus est 17. Martii 1555 (*Nic. Serarius* S. J., Moguntiacarum rerum libri quinque [Moguntiae 1604] p. 898—913. *Io. Sleidanus*, De statu religionis et reipublicae, Carolo Quinto Caesare [Argentorati 1566] l. 16, f. 282ᵃ. *Georg. Christ. Ioannis*, Volumen primum rerum Moguntiacarum [Francofurti ad Moenum 1722] p. 847—861).

[2] Editio Cyrilli a Canisio facta (3 tomi) rarior est. In ipsa bibliotheca regia monacensi, quae libris theologicis locupletissima est, frustra aliquando a me est quaesita. Pauca solum novi exempla: unum Constantiae ad Lacum Brigantinum exstat, in bibliotheca lycaei archiducalis (provenit ex bibliotheca collegii S. J. constantiensis suppressi), alterum Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis; tertium (deest pars extrema) Coloniae in seminario archiepiscopali (sign. „Patt. f. 120“). Est et tomus primus in collegio nostro exaetensi, secundus in vicino conventu Patrum Franciscanorum werthensi (Weert). Primum habet etiam urbana bibliotheca coloniensis (sign. „G. B. IV. 2335“).

[3] In titulo operis etiam signum typographicum Novesiani apparet: sagitta pennata, cui anguis circumvolvitur; inscriptio: Festina lente. Dedicationem sequitur index verborum et rerum alphabeticus (5 pp.) et brevissima Cyrilli „vita“ cum „operum elencho“ (p. 1); f. 333ᵃ „errata“ corriguntur. Ante commentarios in Leviticum et in Ioannem tituli exstant speciales (= ff. 40 et 94). Charta densa est, typi magni et pulchelli. In initiis capitum complures figurae (litteras initiales dicimus) ligno incisae sunt.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D.
Sebastiano Archiepiscopo Moguntinensi, sacri Imp. Rom.
per Germaniam Archicancellario, Principi Electori,
etc. Domino suo colendiss. Petrus Canisius
Nouiomagus gratiam et pacem in
Christo perpetuam.

PRodit in lucem omni luce clarior CYRILLVS, et quidem faustissimis tuis auspicijs prodit Antistes Reuerendiss.[1] scilicet, vt Archiepiscopum velut postliminio reuersum Archiepiscopus excipiat, foueat, defendat ac seruet. Poterat sane vir Apostolicus, qui nunc venit in tuos complexus, vel in media perfidorum hostium acie tutus incedere: poterat se, nomenque suum sine patrono, sine vindice tueri, ne prorsus alieno niti praesidio videretur. Fit tamen, nescio quo pacto, praesertim hac aetate nostra, vt quamuis per se fulgeat vel autoris dignitas, vel operis maiestas, alicunde viri praecellentes adhibeantur: qui, qua pollent autoritate, simul et fide prudentiaque, sibi dedicatos libros tum illustrare, tum propugnare non minus velint, quam possint. Hoc igitur iure, quia D. CYRILLO deligendus erat patronus, tu cum primis occurristi, tantae autoritatis vir, quantae vix vllus apud Germanos alius, quum sis vere illis Archicancellarius[2]: eius fidei, qua plurimi non antiquiorem in Archiepiscopo desiderarent, non spectatiorem in Electore acciperent: denique tam exacti iudicij, et (quod in Germania prodigio simile videtur) tam singularis doctrinae princeps, vt in hoc exulceratissimo seculo magna quaedam spes habeat animos bonorum omnium, fore vt discussis tempestatibus, per tuam amplitudinem serenitas nobis, et tranquillitas Ecclesiae restituatur. Ad eam rem apte conficiundam, quodam CYRILLO nimirum opus est, vt qui reuera sit *κύριλος*. Nam ita Graeci masculum vocant halcyonem[3], auem certe non parum auspicatam, et laetis effectibus illustrem,

---

[1] Nunc quidem librorum scriptoribus a bibliopolis vel librorum redemptoribus pecunia illa datur, quam „honorarium“ dicimus. Tunc autem id insolitum erat; auctoribus libri aliquot dabantur. De reliquo hi opus suum principi alicui vel episcopo vel urbis senatui dedicabant, a quo se nummos vel favorem et patrocinium accepturos sperabant. Hanc suae aetatis consuetudinem etiam Canisius in plerisque operibus suis servavit (*Friedr. Kapp,* Geschichte des Deutschen Buchhandels [Leipzig 1886] p. 312—319. *Braunsberger,* Katechismen des seligen Petrus Canisius p. 160—166).

[2] Archiepiscopus moguntinus e septem illis „principibus electoribus“ erat, qui ceteris imperii principibus praestabant specialibus iuribus et privilegiis; ipse imperii archicancellarius erat pro Germania; ipse electores convocabat ad „regem Romanorum“ eligendum; ipse in comitiis imperii „collegio principum electorum“ praesidebat.

[3] Alcedo ispida apud Linnaeum, alcyon apud poetas, Eisvogel, martin-pêcheur; apud Graecos *κήξ, κήϋξ;* alcyonum mas = *κηρύλος*, atque, ut grammatici aliquot veteres opinabantur, etiam *κειρύλος* (*Henr. Stephani* Thesaurus graecae linguae, edd. Hase et Dindorfii, IV [Parisiis 1841], 1517—1518).

eo quod ouis positis, hyeme licet, ex turbulento mari placidum, ex intractabili reddat nauigabile. Cadunt omnes ventorum procellae, flatus aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua fouet halcyone sua[1]: quo magis repentinae placiditatis solennitate, auis huius eluceret gratia. Sed mirum pròfecto, si mare sternitur halcyonum foeturae, cur non et hi tanti, tamque diuturni, et semper in peius gliscentes motus, qui Germanicum orbem concutiunt, et extremae calamitatis diluuium portendunt, quur [*sic*], inquam, non humana tandem componantur industria, et praesertim illorum vigilantia, quos a speculandi et custodiendi munere Episcopos appellamus. Hi nimirum Ecclesiae Christianae vindices, hi communis salutis custodes, afflictae Reip. subsidia, et sicut Apostolorum successores, ita Christiani nominis conseruatores. His nulla proinde laus dignior, nullum peculiare magis officium, quam Christianum orbem religionis concordia deuincire, dissensionum studia sustollere, nefaria foedera et consilia haereticorum dissipare, disciplinam Ecclesiasticam instaurare et augere, postremo dissentientes omnes voluntates, et disciplinas multiplices, in vnius fidei et religionis puritate pro viribus vnire. Quales profecto si haberemus Episcopos, vti priscorum aetas habuit Athanasios, Ambrosios et Cyrillos, in laetam facile certamque spem veniremus, fore vt Resp. Germanica maximis turbinibus et fluctibus hactenus agitata, mutatis rerum vicibus, salua et integra velut in portu collocaretur. Audiet, mihi crede, populus veri Pastoris vocem, nec audiet tantum, sed prompte sequetur Christi vestigijs praeeuntem: sequentur et Principes, quos ad exemplum Episcoporum videas breui Constantinos ac Theodosios nobis referre, nulla vero ex parte Constantijs atque Iulianis amplius respondere. Quinetiam improbissimi quique non grauatim agnoscent in Episcopis Apostolicam potestatem, tantum si senserint Apostolicam imprimis pietatem. Quid igitur? nullusne CYRILLO similis exoritur, vt qui non minus optimus integritate, quam maximus autoritate, miserandum hunc Germaniae tumultum vertat in amabilem fidei concordiam, et concordem animorum aequabilitatem? In rebus tam afflictis ne desperemus, plane iuuat recreatque nos tui memoria Reuerendiss. Pater, quem ad istud nouae

---

[1] Halcyone, Aeoli filia — sic veteres —, nimio amore Ceycis, mariti sui, qui naufragio perierat, in mare se praecipitavit, quos ambos Iuppiter miseratus mutavit in aves maritimas sui nominis,

„perque dies placidos, hiberno tempore, septem
Incubat Halcyone pendentibus aequore nidis.
Tum via tuta maris: ventos custodit, et arcet
Aeolus egressu, praestatque nepotibus aequor.
(*Ovidius*, Metamorphoses l. 11, v. 745—749.)

Atque etiam *Plinius:* Halcedines, inquit, „fetificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos et navigabili, siculo maxime“ (Historia naturalis, ex rec. *I. Harduini* l. 10, n. 47). Fabulae sunt.

dignitatis fastigium non ambitio, sed virtus, non fauor humanus, sed propitij numinis voluntas euexit, vt esset, cuius prudentia, ingenio et autoritate, iamdiu concussus Germaniae status tandem recrearetur atque confirmaretur. Pollicentur hoc nobis, quum aliae res permultae, tum eruditio tua non vulgaris, deinde morum integritas, Ecclesiae vindicandae propensus amor, haec syncerae fidei tuae constantia, reformandi tuos ingens studium, et summus cum Carolo Caesare consensus, cuius autoritas ac potentia hoc praestabit, vt possis etiam efficere, multis licet repugnantibus, quod optimum esse iudicabis. Equidem laudes virtutum tuarum celebrare non statui, quae vt verae essent, praedicatas modestia tua credo non agnosceret neque comprobaret. Verum quae nostra debet esse gratitudo, laeti gratulamur Celsitudini tuae dignitatem istam, cuius apud Germanos prima est autoritas: gratulamur patriae atque etiam dioecesi, cui nunc talem habere contigit Antistitem: gratulamur vtilitati publicae, vel diuinae bonitati gratamur potius, quae Moguntinis ac nobis omnibus amplitudinem tuam in isto fastigio hac tempestate collocarit. Ac eo iustius (vt mea fert sententia) nouum hoc opus Archiepiscopi, nouo Archiepiscopo, sanctum ac Theologicum opus, insigni Theologo Antistiti[a] dedicari promerebatur. Habes igitur dignissime vir, idemque colendissime Pater, habes conatibus tuis respondentem pulcherrime D. CYRILLVM. Qui summus olim Alexandriae Patriarcha (nunc Archiepiscopum vocant) nihil sibi laxamenti a curis, nihil ocij a laboribus, nihil cessationis a periculis indulsit, quo minus autoritate, exemplo, scripto, verbo gregem suum in Ecclesiae consortio seruaret, seditiosa dogmata reprimeret, clementia mitigaret, orbemque Christianum aeuo suo multis quoque calamitatibus oppressum et periculis cinctum, consilij celeritate explicaret, ac desperatis pene tum rebus Ecclesiae subitum auxilium adferret. Quippe regnabant eo seculo varia haeresiarcharum portenta, et salutiferam Euangelicae doctrinae segetem vitiabant inspersa zizania[1] Eunomij, Arij, Pauli Samosateni, Nestorij, Apollinaris, Macedonij. Aduersus quae monstra totis viribus et artibus insurgit Christi pugil, vt hostes Ecclesiae gladio spiritus confodiat iuguletque. Tot libris, quorum adhuc multi desiderantur, tanto studio, tantoque molimine, tot argumentis, tot sententijs, tot anathematis cogit, vt credamus filium et spiritum sanctum esse verum Deum, eiusdem essentiae, seu (vt aliquoties loquitur Hilarius[2]) eiusdem generis aut naturae cum patre, quod Graeci vocant *ὁμούσιον* [*sic*], potentia, sapientia, bonitate, aeternitate, caeterisque rebus omnibus parem. Nestorius vero (contra quem illi praecipuum certamen instituitur) dum in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit impie

[a] Antisti *typogr.*

[1] Cf. Matth. 13, 24—30.
[2] V. g. De Syn. n. 76; De Trin. l. 3, n. 23 (*Migne,* PP. LL. X, 530. 91—92).

personas, et inaudito scelere duos vult esse filios Dei, duos Christos, vnum Deum, alterum hominem: vnum qui ex patre, alterum qui sit generatus ex matre. Quo fit, vt sacrosanctam et incomparabilem virginem Mariam, non *θεότοκον* [*sic*] adserat, sed *χριστότοκον* [*sic*] esse nuncupandam, quod ex ea non ille Christus qui Deus, sed qui homo erat, natus videretur. Nec sane dubito[a], quin et in similes et multo perniitiosiores haereses paulatim illi relapsuri sint, qui nihil nisi scripturis diffinitum recipiunt probantue. Sic enim pondus et fidem Ecclesiae cum semel detraxerint, ideo sibi cuncta licere putant, quod scripturas interpretandi et explanandi munus vendicent sibi, nec vlla sanctorum patrum autoritate vel scriptis refelli velint[1]. Ad CYRILLVM meum redeo. Quur enim non meum appellem, quem absterso, quantum licuit, situ, luci restituimus, et integris libris recens inuentis auximus et exornauimus?[2] Nam qui nunc prodeunt in Genesim Commentarij, nusquam reperiuntur[3]. Nec tamen sine animi moerore fatebor, mutilos esse CYRILLI libros, tam in Genesim quam Euangelium Ioannis[4]. Commentarij porro in Leuiticum XVI libris digesti, quum antea Origenis haberentur (scatent enim Origenicis allegorijs), nuper autorem suum CYRILLVM apud Parasinos [*sic*] agnoscere coeperunt. Nec esse vanam eam coniecturam, intelligere licet ex Dialogis huius autoris, vbi agit de adoratione in spiritu[5]. Enarrationem Leuitici sequuntur in Euangelium Ioannis hypomnema[b], siue Commentariorum libri XII, in quibus peculiariter aciem stili sui defigit in Ebionitas, Sabelliones, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Nestorianos. Interierunt autem quatuor intermedij, pro quibus addidit interpretationem suam Iudocus ille Clichtoueus[6], insignis Parisiensium Theologus[7]. Videtur certe potis-

[a] *Hoc vocabulum in ipsa oratione contexta deest; sed inserendum proponitur in adnotatione post indicem verborum posita.*

[b] *Sic; sed scribendum fuisse videtur:* hypomnemata.

[1] Si quis expenderit, quid nostra aetate in Germania theologi protestantes haud ita pauci sentiant doceantque de mysterio sanctissimae Trinitatis, de Christi divinitate, incarnatione, resurrectione, de symbolo apostolico, Canisium falsum prophetam fuisse non affirmabit.

[2] „Omnia opera" Cyrilli primum typis exscripta sunt Parisiis anno 1508; sed ea editio valde manca erat et vitiosa.

[3] Expositio illa Pentateuchi a Cyrillo conscripta, quae „Glaphyra" dicitur, 13 commentarios continet; inter quos 7 ad Genesim pertinent.

[4] Commentarii in Ioannem libri 5., 6., 7., 8. latuerunt usque ad annum 1638, quo *Ioannes Aubert*, ecclesiae cathedralis laudunensis canonicus, in praeclara sua editione omnium operum Cyrilli libros quintum et sextum integros ac septimi et octavi partes graece edidit.

[5] Nunc negant hos commentarios Cyrilli esse, neque alieni sunt ab iis Origenis nomini addicendis (cf. *Ios. Kopallik*, Cyrillus von Alexandrien [Mainz 1881] p. 366—367).

[6] Cf. *Kopallik* l. c. p. 336—337.

[7] Iudocus Clichtoveus sive Clichtove († 1543), flander, contionator primum et

simum sequutus Chrysostomi et Augustini sententias, ideoque nihil ex Clichtoueo praetermisimus. Et quia secundo tomo praefationem aliam reseruamus, nunc nihil dicam de Synodicis constitutionibus, de Apologetico, de Epistolis et Scholijs[1] D. CYRILLI: quae omnia primum hisce operibus per nos accessere. Alius forte (quod ex animo velim) plura nobis pro suo candore proferet, ac etiam ex Graecorum fontibus ea, quae nos damus, reddet magis concinna, tersa et emaculata. Multum illis debetur gratiae, qui publicae vtilitatis gratia CYRILLVM effecerint multo, quam antehac, emendatiorem[2]. Caeterum vt in picturis quibusdam artis exquisitae, semper oculis contemplantium offert sese noui quippiam, quod admirentur, ita in emaculando CYRILLO versantibus, nunquam defuturum est, quod sarciendum sit. Taceo, quod interpretes non vbique rerum, quae tractantur, subtilitatem assequuti videantur, vt non immerito quis rei Theologicae peritiam in illis desideret. Atque vt fideles forte fuerint, non tamen elegantes. Tantum abest, vt eam Romani sermonis expresserint facultatem, quae Graecae dictionis gratiam elegantiamque referret. Breuiter, hoc quicquid est laboris nostri, tuae Celsitudini dicatum esse volui Praesul ornatissime, vt esset quod testaretur clientem Canisium optimi patroni memorem, amantem et obseruantem esse. Postremo liceat obtestari quaeso tuum istum animum, vt quam Archiepiscopatus gloriam vestri maiores tibi pulcherrimam reliquerunt, hanc tua virtute et diuina prouidentia stabilias et conserues, praeterea Germaniam vsque multis calamitatibus oppressam auxilij opportunitate sustentes, et (quod praecipuum est) Ecclesiae tum concordiam, tum dignitatem vbique spectes, cum primis vero tueare. Haec syncere conanti precor vt aspiret dominus Iesus pastorum princeps[3], Amen[4]. Ex Agrippina Colonia ipsis Calendis Aprilis. Anno a restitutione humani generis XLVI. supra sesquimillesimum.

---

magister parisiensis, dein parochus tornacensis et tandem canonicus ecclesiae cathedralis carnutensis (Chartres), primus inter theologos parisienses Luthero palam obstitit; quamquam primum nonnihil liberius senserat.

[1] „Scholia Cyrilli de incarnatione vnigeniti“.

[2] Omnes editiones operum Cyrilli recenset *Kopallik* l. c. p. 369—375.

[3] 1 Petr. 5, 4.

[4] Fortasse Canisius ad haec monita proponenda etiam rumoribus quibusdam movebatur, qui de novo archiepiscopo moguntino exsistebant; timebatur enim, ne protestantibus ac nominatim Philippo, Hassiae landgravio, manus daret (*Ch. Gotth. Neudecker,* Merkwürdige Aktenstücke aus dem Zeitalter der Reformation [Nürnberg 1838] p. 675—679. *H. Laemmer,* Monumenta Vaticana [Friburgi Brisgoviae 1861] p. 429—430. *Venetianische Depeschen* vom Kaiserhofe, herausgegeben von der historischen Commission der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften I [Wien 1889]. 639—640).

28.

CANISIUS
CANDIDATIS THEOLOGICIS COLONIENSIBUS.

Coloniae 5. [?] Aprilis 1546.

Ex opere [1]: „DIVI CYRILLI AR= | CHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPERVM, | in quibus pugnat aduersus varias hæresiarcharum pestes, | vt Arij, Eunomij, Pauli Samosateni, Macedo= | nij, Nestorij, tum contra Iuliani apo= | statæ blasphemias, | TOMVS SECVNDVS. *Nouo labore omnia nunc exactius multo q; unquam restituta | & aucta, atq; ab innumeris mendis, quibus scatebant, uindicata.* | *Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani,* | *Anno M. D.* XLVI. | *Mense Aprili.*" (2°, ff. 303 et praeterea in initio 8 non signata). Epistula nostra est in duobus foliis, quae a titulari proxima sunt [2].

Cyrillus Alexandrinus summam auctoritatem cum summa mansuetudine coniunxit nec verborum ornatum ostentavit. Nunc autem libri ex verbis, non ex rebus ponderantur, haeresesque sparguntur, sermonis melle conditae. Aliter sacra Scriptura, Tertullianus, veteres alii. Temere ob orationis simplicitatem contemnuntur, quae vere pieque scripta sunt. Quod et Anacharsis graecique intellexerunt philosophi. Quamquam Cyrillo neque eloquentiae laudem defuisse singula, quae hic ponuntur, opera demonstrant. Hic Nestorium lupum agnovit et expugnavit aliasque sectas profligavit, non gladio usus, sed verbo Dei.

ADOLESCENTIBVS
THEOLOGIAE CANDIDATIS PETRVS
Canisius Nouiomagus felicitatem.

ETSI non parum multa in priorem tomum praefatus sum, nimirum vt apud summum Archiepiscopum Germaniae, summum Graeciae Patriarcham deponerem Cyrillum, qui adhuc haeret in manibus: tamen vitio mihi vertendum non puto, si tot modis commendabilem Theologum, vobis etiam, commilitones optimi, semel atque iterum commendem. Vt enim nihil dicam amplius, insignem Ecclesiae doctorem et gloriam Episcoporum excipitis, quum Cyrillum excipitis, hoc est, in libris loquentem, vobisque spirantem auditis. Et sane spirant illius scripta priscum illum Euangelij vigorem: vt hodie nullum inuenias, qui pari synceritate tractet sacras literas, qui cautius vitet suspecta dogmata, qui sic vbique gerat Christianum Episcopum, qui sic spiret paterna viscera, qui summam praesulis autoritatem cum summa man-

---

[1] Patribus de Backer et Sommervogel aliisque bibliographis ob immensam rerum silvam et spatii angustias non licuit nec licet huiusmodi opera accuratius describere; propterea hic describuntur.

[2] Signum typographicum idem est, quod in volumine primo. In pagina posteriore folii titularis index est librorum huius voluminis, et in 5 foliis, quae dedicationem sequuntur, index rerum et verborum. Charta, typi etc. eadem, quae in volumine primo. F. 303[a] typographus lectori dicit se exemplis mendosissimis usum esse et „mendas pene infinitas" prioris editionis expunxisse. Quod si nonnullae relictae sint, propterea relictas esse, quod non viderentur emendari posse sine graecis exemplis; ea autem non suppetivisse.

suetudine coniungat. Adeo perpetuam quandam scriptis omnibus adhibet moderationem, quae nec in redarguendis haereticorum erroribus obliuiscitur Christianae modestiae. Iam non modo nihil habet acerbum scriptoris huius oratio, verum etiam non excurrit vsquam in leuitatis aut ostentationis speciem, etiam si tantus esset Cyrillus, tum eruditione, tum eloquentia. Priscis enim illis Theologis tantam pietatis curam ardor spiritus suggerebat, vt expoliendae linguae artificium negligerent, nec alia sermonis quaererent lenocinia, nisi quae pectus Euangelicum, et amore Christi flagrans, vltro ipsis suppeditauisset. Nunc (proh pudor) verborum ornatum sic exquirimus, vt res ipsas, quae non elaborate conscribuntur, nauseabundi respuamus, quinetiam scriptores ipsos in periculum venire sinamus. Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Quid? quod plerique nullum pene vitium agnoscunt foedius et damnant grauius, atque barbariei? Quae res mirum in modum auxit haereticorum licentiam, et eo nunc demum adduxit, vt pestifera sua dogmata nouis quotidie libris non cessent proferre. Nam incautos animos, vti sperant, facile irretire possunt suauitate sermonis[1], et carminum dulci modulatione currentium. Hac arte veluti melle circumliniunt poculum, quod propinant lectoribus: nimirum vt possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari, dum illiciens prima dulcedo, acerbitatem saporis asperi sub praetextu suauitatis occultat. Et haec in primis causa est, si Lactantio credimus[2], cur apud sapientes, et doctores, et principes huius seculi[3], scriptura sancta fide careat: quod Prophetae communi ac simplici sermone, vt ad populum, sunt loquuti[4]. Certe Septimius ille Tertullianus, teste Vincentio Lirinense, nostrorum omnium apud Latinos facile princeps iudicandus est[5]. In loquendo tamen parum facilis, et minus comptus, et multum obscurus fuit. Sic enim iudicat Lactantius[6]: aut quod indicat Hieronymus ad Paulinum epistola: Tertullianus licet densus et argutus sit in sententijs, sermo tamen difficilis est et obscurus, atque etiam incomptior[7]. Equidem haud scio, an

---

[1] Cf. Rom. 16, 18.

[2] Canisius scriptorum, quos per hanc epistulam citat, libros et capita fere non indicat. Locorum autem illorum saltem aliquos inquirere et ascribere placuit, ut appareret, qua fide veterum illorum testimonia protulerit.

[3] 1 Cor. 2, 6—8.

[4] Divinae Institutiones l. 6, c. 21 (*L. Caeli Firmiani Lactanti* opera omnia P. 1. rec. *Sam. Brandt* [Vindobonae 1890], p. 562. *Migne,* PP. LL. VI, 713—714).

[5] Tertullianus „apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est“: *Vincentius Lerinensis,* Commonitorium I, n. 18 (*Migne* l. c. L, 664).

[6] Tertullianus „in eloquendo parum facilis et minus comptus et multum obscurus fuit“: *Lactantius,* Divin. Instit. l. 5, c. 1 (Opera omnia l. c. p. 402. *Migne* l. c. VI, 551).

[7] *S. Hieronymus* Paulino „De institutione monachi“ n. 10 scribit: „Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo.“ Ita editio *Dominici Vallarsii,* S. Hieronymi operum tom. I, P. 1 (ed. 2, Venetiis 1766) p. 326 (etiam *Migne* l. c. XXII, 585). Sic etiam editio erasmiana (Opus epistolarum Divi Hieronymi . . . vna

quicquam Aurelio Augustino praeclarius habeat Christianus orbis. Et in hoc tanto viro subinde lectorem offendere potest perplexum nescio quid, et impeditum atque obscurum: quod in epistolis illi obijcit et Hieronymus. At vterque Cypriano summas eloquentiae partes tribuit[1]. Cyprianus autem, quem admirari satis nequeas, siue ornatum in loquendo, siue facilitatem in explicando, siue potentiam in persuadendo spectes, placere vltra verba sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt, quae loquutus est, et ad id praeparata, vt a solis fidelibus audiantur. Nam a doctis huius seculi, quibus forte scripta eius innotuerunt, derideri solet, atque vel Coprianus vel Caprianus illis appellatur. Quod si scriptoribus Ecclesiasticis, qui omnium spectatissimi fuere, non contigit Romanae dictionis germana puritas, quid tandem putemus accidere illis, quorum sermo ieiunus est et ingratus: qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi, neque vllam prorsus acerbitatem ad reuincendum habere potuerunt?[2] Ergo relinquuntur, despiciuntur, abijciuntur, proteruntur. Bonae, inquiunt, literae nunc tandem refloruere, diuinum illud munus[3]. Ideo ne pie-

cum scholijs *Des. Erasmi Roterodami,* denuo per illum . . . recognitum etc. I [Basileae 1524], 106). Nec tamen mirum, si in codice Canisii aliter legebatur; nam opera Hieronymi etiam nunc, post tot editiones et correctiones, emendatione indigent.

[1] „Beatus Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit et placidus“: *Hieronymus,* Epistula ad Paulinum n. 10 (*Vallarsius* l. c. p. 326. *Migne* l. c.). — „Cyprianus vir eloquentia pollens et martyrio“: *Hieronymus,* Epistula ad magnum Oratorem urbis Romae n. 3 (*Vallarsius* l. c. p. 427. *Migne* l. c. p. 666). — „Nec bonos facile coaequamus beato Cypriano, quem inter raros et paucos excellentissimae gratiae viros numerat pia mater Ecclesia“: *Augustinus,* De baptismo contra Donatistas l. 6, c. 2 (Opera, edita a monachis benedictinis e *congr. S. Mauri,* IX [Parisiis 1688], 162. *Migne* l. c. XLIII, 198). — „Beatissimi Cypriani . . . linguam doctrinae christianae sanitas ab ista redundantia“ revocavit „et ad eloquentiam graviorem modestioremque“ restrinxit: *Augustinus,* De doctrina christiana l. 4, c. 14 (Opera, ed. *maurina,* tom. III, P. 1 [Parisiis 1680] p. 76. *Migne* l. c. XXXIV, 102).

[2] Cyprianus „placere ultra verba sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt quae locutus est et ad id praeparata, ut a solis fidelibus audiantur: denique a doctis huius saeculi, quibus forte scripta eius innotuerunt, derideri solet. Audivi ego quendam hominem sane disertum, qui eum inmutata una littera Coprianum vocaret, quasi quod elegans ingenium et melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset. Quodsi accidit hoc ei cuius eloquentia non insuavis est, quid tandem putemus accidere eis quorum sermo ieiunus est et ingratus? qui neque vim persuadendi neque subtilitatem argumentandi neque ullam prorsus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt?“: *Lactantius,* Divin. Instit. l. 5, c. 1 (L. Caeli Firmiani Lactanti opera omnia P. 1. rec. *Sam. Brandt* [Vindobonae 1890] p. 402—403. *Migne* l. c. VI, 551—552). Evidens igitur est Canisium ea, quae supra scripsit, ex Lactantio transcripsisse. Quod si forte miremur eum Lactantii nomen reticuisse, considerandum est veterum conscientiam ea in re utcumque latiorem fuisse quam nostram. Magis communia illis erant bona illa litteraria. — Nomen autem illud „Coprianus“ significabat stercorarium vel scurram vel foeda et vilia loquentem. Aliqui autem codices lactantiani non „Copriani“ habent, sed „Capriani“ (κάπρος = aper): *Migne* l. c. p. 551 in adnot. 7. Hanc ob rem Canisius utrumque nomen protulisse videtur.

[3] Humanistarum haud paucorum rationem Canisius denotat ac fortasse etiam

tatem fas sit negligere? simplicitatem illudere? scripta contemnere, quia non doctis destinata, nec a disertis aedita, sed rationi temporis accommodata fuere? Quo pacto negari possit, diserte dici, quod pie dicitur? Nemo fastidiat dictionis simplicitatem, sed amplectatur sententiarum pietatem. Quid porro refert, vos obsecro, ad cognitionem rei capessendam, quam polite, quam eleganter, qua lingua quid proferas, tantum si sensus ad bene beateque viuendum percipi queat? cum non res propter nomina, sed nomina certe propter ipsas res adinuenirentur. En Anacharsim sordidae Scythiae alumnum, Scythice loquentem: neque propterea contempsere hominem, Graeciae sapientes, sed in suum recepere consortium, quia sapientia praeditum[1]. Et quidem plurimi philosophorum, inter quos Anacharsis, Crates, Diogenes, ita philosophiae studio se totos dedidere, vt illam dicendi peritiam non modo negligerent, verum etiam turpem philosopho et indecoram esse putarent. Adeoque Socrates, qui vnus grauitate, sapientia, nominisque celebritate caeteros longe superauit, quum eloquentiae studium viris, nedum philosophis indignum existimasset, illud consulto praeterire voluit. Extat eius rei testimonium in oratione, simplici quidem et inculta, quam in iudicium vocatus habuit. Nos vero (pudet dicere) nauseamus ad omnia, quae carent Rhetorum condimentis et ornamentis: nos omne studium in paranda dictionis facultate collocamus. Ita semper in Christo paruuli, sapimus vt paruuli[2]: non nisi lacte contenti, solidiorem cibum[3] respuimus. Impietas non paucis placet, quia docte commendatur. Et non placebit pietas, quia simpliciter enunciatur? Vt mihi videre videor, hodie si Paulus doctor gentium in fide et veritate[4], superesset, apud nos inglorius viueret, ac peius fortassis audiret, quam olim apud Corinthios, hoc solo nomine, quia sermone imperitus[5]. Atqui regnum Dei non in sermone est, sed virtute[6]. Quanquam haec non eo sane mihi dicuntur, vt ostendam eloquentiae doctrinaeque laudem in Cyrillo posse desiderari. Testatur Iudocus Clichtoueus, insignis ille Parisiensium Theologus[7], in hoc autore tantam esse disserendi subtilitatem et acrimoniam, tantum rationis acumen et robur, tam exuberantem doctrinae copiam, denique tantam conuincendi aduersarios fidei energiam, vt exemplum hic optimo quidem iure proponatur omnibus, qui sacris de rebus diuinisque mysterijs disserere statuerint[8]. Et hanc Clichtouei verissimam esse censuram

---

famosas illas „Epistolas obscurorum virorum", quae coloniensem quoque academiam nefarie criminabantur.

[1] Canisius haec hausisse videtur ex *Diogene Laërtio,* De clarorum philosophorum vitis, dogmatibus et apophthegmatibus l. 1, c. 8; vitiosa forte versio latina graeci huius scriptoris ei praesto erat. De Anacharsi aliqua etiam narrant *Herodotus*, Historiarum l. 4, n. 46. 76. 77, et *Plutarchus,* Vitae: Solon n. 5. Quae de Crate aliisque hic scribuntur, excutere non vacat. [2] 1 Cor. 13, 11.

[3] Hebr. 5, 12—14. [4] 1 Tim. 2, 7. [5] Cf. 2 Cor. 10, 10.

[6] 1 Cor. 4, 20. [7] Cf. supra p. 180[7].

[8] Iod. Clichtoveus haec scripsit in epistulis dedicatoriis „Operis insignis beati

intelliget, quisquis non libros dicam vniuersos, sed saltem in Iulianum aeditos contempletur. In quibus libris ex gentilibus et sacris literis ita nostram adstruxit fidem, et Iuliani fatuitatem ostendit, vt non iam solum Theologus, sed in omnibus quidem disciplinis exercitatissimus comprobetur. Verum praecedunt Dialogorum quoque libri septem, quos de sancta consubstantialique Trinitate conscriptos, eruditissimo fratri suo Nemessino dedicauit[1], characterem dicendi seruans dialogeticum. Introducit enim colloquentem secum Hermiam, virum (vt ipse dicit) et doctissimum et aequissimum, cuius crebras proponit interrogationes, vt argumentum modis omnibus obscurum, ea personarum varietate, quam fieri possit dilucidissime, nobis efferret. Accedunt quatuordecim libri, quos Thesauri nomine aduersus haereticos inscripsit. Duodecim prioribus Arianos et Eunomianos in filium Dei oblatrantes confutat: postremis duobus Macedonianos spiritum sanctum creaturis annumerantes refellit. Inciderat enim et Cyrillus in periculosissima tempora, quibus totum orbem pestilentissimus ille Nestorius suis blasphemis commouerat dogmatibus. Nam Antiochena et Constantinopolitana Ecclesia aliquandiu Nestorio fauebat, et Romana Alexandrinaque et Hierosolymitana, imo Catholica diuexabatur. Lupum igitur fidei infensum in tempore agnouit Cyrillus, monuit, totisque humeris expugnauit[2]. Vnde apud Catholicos in tanto honore fuit, vt quum labore et alacritate omnes praecelleret, prae caeteris etiam in Ephesino Concilio autoritatem obtineret. Solus enim fere hoc negocium confecit, idque non sine summis periculis. Nam et carceres cum Memnone Ephesiorum praesule expertus est, et multis conuicijs ab aduersarijs suis aspersus, et a calumniatoribus apud Imperatorem accusatus fuit[3]. Verum adfuit ei dominus, et militem suum subsidio non destituit: quin potius Ecclesiam suam per illum non solum tunc, sed etiam hodie muniuit: atque adeo licet Nestorianos multos adhuc habeat Oriens, victos tamen scripturis satis superque Cyrilli opera testantur, quacunque tandem pertinacia haeresis illa radices miserit. At quam optime meritus sit de re Christiana Cyrillus, et quod vnus plus reliquis omnibus, velut alter Paulus, aetate sua laborarit[4], et Ecclesiarum omnium sollicitudinem[5] solus fere portarit, nemo rectius intelliget, quam qui acta Concilij Ephesini perlegerit. Nos igitur, quae ad eam rem spectant, magna cura conquisiuimus, et

---

patris Cyrilli patriarche Alexandrini in euangelium Ioannis" (ed. 2 [Parisiis 1520]), f. 2ᵃ, et „Preclari operis Cyrilli Alexandrini: quod Thesaurus nuncupatur" (Parisiis 1514) f. a 2ᵃ.

[1] Nemesinus Cyrilli amicus et in episcopatu collega („confrater") fuisse videtur.

[2] Coloniensium haec legentium animis certe Hermannus quoque Wedanus obversari debebat.

[3] Haec omnia accurate narrantur a *Car. Ios. von Hefele,* Conciliengeschichte II (2. Aufl., Freiburg i. Br. 1875), 149—285.

[4] Cf. 1 Cor. 15, 10. [5] 2 Cor. 11, 28.

varias diui Cyrilli, nec non aliorum Episcoporum epistolas ad finem hic adijci curauimus, vt noua prorsus aeditio videri possit[1]. Sed alia praefatione super his lectorem admonebimus, instituti nostri, nouique operis rationem explicaturi[2]. Iam quum in Tertulliani, Origenis, Cassiani, ac multorum veterum libris quaedam admixta sint, quae aut manifestum habent errorem, aut suspecti dogmatis sunt, hic sic vbique temperat calamum, vt nihil vsquam comperias, quod vlli haeresi sit affine. Arius impietatis autor, tot hominum milia corrupit, et secum ad inferos pertraxit. Cyrillus pietatis adsertor, talem tantumque populum seruauit, et secum ad superos euexit. Eunomius, Macedonius, Paulus Samosatenus, Nestorius, tanquam lupi rapaces[3], in gregem dominicum saeuierunt. Vnus porro Cyrillus tot portenta, tot sectarum principes multis conflictibus tandem fudit, profligauit, deleuit. Praeter hos deiecit Iulianum, quamuis Imperatorem, autoritate quidem potestateque publica formidabilem. Et ad tantas res conficiendas, non vi, non armis, non copijs vsus est, sed solo gladio spiritus, quod est verbum Dei[4]: et armis apostolicis tot victorias, tot triumphos parauit Ecclesiae. Superest, vt quemadmodum mihi in hoc opere versanti, Lectoris commodum semper ob oculos versabatur, ita qui haec legere dignabuntur, in suis ad Deum precibus, Canisij nolint obliuisci. Coloniae ad aureos Martyres. Nono Calendas [*sic*] Aprilis. Anno M.D.XLVI.

„Coloniae ad aureos Martyres“ Canisius has litteras dedit. Scripsisse igitur videtur domi Andreae Herll canonici, prope „aureos Martyres“ sive templum S. Gereonis sitae[5], in qua per complures annos habitaverat. Initio anni 1545 sibi et sociis domum conduxerat ab illa satis remotam[6]. Attamen haec „apud aureos martyres“ scripsit, sive ut suum erga eos pietatis studium testaretur, sive ut aemulorum animos a communi Sociorum habitatione diverteret, timens, ne rursum ea cedere cogerentur. Legitur autem in extrema parte harum litterarum, „Nono Calendas Aprilis“ datas esse. IX. Cal. Apr. = 24. Martii. Epistulam dedicatoriam primi tomi Canisius scripsit „Calendis Aprilis“ eiusdem anni. Ac fieri potest, ut operis alicuius tomus posterior ante priorem in lucem emittatur; quod v. g. factum est in opere docti atque eruditi P. Hieronymi Lagomarsini S. J. „Iulii Pogiani Sunensis epistolae et orationes“; quarum primum volumen post quartum editum est. At vero in epistula dedicatoria primi tomi cyrilliani Canisius ipsis verbis dicit se „secundo tomo praefationem aliam reservare“, et in dedicatione huius secundi tomi

---

[1] Hanc quoque Cyrilli editionem multis numeris mancam et vitiosam esse per se patet. Plenissima, quae nunc haberi possit, Cyrilli editio est in „Patrologia graeca“ migniana tom. LXVIII—LXXVII. Parisiis 1859. „Eine kritische Gesammtausgabe steht noch aus“: *Alb. Ehrhard,* Tübinger theologische Quartalschrift LXX (Tübingen 1888), 180.

[2] Vide infra, post finem huius dedicationis. [3] Act. 20, 29.

[4] Eph. 6, 17.

[5] Cf. supra p. 101. Quae domus olim canonicorum S. Gereonis fuerint, conspici potest in „Delineatione Jmmunitatum Jllustris Collegij Sancti Gereonis Coloniae“, quam ex exemplo anno 1647 facto denuo delineandam curavit *P. Joerres,* Urkunden-Buch des Stiftes St. Gereon zu Köln (Bonn 1893), in fine, sub V et X.

[6] Cf. supra p. 141.

scribit: „Non parum multa in priorem tomum praefatus sum, nimirum vt apud summum Archiepiscopum Germaniae summum Graeciae Patriarcham deponerem Cyrillum.“ Haec patefaciunt dedicationem secundi tomi post Kalendas Apriles conscriptam esse, et cum eiusdem tomi folium titulare ostendat eum ipso „mense Aprili“ in lucem esse prolatum, verba „Nono Calendas Aprilis“ ex errore typographi vel etiam ipsius Canisii nata esse videntur, qui scribere voluerit „Nono Calendas Maias“ (= 23. Apr.) vel, quod etiam magis probatur, „Nonis Aprilibus“ (= 5. Apr.); praefatio enim tertii tomi data est „Idibus Aprilis“ (= 13. Apr.). Hac ergo serie praefationes datas esse dixeris: Kalendis, Nonis, Idibus Aprilibus.

Tomo secundo Cyrilli Canisius tertium quendam addidit: „D. CYRILLI AR = CHIEPISCOPI ALEXANDRINI EPISTO = læ & Synodicæ Constitutiones, præsertim aduersus Nestori = um hæresiarcham: quibus & alia pleraq; nunc recens adiecta, summoq; studio restituta cohærent, quemadmodum pagina versa com = monstrabitur. *Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani, Anno M.D.*XLVI. *Mense Aprili.*“ 2°; ff. 106; in pagina altera folii titularis „Index hvivs postremae partis Operum D. Cyrilli“; f. 2ª—3ª „In Epistolas et Constitvtiones Synodicas, avtore D. Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo, quae maxime pertinent ad Concilium Ephesinum, Petri Canisij Nouiomagi praefatio“, data „Coloniae Idibus Aprilis Anno XLVI“; f. 106ª admonitio „ad lectorem“, in qua dicitur pro parte aliqua eius tomi unum tantum codicem eumque „deprauatissime scriptum“ praesto fuisse. Ceterum Canisius de iis, quae in hoc tomo proponit: „Sparsim“, inquit, „antea et mutile, nec vno in loco, sed ne paucissimis quidem visa, nusquam vero Cyrilli operibus adiuncta, prodierant. In manu scriptis exemplaribus, quae nancisci poteramus, non parum subsidij nobis contulit doctissimus vir, idemque pietatis veteris studiosissimus, Henricus Grauius Dominicanus. Et maiusculis quidem characteribus ea dedimus, quae ad illustrandam argumenti rationem transcripta sunt ex Liberato, Ecclesiae Carthaginensis Archidiacono sanctissimo iuxta ac eruditissimo: cuius extat hac de re, quam Cyrillus tractat, libellus quidam in Tomis Conciliorum, hoc est, de Nestorianorum et Eutychianorum historia.“ . . „Ephesinae Synodi gesta . . non extant.“ . . Nonnulla quidem in hoc volumine obscura sunt; sed „nos absque aliorum exemplarium, et praesertim Graecorum praesidio nihil immutare voluimus“.

29.

SANCTUS IGNATIUS DE LOYOLA [1]

CANISIO EIUSQUE SOCIIS COLONIENSIBUS [2].

Roma 2. Iunii 1546.

Ex archetypo (2° min.; 1½ pp.) scripto ab ignoto; ultimos duos versus Hieronymus Natalis scripsit. Inscriptio deest. In summa parte paginae prioris saeculo, ut videtur, XVII. scriptum est: „P. Canisio Coloniae 1646. [corrige: 1546.] a S. P. Ignatio.“ [3] Cod. colon. „Litt. Epistt. var.“ f. XI [11].

Epistula usus est *Hansen* l. c. p. 200.

Socios colonienses laudat et monet, ut officii sui partes alacriter expleant. Se de iis statuturum, cum Petrus Faber Romam advenerit. Litterarum suarum raritatem excusat. Quantum Societas iam propagata sit. De collegiis conditis vel con-

[1] Subscripsit quidem huic epistulae Hieronymus Nadal; at in ipsa epistula Ignatius loquitur, idque, ut dici solet, in prima persona.

[2] Cum Canisio tunc Coloniae tantum P. Leonardus Kessel et Everardus Questenburch, Societatis sive novicius sive candidatus, fuisse videntur.

[3] Hoc ita se habere et ipsa haec epistula ostendit et illa, quam Ignatius ad Canisium et Kesselium dedit 6. Iunii 1546.

dendis Patavii, Bononiae, Parisiis, Valentiae, Conimbricae, Gandiae, et de eorum vectigalibus. De missione indica. Dioecesim agrigentinam a Iacobo Lhostio reformari. Patres Lainium et Salmeronem a concilii tridentini patribus benigne exceptos esse.

Ihesus

Gratia et pax domini nostri Jhesu Christi sit tecum et cum omnibus nobis Amen.

Hoc est gaudium meum in Christo Jhesu, vbi nomen domini, vbi Ihesum Christum omnibus de ecclesia loquentem in sanguine suo, video in quamplurimis fructificare, atque adolescere[1]. Gratias agimus deo de eius ineffabili misericordia, et pietate, quam explet nobiscum propter nomen suum gloriosum[2]. Saepe enim ita affectus sum vbi de te et alijs audio, partim video, nostrae societatis vocatis in Christo Jhesu[3]. Age, age vero et confortare in deo, et in potentia virtutis eius[4] qui est Christus Jhesus, dominus et deus noster. Ipse propter peccata nostra mortuus est[5], atque adeo resurrexit propter iustificationem nostram[6]. Itaque et nos conresuscitauit secum, et consedere fecit in coelestibus[7] in deo. Cognosce, atque explora in spiritu tuo vocationem, et gratiam quae data est tibi[8] in Christo, illam exerce, illi insiste, ex illa negotiare, nunquam patiaris in te ociosam, nunquam subsistere, ipse dominus est, qui dat nobis, et velle et perficere pro bona sua voluntate[9] et in se et per se infinita, et supergloriosa et in nos inenarrabili[10] per Christum Jhesum. Dabit enim tibi spiritus Jhesu in omnibus, et intellectum[11], et fortitudinem[12] vt nomen dei in spem melioris vitae in Christo Jhesu per te, in plurimos fructificet, et clarificetur[13]. Hoc scribimus tibi, vt currenti calcaria addamus vt dicitur. Alioquin tuos nos plane fecisti in Christo, de[a] tua in vinea domini alacritate, et in magnam spem erexisti quod in te Christus Jhesus glorificetur[14] in finem. Iam vero quod te intellexi, et D. Leonardum[15] desiderare voluntatem et sententiam meam vobis vt scribam, ab ea vt ne discedatis, agnosco obedientiam vestram in Christo. Id in praesentia repraesentarem [*sic*], nisi Magistrum Petrum Fabrum socium, et fratrem nostrum ex Aula principis Hispaniarum in his 15 aut 20 diebus[b] expectarem. Constituit enim summus Pontifex vt ad consilium [*sic*] Tridentinum veniret[16]. Eum accepimus ad

[a] Christo. De *archet.* [b] duobus *arch.*

[1] Cf. Col. 1, 5. 6. [2] Cf. Deut. 28, 58. Dan. 3, 26.
[3] Cf. 1 Cor. 1, 9. Iudae 1. [4] Eph. 6, 10. [5] 1 Cor. 15, 3.
[6] Rom. 4, 25. [7] Eph. 2, 6. [8] Rom. 12, 3. [9] Phil. 2, 13.
[10] Cf. 2 Cor. 9, 15. [11] 2 Tim. 2, 7. [12] Cf. Dan. 2, 23. Mich. 3, 8 etc.
[13] Cf. Col. 1, 6. 2 Thess. 1, 12. [14] Cf. Io. 11, 4 etc. [15] Kessel.
[16] Paulus III. tres de Societate postulavit, quos ad tridentinum concilium mitteret theologos suos. Ignatius Iacobum Lainium, Alphonsum Salmeronem, Petrum Fabrum ad id munus elegit (*Boero,* Fabro p. 197).

calendas Maij Valentiam in citeriorem Hispaniam deuenisse. Et scimus, speramus quidem certe, non peruenturum Tridentum[a] nisi nos primum viserit. E re igitur vestra arbitratus sum facturum me in Christo (quandoquidem et mores habet ille exploratos, et rerum statum istarum regionum) si illum in consilium adhibeam cum alijs fratribus, vt de vobis statuam in Christo Jhesu quod ad seruitium, et gloriam dei attinere existimemus.

Iam si literas a nobis tam crebro non accipietis, quam vobis credo iucundum foret, et nos a vobis expectare debemus, nil est quod miremini. Quod tametsi conijcere vos arbitror, tamen paucis accipite. Mihi tanta moles negotiorum in Christo Jhesu incumbit, ac succrescit[b] indies, vt vix tandem aliquando me explicare possim, vt ad rescribendum quibus plurimi interest animum diuertere possim. Ibi vero quasi agmine concurrunt, quibus est respondendum vel omnino scribendum. In tot iam regionibus operatus est spiritus Christi[1], ad amplificandam nostram societatem ad gloriam nominis sui. Habemus enim Paduae collegium in quod nobilis quidam Venetus mille ducatos annui redditus designauit[2]. Tametsi pro vita sua alantur illic duodecim e nostris. Bononiae his diebus spes aliqua habita est erigendi collegij. Nam illuc misimus Magistrum Ieronimum Dominec[3] qui cum tribus scholasticis interim alatur. Tridenti praeterea spes noua quaedam effulsit instituendi collegium, in gloriam Christi copiosum, ac nobile in Academia Parisiorum, in qua iam aliquot e nostris habemus[4]. Valentiae in Hispania collegium iam inchoatum est atque assignati redditus 300 ducatorum vbi etiam alij scholastici nostri degunt. Gandie in eadem regione a duce[5] collegium aliud est designatum, cum redditu annuo 700 ducatorum. In collegio Portugalliae[6] 80 e nostris aluntur.

---

[a] Tridendum *arch.* [b] successit *arch.*

---

[1] Cf. 1 Cor. 12, 4—11.

[2] Andreas Lipomanus (Lippomano), patritius venetus et „frater hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani", a prioratu, quem Venetiis habebat, vulgo „prior S. Trinitatis" appellatus, alterius prioratus, quem Patavii possidebat — domus B. Mariae Magdalenae ea vocabatur et ordinis Beatae Mariae Theutonicorum erat — reditum collegiis Societatis Iesu Patavii et Venetiis sustentandis, summo pontifice probante, destinavit (Cartas de *San Ignacio* I, 240—241. *Polancus* l. c. I, 147. *Orlandinus* l. c. l. 10, n. 96. *Synopsis* Actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu 1540—1605 [Florentiae 1887] p. 5, n. 16).

[3] P. Hieronymus Domeneccus (Domenech) ecclesiae metropolitanae valentinae canonicus erat, cum Parmae consilium cepit Societatem Iesu ingrediendi (*Polancus* l. c. I, 82).

[4] Guilielmus a Prato, episcopus claramontanus, in concilio tridentino, cui tunc etiam P. Claudius Iaius Ottonis cardinalis augustani nomine intererat, consilium cepit Societati magnum collegium constituendi Parisiis, ubi ecclesia claramontana aedes habebat. Quod „claramontanum collegium" postea conditum est. Vide epistulam Iaii ad Ignatium datam Tridento 10. Martii 1546, apud *Boero*, Iaio p. 99—100, *Manarei* commentarium p. 62—63 ac *Polanci* Chronicon I, 182.

[5] Francisco de Borgia. [6] Conimbricae id erat.

Eum numerum rex[1] constituit augere, vt centum sint scholastici. Et iam illis assignauit redditus bis mille ducatorum. Et omnia praeterea tribuit quae illis necessaria sunt. Ad hec sunt alia loca permulta ad quae scribendum est Barsinonam[2], in Aulam Caesaris, in aulam principis Hispaniarum, Louanium, ad vos, Tridentum, in Indiam, de qua uix est quod ad vos scribamus: praeterquam quod proxima nauigatione eo miserit rex[3] decem[4] ex nostris: tantus est fructus nostrae societatis in illis regionibus in Christo, tanta spes futurae messis. Omitto Complutum[5], Tolletum, Vallisoletum in quibus vel scholasticos habemus vel qui a nobis literas desiderare possunt. Itaque si literas a nobis non accipietis frequentes, id boni consuletis. Curabimus tamen, vt nunquam omittamus scribere, vbi ad Christi gloriam et consolationem nostram in vobis[6] res digna videatur in qua tempus insumamus. Vos tamen non negligetis ad nos frequentius literas dare. Magistrum Jacobum Lost[7] a Gheldonia misimus post Paschalia Agrigentum[8] in Siciliam. In qua ciuitate Episcopus est reuerendissimus Cardinalis Carpensis[9] nostrae societatis protector. Cui tota societas omnia debet in Christo. Is infinita quadam instantia postulauit, vt aliquem e nostris illi gratificaremur, qui reformationi Episcopatus Agrigentini suo nomine operam nauaret. Commodissimum putauimus Magistrum Jacobum mittere, vt eius expectationi ad gloriam Christi responderemus. Speramus paucis mensibus prouinciam confecturum. atque ad nos reuersurum[10]. His diebus accepimus Tridentum peruenisse Magistrum Jacobum Laynez, et Magistrum Alphonsum Salmeron socios, et fratres nostros. Quos opinor audieratis in concilium destinatos a summo pontifice. Fuerunt gratissime tum ab alijs reuerendissimis legatis Apostolicae sedis accepti et Episcopis alijs, tum vero a reuerendissimo legato cardinali sanctae crucis[11] qui iussit omnia illis suppeditari quae desiderare possunt, ad victum et alia. Speramus in dei misericordia per Christum Jhesum non inanem futurum eorum aduentum. Misimus has literas per Danielem Paeijbrouch[12] flandrum

---

[1] Ioannes III.

[2] Non videtur significari Barcinona illa gallica (Barcino Nova, Barcellonnette), sed Barcino vel Barcinon (Barcelona), Hispaniae urbs.

[3] Ioannes III.

[4] Nomina novem Sociorum, qui 8. Aprilis 1546 in Indiam navigare coeperunt, sunt apud *Orlandinum* l. 6, n. 87 et in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 310[4].

[5] Vulgo Alcalá de Henares.

[6] Cf. 2 Cor. 7, 7. 13.

[7] De Iacobo Lhostio vide supra p. 129.

[8] Vulgo Girgenti.

[9] Rodulphus Pius (Pio), ex principibus carpensibus.

[10] Quae Lhostius in Sicilia praestiterit, vide in Chronico P. *Ioannis de Polanco* I, 198—199. 236—237.

[11] Paulus III., cum Marcellum Cervinum (Cervini) cardinalem presbyterum crearet, eius „titulum“ voluit esse ecclesiam romanam „sanctae crucis in Ierusalem“, ideoque „cardinalis sanctae crucis“ dicebatur. Qui postea Marcellus II. summus pontifex fuit.

[12] De hoc vide supra p. 103[2]. 104[3].

dilectum nobis in Christo qui ex obedientia nostra profectus est, illum vt fratrem recipietis vt eius spiritus in vobis reficiatur[1] in domino.

Reliquum est vt deum, et patrem domini nostri Jhesu Christi[2] oremus, atque obsecremus vt suam sanctissimam voluntatem in cordibus nostris aperire dignetur, et vires preterea facere vt eam impleamus. Gratia domini nostri Jhesu Christi sit uobiscum Amen[3]. Romae 4 Nonas Junij 1546.

Ex commissione Reuerendi patris Magistri ignatij

Hieronymus Natalis nouitius indignus Societatis Jesu[4].

30.

PETRUS FABER (DE SMET) S. J.[5]

CANISIO EIUSQUE SOCIIS COLONIENSIBUS[6].

Roma 2. Iunii 1546.

Ex apographo, a Canisio ipso confecto; deest folium prius; superest alterum (2°, 1½ pp.), sine inscriptione[7] (Canisius fortasse hanc epistulam transcripsit, ut autographum Lovaniensibus mittere posset). Cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 12.

Particulam germanice versam posuit *Gothein* l. c. p. 376.

Celebrem illum Postellum, doctores, canonicos, Societatem ingressos eximia submissi animi aliarumque virtutum praebere exempla. Philippum II. in monasteriis quibusdam reformandis Ignatii opera uti. De Sociis Tridentum destinatis, Indis quamplurimis ad Christum adductis, dioecesi agrigentina, collegiis in variis terris conditis vel condendis, modestissimis epistulis a duce Gandiae et a rege Lusitaniae ad Ignatium datis. Romanos Socios optare, ut sanctis coloniensibus commendentur.

— — — non linguam tantum et oculos, sed vtramque manum, ambos pedes, totum corpus, et omnem animi fidelitatem. Cardinales quotidie rogantur, et quotidianam vini panisque portionem nobis[8] tribuunt. Venit huc Doctiss. uir et Mathematum Regius Professor apud Parisienses Guilhelmus Postellus. Is optimus Theologus et acutissimus philosophus vix quemquam sibi parem habere hoc saeculo existimatur. Sed apud nos ad culinariam artem se submisit, et futurus Christi praedicator, in humillimis quibusque versari negociolis habet pro voluptate[9].

[1] 2 Cor. 7, 13. [2] 2 Cor. 1. 3. 1 Petr. 1, 3 etc. [3] Apoc. 22, 21 etc.

[4] De eo vide supra p. 47[7]. [5] De eo vide supra p. 104[2].

[6] Leonardo Kessel, Everardo Questenburch; cf. supra p. 188[2].

[7] Ad Colonienses hanc epistulam datam esse tum eius extrema pars ostendit, tum epistula a Petro de Smet ad Canisium missa 9. Iunii 1546.

[8] Sociis in collegio romano degentibus.

[9] Guilielmus Postel egregie quidem litteratus et doctus erat, mathematicis potissimum litteris et varietate linguarum; sed graves etiam errores et ridicula plane somnia sequebatur, non tam voluntatis pertinacia, quam magna mentis insania ductus. Ignatius hominem brevi perspexit et a Societate secrevit (*Polancus* l. c. I, 148 ad 149. *Orlandinus* l. c. l. 5, n. 3. *Denis*, Wiens Buchdruckergeschichte p. 518

Doctores Theologiae quidam nostris etiam se adiunxere. Humilitatem illorum admirantur omnes: Doctrinam dediscere, paupertatem addiscere, contemptum sui parare, et omnes Christo lucrifacere velle videntur.

Ex Lombardia iuuenes duo et eruditi et mire pij accesserunt[1], quorum conuersatio humiles humiliare et sanctos sanctificare poterat. Ita cunctis eorum praelucet exemplum.

Canonici quidam voluptate omni seposita iugum domini sunt apud nos etiam amplexi. Dominus talium canonicorum affectus plurimis canonicis inspiret, non tam vt nostrum augeant numerum, quam animarum suarum fugiant exitium.

Princeps Hispaniae clarissimus, Philippus Caroli Im. vnigenitus breui scripsit et ad sanctiss. Pontif. et ad Praepositum nostrum de monasteriorum Hispanicorum reformatione. Qua in re nunc diligenter sudatur, vt sanctissimum Principis institutum promoueri queat[2].

Reuerendus P. D. Faber authoritate Pontificis iam ex Hispanijs reuocatus est, licet amplissimam illic messem acceperit, et ad concilium Tridentinum vna cum alijs duobus Patribus accedere cogitur. Jamque monasterium[3] vsibus nostrorum Tridenti assignauit Cardinalis Tridentinus[4].

Volens omitto Indicae fidei successum, quam nostri in nouis illis Insulis ita propagare pergunt, vt breui tres reges baptizati et cum innumera hominum turba Christo consecrati sint, nostrosque pro suis Apostolis obseruent.

Cardinalis Regni Siciliae[5] postulauit adiungi sibi ex nostris aliquem, futurum in Episcopatu administrando Vicarium suum. Breui deligendum arbitror, qui talem subeat prouinciam.

Praepositus S. Trinitatis apud Venetos insigne collegium nostris contulit studiosis: Idem factum est Paduae[6], rursus et Valentiae. Reditus pro studiosis adolescentibus ex nostris, iam assignati sunt

ad 520. *I.-M. Prat* S. J., Maldonat et l'Université de Paris au XVIe siècle [Paris 1856] p. 133. 541—548).

[1] Hannibal Codrettus (Codret, du Codré, du Coudrey) gebennensis et Benedictus Palmius (Palmio) parmensis; horum accessio magno ecclesiae fuit emolumento (*Polancus* l. c. I, 169).

[2] Roma ad Philippum missae sunt litterae apostolicae pro reformandis conventibus monialium urbis barcinonensis anno 1546, pro reformandis monasteriis provinciae Catalauniae anno 1548. Qua de re vide epistulas a S. Ignatio ad Philippum datas (*Chr. Genelli* S. J., Das Leben des hl. Ignatius von Loyola [Innsbruck 1848] p. 457—458. 486—487. Cartas de *San Ignacio* I, 312—313; II, 101—102 etc.) et alias Ignatii litteras et institutiones in „Cartas" I, 263—265.

[3] P. Claudius Iaius 29. Aprilis 1546 Tridento ad S. Ignatium scripsit: „Ho trovato una camera per li compagni in casa di un cavaliero di Rodi, con buona comodità di una chiesa" (*Boero,* Iaio p. 105—106).

[4] Christophorus Madrutius (Madrucci, Madruzzi).

[5] Rodulphus Pius, cardinalis carpensis et episcopus agrigentinus; vide supra p. 191. [6] Vide supra p. 190[2].

non sine Pontificis confirmatione. Nam vt dignos habeat operarios Ecclesia, magnopere in pie instituenda iuuentute laborandum est.

Dux illustrissimus Gandiae[1] apud Hispanos nouum erigit collegium ad eundem finem[2]. Rex Portugaliae[3] iam diu idem liberalissime prestitit[4]. Vterque suis literis ad D. Ignatium datis tantum humilitatis prae se tulerunt, vt non summos Principes, sed modestissimos et simplicissimos monachos referre videantur. Sed nec mei est otij, nec ingenij, singula quaeque complecti, digna quidem quae ad aedificationem exponerentur, sed prolixiora quam vt his literis comprehenderentur. Scripsi nuper fusius, vt illa quoque vobis repetere non debeam[5]. Sed haec tantum eo spectant omnia mi frater, vt CHRISTVM vere longanimem et liberalem patrem agnoscas etiam ex nobis, agnitum glorifices pro nobis, et glorificatum nouo semper studio sanctificandum scias in nobis, quoad ex seruis peregrinantibus constituamur filij cum ipso patre triumphantes in caelis. Illic illic vna iungat nos faelicitas, quos hactenus in vinculo pacis[6] eadem stringit charitas amen. Patres et fratres qui sunt hoc loco, plurimum te salutant et animam tuam orationibus iuuant, nihil precantes a te flagrantius, nisi vt vicissim ipsorum memineris, praesertim apud S. Magos, apud S. Thebeos, apud S. Sodalitatem Sanctarum XI M. Virginum et apud S. Machabeos[7]. Meo nomine salutabis qui nos amant in Christo amicos: nominatim autem M. Andream. D. Danielem et P. Carthusiae priorem. Denique D. noster Praepositus omnem operam suam offert promittitque tibi, sicubi paternae illius erga te dilectionis argumentum desyderes. Bene vale et salue in CHRISTO Domino nostro. Cui laus et honor in saecula saeculorum amen. Romae raptim II Junij 1546.

Petrus de Hallis tuus
indignus frater et conseruus
in Christo Jesu.

31.

SANCTUS IGNATIUS

PATRIBUS LEONARDO KESSEL ET PETRO CANISIO S. J.

Roma 6. Iunii 1546.

Ex archetypo (2°, 1 p.). Ignatius ipse scripsit ultima verba epistulae (Romae — Ignatius) eamque inscripsit; cetera a P. Ioanne de Polanco, Ignatii secretario, scripta esse videntur. Ex frequenti huius epistulae cultu usuque (de quo infra, post epistulam ipsam, scribetur) multa eius vocabula omnino aut ex parte evanuerunt aut tam obscura reddita sunt, ut legi iam non possint.

[1] Franciscus Borgias. [2] Gandiae. [3] Ioannes III.
[4] Conimbricae. [5] Haec epistula iam non exstare videtur.
[6] Eph. 4, 3. [7] Cf. supra p. 37[2]. 173[3]. 173[4]. 173[6].

In cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 14 non sign. apographum huius epistulae exstat, quod 23. Augusti 1657 in collegio coloniensi scriptum est; plura de eo infra dicentur.

In opere „Cartas de San Ignacio de Loyola" (Madrid 1874—1889) deest.

Epistula usus est *Hansen* l. c. p. 200.

Facultates sacras antea concessas revocat. Qua ratione modo cum Sociis coloniensibus facultates illas communicare velit, quas Paulus III. Societati tribuerat: ubique libere contionandi et sacramenta administrandi etc. [1]

†

Jesus

Gratia domini nostri Ihesu Christi sit semper nobiscum. Amen.

[Ex][a] commissione nostra scripsit vobis de alijs rebus Ieronimus [Nata]lis noster[2]. [Ho]c tamen p[raetere]a volui vos intelligere[b]. Is[c] di[eb]us const[itui]sse n[os, ut] nullus[d] habeat facultatem [illa]rum gratiarum de quibus scripsistis, nisi per [nos] immediate collatam. Itaque si qui sunt qui illam facultatem acceperint, siue per nos, siue per ministerium sociorum nostrorum, ea cumprimum has literas receperint pro nihilo habeatur. Quandoquidem [autem te] D. Leonarde scimus v[ota] habere castitatis et paupertatis et propositum nostram ingrediendi societatem[3], at[que] alioqui nobis probatus es illam tibi Apostolica autoritate viuae vocis oracul[o] a S. D. N. PP. Paulo 3° nobis tradita[4], concedimus ac damus in Domino. Quod si quis praeterea inter vos fuerit, qui eadem [vo]ta habeat, et propositum: et t[ibi] Leonardo et Petro Canisio probatus fuerit, mihi [scri]betis per literas, nomen, eius, et [c]ognomen ut quod ad gloriam Dei ex-

---

[a] *Quaecumque in hac epistula uncis quadratis includuntur, in archetypo desunt aut valde obscura sunt, ideoque ab editore sunt suppleta.*

[b] *In apographo coloniensi haud recte, ut videtur, suppletum est:* Haec tamen particularia volui vos intelligere. *Nam etiam Natalis multa particularia scripserat; praeter quae Ignatius alia Sociis coloniensibus nuntiare volebat.*

[c] *Sic arch. Legendumne* His? [d] Is dicitur constituisse ne vllus *apogr. col.*

---

[1] Cf. Cartas de *San Ignacio* II, 55—59. [2] Vide supra p. 188—192.

[3] A Sociis lovaniensibus *S. Ignatius* *epistula circa annum 1546 data (vide supra p. 129) postulavit, ut „propositum ingrediendi societatem" „voto firmarent".

[4] *S. Ignatius* Lovaniensibus in epistula modo prolata: „Illud interim monendi estis, quod hasce omnes gratias, quas habituri sunt, qui hanc religionem profitentur, donec aliqui non sint professi, non publice possunt suum in patrocinium adducere, quia vivae vocis oraculo, non per diplomata concessionem hanc habuimus a summo Pontifice, pro ijs inquam qui societatem non professi sunt. Nam professi per breve vel diploma publice etiam sua poterunt privilegia ostendere, nihilominus in foro conscientiae perinde est vivae vocis oraculo ea obtinuisse, ad eius qui dispensat securitatem, et eorum qui ijs fruuntur utilitatem." Breve sive litterae privilegiorum, de quibus Ignatius scribit, a Paulo III. Romae 3. Iunii 1545 datae sunt. Litteras illas et privilegia in iis concessa ad scholasticos quoque, immo et ad novicios Societatis ex ipsis „regulis iuris" extendi potuisse nunc quidem omnes affirmabunt; tunc autem id nondum adeo manifestum fuisse videtur, ideoque, ut omnia in tuto essent, Ignatius illud „vivae vocis oraculum" a summo pontifice videtur obtinuisse.

istimemus [proficere][a] possimus [conced]ere[b], et [dare][c] [1]. Ut autem sciatis [quam] late pateant illae gratiae id subiungemus breuiter.

Est facultas recitandi horas Canonicas secundum vsum noui breuiarij [2]. Est praeterea licentia praedicandi verbum dei, vbique [3], nullius super hoc licentia requisita. Ita vt gaudeant priuilegijs, gratijs, facultatibus, indultis, concessionibus quibus praedicatores verbi dei gaudent de iure vel de consuetudine [4]. ....[d] et absoluendi in foro conscientiae a casibus reseruatis, et c[omm]utandi vota reseruata sedi Apostolicae; exceptis reseruatis in bulla coenae Domini [5], et ministrandi sacramentum Eucharistiae, et alia sacramenta, si[ne] praeiudicio [cu]iusquam, nullius etiam licentia requisita. Et si contigerit esse occupatos [ante] meridiem vel in audiendis confessionibus, aut in [procurandis infirmis][e], vel ius[tis][f] alijs [impe]dimen[tis], possint post [meridiem cele]brare[g] [missam,] et [m]inistr[are E]ucharistiam [6].

---

[a] praestare *ap. col.; lectio dubia.* [b] *Ita ap. col.*

[c] decidere *ap. col.; lectio dubia.*

[d] *In archetypo sequitur versus, qui nulla nunc ratione legi potest, cum pauci tantum litterarum apices in eo appareant. Atque etiam librarius coloniensis eum omittit.* [e] aut in operibus — *ap. col.* [f] quibusuis *ap. col.*

[g] consecrare *ap. col.*

---

[1] De facultatibus illis *S. Ignatius* sic scribit ad Socios lovanienses: „Cum hic thesaurus gratiarum mihi a summo pontifice sit commissus in aedificationem non in destructionem, ut ipse, prout aptum quemque de nostris inuenerim, et prout quisque opus haberet, dispensarem, omnino pedetentim et moderate eo uti debeo, ut dispensatorem me non dissipatorem meminerim. Adde quod multi, dum abutuntur concessis sibi privilegijs (non de nostris loquor, quibus Dei gratia nec abuti quod sciam, nec privari contigit) his diebus privari eisdem promeruerunt. Quod etiam cautiores nos facere debet, ut bene ac moderate utendo, ac dispensando, stabiliora faciamus, quae nobis sunt donata. Quae tam rara sunt, ut invidiae etiam reddere nos obnoxios possint, nisi facultatem moderatione temperemus" (In *epistula modo memorata).

[2] Paulus III. in litteris illis potestatem Sociis facit „horas canonicas diurnas pariter et nocturnas secundum usum romanae Ecclesiae noviter editum dicendi et recitandi, ita quod ad alium usum observandum seu officium dicendum minime teneamini". Significatur autem breviarium romanum a Francisco cardinali Quinonio (Quiñones) O. Min. reformatum et anno 1535 primum editum; quod brevius et simplicius erat quam breviaria pristina (vide *Pierre Batiffol,* Histoire du Bréviaire romain [Paris 1893] p. 220—230, et *Suitb. Bäumer* O. S. B., Geschichte des Breviers [Freiburg i. Br. 1895] p. 392—409). Litterae Pauli III. compluries typis exscriptae sunt, v. g. in opere „Litterae apostolicae . . . . Societatis Jesu" (Antverpiae 1635) p. 24—28 et in „Instituto Societatis Jesu" vol. I (Pragae 1705) p. 7—8.

[3] „In quibusvis ecclesiis et locis ac plateis communibus seu publicis et alias ubique locorum" (Paulus III. in litteris, quas supra diximus).

[4] Facultates et exceptiones dici videntur, quae spectant ieiunium ecclesiasticum, recitationem officii divini etc.

[5] „Vota quaecumque . . . (ultramarinis [i. e. sepulcrum domini pie adeundi], visitationis liminum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Urbe ac Sancti Jacobi in Compostella, nec non religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi" (Paulus III. l. c.).

[6] „Missas ante diem, circa tamen diurnam lucem, et etiam infra horam post

Ac [et]iam propter legitimum[a] im[p]edimen[tum habeant] facultat[em ant]eponendi[b] et postponendi[1] horas canonicas[2]. Romae 6. guni [*sic*] 1546. Ignatius.

Chariss. in Christo Domino Magistro Leonardo [Kesselio. Coloniae.][c]

In apographo coloniensi huius epistulae, quod supra dixi, librarius adnotavit: „Autographum est in Theca argent. deaurata Collegij Coloniensis pro Puerperis"... Hoc apographum „Est ex Chirographo altero argent. deaurato S. P. N. magis nouo cum effigie magna S. P. N. et inscriptione: S. PATER IGNATI ORA PRO NOBIS, sub 1630 inclusum, apertum et exscriptum 1657 die 23. Augusti" [*sic*]. Haec explicantur ab *Aegidio Gelenio*, canonico coloniensi, qui eodem fere tempore scribit: In templo Societatis Iesu coloniensi „sunt quaterna Chirographa S. Ignatij, quorum bina inclusa thecis inauratis continuo per vrbem circumferuntur ad parturientes foeminas, quarum in ea necessitate, tam frequens est patronus, vt dies 31. Iulij pene in Festum Ignatio Sacrum abierit tacito vsu eorum qui beneficij in se collati memoriam non deposuerunt" [3].

32.

PETRUS FABER (DE SMET) S. J.

CANISIO.

Roma 9. Iunii 1546.

Ex autographo (2° min.; 1 p.; in p. 2. inscriptio et pars sigilli). Cod. colon. „Litt. Epistt. var.", fol. non signato, quod est ante f. XI[11].

Sociis coloniensibus labores pro hominum salute susceptos gratulatur et patientiam commendat. De dioecesi agrigentina, monasteriorum hispanicorum reformatione, Beato Petro Fabro, aliis Sociis.

Gratia domini nostri iesu Christi sit semper tecum, Chariss: frater, ab hinc paucis diebus ad vos vnas scripsi literas. Ceterum

[a] similia *ap. col.* [b] interponendi *ap. col.*
[c] *Haec duo vocabula ex apographo coloniensi deprompta sunt.*

meridiem, quando et quoties, stante legitimo impedimento, moderno et pro tempore existenti praeposito vestro praefato id necessarium, vel alias in domino expedire visum fuerit, celebrandi: Et post seu ante illarum celebrationem, aut alias, Christi fidelibus ipsis Eucharistiae et alia ecclesiastica Sacramenta, sine alicuius praeiudicio, ministrandi" (Paulus III. l. c.).

[1] Potissimum significari videtur facultas officii divini missae sacrificio „postponendi". Similis potestas Theatinis iam a Clemente VII. facta erat.

[2] Potestas contionandi et sacramenta administrandi, etiam nulla ab episcopis benedictione, licentia, approbatione petita vel accepta, a concilio tridentino multum restricta et temperata est (sessio V. de ref. c. 2; sessio XXIII. de ref. c. 15). In iis autem, quae missae, sacrae communionis, horarum canonicarum tempus spectant, nunc ipsa consuetudo et theologorum mitigata doctrina quaedam permittunt, quae olim vetita esse censebantur, nisi specialis praefectorum dispensatio praesto esset (vide e. g. *S. Alphonsi de Ligorio* Theologiam moralem l. 6, n. 343. 344. 347: l. 4, n. 173).

[3] De admiranda magnitudine Coloniae (Coloniae 1645) p. 510.

per discessum M. danilis[1] obtulit se occasio alteris literis congratulandi vobis: et simul vobiscum laudem dandi diuinae maiestati que pro sua immensa Clementia vobis vtitur in ijs siquidem [?] quae ad proximorum salutem promouendam faciunt, bonorum, fratres, laborum gloriosus erit fructus[2]: itaque patienter sustinendum donec aduenerit quod nunc per spem expectamus: hec spes Dei seruos in omnibus tribulationibus[a] solatur et confortat vt non fatigentur[3]: Quod attinet ad ea quae hic aguntur daniel vobis plura referet: ego hoc addam: Dominus Jacobus de geldonia[4] discessit a nobis VII maij in Ciciliam ad instantiam cuiusdam domini Cardinalis[5], qui in regno Ciciliae habet episcopatum[6] in quo episcopatu cupiuit [?] habere aliquem de societate qui ibidem cum fructu maneret: hac intentione discessit Dominus Jacobus, a quo nondum literas recepimus: cuius fructus dominus per vestras orationes multiplicet[7], Reuerendus dominus pater noster dominus ignatius occupatur magnis negocijs pro animarum salute, Princeps Hispanie scripsit ad .s. pontificem super reformatione quorundam monasteriorum in Hispania super quo negocio scripsit quoque ad Dominum ignatium[8], Alij patres et fratres recte valent exercentes opera Charitatis, humilitatis, et obedientiae. particularia daniel vobis latius narrabit, Ceterum breui expectamus Dominum petrum fabrum qui per nos ad Concilium est iturus: visum est ita .s. pontifici vt ex hispania vocaretur ad Concilium, M. Ambrosius de lyra iam manet in gandia, in nouo Collegio ducis gandiae, a quo non recepi adhuc literas, Salutant vos omnes patres et fratres, Si domini Ignatij Praepositi nostri operam in re quapiam postulaueritis eam vobis non denegabit, Credo quod iussit scribi ad vos, Salutem opto domino M. nostro apud Praedicatores[9] quem salutabis meo nomine item dominum Andream[10], Reuerendum patrem priorem apud Carthusiam et dominum danielem[11], aliosque amicos, Raptim Romae 9. Junij a. 1546.

[Petrus faber de Hallis][b]
tuus in Christo indignus Confrater.

[a] tribulatione *autogr.*
[b] *Petri nomen subscriptum barbarus quidam homo cultro exsecuit; quod tamen ex aliis Petri de Smet epistulis, quae in eodem codice sunt, facile suppleri potuit.*

[1] Danielem Paeybroeck dicit; vide supra p. 191—192.
[2] Sap. 3, 15.
[3] Cf. Hebr. 12, 3.
[4] Iacobus Lhostius; vide supra p. 191.
[5] Rodulphi Pii.
[6] Agrigentinum.
[7] Cf. 2 Esdr. 9, 37.
[8] Vide supra p. 193.
[9] Tilmanno Smeling vel Ioanni Stempel.
[10] Herll.
[11] Is in Carthusia degebat; de quo Beatus Petrus Faber in epistula ad Hammontanum 12. Martii 1546 data (*Reiffenberg* l. c. mant. p. 13 et Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 397; cf. etiam supra p. 126. 157).

De felici progressu studiorum domini leonardi[1] gauisus sum cuius precibus me commendo.

Charissimo in Christo fratri Magistro petro kanisio: apud predicatores[2], Coloniae.

33.

CANISIUS

P. ALVARO ALFONSO S. J.[3]

Colonia 13. Iunii 1546.

Ex apographo, circiter annum 1870 descripto ex autographo, quod est in „Varia Historia" (cf. supra p. 102) t. I, f. 97.

De PP. Bobadilla et Iaio. A Lutheranis extrema timenda. Hermannus de Weda a summo pontifice damnatus. De studiis in academia coloniensi reformandis. Qua ratione PP. Kessel et Canisius scholasticorum salutem aeternam procurent. De prima missa Canisii. Patientiam magnam Sociis coloniensibus necessariam esse, cum adeo a ceteris Sociis neglegantur.

Ihesus

Reverende Domine et Pater:

Gratia Domini nostri Iesu Christi semper nobiscum.

Permolestum est sane tot mensibus nihil de vobis intelligere. Nos hic in Domino sic valemus, ut orationum vestrarum praesidio vehementer sit opus. Nosti enim orphanos in medio Nationis pravae[4] et adulterinae [*sic*] hactenus relictos esse. P. Bobadilla, qui quinque mensibus hic hyemavit, jam Comitiis adest Ratisbonae[5]. Ubi ni Caesar in Lutheranos vim omnem commoveat deplorata pene fuerit Germania. Sed serio agitur pro Religione in Concilio Tridenti, praesente illic etiam D. Claudio, Patre Nostro[6]. Sic Coloniensis Archiepiscopus resipiscit ut omnem ipsius resipiscentiae spem abjecerint viri sapientes. Romanus Pontifex adversus illum tulit sententiam[7]; sed exsequutio penes Caesarem manet. In hac Civitate stat utcumque incolumis et

---

[1] Kessel.

[2] Prope monasterium Dominicanorum habitanti; cf. supra p. 136[8]. 141.

[3] De eo vide supra p. 161. 168. [4] Phil. 2, 15.

[5] Bobadillae Colonia discedenti „Coloniense capitulum litteras, tribus sigillis pro ipsorum more impressas, . . dederunt, ut ipsorum nomine Caesaream Majestatem ejusque Concilium alloqueretur. Apud Summum Pontificem etiam Coloniensium causam per litteras promovebat" (*Polancus* l. c. I, 183).

[6] Otto, cardinalis et episcopus augustanus, P. Claudium Iaium et Wolfgangum Andream Rehm, canonicum augustanum, in concilio tridentino procuratores suos esse voluit. Iaius post medium mensem Decembrem anni 1545 Tridentum advenit (*Boero*, Iaio p. 95—97. *Plac. Braun*, Geschichte der Bischöfe von Augsburg III [Augsburg 1814], 377).

[7] Paulus III. 16. Aprilis 1546 Hermannum de Weda excommunicavit, ab episcopatu removit, subiectos fide ei data liberavit. Pontificis sententiam typis exscripsit *Meshovius* l. c. p. 151—157.

Clerus et Senatus. Proposita est optima methodus reformandi Studia Theologica[1] et singularum facultatum. Agitur nunc de stipendiis Professorum quae assignabantur ex bonis Collegiorum[2] et Monasteriorum. Dominus faxit ut quod recte coeptum est foeliciter impleatur. Ego una cum Domino Leonardo[3] sum hic solus eisdem in aedibus, fratrem habens Magistrum Andream Sutphaniensem in Bursa Laurentiana. qui se nostrae Societati addixit plane[4]. Canonicus quidam meae patriae statuit itidem Christo militare nobiscum, idemque Magister Lovaniensis est apprime doctus. Ex scholasticis plurimos habet D. Leonardus confitentes, ego plures me subinde visitantes, et de vita corrigenda meditantes. De reliquis ad Reverendum Dominum Fabrum copiosius[5]. Ipso hoc sacro Pentecostes die[6] primitias mei Sacerdotii Deo optimo maximo dedicavi[7]. Roga Dominum ut salutaris mihi sit suscepta tanti muneris celsitudo. Rogent idem velim qui sunt tecum fratres. E Roma, ut solet, nihil huc adfertur, e Ratisbona nihil scribitur, e Portugallia nihil transmittitur. Augeat interim Spiritus Sanctus suam in nobis virtutem, ut, etiamsi humanum destituat nos praesidium, stemus immobiles et in desolationibus patientes. Deo sic nostram causam opinor commendavimus, ut humanis consolationibus foveri et temporariis commodis deliniri [*sic*] non admodum cupiamus. Quamquam ea sit nostrorum meritorum tenuitas, ut, quicquid triste ingeritur, pro demeritis irrogari fatendum sit. Sed tamen peracerbum est filiis, praesertim orphanis nihil cum patribus et fratribus commune videri.

Vale Pater carissime filiique Kanisii memoriam in sacrificiis tuis perpetuam serva.

Coloniae Sancta die Pentecostes 1546.

Tuus Petrus Kanisius.

ihesus

Carissimo Domino Alvaro Alphonso de Societate nominis Jesu. Patri meo in Christo.

---

[1] Ab anno 1525 usque ad saeculum XVIII. Colonienses saepe de universitate sua reformanda deliberabant. Anno 1545 et proxime secutis id agebatur, ut sex theologiae professores constituerentur, pro veteri et pro novo Testamento bini, pro linguis hebraica et graeca singuli (*Bianco* l. c. I, 486).

[2] Ecclesiarum collegialium. [3] Kessel.

[4] Andream Sydereum, canonicum zutphaniensem, significare videtur; de quo plura infra.

[5] Dolendum quam maxime, quod epistula haec ad Fabrum data non iam exstet.

[6] Is tunc erat dies 13. Iunii.

[7] In ecclesia monasterii Beatae Mariae Virginis in „maiore Nazareth“: quod monasterium virginum ordinis S. Augustini erat. Vide supra p. 45.

34.

CANISIUS
FRIDERICO NAUSEAE,

episcopo viennensi.

Colonia 20. Iunii 1546.

Ex libro „Epistolarum miscellanearum ad Fridericum Nauseam . . . libri X.“ (Basileae 1550) p. 400—403. Vide supra p. 145.

Particulam posuerunt *Riess* l. c. p. 56[1] et *Hansen* l. c. p. 200[1].

Canisius, „temporalium bonorum sarcina“ modo levatus, gratias agit Nauseae, laborum et opum communionem sibi offerenti et Viennam se vocanti; se plane miserum et Nauseae amore ac sacro suo munere indignissimum esse. Libenter se Viennam venturum, cum praefecti id permiserint. Horum epistulas mittit. Postelli librum „De concordia“ laudat. Hermannum de Weda obstinatum esse, Gropperum praecipuum catholicorum coloniensium columen et sibi familiarem. Gropperi catechismos laudat et ad Nauseam mittit. Se opera Cyrilli Alexandrini et Leonis Magni typis exscribenda curasse. Leonis editio quam difficilis sit.

PETRVS KANISIVS NOVIOMAGVS, ETC.

Reuerendiss. patri et Domino Friderico Viennen. Episcopo, etc. S.

Gratia Domini nostri IESV CHRISTI semper assistat C. T. et Viennen. ecclesiam conatibus tuis illustrare pergat, et augere. Quum his diebus ex Geldrica patria Coloniam redijssem, ac temporalium bonorum illecebrosa sarcina me non sine uoluptate maxima leuassem. commodum sane domi literas offendi tuas, hoc est, D. Nausea et Episcopo dignissimas. At illud commodum non fuit, eiuscemodi scripta tot mihi mensibus intercipi, nec ante Maium accipere, quod Nouember istic augustissime mihi peperisset. Igitur serius quam uellem, tuas literas contemplari licuit: semel autem inspectae, sic mihi pauerunt oculos et animum, ut hactenus de tanto Patrono et Moecenate, quem exhibent amicissime, non desinam gratulari mihi laetissime. Sed haud modo libet expendere, quid, quale, quantumque sit, inepti seruuli scriptum ab Episcopo, etiamsi tu is non esses, excipi beneuole, exceptum patienter legi. lectum bene [*sic*] consuli: sic denique uel tuo ipsius testimonio responsoque comprobari, ut longe plus impetrasse uidear, quam tenuitas mea sperare unquam potuisset, rogare saltem non sine pudenda praesumptionis nota debuisset. Equidem gratificandi et inseruiendi amplitudini tuae, studium meum datis literis declarare uolueram: ratus (quod res est) mecum praeclare actum iri, modo in Viennen. Episcopi quoque noticiam homuncionem istum insinuauissem, et ipsius clientulorum albo adscribi unus promeruissem. Tu contra, (o memorabilem Episcopi humanitatem) non te socium inquis, non seruum, non clientem, non mancipium, sed nostrorum pro rep. Christiana studiorum et laborum plane collegam habituri sumus, imo et nunc habemus. Taceo interim, quod uiribus et rebus et fa-

cultatibus tuis per quamlibet occasionem uti et abuti me iubeas, adeoque bonorum omnium uelis mutuam inter nos esse communionem. Nullum autem amantissimi pectoris argumentum prodi potuit euidentius, nullum accipi suauius, atque dum ita scribis: Tu noster esto, in aere tuo Nausea est, ac erit perpetuo: Fac tempore quoque primo nobiscum compareas, tuique nobis ita conspiciendi copiam facias, uti dextram dextrae iungere queamus, ambabusque ulnis te complecti ualeamus. Agnoscis haud dubie uerba tua, uir obseruandissime: quibus lectis, mirum ni rubore suffusus exclamem, ut qui nihil promeritus, omnia mihi deberi, et maxima proponi tribuique a maximo uiro persentiam. Alius fidenter cristas hic erigat, mirifice sibi placens, ac blandiens de tantis pollicitis. Ego uero, qui summorum hominum ultronea beneficentia tantum non obruor, hoc etiam ad miseriarum mearum cumulum accedere iudico, quod homo futilis, quem oderint cuncti iustissime, sic apud multos audiam bene. Quippe si uerum est, Conscientia mille testes[1]: quid demum in me tanta liberalitate et laude tua dignum conspiciatur? Ah, dicam ingenue, tot animae sordes miser circumueho: neglecti temporis damna, et oppugnatae uirtutis argumenta, sic mihi uersantur ob oculos, ut bonorum fauorem atque munificentiam experiri, nec aequum mihi uideatur, nec tutum, honestumque. Pro suo quidem merito iuuandi sunt pij, ac pie studiosi. At uide obsecro, nisi forte perfectionem meditaris Euangelicam[2], an prudenter satis in mei similes beneficia tua conferas. Eos loquor, qui pietatem multa cognitione, non affectus puritate: scientia et disserendi copia, non sanctimonia et uiuendi simplicitate metiuntur. Haec scilicet mea pietas est, patri Deo opt. max. fidem non seruare, ut filij solent adulterini: non suum cuique fratrum ius tribuere, quod inhumanitatis immane crimen est: agnitam iusticiae uiam non persequi, quod B. Petrus par facit infidelitati[3]. Caeterum ignaui quoque milites, quietis amantes, haud grauatim deponunt sarcinas. Tametsi quid referre possit, amicos etiam fures temporis deserere, ac interim a Dei amicitia et gratia excidere? Non repudiatae opes Cratem Thebanum, Diogenem et Cynicos fecere Christianos[4].

[1] „Ea quoque, quae vulgo recepta sunt, hoc ipso, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt: quale est *Ubi amici, ibi opes* et *Conscientia mille testes*“: *M. Fab. Quintilianus,* De institutione oratoria l. 5, c. 11.

[2] Nisi rebus omnibus venditis et in pauperes distributis atque episcopatu abdicato religiosum ordinem ingredi statuas. [3] 2 Petr. 2, 20—22.

[4] „Crates ille Thebanus, proiecto in mari non parvo auri pondere, ‚Abite‘, inquit, ‚pessum malae cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis‘“: *S. Hieronymus,* Adversus Iovinianum l. 2, n. 9. Cf. eiusdem Epist. LVIII. [ad Paulin.] n. 2. (Opera ed. *Vallarsius.* Ed. 2, tom. II, P. 1 [Venetiis 1767], p. 338; tom. I, P. 1 [Venetiis 1766], p. 319. *Migne,* PP. LL. XXIII, 298; XXII, 580). Idem *Hieronymus* in verba domini „Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione“ etc.: „Non dixit, qui reliquistis omnia, hoc enim et Crates fecit Philosophus, et multi alii divitias contemserunt; sed qui sequuti estis me: quod proprie Apo-

Quod autem sacras literas profiteor, et munere concionandi fungor, nihilo sit in me laudabilius, quam aes inani strepitu discindens aërem, aut cymbalum inutili tinnitu aures feriens[1]. Nimium enim a me procul est illud eulogium, proh pudor, quod in bonum duntaxat competit Ecclesiasten: Ille, inquit, erat lucerna ardens et lucens[2]. Atque adeo nisi uiuus et igneus carbo ex altari sumptus, contactu me suo purget, tantum abest ut magnifica Dei mysteria digne loquar[3], ut etiam, quia peccator enarro iusticias Domini[4], periculum sit repulsae a sacerdotio, si vere comminatus est per Prophetam Deus[5]. Haec ut saepius non sine animi concussione animaduerto, sic nunc, praeter decorum licet, ad sapientiam tuam intrepide perscribo, tum ut sanctis precibus tuis caussam meam apud Christum tueare, tum ut horrore quodam affectum sentias Kanisium tuum, ex officiorum quae promittis humanissima commemoratione. Pro mediocribus beneficijs agendae sunt gratiae: hoc longe maius est, quam ut conueniat ullis uerbis aut scriptis gratias agere. Christum Dominum nostrum sedulo precabor, (nihil enim digne possum unquam rependere) ut sicut gratuita benignitate iam tua me pietas prosequitur, ita quae uel hanc Viennen. ecclesiam decent, uel tuam celsitudinem Deo commendant, ea semper duce Spiritu sancto facile et ubertim assequare. Sed utinam ea detur mihi foelicitas, et adsit Christo fauente opportunitas, quae nulla se mihi nunc aperit, ut secundum uoluntatem tuam, et praeter meritum meum, dexteras ambo iungamus. Quam liberet, si quoquo modo liceret, auscultare sanctis tuis monitis, mihi quidem tyroni et paruulo in Christo[6] cumprimis ut opinor necessarijs. Quam uolupe, talis Episcopi conspectu frui, consilijs uti, et si dicere licet, illo familiari conuictu indies recreari? Facile tua perspicit sagacitas, nec sine amicorum istorum graui offensione, nec sine superiorum meorum permissione mutari sedes a me posse: praesertim quum ad Timotheum epistolam alteram meis auditoribus enarrandam[7], et lectionem in Matthaei Euangelio perficiendam[8] bona fide susceperim. Quod si tamen perpetuo mihi uenerandus ille pater D. Bobadilla, si

stolorum est atque credentium" (Commentarius in Evangelium Matthaei l. 3, c. 19; Opera ed. *Vallarsius*. Ed. 2, tom. VII, P. 1 [Venetiis 1769], p. 150—151. *Migne*, PP. LL. XXVI, 138—139). [1] Cf. 1 Cor. 13, 1.

[2] Ita Christus dominus de Ioanne Baptista (Io. 5, 35).

[3] Isaias: „Volavit ad me", inquit, „unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum" (Is. 6, 6. 7). Etiamnunc sacerdotes et diaconi, antequam in missae sacrificio evangelium legant vel cantent, hanc orationem recitant: „Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito" etc. (*Missale romanum*, in „Ordine Missae").

[4] Ps. 49, 16. [5] Cf. Mal. 6, 1—14. [6] 1 Cor. 3, 1.

[7] Canisius id praestabat in „scholis theologorum" universitatis coloniensis; cf. supra p. 160. 160[3].

[8] In gymnasio montano eiusdem urbis; cf. supra p. 112. 160.

praepositus nostrae societatis, qui Romae est, D. Ignatius, hinc me curet amandari, et ad Celsitudinem tuam me destinatum uelit, en ilico sedes moueo, Viennam contendo, me totum Reuerendissimae D. V. suppliciter dedicaturus. Quod autem ad superiores, siue patres attinet, quorum instituta profectumque in Dei uinea scire poposcisti, utinam breui quicquid huc pertinet, expediri a me posset. Caeterum et iudicio tuo gratius, et modestiae meae conuenientius fore putabam, ut communicatis eorumdem literis, quas hisce coniunxi, quid omnino meditarentur, ipsis etiam testibus intelligeres. Postellum opinor iamdudum nosti, mathematum apud Parisinos Regium professorem, ut suis ipse literis ostendit[1]. Extat huius autoris illud admirandum ac plane diuinum opus, De totius Christiani orbis concordia[2], sed quod impurissimis quidam scholijs foede additis contaminarunt[3]. Hic de nostro Archiepiscopo[4] fuerat adijciendum, si non obstinatum senis animum tacere praestaret, quam uerbis inuidiosis exaggerare. Sic et senum prudentes olim animos protinus haeresis dementare, et ad omnem pietatis contemptum adducere potest. Vnus pene D. Gropperus[5] caussam Religionis suis ipse humeris fortiter sustentat, meque suorum consiliorum testem familiariter adhibet, ut patrem eum diligere, D. reuereri, et patrono semper gratificari debeam. Iubet etiamnum C. T. officiosissime salutari, suoque nomine quiduis promitti, sicubi pro Viennen. ecclesia et Reuerendissimo D. Nausea recte quicquam efficere queat. Vtilissimam certe nauauit operam in ijs libellis, quos hic ab eo coniunctos accipies, et ad pie instituendam iuuentutem

---

[1] De hoc Guilielmo Postello barentonio vide supra p. 192.

[2] „De orbis terrae concordia libri IV erud. multijuga ac pietate referti, quibus nihil hoc tam perturbato rerum statu vel utilius vel accommodatius in publicum ed. quivis aequus lector judicabit.“ Sine loco et tempore. [Basileae, apud Oporinum, anno 1544] 2°, pp. 456. Hoc Postelli opus tam malum non est, quam cetera, quae edidit. „Cet ouvrage, écrit dans un style vraiment hiéroglyphique, est le seul, dans lequel on ne rencontre pas les absurdités et folies ordinaires de son auteur“: *I. G. Th. Graesse,* Trésor de livres rares et précieux V (Dresde 1864), 423. Vide vero adnotationem proximam.

[3] In catalogo librorum prohibitorum „Lovaniensi“ (a professoribus lovaniensibus annis 1546, 1550, 1558 edito) prohibentur etiam „Annotationes incerti authoris in Guil. Postellum de orbis terrae concordia“. Paulus IV. Postelli opera in „Indice“ proscripsit, quem anno 1559 evulgavit, atque etiam in „Indice“ concilii tridentini, a Pio IV. anno 1564 edito, Postellus collocatus est in „prima classe“, quae eorum erat, „qui aut haeretici, aut nota haeresis suspecti fuerunt“, quorum „scripta, non edita solum, sed edenda etiam“ fideles legere vetantur. Postellus postea in fide ac pace ecclesiae mortuus esse fertur (Cartas de *San Ignacio* I, 221. *Reusch,* Der Index I, 121. 122. *Prat,* Maldonat p. 547—548).

[4] Hermannum de Weda dicit.

[5] Ioanni Groepper sive Gropper († 1559), susatensi, qui Coloniae scholasticus ecclesiae S. Gereonis et canonicus ecclesiae metropolitanae, Bonnae praepositus ecclesiae collegialis fuit, Paulus IV. ob praeclara merita anno 1555 cardinalatum obtulit. Gropperus in libris quidem suis falsam de iustitia christiana doctrinam proposuerat; sed concilio tridentino eam proscribenti omnino se subiecerat.

pijssime dexterrimeque conscriptos[1]. Prodijt postremis etiam in nundinis[2] Alexandrinus Archiepiscopus ille Diuus Cyrillus, nostro studio sic auctus et recognitus, ut nunquam antea[3]. Sed[a] Coloniensis editio uincit (nostro quidem iudicio) Heruagianam operam: licet utraque editio laude sua non sit indigna[4]. Proxime dabimus magnum illum Leonem, qui sententiarum grauitate, et sermonis puritate, ac animi pietate nulli ueterum Theologorum cedit[5]. In quo sane restituendo Herculei labores deuorandi sunt: adeo corrupta, mutila et lacera dignissimi Pontificis monumenta, quae nunc passim extant, et uix apud paucos extant, hactenus asseruantur. Sed quo calamus procurrit intemperans? Primum loquacitati ac intempestiuae prolixitati, nec non prolixae balbutiei meae danda est uenia. Tot laboribus et curis premor, ut ad scribendum haud satis otij et quietis inueniam. Dein abunde officio meo respondisse uidebor, modo (quod unice cupio) me tuis indignum beneficijs habeas, quum ne minima quidem ex parte tuae de me conceptae expectationi satisfacere possim. Aut si immerentem liberalitate tua prosequi Kanisium uoles, me iam omni fidelitate et obseruantia, Viennae, si liceat, ea omnia facturum dixi, quae tua clienti mihi imperabit autoritas. Vale in Christo, Reuerendissime pater. Coloniae, XX Iunij. 1546.

Litteras modo positas P. *Nicolaus Bobadilla* S. J. significavit, cum 10. Iulii 1546 Ratisbona ad Nauseam scriberet: „Magister noster Kannisius, mittit modo literas tibi. Est ille certe iuuenis optimae spei, legit, concionatur Coloniae, et laborat uti bonus Iesu Christi miles.“ [6]

---

[a] *Sic; fortasse corrigendum:* Quae.

---

[1] Gropper anno 1537 Coloniae decreta concilii provincialis anno 1536 Coloniae habiti una cum suo „Encheridio Christianae institutionis“ vulgavit. Coloniae quoque in lucem emisit anno 1538 suam „Institutionem compendiariam doctrinae christianae, in concilio provinciali pollicitam“ et anno 1546 sua „Capita institutionis ad pietatem ex sacris scripturis et orthodoxa catholicae eccl. doctrina et traditione excerpta in usum pueritiae apud divum Gereonem“, atque eodem anno „Libellum piarum precum ad usum puericiae apud D. Gereonem“ (*Christ. Moufang*, Katholische Katechismen des sechzehnten Jahrhunderts in deutscher Sprache [Mainz 1881] p. 243[2]. *P. Bahlmann,* Deutschlands katholische Katechismen bis zum Ende des sechzehnten Jahrhunderts [Münster 1894] p. 42—43). Clemens VIII. prohibuit „Enchiridion doctrinae Christianae concilij Coloniensis, . . . nisi expurgetur“ (Index librorum prohibitorum [Coloniae 1610] p. 64).

[2] In librorum nundinis, quae Francofurti ad Moenum ante festum paschale (id eo anno d. 25. Aprilis agebatur) habebantur.

[3] Vide supra p. 176—188.

[4] Anno 1546 opera Cyrilli Alexandrini, quattuor voluminibus comprehensa, in lucem prodierunt Basileae ex officina Ioannis Herwagen, qui postea (aut eius filius, eiusdem nominis, aut uterque) in „prima classe“ indicis tridentini collocatus est.

[5] Vide infra, epistulam a Canisio ad Ioannem Nopelium 10. Septembris 1546 datam.

[6] Epistolae ad Nauseam (Basileae 1550) p. 395.

35.

P. CLAUDIUS IAIUS S. J.,

Ottonis cardinalis augustani in concilio tridentino procurator,

CANISIO.

Tridento mense Iunio vel Iulio 1546.

Ex cod. monac. „Keller, Can. 1", f. 9.

Alterum apographum est in cod. „Scripta B. P. Canisii, X. V. a. 11" p. 9—10; tertium in cod. monac. „Keller, Can. 2", f. 4ᵇ—5ᵇ.

Eiusdem epistulae summaria breviora ponuntur a *Radero*, Can. p. 33—34, et a *Sacchino*, Can. p. 37—38.

Canisio de sacerdotio accepto gratulatur eumque monet, ne se ita dicendi scribendique labore opprimi patiatur, ut precandi otium desit. Sancti Thomae Aquinatis eum in hac re oportere sequi exemplum.

Quia maioribus in dies laudibus Canisii doctrina et concionandi vis celebrabatur, P. Claudius Le Iay timere coepit, ne quid superbiae in eas se laudes insinuaret, neve Canisius — verba, quae sequuntur, P. Iacobi Keller sunt — „doctior, non melior euaderet. . . Jaius itaque ut maturata medicina, malum anteuerteret, epistolam ad Canisium expediuit, ac temperato studio gloriam DEI scopum fixit, ad quem sane Canisius collineasset, nisi iam tetigisset. Atque utinam litterae extarent ipsae: nunc quaedam alienis asseruata chartis promere cogimur, inoffenso tamen sensu. Varietas uerbis est. Affecit me haud mediocriter nuntius mi Petre, qui te primis operatum sacris attulit, cui utinam et mihi cominus assistere licuisset, ac diuiniore sensu imbui, quo te perfusum esse nullus ambigo. Quis enim coelestia haec inter arcana, quibus inuitatu humano ipse Dominus interest, et tot dona coelitus dispensat, inanis sit gaudij? magna est dignatio Christi, seu uenire, cum uocas, quod uelit; seu uocare, ut ueniat, quod possis. Tute autem sic[a] te Numinis fauore dignum exhibe, ac cogita, sublimiori loco iam positum, non addecere te humilibus adaequari: si ascendisti, ut descenderes, non ascendisti[b]. Atque huius ego te eo[c] magis commonefacio, quod uideam te agere oculis aperta, ac uulgo honora, haud semper secura. Periculo uicinus nauigat, qui ad auram leniter flantis applausus lembum agit, ferturque ipso blandimento longius, ac portum deserit, deserendus ab ipso. In te igitur mi Petre descende, ac cum altissima penetrasti sensa, demisissime senti. Nec libris perpetim haerescere probarim, aut alijs nimium distineri negotijs. Vt enim in[d] corpore anima laborum contentione intercipitur, ita spiritus, ignisue a DEO illatus occupationum turbulentia pedetentim oppressus, demum extinguitur. Quare cessare te

---

[a] hic *cod. „Scripta"*.

[b] *Haec ultima sex verba in cod. monac. „Keller, Can. 2" desunt.*

[c] *Deest in „Keller, Can. 2".* [d] *Deest in cod. „Scripta".*

aliquando peruelim, et non ad concionem tantum, sed etiam ad te dicere; imo dicentem in te Deum per reclusa silentia audire: non enim ille semper plus proficit, qui semper in libris desudat. Precum assiduus, discit saepe, cum non discit. Exemplo adsumere[a] *potes lumen illud Ecclesiae Doctorem Aquinatem, qui potiorem magistrum non habuit, quam docentem de cruce Christum. Itaque seu dicendum, seu commentandum erat, ab hoc consilium expetijt, et inuenit. Imitare mi Petre, et cogita, tum demum docturum te optima, cum fueris."*

Iaium in hac epistula Canisio de sacerdotio accepto gratulari et Kellerus et Raderus affirmant. Ex qua re intellegitur Raderum falso dicere Vormatiae epistulam hanc scriptam esse. Nam Iaius Vormatia profectus est anno 1545, et anno 1546 Tridenti degebat; Canisius autem 13. Iunii 1546 primum Deo sacrum obtulit.

36.

CANISIUS

ADRIANO ADRIANI S. J.,

in academia lovaniensi studiorum causa versanti[1].

Colonia 2. Augusti 1546.

Ex apographo, ineunte anno 1886 Romae descripto ex autographo, quod tunc erat in bibliotheca L. comitis de Paar, imperatoris Austriae apud sedem apostolicam legati. Inscriptio deest; sed altera manu antiqua extremae epistulae adscriptum est: „Lovanium. nescio cui."

De P. Cornelio Vishavaeo. Fatetur se, in ceterorum salutem immodico studio incumbentem, suam neglexisse. Non tam ad mulieres sermones sacros esse habendos quam ad adulescentes, hosque inducendos ad corpus Christi singulis hebdomadibus percipiendum. Adrianum, sacrae communionis frequentiam vituperantem, refellit. Quaenam animi dispositio ad eucharistiam saepius percipiendam sufficiat. Saluberrimos sacrae communionis effectus recenset.

Ihesus

Chariss. Domine et frater praecipue

Gratia domini nostri JESU CHRJSTI semper tecum. Nisi urgeret tabellarii festinantia, responderem literis tuis fusius, quas huc misisti non ad me sed fratrem D. Leonardum. Gaudeo pecuniam istuc perlatam esse fideliter, miror autem ac doleo D. Cornelium[2] ita diu abesse a fructu et messe sibi Lovanii praeparata. Solicite illum purgasti ratione studiorum, nec dubito quin operando plus Christo lucrifaciat, quam vel contemplando vel disputando nunc plerique faciant. Sed ego in meis literis alio recte spectabam. Aperis tuorum quoque studiorum rationem, ita ut dicas te sapientiae studere potius quam scientiae. Disputationes non negligis, veteres Theologos cum scrip-

[a] sumere *cod. „Scripta"*.

[1] De hoc vide supra p. 140. [2] P. Cornelium Vishavaeum.

turis diligenter componis, virgines ac viduas instituis, multa cum doctis viris conferre pergis, et reliquis, te Baccalaureis familiariter adiungis. Hoc tuum studium non damno mi frater, neque sic probo ut mihi sequendum plane putem. Versatus sum et ego (Christo gratia) in publica hominum corona, sive docendo sive concionando sive argumentando, sive declamando, sive exhortando. Sed ah, quam male cessit, quod non male instituebatur. Aliis laborans ipse consumebar, ut candelae solent; aliis multa praescribendo et iniungendo, mei curam si non abieci, certe neglexi. Jntellectus curiositati assuescebat, sensus facilius defluebant tam multis intenti et immersi. Animus ferocior et arrogantior fieri debuit, qui pulchrum ducebat, audacter omnibus timorem Domini incutere. Nunc (o singularem Dei misericordiam) ablatae mihi concionandi praelegendique occasiones[1] docent satis, quid in me, dum aliis immature intendo, neglectum sit, quam longe a simplicitate parvulorum Christi[2] deviatum sit, et quanta mentis immobilitas, puritas ac sanctitas desyderanda sit, priusquam Societatis nostrae vel membrum infimum aestimari queam. Probo tamen studia tua, sed sic ut lucrandis potius iuvenibus intendas, quam Theologis magnisque viris tibi demerendis. Habes scio Reuerendum D. Cornelium qui rectius ista discusserit et diligentius iamdiu probarit. Ego fervorem animi tui sic temperatum velim, ut quod non gravatim virginibus viduisque concionari[a] te scribis, idem bonis adolescentibus et saepius et gravius et maiori quaesito spiritu subinde proponas. Esto, non est animus multos ad Societatem solicitandi, (qualem animum in me cupio ardentissimum) saltem huc spectent egressus tui et colloquia, ut in multis studiosis nascatur felix peccatorum pudor et dolor, accedat hebdomatim [*sic*] peccatorum quoque confessio, frequens commendetur communio[3], sitis audiendi sancta increscat, synceritas studia dirigendi vigeat, paupertas placeat, mundus et caro vileat [*sic*], crux et iugum Christi sapiat. Quid multis? Quasi tu minus atque ego ista noris. Verum displicet tibi passim introductus frequentius communicantium usus. Proponis enim pericula hinc emergentia, citas Basilium de baptismate[4]. Sed nobis de iuvenibus est mentio, qui si praecipue

[a] conari *autogr.*

[1] Ablatas dixeris per epistulam 6. Iunii 1546 a S. Ignatio Coloniam missam, in qua Ignatius facultates sacras revocavit, quae Sociis antea concessae erant. Vide supra p. 195. [2] Cf. Matth. 11, 25; 18, 1—4. Marc. 10, 15.

[3] *S. Ignatius* inter regulas, quae servandae sint „ad sentiendum vere, sicut debemus, in ecclesia militante", hanc proposuit: „Laudare [commendare] confessionem [quae fit] sacerdoti, et susceptionem sanctissimi sacramenti semel in anno, et multo magis quovis mense, et multo melius octavo quoque die, cum conditionibus requisitis ac debitis" (Liber exercitiorum: Regulae, ut cum ecclesia sentiamus n. 2 [ex versione R. P. Io. Roothaan]. Similia dicit in eodem libro, „adnotatione" 18).

[4] Adrianus ex libro secundo „*Περὶ βαπτίσματος*" quaestionem tertiam attulisse videtur, quae est: „*Εἰ ἀκίνδυνόν ἐστι μὴ καθαρεύοντά τινα ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς*

studiis habent servire, Christo non incommode servient saepius confitendo et communicando. Nam quaeso te per Dominum Jesum, ubi certior infirmis praesto est medicina? ubi maius calcar adiicitur ad pie vivendum? Ubi studia rectius instituuntur et florent pulchrius? Ubi pigri et tepidi facilius accenduntur? Ubi etiam saeculares in Dei timore et obedientia commodius retinentur? ubi coniuges denique ad carnis vincendam libidinem efficacius adducuntur, praeterquam ubi sanctiss. ille communicandi usus quam minime negligitur. Sed accedunt, inquies, non probato satis homine interiore. Quid nobis et rei sanctae officiat abutentium perversitas? Verum vide, obsecro, ne nimium requiras a fratre qui paulatim huius divini pabuli sumptione et sedula instructione ad perfectiora quaedam adducendus est. Augustinus pronuntiat decere quemvis Christianum, omni dominico die ad synaxim accedere[1]: id quod multis annorum centenariis usurpatum in ecclesia fuit. Sed satis fuerit ad dignam sacramenti huius sumptionem, ut sim brevior, voluntatem a malo avertisse, et in Christi virtute ad boni propositum convertisse. Quid enim respondeas si sic quaeram: praestatne a communione abstinere humilitatis gratia an non abstinere ex pia erga Deum confidentia? Quisquis communicat corpori et sanguini dominico, lumine novo templum cordis illustrat, bene operandi virtutem confirmat, adversus quaevis mala se obfirmat, in dilectione syncera se solidat, peccatorum reliquias enervat aufertque[2]. Sed quo mihi calamus procurrit? Parce loquacitati et argue insipientiam meam: juvenis de quo scribis Adrianus statim huc veniat[a], per nos in Carthusiam facile pervenerit[3]. Bene vale et ora pro me misero, qui quo plus effutio, minus boni contineo. Raptissime 2 Augusti 1546 Coloniae Tuus Pet. Kanisius.

Proxime respondebit prior Carth: et Maria Oestruijch[4].

---

[a] deniat *apogr.*

καὶ πνεύματος ἐσθίειν τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου, καὶ πίνειν τὸ αἷμα" (*Migne*, PP. Gr. XXXI, 1583—1586). Dubium autem est, num „Libri duo de baptismo" revera a Basilio conscripti sint.

[1] Dubium esse vix potest, quin Canisii animo obversatus sit hic locus libri „De ecclesiasticis dogmatibus" (cap. 53) a *Gennadio Massiliensi* compositi: „Quotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit" (*Migne*, PP. LL. LVIII, 994). Liber „De ecclesiasticis dogmatibus" a veteribus aliquot putabatur esse Augustini, et locus modo allatus tamquam sententia Augustini recitatur in *Iure canonico*, cap. 13, dist. 2 de consecr., et a S. Ignatio in epistulis anno 1541 ad civitatem „Azpeitia" et 15. Novembris 1543 ad Theresiam Reiadella datis (Cartas de *San Ignacio* 1, 95. 179).

[2] Sacramentorum frequentiam per Ignatium eiusque socios magnum incrementum cepisse etiam praeclarus ille cardinalis Baronius confirmavit (cf. *Petr. Ant. Spinelli* S. J., Maria Deipara thronus Dei. Ed. in Germ. I., Coloniae 1619, p. 526).

[3] Is carthusianum ordinem ingredi voluisse videtur.

[4] Maria de Oisterwijk primos Socios colonienses multis magnisque beneficiis affecisse videtur; compluries enim in Sociorum epistulis „mater nostra" dicitur.

Ex ipsa hac epistula facile cognoscitur eam ad aliquem de Societate Iesu Lovanii studiis litterarum operam navantem esse datam. Ac P. Cornelius Vishavaeus Lovanio 22. Augusti 1546 Canisio scribit: „Recepi tuas literas ad m. Adrianum scriptas". Ex his et aliis rebus, quae in illa Cornelii epistula continentur, omnino effici videtur Canisium 2. Augusti 1546 Adriano Adriani scripsisse.

37.

CANISIUS

WENDELINAE VAN TRIEST.

sorori.

Colonia 8. Augusti 1546.

Ex „Précis historiques" XXV, 26—27; vide supra p. 72.

De negotiis domesticis et rebus sibi missis.

Qui in „Précis" epistulas Canisii edidit (vide supra p. 72), scribit: „Nous avons une autre lettre du bienheureux à la même [Wendelina van Triest],

---

Qui epistulam Canisii 12. Aprilis 1547 scriptam nuper edidit, asserit Mariam (quam Mariam de Blitterswyk dicit, commutans, ut videtur, hoc nomen cum nomine „de Oisterwijk") monasterio Nazareth maioris, ordinis sancti Augustini, praefuisse, in cuius templo Canisius primum Deo sacrificium obtulerat (*Précis historiques* XLII [Bruxelles 1893], 34). Quod licet nusquam repererim, nolo tamen improbare; praesertim quia in epistulis Sociorum coloniensium compluries cum Maria de Oisterwijk „sorores eius" salutantur vel potius rogantur, ut pro Sociis preces faciant. Mariam de Oisterwijk etiam libros composuisse huc usque, ni fallor, ignotum fuit. Sed Petrus Schorich S. J. Roma 5. Iunii 1548 P. Leonardo Kessel scripsit: „Vidi aliquando et legi in aedibus uestris nouem simplicitatis gradus Mariae ab Osteruuick matris nostrae, translatos a Reuerendo patre Priore Carthusianorum, illos quam primum fieri queat, huc mittas oro; Mittas pariter et alia illius scripta, postremo potissimum ab ea composita; usui erunt non parum" (Ex *epistula *Schorichii* autographa, in cod. colon.: „Epistt. ad Kessel I.", f. 43). Idem eidem Roma „apud S. Marcum" iterum scripsit, ut „scripta Mariae piae memoriae" mitteret. Eam anno 1547 mortuam esse *epistula Canisii 2. Ianuarii 1548 data ostendit. Eandem Mariam coniecto auctorem esse libri „De templo animae", quem Nicolaus Eschius, osterwicensis et ipse ac Canisii praeceptor, anno 1543 in lucem emisit (Antverpiae, typis Coccii), et „Margaritae Evangelicae", quae, vlamice scripta, anno 1535 a Theodorico de Stratis, carthusiano coloniensi, Coloniae edita ac postea a Laurentio Surio, eiusdem Carthusiae monacho, latine reddita est. Cui editioni, anno 1545 Coloniae typis Melchioris Novesiani factae, Eschius praefatus est ad „M. Burchardum Montanum S. T. D."; ita *I. Hartzheim* (Bibliotheca coloniensis p. 219. 255). Burchardus ille idem fuerit ac Burchardus van den Bergh, Canisii avunculus, qui canonicus fuit viennensis et postea decanus arnhemiensis. Idem certe Hartzheim (l. c. p. 255) affirmat „templum animae" et „margaritam" eiusdem esse auctoris; Surius autem scribit „margaritam" a virgine compositam esse, et se „quandoque audiuisse" illam, cum Canisius pueritiam ageret, „dixisse missurum Deum in Ecclesiam suam strenuos Concionatores" Canisioque ipsi „tum praesenti dixisse: Et tu puer unus eris ex illis". Ita *Surius* in *epistula ad Canisium data 18. Martii 1576, cuius apographum est in Vita canisiana a Iac. Keller S. J. scripta (cod. ms. 320 bibl. acad. monac.). Keller, qui archetypam epistulam legisse videtur, testatur in ea virginem illam etiam „monialem" a Surio dici. Quae suo loco uberius proponentur.

datée de Cologne, le 8 août 1546. Nous l'omettons parce que les affaires de famille dont il s'agit dans cette lettre n'y sont pas suffisamment expliquées, pour qu'il soit possible d'y rien entendre. . . . Dans la lettre du 8 août 1546, le bienheureux remercie sa sœur d'un envoi de toile, de beurre et de fromage." Epistula ipsa certe lingua vlamica scripta est (cf. Précis l. c. p. 22).

38.

P. BARTHOLOMAEUS FERRONIUS S. J.

mandatu Sancti Ignatii [1]

CANISIO.

Roma 14. Augusti 1546.

Ex archetypo (2° min.; 2 pp.). Ferronius ipse ultima solum verba scripsit („Ex Commissione", et quae sequuntur) et inscriptionem posuit. Cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. XIIII[15] et 17.

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 678—679. Particulam posuit *Hansen* l. c. p. 200[4].

Respondet ad quaestionem a Canisio propositam: Num Coloniae sibi manendum sit. Ignatium cum Fabro ea de re loqui coepisse, sed decidere non potuisse. Fabrum enim mortuum esse, idque admodum sancte. Ideo Canisii arbitrio permitti, ut Coloniae maneat vel aliud agat.

Ihesus.

Reuerende frater in Christo.

Gratia et amor eternus, CHristi Domini nostri sit nobiscum semper. Amen.

Cum ad te saepius scripserimus, et juxta votum tuum, saepissimeque etiam tuas literas receperimus, miramur cur nostrae ad vos minime allatae sint. Inter alia commisserat[a] Reuerendus pater Dominus Ignatius respondere tuae petitioni, videlicet quid de statu tuo agendum esset, relinquebatur aduentui patris Fabri (qui ab Hispanijs hac in Concilium abiturus erat) vt qui res germanas optime noscens, sic vtrinque de vestro voto ad laudem dei certius disponeret ac satisfaceret[2], quum autem Romam tandem appulisset, et Pater Ignatius de tua re cum eo caepisset loqui, tangens D. Faber necessitates Germaniae existimansque diutius ac maturius posse colloqui, indeterminatam rem inter ipsos faelix D. Fabri obdormitio in domino[3],

[a] *Sic; cf. supra p. 108. 109. 112.*

[1] S. Ignatius, antequam anno 1547 Ioannem Polancum secretarium constitueret, in epistulis exarandis maxime utebatur opera P. Bartholomaei Ferronii (Ferron, Ferram, Ferrão), lusitani nobilis (*Orlandinus* l. c. l. 7, n. 6. 7. Cf. etiam *Elesb. de Guilhermy* S. J., Ménologe de la Compagnie de Jésus, Assistance de Portugal, 2. P. [Poitiers 1868] p. 348—349, et *W. van Nieuwenhoff* S. J., Leven van den H. Ignatius van Loyola II [Amsterdam 1892], 152—153).

[2] Hae litterae Coloniam pervenerunt, sed fortasse tardius; cf. supra p. 188.

[3] Faber octavo post adventum die duplici febri tertiana correptus est, ex eaque

occupauit, quemadmodum latius et de alijs spiritualibus nouis, vndequaque habitis, ad patrem bouadillam[1] scribimus in magnam fratrum omnium in Christo consolationem etc.[a][2] quum ergo jam nunc illa expectationis causa cesset, felicis fabri, (qui nos omnes nunc magis juuabit certo quam in humanis potuisset, et talis spes ac letitia nostris illapsa est animis a domino) Reuerendus D. ignatius non vestri oblitus sed conferens in corde suo[3] singula. jam nunc per me indignum rescribit quod sibi est [in] animo et sentit, videlicet, hoc primum attento quod Societas quoquomodo te libentissime acceptabit, siue vt nunc edoctus es, siue tibi amplius studendum sit. Hoc inquam supposito, quum vltra, tu melius de rebus germaniae noueris, nostrum est te de exteris informare videlicet, quum ijs jam temporibus collegia societatis in diuersis Vniuersitatibus sint in fieri, vt est Patauij Bononiae Parrisijs Valentie Gandie[4] etc.[b] persuademur cito fore vt opus sit providere de personis, siue scolaribus siue lectoribus siue qui habeant gubernationem collegiorum etc.[c] quibus demum omnibus suppositis D. Ig. hoc sentit vt circumspectis per te singulis et judicatis in domino id facias quod magis senties in tua conscientia ac si is idem esses in sua gubernatione (quae est jam diu eius de te expectatio quod videlicet in obsequium Christi evigiles atque labores) siue te manere siue ire in studia siue venire Romam etc.[d] Et quod hic per te erit conclusum domino ignatio erit rectum et bonum censebit, quod nobis quamprimum etiam indicabis et de omnibus et quid statueris certos reddes. Et quum ego preoccupatus sim disperse societati scribendo, simul fratrem nostrum Jacobum duacensem[5] conveni, vt si ocium erit sibi piorum operum tuis literis sibi missis nuperime nomine omnium etiam responderet, quae nobis vt solent magnam attulere consolationem, Vidit D. Faber et tuas ante felicissimum suum discessum, quem orare pro nobis magis nobis arridet, quam orare pro ipso, optime vale, et consocijs in christo nos multum in domino

[a] *Signum aliquod obscurum hic positum est; quod id fere significare videtur, quod nos exprimimus scribendo:* etc.

[b] *Idem signum quod supra.* [c] *Idem signum quod supra.*

[d] *Idem signum quod supra.*

octavo item die, quae erant Kalendae Augustae, inter manus S. Ignatii exspiravit (*Orlandinus,* Forma sacerdotis apostolici p. 97. *Boero,* Fabro p. 208—209).

[1] Nicolaum Bobadillam.

[2] Epistula haec typis (quod equidem sciam) nondum est descripta. *Boero:* „Conservasi una copia della lettera circolare, che sotto il dì 7 di Agosto 1546 si mandò alle case della Compagnia. Nel margine si leggono queste precise parole: De morte Sancti Patris Petri Fabri“ (Fabro p. 214—215).

[3] Luc. 2, 19.

[4] Cf. supra p. 190—194.

[5] Iacobus Faber, artium magister, duacensis, anno 1544 Coloniae theologicis studiis operam dederat. Vide supra p. 103[2]. 109.

commenda, lovanienses quoque rogo pro hac vice de his participes reddas, iterum vale, Rome 14. Augusti 1546.

Ex Commissione Domini Ignatij.
Vester in christo f.
Bartholomaeus ferronus.

frater daniel[1] sane credo uos inuiserit, ipse hinc plura referet. Jacobus cartusanus juxta nos manet egrotus adhuc.

† Reuerendo in christo patri ac fratri D. petro kanisio magistro theologo. apud conuentum [praedicatorum in u]icinia notarij [Auerdunck][a] Coloniae.

Canisius ad hanc epistulam respondit litteris Colonia 22. Octobris 1546 ad S. Ignatium datis.

39.

P. CORNELIUS VISHAVAEUS S. J.,

Sociorum lovaniensium praepositus[2],

CANISIO.

Lovanio 22. Augusti 1546.

Ex autographo (2°; pp. $1^1/_4$; in p. 2. inscriptio et pars sigilli). Cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 16.

Quid in apostolica quadam excursione effecerit. Mulieres aliquot ad castitatis votum inductas; frequentem peccatorum confessionem esse promovendam. Quam multis modis homo a Deo ad salutem aeternam capessendam disponatur.

Ihesus

Gratia domini nostri Jesu christi sit semper in cordibus nostris Amen. confrater chariss. recepi tuas literas ad m. Adrianum[3] scriptas et d. Leonardi[4] confratris nostri. quas aperui propter absentiam m. Adriani qui hactenus adfuit m. nicolao[5] bergis, quid vero ibi agat habebis satis ex literis ipsius. quas ad vos mitto. et modo est brugis[6]. Caeterum quantum ad me attinet, scias me reuersum ante festum laurentij[7]. de fructu vero [quem] in mea absentia collegit dominus

[a] *Haec suppleta sunt ex iis, quae posita sunt supra p. 136[8]. 141.*

[1] Daniel Paeybroeck (cf. supra p. 191—192); qui Roma Lovanium missus, „ministrum" domus Societatis ibi agebat (*Manareus* l. c. p. 14).

[2] Virum hunc sanctum et simplicem (de quo saepe iam dixi) S. Ignatius litteris 16. Februarii 1545 datis fratribus Lovanii degentibus praefecerat (*Manareus* l. c.).

[3] Adrianum Adriani S. J. [4] Kessel.

[5] Nicolaum Goudanum (Gaudanus, Florentii, Floris) significat, circiter annum 1517 Goudae in Hollandia natum. Is, cum in universitate lovaniensi „primus" inter philosophos fuisset, parochus factus est Bergis ad Somam et postea Societati Iesu nomen dedit eiusque ornamentum insigne evasit; quod multis huius operis epistulis patefiet. [6] Bruges, in Belgio. [7] Ante diem 10. Augusti.

Deus [haec habe.][a] Inter omnia fuerunt duae viduae quae me praesente vouerunt continentiam, altera venit consulens me de nuptijs tertijs faciendis. vir habuit bene tricentas libras flandricae annuae. Inter multa respondi, me appellare Christum, qui multo ditior est, et ita fuit in omnibus conuicta, quod vouerit in ipso instanti, et me praesente. et eius ancilla virgo quinquagenaria vouit virginitatem. laus deo, orate pro eis, exceptis alijs confessionibus auditis in quibus frequentior fui quam in concionibus. tamen feci ista vice bene 5 conciones. Oro vt quanto citius remittas nobis m. danielem[1] qui condixit amicis suis 12 diem septembris quo conuenient in sua patria[2], qui plura et omnia gesta romana poterit vobis pandere. Mater d. leonardi exposcit ab eo literas. Mittimus vobis hunc iuuenem Adrianum; vt velis ipsi esse praesidio oro apud Reuerendum patrem priorem[3]; ignoro an iam secundo passurus sim repulsam, spero tamen melius, tamen ob id non desistam ad vos, neque de huiusmodi scribere, neque mittere vel sollicitare, modo extra patriam nostram trahere possem, saluta nobis mariam ex oersteruijk[4], et alios nobis familiares. Confratri domino leonardo dicas, vt non desistat a frequenti confessione[5] licet multi reclamitent quidem, nam tandem euincet; modo ipsi sint famelici, sit ipse semper liberalis in bonis paternis, et christi Jesu. Sufficit mihi, modo promittant emendam [*sic*], etiam si verisimiliter putem eos sequenti die collapsuros in idem peccatum (non postponendo probationes semper ad anteriora)[6]. O vtinam possem semel tantum praestare, vt impediam vnum peccatum mortale, viderer mihi multum fecisse. Interim homo disponitur (ad spacium vnius hore credo) bene in statu gratiae: Jam quis scit, an tunc ille ita bene dispositus sit illo temporis spacio moriturus? et tum omnia salua erunt. Sicut in simili: multae potiones in egroto praedisponunt materiam congestam, tandem veniunt purgatiuae[b] pillulae quae totum feriunt. Jta multi iaculantur anserem; tandem venit vnus misellus et deijcit ipsum. Ita est cum homine; cadendo et resurgendo progreditur; praedisponitur a puero varijs medijs. tum per parentes, praeceptores, conciones; tum per libros pios, inspirationes, exempla, exhortationesque. tandem venit vnus misellus intrans labores aliorum, cuius hortatu conuertitur, moritur, et saluatur. quis omnium praedictorum fuit autor? nullus;

[a] *Haec vel similia supplenda esse videntur.*

[b] *Sic legendum esse videtur, quamquam potius dixeris a Cornelio scriptum esse:* purae.

[1] Paeybroeck. [2] Denderamundae (Termonde, Dendermonde) in Belgio.

[3] Gerardum, Carthusiae coloniensis priorem, dicit; vide supra p. 209.

[4] Vide supra p. 209[4].

[5] Leonardum monet, ut pergat in frequenti confessione commendanda.

[6] Quomodo haec doctrina intelligenda et restringenda sit, hic exponere non vacat; quam Vishavaeus ipse verbis, quae uncis inclusit (utinam clariora haec essent!) fortasse voluit restringere.

ergo soli Deo honor et gloria[1]. similia exempla prius de viduis scripsi. his vale confrater. Adhuc vnum verbum oratum velim. Vt mei memor apud deum existas quatenus suggerat nostro superiori id quod est salutare (de me, et studio, et alijs medijs ad ea loquor.) tuas aliorumque querelas [?][a][2] non seruo apud me, sed ostensum fuit mihi (ni fallor) quatenus eo res deuenient; sed pillula deo nota est; sic nude [?] domino deo et superiori nostro. Iterum vale, raptim louanij 22 aug. a. d. 1546

Cornelius Uisschaueus.
confrater licet indignus.

Ihesus. Reuerendo in christo confratri M. Petro kanisio nouiomago. Coloniae.

40.

CANISIUS
IOANNI NOPELIO[3],

episcopo cyrenensi i. p. et suffraganeo ac vicario generali coloniensi.

Colonia 10. Septembris 1546.

Ex libro: „D. LEONIS PAPAE | HVIVS NOMINIS PRIMI, QVI SVM- mo iure Magni cognomentum iam olim obtinet, opera, quæ quidem extant, omnia. *Nunc primum in unum ueluti fascem collecta, & ab infinitis fœdisq; mendis repurgata. Accessit & copiosus Index unâ cum Sermonum, Ho= miliarum & Epistolarum omnium catalogo. Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani, Anno M.D.*XLVI.

[a] *Aut* schedulas.

[1] 1 Tim. 1, 17. [2] Cf. supra p. 207.

[3] Ioannes Nopelius (Nopel, Nöpel), ex Lippstadt, Westphaliae oppido, ortus, Coloniae erat „canonicus presbyter“ ecclesiae metropolitanae, contionator primarius, suffraganeus et vicarius generalis archiepiscopi. Annis 1536 et 1538 ex „examinatoribus“ fuit, cum Canisius in universitate coloniensi ad „baccalaureatum“ et ad „licentiam“ in „artibus“ promoveretur (vide infra, monum. 5. 6); ac vix dubium est, quin hic sit „catholicus episcopus“ ille, a quo sacris se ordinibus Coloniae initiatum esse Canisius affirmat (cf. supra p. 17. 45). Cum Bucero nil commune habere voluit. „Quae res“, inquit *Arnoldus Meshovius*, „in causa fuit, vt salario, quod annuatim ab Archiepiscopo praebebatur, subtracto, grauiter a nouatoribus affligeretur: Qui constanter pressuram illam ad annos aliquot sustinuit,“ et „cum concionator esset dissertissimus, ijsque donis exornatus, quae hominem homini gratiosum reddunt, . . . ad extremum vsque concionando, . . . populum a Buceri incantationibus deterruit“ (Historia defectionis et schismatis Hermanni p. 34—37). Nopelius vivere desiit 6. Iulii 1556 sepultusque est in summo templo coloniensi (Electorum Ecclesiasticorum Catalogus, opera *F. Petri Merssaei* Cratepolii, Minoritae [Coloniae 1580] p. 131. *I. H. Heister*, Suffraganei Colonienses [Coloniae 1641] p. 107—109). Nopelium hunc confundere non oportet cum Ioanne Nopelio, pariter lippiensi, qui anno 1580, cum esset decanus collegii S. Swiberti in Kaiserswerth, „Confessionem Ambrosianam“ Coloniae in lucem emisit, atque anno 1602—1605 et ipse episcopus cyrenensis i. p. et suffraganeus coloniensis fuit (*F. E. von Mering*, Die hohen Würdenträger der Erzdiözese Köln [Köln 1846] p. 70).

Mense Septembri." (2°; ff. 162, et praeterea in initio 10 [incl. fol. titul.] et in fine item 10 ff. non signata). Epistula haec dedicatoria titulum libri proxime sequitur et tres paginas occupat [1].

Nopelio editionem Leonis Magni a se curatam dedicat. Summum malum, quo homines sui temporis laborent, nimiam eorum cupiditatem esse. Ex hac studium nasci novos in dies libros conscribendi novaque dogmata comminiscendi. Sanctos patres a novatoribus sperni, nisi forte veterum dictis novi errores fulciri posse videantur. Leonis Magni doctrinam sententiis protestantium per omnia contrariam esse. Ab iis ipsam etiam Scripturam corrumpi et praecepta ei substitui commoda potius quam vera. His Nopelium Coloniae fortiter et magno cum fructu obsistere, eo praesertim quod saepe orationes sacras habeat novatorumque fraudes detegat.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. Ioanni Lippiensi, Episcopo Cyrenensi, Suffraganeo et Ecclesiastae primario Coloniensi, Petrus Canisius Nouiomagus S. P. D.

FVRIOSVM est hoc seculum reuerende pater, quod adeo diutinos tumultus istos componere nescit, vt citius quidem nouos excitet, atque indies in peius gliscentes motus longe lateque propaget. Porro qui tantorum malorum vestigant origines, collectasque sensim vires disijcere contendunt (quo tua praecipue spectat pietas) ij vno velut ore immanem philautiae rabiem incusant, eumque morbum, vt caeterorum omnium et caput et causam, non improbabiliter insinuant. Ex eodem fonte mihi deriuari videntur studia nouos quoque scribendi libros, quod perinde ac vanae curiositatis genus redarguit Ecclesiastes [2]. Atque hinc (quod multo pestilentius) prodit et ambitiosa doctrinae ostentatio, et praefracta quaedam sapientiae praesumptio, tum effrenis illa libido comminiscendi noua dogmata, quibus vetera fastidiri simul et antiquari documenta incipiant. Per hos demum ceu gradus omnis impietatis, huc iam nunc processit humana temeritas, proh dolor, vt sanctissimorum quorumque pontificum ac spectatissimorum veteris Ecclesiae patrum plerisque contempta sit et dignitas et autoritas [3], nisi

[1] In titulo signum Novesiani typographicum apparet (cf. supra p. 176 [3]). Epistulam Canisii sequitur index rerum alphabeticus (5 pp.), conspectus totius operis, brevis vita Leonis (quae postea etiam „Actis Sanctorum" inserta est), epistula, qua Ioannes Andreas, episcopus aleriensis, editionem Leonis anno 1470 Romae a se curatam (quae „princeps" est) Paulo II. dicavit; in fine libri sunt „Castigationes quaedam et Scholia in D. Leonis Epistolas decretales" et „Sermo D. Leonis de Martyribus". Exemplum huius editionis, quod ex bibliotheca praeclari illius Ioannis Alberti Widmanstadt olim in collegium Societatis Iesu monacense pervenerat, nunc Monachii in bibliotheca regia est; in cuius summa pagina titulari manu antiqua scriptum est: „Approbatus a R. P. Canisio 1578." Alterum exemplum ibidem est in bibliotheca universitatis; tertium Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis vidi, quartum, quod ex bibliotheca Cruciferorum coloniensium provenit, Coloniae in bibliotheca urbana (G. B. IV. 8639).

[2] Cf. Eccles. 1, 13—18; 8, 16. 17; 9, 1.

[3] *Lutherus* 10. Decembris 1520 Vitembergae libros iuris canonici in publico combussit. Henrico VIII., Angliae regi, missae sacrificium testimoniis sanctorum patrum tuenti anno 1522 respondit: „Dei uerbum est super omnia. Diuina maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiae

hac ipsa forte ad confirmandos ipsorum errores nouis magistris commode liceat abuti. Nam hactenus illis valet Gennadius de communione et transsubstantiatione[1], Clemens de Eucharistiae reseruatione[2], Hilarius de fidei iustificatione[3], Epiphanius de sacrarum imaginum demolitione[4], Prosper de confessione[5], Gregorius de primatus Ecclesiastici nuncupatione[6], Bernardus de dispensatione[7]. Sed plusquam rigidus,

---

henricianae contra me starent" (Opera, tom. II [Ihenae 1557], f. 561[b]). In editione germanica huius operis Cypriani nomen omissum est (Der Sechste teil der Bücher des Ehrnwirdigen Herrn Doctoris *Martini Lutheri* [Witteberg 1553] f. 445[a]). Similiter *Calvinus* in praecipuo suo opere, anno 1536 primum edito: „Parum autem", inquit, „me mouent, quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere ac dure loquutos" (Institvtio Christianae religionis. *Iohanne Caluino* authore [Sine loco, 1554] c. 9, n. 58, p. 530. Ioannis Calvini institutio religionis christianae, edd. *G. Baum, E. Cunitz, E. Reuss.* Ed. 2, Vol. 1 [Brunsvigae 1859], col. 729).

[1] Liber de ecclesiasticis dogmatibus c. 52. 53 (*Migne,* PP. LL. LVIII, 993. 994).

[2] Clementem sive Romanum sive Alexandrinum hac de re scripsisse equidem non novi. Puto autem a Canisio ea significari, quae in „Constitutionibus apostolicis" (l. 8, c. 13) praecipiuntur de eucharistia post fidelium communionem in sacrarium sive sacristiam (*εἰς τὰ παστοφόρια*) inferenda. Illae enim Constitutiones olim sub nomine Clementis Romani circumferebantur (*Migne,* PP. Gr. I, 1109. 1110).

[3] Tractatus in Ps. LIX, n. 3, et in Ps. CXVIII, litt. 1, n. 12; Commentarius in Matthaeum c. 8, n. 6 et c. 33, n. 5 (*S. Hilarii,* Pictavorum episcopi, opera studio monachorum O. S. B., e congr. *S. Mauri* [Parisiis 1693] col. 137. 249. 646. 749; cf. *Migne,* PP. LL. IX, 385. 509. 961. 1074).

[4] Canisii menti obversata esse videntur ea, quae *S. Epiphanius* de origine idololatriae dicit et de diabolo, qui „humanas effigies artificiorum varietate perpolitas hominum oculis" obiecerit: „*Προφάσει γὰρ δικαίου ἀεὶ ὑπεισδύνων τὴν διάνοιαν ὁ διάβολος τῶν ἀνθρώπων τὴν θνητὴν φύσιν θεοποιῶν εἰς ὀφθαλμοὺς ἀνθρώπων ἀνδροείκελα ἀγάλματα διὰ ποικιλίας τεχνῶν διέγραψε*" (Haeres. l. 3, tom. 2, haer. 79, n. 4. Epiphanii, episcopi Constantiae, opera, ed. *G. Dindorfius* Vol. 3, P. 1 [Lipsiae 1861], p. 532. *Migne,* PP. Gr. XLII, 745. 746).

[5] Expositio Psalmi CX, v. 1; Ps. CXVII, v. 1; Ps. CXXXVII, v. 1 etc. (*S. Prosperi Aquitani* opera omnia [Parisiis 1711] col. 418. 431. 497. *Migne,* PP. LL. LI, 321. 332. 393). [6] Vide adnotationem sequentem.

[7] Liber de praecepto et dispensatione c. 2—4 (*Sancti Bernardi . . .* Volumen I. ed. Io. Mabillon O. S. B. [Parisiis 1690] p. 501—504. *Migne,* PP. LL. CLXXXII, 864—865). Haec omnia uberius explicare non vacat. Uno igitur Gregorii exemplo explanare conabor, quid Canisius dicere voluerit. Gregorium Magnum certissimum fuisse episcopum romanum totius ecclesiae primatem, pastorem, doctorem esse omnis eius agendi ratio luculenter demonstrat. Sed cum animo esset valde demisso et pacis magnopere amans, Eulogium, episcopum alexandrinum, amice reprehendit, quod sibi scripsisset „iussistis" et nomen „universalis papae" sibi tribuisset. „Loco", inquit, „mihi fratres estis, moribus patres." Qui et „primus omnium se in principio epistolarum suarum servum servorum Dei scribi satis humiliter definivit" (*Gregorii I.* Papae Registrum Epistolarum tom. II, P. 1. Ed. *Lud. Hartmann* in „Monumentis Germaniae historicis" [Berolini 1893] p. 31. *Ioannis Diaconi* Vita Gregorii l. 2, n. 1. [*Migne,* PP. LL. LXXVII, 933; LXXV, 87]). Lutherus, cum romani pontificis primatum impugnaret, Gregorium testem et patronum sibi constituit, scribens: „Das ist gewifs, wie gesagt, dafs zu St. Gregorius Zeiten kein Papst ist gewest, und er selbs auch sampt seinen Vorfahren kein Papst hat wollen sein, dazu mit vielen

adeoque intolerabilis videtur Hieronymus, nimirum, quod non possit non insuauis esse Iouiniani et Vigilantij sectatoribus[1]. Displicet passim Cyprianus. Nec mirum, quando merita operum et satisfactionis vsum hisce fidei iactatoribus haud segniter commendat, vtpote non nomine, sed re ipsa totus Euangelicus[2]. Dissimulat, inquiunt, sui temporis corruptos mores Augustinus, quia scilicet receptam Ecclesiae disciplinam contemptoribus istis libenter inculcat[3]. Iam qui pari modestia tot ac tam reuerenda maiorum placita, leges ac instituta contemnunt, an hunc quaeso Leonem audient, quamuis hic rara orationis et plane apostolica maiestate nusquam non detonet? Num suspicient pontificem tot nominibus alioqui suspiciendum? et dignitate, et grauitate et sapientia et eloquentia, vt summo iure Magni cognomen acceperit. Imo vel ob hoc solum, quia dictus est Papa, nec minus vniuersalis Ecclesiae Episcopus, quam pontifex Romanus, vti de se ipso frequenter scribit, etiam sannis, non dubium, risuque Sardonico virum tantum excipient. Qua vero stomachi patientia ferent vnquam, ad certorum dierum ieiunationes, ad nocturnas vigilias, ad designata precandi loca et tempora Dei populum relegari? Legent hic, velint nolint, bene factis coelestem gratiam promerendam esse, nec fide, sed operum fideli studio Christianum pectus declarari. Legent identidem, eleemosynis peccata redimi, dignis poenitentiae fructibus Deum placari offensum, lachrymarum vi sordes internas ablui, laboris item praesentis magnitudini charitatisque nostrae feruori futuram a Deo mercedem attemperari. Legent quoque priuatam ieiuniorum legem communi seu

---

Schriften das Papstthum verdampt“: Wider das Bapstum zu Rom vom Teuffel gestifft (Dr. *Martin Luther's* reformations-historische deutsche Schriften, bearbeitet von *I. K. Irmischer*, III [Erlangen 1830], 137—138). Cum autem Gregorius purgatorium et missae sacrificium et alia Luthero ingrata proponit, ab eodem contemnitur et increpitatur: „Do ist S. Gregorius kommen, der hat gar viel Aergernifs mit seinem Fegfeuer und Messe gestiftet, welches die Grundsuppen ist aller der Aergernifs, so unter dem Papstthumb gewesen.“ „Sankt Gregorius, der Papst, ist freilich ein heiliger Mann geweſt, seine Predigt aber sind nicht eins Hellers werth“ (Dr. *Martin Luther's* exegetische deutsche Schriften, bearbeitet von *I. K. Irmischer*, XII [Erlangen 1850], 37—38; XIX [Frankfurt a. M. und Erlangen 1852], 482).

[1] Iovinianus asseruerat virginitatem coniugio non esse anteponendam, inter abstinentiam ciborum et eorum perceptionem cum gratiarum actione coniunctam nil interesse, in regno caelorum par omnium fore praemium, qui suum baptisma servassent. Vigilantius autem dixerat sanctos martyres non esse invocandos neque eorum reliquias colendas, vitam monasticam et clericorum continentiam esse damnandas. Quos errores Hieronymus refutavit „Libris duobus contra Iovinianum“ et „Libro contra Vigilantium“.

[2] Cyprianus saepe id facit, v. g. in libro „De lapsis“ c. 36 (*S. Thasci Caecilii Cypriani* opera, rec. Guil. Hartel [Vindobonae 1868] p. 263—264. *Migne*, PP. LL. IV, 494).

[3] V. g. in libro „De fide et operibus“ c. 3 et in duobus libris vel epistulis (54 et 55) „ad inquisitiones Ianuarii“ (*S. Augustini* opera, studio monachorum O. S. B. e congr. *S. Mauri*, VI [Parisiis 1685], 167; II [Parisiis 1679], 123—143. *Migne*, PP. LL. XL, 200; XXXIII, 199—223).

publicae postponi. Legent ciborum delectum et Ecclesiasticae obedientiae iugum pulchre libertati Christianae congruere, neque cum superstitione Iudaica quicquam habere commune. Legent pleraque sine scripto vel ab apostolis vel apostolicis viris ad constituendum religionis ordinem promanauisse. Legent sanctorum intercessione Christum redemptionis mediatorem, non modo nihil nobis obscurari, sed vehementer etiam illustrari, totamque simul iuuari Christianam Ecclesiam. Legent denique sacrosanctam Missae et sacrificij oblationem haud sine ratione vel in eadem basilica quotidie iterari. De primatu Petri dicere supersedeo. Testimonia sunt passim in promptu, sacris etiam confirmata literis, ne quid addam amplius[1]. Conuicti igitur (belli nempe iudices) tum longissimi temporis inuiolabili obseruatione, tum sanctissimi pontificis irrefutabili autoritate, quantum quantum fert illorum libido, papisticam eiuscemodi doctrinam calumnientur, ac iamdudum explosam a se, permittant nobis obsecro, vt qui matris Ecclesiae obseruantes filij videri cupimus, et esse non desinimus. Quanquam non admodum difficile sit aduersus obtrectatores istos D. Leonis innocentiam causamque tueri. Quid enim adferant quamuis versuti, quod non vnico responso huius pontificis ad Martianum Augustum iam ilico subuertatur et concidat? Hic docendi optimus, inquit, est modus, vt paternorum sensuum linea, plebis et cleri auribus innotescat. Ac si qui sunt (hoc demum aduersarij notent) qui nostra scripta despiciunt, illis saltem, qui nobiscum apostolicis sensibus congruunt, acquiescant[2]. Sed nihil sane mirum, si virgam in Leonis opera censoriam arrogent sibi, quos adeo nihil pudet in arcanas etiam diuinasque literas irrumpere, his locis manifestam vim inferre, illos prorsus infringere, alios omnino negare, omnia propemodum adulterare, nimirum nouis et hactenus inauditis interpretatiunculis. Nam vbi tandem Theologorum extat aliquis, qui tot annorum abhinc centenarijs vel somniarit vnquam, qualia nunc isti nouo, sed non diuino spiritu sibi reuelata produnt. Produnt, inquam, de doctrina daemoniorum, de fermento pharisaeorum, de ossibus mortuorum, de nuptijs presbyterorum, de prohibitione votorum et improbatione ieiuniorum, ad haec de humanis viribus, de regno Anti-

[1] Testimonia illa hic proferre longum est. Doctrinam S. Leonis (praeter alios) exposuerunt: *D. Remy Ceillier* O. S. B., Histoire générale des auteurs sacrés. V[e] et VI[e] siècles, chap. 11, art. 2. Nouv. éd. X (Paris 1861), 178—274. *Ios. Fessler*, Institutiones Patrologiae II (Oeniponte 1851), 674—687. *H. Grisar* S. J., „Leo I.“, in Wetzer und Welte's Kirchenlexikon 2. Aufl., VII, col. 1746—1767.

[2] Leo haec ad Marcianum imperatorem 10. Martii 454 scripsit. In editione Leonis Magni, quam *fratres Ballerinii* curaverunt, quaeque omnium optima est, verba Leonis haec sunt: „Hic docendi optimus modus est, ut paternorum sensuum lineae Alexandrinae plebis et Cleri auribus innotescant: ac si qui sunt, qui nostra scripta despiciant, illis saltem, qui nobiscum apostolicis sensibus congruunt, acquiescant.“ Lectio vulgata est: „linea . . . innotescat“ (Sancti *Leonis Magni* opera I [Venetiis 1753], col. 1258. Cf. etiam *Migne* PP. LL. LIV, 1079—1080).

christi, Babylonae gentiumque simulachris. Quam vero in procliui est omnibus plausibile dogma iustificantis fidei commendare, Christianae libertatis fucum obtendere, pro humanis constitutiunculis firma Ecclesiae dogmata, nec non traditiones Apostolicas conuellere, Theologorum sententias eludere, ad solam scripturam iudicem, sed mutam illam prouocare, postremo damnatas prius opiniones innouare. Nam hinc potissimum incipiunt, hac pergunt, hic desinunt, qui nouorum dogmatum iactatione, non minus periculosa, quam vana, tantas Germaniae nostrae cient turbas, nec cessant adhuc (proh nefas) ex huiusmodi fontibus hanc animorum labem, quae plurimos inficit, totis et viribus et artibus deducere. Quo magis tua nobis suspicienda est pietas, et grato semper animo rememoranda isthaec sedulitas reuerende pater, vt qui tanquam alter et idem inuictus Leo, tot iam annis aduersus rapaces istiusmodi lupos[1] te totum obijcis, te pro domo Israel murum aggeremque fortissimum opponis[2], talem denique Christi gregem in hac beata Germaniae totius metropoli sic ipse gladio spiritus[3] propugnas Ecclesiastes, sic custodis et curas Episcopus, vt in nullis quidem vicinis oppidis minorem contagionem religio acceperit, aut maiorem hactenus vigorem Ecclesiastica disciplina conseruarit. Certe facundia tua simul et orationis vi perinde ac viua Evangelij tuba percellis animos et imples Christianas aures, idque tanto efficacius, quo tua synceritas distat longius ab omni fastu, ambitione et pompa. Sentit quod loquimur, probatque constanter clerus hic tam insignis, et populus neutiquam effoeminatus. Hinc enim ad te pro concione dicentem agminatim vterque confluit, licet hebdomadatim hoc munus et saepius quidem obeas: hinc et communi applausu excipit singularem illam, qua mire polles, in detegendis haereticorum fraudibus industriam vehementiamque. Norunt imbecilles, norunt fortes in fide, quantum per te confirmata fidei integritas efficiat. Sed haec missa facere praestat, ne quid tuam onerem modestiam, praesertim quod vt tu vere iuxta ac pie nos doces, quicquid sumus aut possumus, id totum munificentiae diuinae acceptum ferre oporteat. Proinde librum hunc autoritate nominis tui decoratum in lucem emittimus[4], pulcherrimum illud sane munus, et sicut a pijs hactenus desideratissimum, ita per se vtilissimum, maximeque conueniens tum donanti mihi clerico tuo, tum accipienti tibi Episcopo meo[5], qui ad-

[1] Matth. 7, 15. Act. 20, 29. [2] Ez. 13, 5. [3] Eph. 6, 17.

[4] Nauseae Canisius scripsit se „Herculeos labores devorasse“ in hoc opere. Vide supra p. 205.

[5] His verbis *Paschasius Quesnel* adductus esse videtur, ut in praefatione generali operum Leonis scriberet Canisium, cum annis 1546 et 1547 Leonis opera in lucem emitteret, „Clericum Coloniensis Dioecesis“ fuisse et „postea Societati Iesu nomen dedisse“ (Sancti *Leonis Magni* Opera omnia. Ed. 2. [cura Pasch. Quesnelii] I [Lugduni 1700], praef. p. v—vi). Atque etiam *Ceillier* asserit: „Il étoit alors dans le clergé de cette Eglise [de Cologne]; mais depuis il entra dans la société des Jé-

mirabili quadam facundia et amabili vehementia sic pertractas diuina dogmata, vt non immerito, si libere fatendum sit, alter in hac Repu. Leo et dici et haberi possis. Caeterum vitae tenorem et eximias D. Leonis dotes partim ex ijs, quae post Indicem subijciuntur, partim ex ipsis eius operibus non minus quam leonem (vt aiunt) ex vnguibus cuique licebit cognoscere. Quod superest, cum pijs omnibus ex animo precor, vt pastor ille pastorum conatus tuos prosperet, ac non solum huius vrbis, sed cunctae simul Ecclesiae commodis valetudinem tuam diu seruet incolumem. Datum apud sanctam Vbiorum Coloniam, quarto Idus Septembreis, Anno salutis humanae M.D.XLVI[a].

Opus hoc canisianum catholicis valde placuit; brevibus enim temporibus interiectis iterum atque iterum typis exscriptum est. Quae editiones subiunguntur, quia nusquam recensitae sunt omnes, aliquibus nuper demum repertis.

2. a) „D. LEO = | NIS PAPAE HVIVS | NOMINIS PRIMI, QVI SVM- | mo iure Magni cognomentum iam | olim obtinet, Sermones & Ho- | miliæ, quæ quidem ex- | tant omnes. Altera iam vice summa cum diligen- | tia ad antiquissima exemplaria omnia | caſtigata, & aucta. Cum duplici Indice. | *Coloniæ ex officina Melchioris | Nouesiani. M.D.*XLVII." Cum signo Novesiani typographico; 8° min.; ff. 226, et praeterea in initio 32 (incl. fol. tit.) et in fine 25 ff. non signata. Titulum sequuntur epistula dedicatoria Canisii, vita Leonis, index rerum alphabeticus, epistula episcopi aleriensis. In fine libri est libellus „De conflictu vitiorum atque virtutum", cum praefatione quadam editoris; qui ait se iam iterum opera Leonis „ad incudem reuocasse", ope „admodum vetustorum et emendatissimorum exemplariorum", et inter eum laborem libellum de „conflictu" sibi oblatum esse, qui in antiquis exemplaribus constanter operibus Leonis adnumeretur [attamen falso adnumeratur]. Exempla huius editionis sunt Coloniae in bibliotheca urbana [G. B. IV. 2568] et Treveris in bibliotheca civitatis.

b) „D. LEO- | NIS PAPAE HVIVS | NOMINIS PRIMI, QVI MERI- | to summo Magni cognomen iam olim | obtinet, Epistolæ decretales ac fa- | miliares, quae quidem hacte- | nus reperiri potue- | runt omnes. Altera iam vice summa cum prouidentia | ad antiquissima exemplaria correctæ. *Coloniæ ex officina Melchioris | Nouesiani.* M.D.XLVIII." 8° min.; 200 ff. non signata; in initio vita Leonis et indices. Exempla vidi in bibliotheca monasterii cuiusdam tirolensis[1] et Coloniae in bibliotheca urbana (G. B. IV. 1136, ex bibliotheca benedictina monasterii coloniensis S. Pantaleonis).

3. „D. LEONIS PAPÆ HV- | IVS NOMINIS PRIMI, | Qui summo iure Magni cognomen- | tum iam olim obtinet, Sermo- | nes & Homiliæ, quæ qui- | dem extant omnes. | Eiusdem de conflictu uitiorum atq; uirtu- | tum Libellus, summa cum dili- | gen- | tia ad antiquissima exempla- | ria omnia castigata, | & aucta. | Cum duplici Indice. *Beatus uir cuius est dominus spes eius | & non respexit | in uanitates & insanias falsas.* | VENETIIS IN VICO SANCTAE | *Mariæ Formosæ ad Signum | Spei.* | M D LIII." 8° min.; ff. signata 230, et praeterea in initio 12 ff. non sign.

[a] *Parti priori editionis secundae huius operis, quae Coloniae anno 1547 ex officina eiusdem Novesiani prodiit (vide infra n. 2. a), eadem plane epistula dedicatoria praefixa est, nisi quod loco anni M.D.XLVI. positus est M.D.XLVII. Idem annus eidem epistulae adscriptus est in editione Lovanii anno 1566 facta.*

suites" (l. c. art. 4, p. 274). Hos et ipse P. *Aug. de Backer* S. J. secutus est (Bibliothèque I, 1046).

[1] Cf. „Zeitschrift für kathol. Theologie", 14. Jahrg. (Innsbruck 1890) p. 726.

(incl. fol. tit.); titulum sequuntur brevissima vita Leonis „ex Ioannis Spanhemensis libro de scriptoribus Ecclesiasticis“, index sermonum, index alphabeticus. F. 223 ad 230 vita Leonis ea, quam Canisius in editione anni 1546 posuit. Exemplum vidi Romae in bibliotheca alexandrina.

4. a) „D. LEONIS PAPAE, | HVIVS NOMINIS PRIMI, | *Qui summo iure Magni cognomentum iam olim obtinet, Sermones & Homiliæ, quae qui= dem extant omnes.* Altera iam vice summa cum diligen= | tia ad antiquissima exemplaria omnia castigata, & aucta. Cum duplici Indice. LOVANII | Apud Hieronymum Wellæum | ad intersigne Diamantis. Anno 1566.“ Cum signo typographico Wellaei: venatore cum duobus leporibus et hac sententia: QVI DVOS INSECTATVR LEPORES NEVTRVM CAPIT. 16°; ff. signata 221, ac praeterea in initio 10 (addito tit.) et in fine 12 ff. non signata. Cum epistula Canisii dedicatoria, quae supra scripta est, et indice rerum alphabetico. Coloniae in bibliotheca seminarii archiepiscopalis (Patt. 113).

b) „D. LEONIS PAPAE, *HVIVS NOMINIS PRIMI*, *Qui merito summo Magni cognomen iam olim ob= tinet, Epistolæ decretales ac familiares, quæ quidem hactenus reperiri potuerunt omnes.* Altera iam vice summa cum prouidentia | ad antiquissima exemplaria correctæ. LOVANII | *Apud Hieronymum Wellæum ad intersigne Diamantis.* | Anno 1566.“ 16°; ff. signata 188, ac praeterea in initio et in fine 1 f. non sign. Coloniae ibidem.

5. „D. LEONIS PAPAE | HVIVS NOMINIS | PRIMI, QVI SVMMO IVRE MAGNI | cognomentum iam olim obtinet, Sermo- | nes & Homiliæ, quæ quidem | extant omnes. *EIVSDEM DE CONFLICTV VITIO- rum atque virtutum Libellus,* SVMMA CVM DILIGENTIA | ad antiquiſſima exemplaria omnia castigata, & aucta. *Cum duplici Indice.* | VENETIIS, *Apud Christophorum Zanettum.* M.D.LXXIII.“ Cum imaguncula ligno incisa, quae sanctissimam Trinitatem et sub ea papam, episcopos etc. repraesentat; 8° min.; ff. signata 240, et praeterea in initio 12 (addito tit.) ff. non sign. Titulum sequuntur vita brevissima Leonis, et indices sermonum et rerum iidem atque in editione anni 1553; f. 233[b]—240[b] vita Leonis canisiana. Exemplum vidi Romae in bibliotheca alexandrina.

Canisii opus nequaquam omnibus numeris absolutum esse Laurentius Surius, Carthusianus coloniensis Canisiique amicus, anno 1561 palam edixit, cum in praefatione sive dedicatione operum Leonis a se editorum scriberet, „exiſſe quidem etiam antehac Leonem nonnihil a mendis repurgatum, sed ita tamen, vt locis permultis adeo obscurus, vitiatus, ac deprauatus permanserit, vt lectori studioso minime poſſit satisfacere, imo vero etiam taedium ac molestiam adferat“. Attamen addit: „Ingenue fateor“, priorum editorum „laboribus plurimum me adiutum esse“. „Praestitere illi quantum licuit, et tamen etiam alijs quaedam castiganda reliquere.“ [1]

41.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Colonia 22. Octobris 1546.

Ex apographo eiusdem temporis (2° min., 1/2 p.); inscriptio deest, et subscriptio cultro exsecta est; sed a quo et ad quem scriptum sit, ex epistula ipsa patet. Cod. colon. „Litt. Epistt. var.“ f. 17[a].

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 679.

[1] D. Leonis eius nominis I. Romani Pontificis . . . Opera, quae quidem haberi potuerunt, omnia . . . Coloniae Agrippinae. Apud Ioannem Birckmannum iuniorem. M.D.LXI. (2° min.; ff. 194. et 8 non sign.).

Se, Ignatii mandato obsecutum, de habitatione deliberasse et statuisse Coloniae sibi manendum esse. De studiis suis theologicis. De Petro Fabro. Sacras quasdam res ab Ignatio petit.

Ihesus

Reuerende Domine et Pater praecipue mihi in Christo.

Gratia Domini nostri Jesu Christi semper sit cum Do. V. Iniunxistis mihi humanissime vt ex mea ipsius conscientia iudicarem de loco aliquo habitationis mihi deligendo meamque sententiam istuc ilico rescriberem, et a vobis tum comprobatam esse putarem[1]. Septem igitur [diebus][a] deliberationi datis, hoc vnum iudicare potui, et cum meis hic fratribus concludendum duxi. Idque pro praesentis temporis ratione in hac vrbe germaniae, nimirum vt in praesentiarum hinc ego non dimigrarem. Et quanquam tanta de re sapienter iudicare non mei sit ingenij, magni etiam forte paericuli. Tamen obedientiae praestande gratia liberius hoc scripserim, quod chariss. frater idemque baccalaureus theologiae M. Adrianus[2] antuerpianus huc iam e Louanio accesserit. Is iuxta consilium Reuerendi patris Bobadillae tractat mecum studia theologica multis quidem horis quotidie, vt antehac nunquam vel illi vel mihi maior studiorum et commodior ratio habita fuerit. Quod si Christi munifica gratia, vt iam cepit [*sic*], in multis promoueat, et ista studiorum conferendorum maneat nobis occasio, certe non frustra Coloniae mansisse videbimur. Sed ipsae fratrum literae quas hisce coniunxi. plura de hoc ipso negotio aperient. Ne quod soleo pergam ego esse prolixior apud Reuerendam D. V. Cuius voluntati et qualicunque iuditio me rudem et peccatorem per omnia (vt aequum est) subiicio, meis nempe viribus prudentiaeque diffisus plane. Mortem Reuerendi patris mei D. Fabri per se non deplorandam, mihi vero peracerbam esse fateor, ita vt hinc quoque tristes querelas aedere cogat animi mei maeror. Sed infirmitatem meam adiuuate praecor orationibus vestris. Sicut ille nunquam obliuiscetur spero suorum, quos in Germania diu multumque videre semper optare solitus fuit. De aliis rebus ad vestrum commissarium charissimum fratrem[3] scribo fusius. Bene valeat Reuerenda P. V. meque fratrum queso omnium precibus frequenter commendet. Saepe iam petij atque iterum peto supplex absoluendi facultatem illam generalem nec non signa ex Rosariis a S. D. N. benedictis[4]. Coloniae 22 octobris .1.546.

Reuerendae D. V.

Seruus et filius extremus

[Petrus Canisius.]

---

[a] *Hoc supplendum esse videtur; nisi forte Canisius scripsit:* septem horis.

---

[1] Ignatius Canisio id mandaverat in epistula, quam 14. Augusti 1546 „ex eius commissione" P. Bartholomaeus Ferronius scripsit; supra p. 211.

[2] Fr. Adrianus Adriani. [3] Bartholomaeum Ferronium.

[4] Ignatius 11. Iunii 1547 Roma ad priorem Carthusiae coloniensis scripsit: „De granis illis consecratis a Summo Pontifice, donatisque eximiis gratiarum prae-

42.

CANISIUS WENDELINAE CANIS,

novercae suae.

Colonia 30. Octobris 1546.

Ex versione gallica archetypi vlamici, ab anonymo confecta et edita in „Collection de Précis historiques" XXV (Bruxelles 1876), 27—28. Cf. supra p. 72.

Morte mariti aliisque calamitatibus afflictam solatur. Calamitatibus illis patefieri eam a Christo, sponso suo, vere diligi. Ex malorum toleratione omnia bona in homines profluere. Wendelinam monet, ut liberis bonum praebeat exemplum eosque ad precationem mane et vesperi faciendam diligenter instituat.

JHC[a]

Chère Mère. Vous devez toujours porter patiemment la croix.

J'ai reçu votre lettre sans le linge qui peut facilement arriver après. Je me réjouis de vos souffrances, parce que [j'y vois que][b] votre fidèle époux[1] ne vous oublie pas quoique vous vous oubliiez trop vous-même. Souffrir conduit l'homme à tout repos et paix; souffrir nous prépare à recevoir les grâces les plus élevées; souffrir

Cara mater. Oportet te semper crucem cum patientia ferre.

Epistulam tuam accepi, minime vero linteos, qui facile posthac afferri possunt. Gaudeo de rebus, quae tibi accidunt, adversis; hae enim patefaciunt[b] fidelem sponsum[1] tuum non oblivisci tui, etsi tu ipsa nimis tui oblivisceris. Malorum toleratio homines ad omnem tranquillitatem et pacem perducit; malorum toleratio ad sublimissimas

[a] *Sic editor belga; sed puto scriptum esse* IHS, *id est* JHESUS.
[b] *Haec ab editore belga explicationis gratia addita sunt.*

rogativis, licet ad paucitatem sint redacta, aequum non est deesse nos devotioni vestrae Paternitatis et carissimorum fratrum, qua parte possumus, iuvandae. Mitto igitur septem sphaerulas. . . Quod porro exigere solemus ab iis, quibus aliquam partem donamus, etiam addam, nimirum, ut, si nunquam universaliter confessus est, qui eis uti vult, confiteatur, et ad sanctissima sacramenta Confessionis et Communionis singulis certe mensibus accedat." Idem eidem Roma 28. Martii 1549 „duodecim grana benedicta" misit (Cartas de *San Ignacio* I, 403—404; II, 417). Quae autem gratiae et indulgentiae (etiam ad animarum in purgatorio versantium consolationem et liberationem spectantes) a Paulo III. cum granis illis coniunctae sint, cognosci potest ex epistula S. Ignatii Roma 24. Iulii 1541 „á la emparedada de San Juan en Salamanca" datis (Cartas de *San Ignacio* I, 104—106) atque etiam magis ex B. Petri Fabri „relatione" 27. Aprilis 1542 ea de re facta (Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 146—149). Nunc quoque summi pontifices magnas quasdam gratias cum rebus coniungere solent, quibus ipsi „benedicunt", atque imprimis cum „rosariis", quae „apostolica" dicuntur (vide *Franc. Beringer* S. J., Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch [10. Aufl., Paderborn 1893] p. 308—313).

[1] Wendelina post mortem mariti, Petri, privigni sui, consilium secuta animum a secundis nuptiis averterat et Christum deinceps sponsum habere constituerat. Cf. supra p. 118.

purifie l'impureté de notre cœur; souffrir ouvre les yeux aveugles et fermés; souffrir nous préserve de tout orgueil et vaine gloire; souffrir nous délivre de la terrible peine du Purgatoire: souffrir nous rend soigneux et diligents. En un mot, aucune veuve n'a pu convenablement servir le Seigneur, si ce n'est en passant par le chemin des souffrances et des tribulations. Pensez, Chère Mère, que c'est une vraie marque des enfants de Dieu que d'être éprouvés et dans les souffrances. Multae tribulationes justorum, sed de omnibus his liberabit eos Dominus[1]. Quant au mérite, il n'importe pas si nous avons mérité la verge, mais si nous souffrons patiemment les coups. C'est pourquoi, Ma Chère Mère, combattez bravement, n'ayant pas seulement soin des enfants, mais ayant soin de laisser aux enfants l'exemple d'une mère patiente, douce de caractère, qui considère plus le salut de ses enfants que tous les biens de ce monde. Conservez donc les enfants sous forte autorité. Le soir, faites-leur dire leurs prières, avec les dix commandements et quatre Ave Maria pour les quatre fins de l'homme. Quelquefois faites-leur dire cinq Pater noster, les bras en croix, devant leur lit[2]. Il convient aussi que, le matin, avant le déjeuner, ils remercient Dieu dans leurs prières, et vous les inviterez par des présents à dire toujours quelques nouvelles prières, qu'ils s'accoutumeront à dire toute leur vie. Laissez les morts ensevelir les morts[3]. Ne vous contristez pas de la mort de feu mon père qui repose dans le Seigneur et qui vous a mise dans une condition plus parfaite que celle dans laquelle il vous

gratias accipiendas nos disponit; malorum toleratio animorum nostrorum maculas abluit; malorum toleratio oculos caecos et clausos aperit; malorum toleratio ab omni superbia et vana gloria nos servat; malorum toleratio horrenda ignis purgatorii poena nos liberat; malorum toleratio nos reddit sollicitos et diligentes. Quid multa? Nulla vidua domino debite servire potuit nisi per viam rerum adversarum et miserarum graderetur. Considera, cara mater, hanc esse veram quandam notam filiorum Dei, quod calamitates et miserias experiantur. Multae tribulationes iustorum, sed de omnibus his liberabit eos Dominus[1]. Si quaeritur, quid meruerimus: non refert nos virgam meritos esse; sed huc omnia redeunt, ut verbera patienter toleremus. Ideo, cara mater, fortiter pugna, neve solum liberis consulas, sed hoc quoque tibi curae sit, ut filiis exemplum matris relinquas patientis, quae lenis sit ingenii, quaeque magis aeternam liberorum salutem provideat quam cuncta bona huius vitae. Severa igitur disciplina filios contine. Cura, ut vesperi preces suas recitent unaque praecepta decalogi et quaterna Ave Maria, ad „quattuor hominis novissima" in memoriam revocanda. Aliquando etiam iube eos quina Pater noster brachiis in crucis formam redactis ante lectos suos recitare[2]. Ac convenit etiam eos mane ante ientaculum precationem facere ad gratias Deo agendas, et tu praemiis propositis eos invitabis, ut novas aliquas in dies preces recitent, quibus per totam vitam recitandis assuescant. Dimitte mortuos sepelire mortuos[3]. Ne maereas morte patris mei, qui in domino requiescit, quique in eam condicionem

[1] Ps. 33, 20.
[2] Sic quinque vulnera salvatoris crucifixi pie coluntur.
[3] Matth. 8, 22.

a jamais possédée[1]. Il vous conservait et vous protégeait auparavant comme un bon père de famille; mais maintenant il vous a accordé un protecteur éternel et tout-puissant, qui est souverainement fidèle, au-dessus de tous les enfants des hommes. Chère Mère, conservez-vous vous-même, quant à l'âme et quant au corps, avec le secours de Dieu, et priez toujours pour moi. Amen.

Cologne, le 30 octobre 1546.

Pierre Kanijss, votre fils aîné.

Chère Mère, envoyez cette lettre[2] à Arnhem à M. Etienne[3], doyen de Sainte-Walburge.

A ma mère Weyndel, veuve de M. Jacques Kanis, à Nimègue.

---

te adduxit, quae perfectior est ea, in qua umquam te possedit[1]. Ipse antea te custodiebat et protegebat, bonus quippe paterfamilias; nunc autem protectorem aeternum et omnipotentem tibi comparavit, qui omnes filios hominum fidelitate longissime superat. Cara mater, animam serva incolumem et corpus validum, Deo iuvante, et semper pro me precare. Amen.

Coloniae, 3. Kal. Nov. 1546.

Petrus Kanijss, filius tuus maximus natu.

Cara mater, mitte, quaeso, hanc epistulam[2] Arnhemium, ad M. Stephanum[3], decanum ecclesiae Sanctae Walburgis.

Matri meae Wendelinae, viduae M. Iacobi Kanis, Neomagi.

43.

CANISIUS STEPHANO DE DELEN,

decano arnhemiensis ecclesiae collegialis S. Walburgis.

Colonia circiter 30. Octobris 1546.

Ex apographo, quod saeculo XVII. scriptum esse videtur (2°, pp. 2). Librarius ei superscripsit: „P. Canisius ad Decanum quendam." Alius quidam alia adnotavit, et inter haec annum 1559; vide quae infra post ipsam epistulam dicentur. Cod. colon. „Litt. Epistt. var." fol. non signato, quod est ante f. 82.

Simpliciter, non affectate esse scribendum. Multis sacrae Scripturae sententiis et exemplis ostendit: Christum esse panem, qui solus animas satiet ac delectet; attamen in hac vita etiam „pane doloris" nos vesci oportere, in lacrimis paenitentiae, ieiunio, stipe pauperum; non aliena tantum, sed potissimum propria vitia corripienda esse. Subditorum curam et animi fortitudinem commendat Christumque ducem proponit.

---

[1] „Dico autem non nuptis, et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. . . . Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quodsi dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam" (I Cor. 7, 8. 39. 40).

[2] Alteram quandam epistulam Canisius dicere videtur, quam epistulae ad novercam datae adiunxerat: eam, quae huic proxime subiungetur.

[3] Vide epistulam proxime sequentem.

R. D. Decane.

Gratia domini nostri Jesu christi semper assistat D. V. non possum sane non agere gratias humanitati tuae quod desideratissimis literis tuis aliquando tandem ad nos responsum dederis, sed falso putas me cuiusquam amici barbarie offendi quam ego tamen in literis tuis non agnosco. gratum fuit quod libere caussam tui silentij significaueris, gratum vero non fuit quod anxiam illam in loquendo scribendoque rationem excuses, ego qui nec bene loqui didici tacere non possum, quidquid primum occurrit apud amicos effundere soleo ratus nihil decere christianam simplicitatem dum affectate verba exquirimus, sententias negligimus, et curiositatis potius quam pietatis fructum referimus[1]. Ergo sic omnino de me tibi persuadeas rogo nihil apud me referre quoquo pacto scribas, sive germanice, sive latine, sive barbare modo sensum ullum ex scriptis tuis quae mihi magnopere probantur percipiam, sed ais tibi opus esse spirituali pabulo, quod certe solus ille dispensat, qui factus est panis de coelo descendens[2], unde reficitur promiscua turba, etiam haerens in desertis[3]. Deserta profecto sunt curae, et occupationes huius saeculi quibus immersus animus gratiae ubertatem amittit, spiritus foecunditatem suffocat, et vitiorum germina fovet conservatque. Sed nec ab istis desertorum amatoribus abstinet Christi clementia quae cupit omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire[4]. Qui panis Angelorum[5] est, frangit suis ipse manibus panem quem ad saeculi consummationem usque[6] dispensandum, atque distribuendum relinquit suis discipulis[7]. Hi sive docent in sacris literis, sive admonent viva voce, sive exemplis incitant, veluti panem vitae[8] quo vegetantur animi nobis proponunt. Quare suo malo pereat, qui illatum panem fastidiosus non recipit, paulo post in perpetuum futurus famelicus, quia nostrum panem iustitiae non esurit cum tamen hic solus impinguet animas, confortet vires, et saturet appetitum[9]. Beati vero qui esuriunt et sitiunt iustitiam[10] (panem habentem omne delectamentum[11]) quoniam ipsi saturabuntur, cum apparuerit gloria tua[12] qui solus imples omne animal benedictione[13]. Quanquam ut panem illum manducemus in regno Dei[14], multum refert in usu etiam nunc habere panem doloris[15], et cibum angustiae[16]. nam qui dixit. Satiabor cum apparuerit gloria mea[17], idem non tacuit illud.

[1] Canisius pravam illam rationem reprehendere videtur, quam „humanistae" quidam in litteris scribendis sequebantur.

[2] Io. 6, 50. 59. [3] Cf. Matth. 14, 13—21; 15, 29—38. Io. 6, 1—13 etc.

[4] 1 Tim. 2, 4. [5] Ps. 77, 25. [6] Matth. 28, 20.

[7] Cf. Io. 6, 11. 25—66. Matth. 26, 26—29. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 23—26. [8] Io. 6, 35. 48. [9] Cf. Matth. 5, 6. [10] Matth. 5, 6.

[11] Sap. 16, 20. [12] Ps. 16, 15. [13] Ps. 144, 16. [14] Luc. 14, 15.

[15] Ps. 126, 2. [16] Cf. Iob 6, 7.

[17] Ps. 16, 15; attamen vulgata editio habet: „gloria tua".

Fuerunt mihi lachrymae meae panis die ac nocte[1]. Ac rursus panem meum cum cinere manducabam[2]. Proinde quantum in delicijs fuit, et glorificavit se homo, ut ipse [dominus] in Apocalypsi [dicit], tantum dabitur ei tormentum et luctus[3], nisi iudicaverit modo seipsum ut non a Domino iudicetur[4] in die illa quando vix iustus salvabitur[5]. Foelices modo poenitentium lachrymae, quibus flammae aeternae extinguuntur, Foelix ieiunium quod coelesti saturitate pensatur. Felix Elëemosyna, qua Christum debitorem reddis, Foelix poenitentia, quae gaudium parat in Spiritu sancto, ah, miseros nunc homines quibus triste videtur in luctu, et amaritudine animae peccata recogitare[6]. Non sic rex nobilissimus Ezechias[7], non regius propheta David, qui laborat in gemitu per singulas noctes, et stratum in lachrymis rigat[8]. Momentaneum cruciatum refugimus scilicet ut aeternum nobis reservemus. Libet multis horis fabulari et tamen non libet paucis horis pro peccatis lachrymari, non pro peccatoribus precari. Dulce est inter amicos vivere, novitates intelligere, census sublevare. Dulce autem nobis non est Sanctorum sequi vestigia, pietatem, et simplicitatem amplecti, devotioni studere, ut nonnunquam solitarij levemur supra nos[9] et conversationem in coelis nostram[10] faciamus. in Haereticos clamare pium est, in nostra vitia saevire magis fructuosum. de aliorum defectibus conqueri zelus appellatur, sed mortificare carnem nostram cum vitijs et concupiscentijs[11] revera zelus est secundum scientiam sanctorum[12]. Condescendere hominum imperfectioni prudentia est ut vocant, sed in omnibus quaerere solum quae ad aedificationem[13] prudentia est Evangelica. Dissimulare abusus subditorum pro discretione censetur, sed indiscretam Praelatorum indulgentiam iudicabit Dominus princeps ille pastorum[14]. Satis est communem viam ingredi et multitudinis exemplo tegitur nostra tepiditas. Verum crede mihi est, qui non secundum faciem iudicet sed iudicium rectum[15], cui ne culpa minimae quidem cogitationis indiscussa relinquitur; et hoc dixerim Venerande Domine, ut quando inter Scorpiones et Colubros incedis[16] qui semper imminent baculo invictae fortitudinis innitare nec facile ad dextram vel ad sinistram commoveare. Semper illius memor, qui clamat omnibus. Ego sum via, veritas, et vita[17]. Qui sequitur me non ambulat in tenebris[18], hunc ducem, hunc protectorem, et vindicem assume, propter hunc argue, ob-

[1] Ps. 41, 4.
[2] Vulgata nostra: „Cinerem tamquam panem manducabam" (Ps. 101, 10).
[3] Apoc. 18, 7. [4] Cf. 1 Cor. 11, 31. [5] 1 Petr. 4, 18.
[6] Is. 38, 15. [7] Ibid. [8] Ps. 6, 7. [9] Thren. 3, 28.
[10] Phil. 3, 20. [11] Gal. 5, 24. [12] Rom. 10, 2. Sap. 10, 10.
[13] Rom. 14, 19. 1 Cor. 14, 26. [14] 1 Petr. 5, 4. [15] Io. 7, 24.
[16] Cf. Ez. 2, 6. Luc. 10, 19. [17] Io. 14, 6. [18] Io. 8, 12.

secra, increpa oportune, importune[1] ut fidelis in vinea ista operarius[2] habearis. Porro de M. N. Buchardo [*sic*][3] nihil aliud allatum est hactenus non sine maxima multorum admiratione. P. Priorem[4], et Mariam[5] ad scribendum D. V. impuli, ut in eorum quoque scriptis consoletur spiritus tuus et cariss. fratris. Postremo utriusque vestrum precibus me totum commendatum iri precor, et si quid mea vobis efficiet opera, nullum refugio laborem molestiamque. Dominus vos cum amicis omnibus tueatur incolumes. Coloniae.

Canisium harum litterarum auctorem esse et antiqui librarii testimonium et litterae ipsae comprobant. Inscriptio in apographo non comparet, nec tempus quo litterae datae sint. Nam altera quidem manu antiqua annus 1559 apographo ascriptus est, sed falso ascriptus. Colonia eas datas esse extremum earum verbum ostendit; Canisius autem ineunte anno 1547 Colonia discessit neque eo rediit nisi multo post et ad brevissimum tempus; toto anno 1559 Colonia abfuit. Cum autem ex epistula ipsa appareat eam ad decanum quendam datam esse, cumque Canisius novercae Noviomagi moranti Colonia 30. Octobris 1546 scribat se aliam adiungere epistulam et rogare, ut Arnhemium ad M. Stephanum, decanum ecclesiae S. Walburgis, mittatur[6], pronum fuerit dicere epistulam nostram huic ipsi decano circiter 30. Octobris 1546 inscriptam esse. Gentilicium denique „magistri Stephani" nomen editori liberaliter subministratum est a claro viro *I. H. Hofman*, ecclesiae S. Wilfridi in Schalkwijk rectoris. Qui in archivo comitum montensium ('s Heerenbergh; cf. supra p. 133), C. VI, n. 14, partem litterarum repperit, quas „Judocus comes de Brunckhorst ac dominus de Borkeloe" nomine Guilielmi IV., comitis montensis (qui anno 1546, octo annos natus, patre orbatus erat), Embricam ad praepositum et archidiaconum ecclesiae S. Martini dedit de clerico aliquo „praesentando" „ad vicariam, in parochiali ecclesia then Berge sitam . . ., ad presens per mortem honorabilis viri, domini Stephani de Delen, decani ecclesie S. Walburgis in Arnhem, ultimi possessoris ejusdem, vacantem". In eodem archivo idem R. D. Hofman tabulas accepti et expensi invenit, a vicariis ecclesiae illius montensis confectas; ex quibus cognoscitur Stephanum de Delen a. 1550 unum quidem ex septem „senioribus vicariis" eiusdem ecclesiae fuisse, sed alio loco sedem habuisse. Qui tamen ante a. 1553 obiisse videtur; nam a. 1552 in tabulis illis inter septem „seniores vicarios" recensetur [Ioannes] „Mascop loco Deelen".

---

[1] 2 Tim. 4, 2. [2] Matth. 20, 1.

[3] Doctorem Burchardum van den Bergh (de Monte), novercae suae fratrem, dicere videtur. De quo supra p. 116[2]. Is cum concilio tridentino interfuisset, anno 1547 a Ferdinando I. in universitatem viennensem ad theologiam tradendam vocatus est, et propterea (ni fallar) a Canisio hic „M.N." = magister noster vocatur (*I. R. v. Aschbach*, Geschichte der Wiener Universität III [Wien 1888], 89[4]). Nisi forte librarius nomen „Burchardo" falso supposuit nomini „Euerhardo"; Everardus Billick, theologiae professor coloniensis et provincialis Carmelitarum, collocutor erat in colloquio religionis, quod 27. Ianuarii 1546 Ratisbonae inchoatum est.

[4] Gerardum Hammontanum, Carthusiae coloniensis priorem, dicere videtur; qui pietatem diligenter et ipse colebat et in alios diffundebat; cf. supra p. 78. 92. 209[4].

[5] Mariam de Osterwijk; vide supra p. 21. 38. 209. 209[4].

[6] Vide supra p. 226.

44.

ANTONIUS VINCK,

theologiae studiosus lovaniensis et novicius Societatis Iesu [1],

PETRO CANISIO, LEONARDO KESSEL, ADRIANO ADRIANI,

Sociis coloniensibus.

Lovanio 29. Novembris 1546.

Ex autographo (2°, 2 pp.). Cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 19.

Misericordiam Dei laudat, qui se pigrum et tepidum in servitium suum vocarit. Se pauperem esse et a patre sene veniam discedendi non facile impetraturum. Socios lovanienses communem velle habitationem instituere. Mentis suae pugnas et pia aperit consilia. De amicis et patronis quaedam refert.

Honorandis in christo dilectissimis patribus ac fratribus. G. Leonardo kessel M. petro Kanisio ac M. Adriano adriani Anthonius Vijnck S. p. d.

Gratia domini nostri ihesu christi abundet semper in cordibus nostris amen.

Nunquam satis admirari possum diuinam erga genus humanum misericordiam et zelum quo peccatores nititur ipse altissimus superbenedictus non solum vocare[2] sed et compellere vt intrent[3], e quorum numero me[a] vnicum et supremum conspicio, iam enim innumeris admonitionibus tum externis tum internis monitus et vocatus nolui audire nec ob [id] reiecit me clementissimus, sed et per alios etiam de facie quidem ignotos non desiuit adhortari. Ad hec vero mei patres et fratres in christo ihesu, obmutesco, et quodammodo lectis vestris ad me missis literis attonitus herebam cogitans quid hec acessent et quid erga me Deus disponeret meam contra animaduertens nimiam tepiditatem. mente igitur fateor me illi optimo maximo Deo nunquam posse agere sufficientes gratias. Latius dispositionem meam describerem nisi putarem vos accepisse literas a me ad M.

[a] *Subter tria vocabula, quae sequuntur, in autographo linea ducta est.*

[1] Antonius Vinck, brabantius, ex Bautersem, vico regni belgici, ortus, a *Francisco Sacchino,* Societatis historiographo, appellatur „magnorum vir meritorum: quae triginta annorum, quos fere in Societate vixit, interuallo varijs in Prouincijs, grauissimisque muneribus, illibata semper fama, et communi approbatione collegerat" (Historiae Societatis Iesu pars tertia [Romae 1649] l. 4, n. 76). Vinck, cum Romae aliquamdiu „ministri" munus obiisset, in Siciliam missus est ibique theologiam moralem docuit, collegia messanense et catanense rexit, de syracusano bene meruit. Postea primus treverense collegium, itemque primus rhenanam Societatis provinciam gubernavit. Congregationibus etiam generalibus duabus interfuit et provinciam Societatis lombardicam visitavit. Vivere desiit Bononiae anno 1576. Vide etiam, quae de eo infra adnotabuntur ad epistulam Tappero missam 10. Ianuarii 1548.

[2] Matth. 9, 13. [3] Luc. 14, 23.

Adrianum scriptas in quibus rem meam aliquatenus pictorum more carbone delineaui, cecus queso quid iudicare potest de coloribus? palpantium vero more cupiam saltem tandem aliquid mecum efficiendum Domino creatori ac redemptori meo. Sed quidem defectus me obruunt, implicatus enim sum secularibus negocijs que secundum exteriorem quidem hominem placent et dolerem pro parte [?] oblata nisi occasio daretur habitandi cum confratribus, quod quando tandem fiet non video ex parte mea, cum non tantum habeam quo me possum extra collegium alere imo nec vix quidem in collegio[1]. Nihil mihi patrimonij est, imo pater senex fere octuagenarius oneri est, qui adhuc ignorat resignationem meam ad societatem uestram, Premonui eum aliquoties ne animum suum mee praesentie addiceret. futurum fortassis praedixi quod frustraretur, habuit iam aliquamdiu imaginationes et quodam modo timuit quod ingrederer religionem, quod tamen dixit si contingeret gauderem secundum interiorem hominem[2], verum multis mihi constaret lachrimis, tu inquit vnicus baculus senectutis mee, habeo tamen plures et fratres et sorores superstites, his et similibus senem conor paulatim inducere vt si fortassis contingeret me aliquo vocari seu mitti, aut etiam si palam fieret quod adhuc opertum est minus miraretur ac leuius ferret. Imaginamur nos (si superioribus placeret) modum aliquem cohabitandi[a] qui procul dubio esset vtilissimus sed quomodo succedet nescio, comitto alijs, quod autem ad personam meam attinet quomodo ageretur qui hic enutritus circumdatus [sum] multis et varijs consanguineis et notis diuersissime conditionis, committo patribus prudentioribus me, si ex me interrogem[b] non satis afficior, mallem remotius ab ipsis et ipsorum noticia[c] agere donec saltem aliquid profecissem in via dei et correctione mearum concupiscentiarum quibus multis in modis irretitum me inuenio.

hec ad vos fratres scribo non vt historiam tantum cognoscatis verum vt ex istis perspecta imperfectione mea deum feruentius simul et frequentius pro me oretis. Scio quidem scientia speculatiua vt adhortamini contemnenda viliora omnia que insanus mundus offert vt liberius christo vacem, id enim apertissime diuus paulus et scriptis et exemplis profitetur[3], verum manum aratro applicare vt aiunt[4] quid

---

[a] chohabitandi *autogr.* [b] *Sic; fortasse legendum:* interrogent.
[c] noticiam *autogr.*

---

[1] Vinck paulo inferius scribit se in „collegio theologorum“ habitare; quod etiam „Sancti Spiritus“ vocabatur, et inter collegia theologicae facultatis primum et antiquissimum erat; anno 1561 vel 1562 quodam modo in duo collegia divisum est. „Bursae“ eius sive annui reditus studiosis destinati eo tempore sat tenues erant (*Analectes* pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique I [Louvain-Bruxelles 1864], 146—147). [2] Rom. 7, 22.

[3] V. g.: „Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo“ . . . (Phil. 3, 8. 9). [4] Cf. Luc. 9, 62.

sit nescio[a] . . . pellis pro pelle[1] petitur. Orate igitur dominum messis[2] vt et messem simul cum operarijs dirigat in summum dei honorem ac christifidelium salutem. Ago maximas vobis gratias qui dignati estis tam paterna pietate plenas admonitiones ad me scribere. Ago et consimiles gratias charissimo meo Adriano qui et absentis frequenter mei memoriam facit in conspectu altissimi, precor vos beneceptis [*sic*] pergite, spero ego cum hoc renouationis seu vt alijs magis placet reuocationis tempore emendationem et renouationem[3]. Salutabitis oro meo nomine quotquot ibi sunt fratres et amici commendantes me eorum orationibus. Salutat vos Elisabeth que decumbit in senodochio [*sic*], Salutant vos et aliquot sorores ex monasterio sub castro[4] similiter et alie aliquot virgines cupientes communicari vestris orationibus. Salutant M. Adrianum, Magister noster Joannes Hasselt[5], praesides nostri collegij simul cum omnibus magistris et ancillis, similiter et gertrudis apud magistras sorores[6] salutat. Salutat et vos M. Adrianus[7] qui habitat in domo helie schor[8]. Commendatum me habete in domino ac semper curate vt crescatis et fructum afferatis

[a] *Sequitur vocabulum obscure scriptum.*

[1] Iob 2, 4. [2] Matth. 9, 38. Luc. 10, 2.

[3] „Renovationem studiorum" Vinckius dicere videtur, quae feriis peractis instituebatur. Haec renovatio illo tempore saepe festo S. Catharinae martyris, patronae philosophorum (die 25. Novembris), agebatur. Fortasse autem altera illa „renovatio" hic significatur, quae est votorum religiosorum. Quae hoc ipso anno 1546 a Sociis lusitanis fieri coepta, postea a *S. Ignatio* omnibus, qui ultima vota nondum nuncupassent, praescripta est quotannis facienda in festis nativitatis et resurrectionis domini, nisi forte iis diebus alii a rectore substituerentur (Constitutiones S. J. P. 4, c. 4, n. 5 et D. *Polancus* l. c. I, 198. *Ant. Franco* S. J., Synopsis Annalium Societatis Iesu in Lusitania [Augustae Vind. et Graecii 1726] p. 19).

[4] Prioratus monialium cisterciensium dici videtur, qui vocabatur „B. Mariae in Vinea", „La Vignette", „De Wyngaert"; hic enim in via mechliniensi ac castro caesareo fere subiecta erat (*Analectes* pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique XII [Louvain-Bruxelles 1875], 136. *W. Boonen,* Geschiedenis van Leuwen, ed. Ed. van Even [Leuven 1880] p. 194).

[5] Leonardus Ioannes van Hasselt sive Hasselinus, theologiae doctor lovaniensis, quem cum Ioanne Hessels, theologo lovaniensi et tridentino (1522—1566), confundere non oportet, clarum edidit opus „De Nectarii Constantinopolitani facto super confessione" et anno 1551 a Carolo V. Tridentum ad concilium missus est. Hic, inquit *collegii lovaniensis historicus,* „multa in societatis commendationem scripsit et dixit . . . Theologus insignis, et magni apud Brabantos nominis, missam a Deo societatem omnique fauore dignissimam iudicabat, nec illos modo qui in ea degerent, sed et illos qui ex eius consilijs vitam instituerent, suam salutem in tuto collocare affirmabat" (*Cod. bruxell. „Hist. Coll. Lov." p. 16. Cf. etiam *Manarei* commentarium p. 18—19). [6] Ursulinas? Urbanistas?

[7] Fortasse Adrianum Candidum (de Witte), antverpiensem, dicit, qui Parisiis anno 1550 in Societatem admissus esse fertur et Lovanii anno 1557 in eadem mortuus est (cf. *Delplace* l. c. p. 3*).

[8] „Doctor Elias Schorius, consiliarius regius in concilio Brabantiae, vir admodum prudens et pius, aedes multo ampliores cum hortis . . . Deo inspirante, donatione perpetua Societati tradidit anno 1556" (*Manareus* l. c. p. 14).

vberiorem[1] quod obsecro in nobis dignetur incipere et perficere qui omnium bonorum est author in secula benedictus. Literas quaeso vbi oportunitas detur ad me scribite.

Louanij in collegio Theologorum 29 nouemb. 1546.

Anthonius vynck de bouterssum
ex animo seruus et confrater.

45.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL,

Sociorum coloniensium praefecto.

Leodio sub finem anni 1546.

Ex *Radero,* De vita Canisii p. 36—37. Eadem narrat *Barth. Fisen,* leodiensis, S. J., Sancta Legia Romanae Ecclesiae filia. P. 2 (Leodii 1696) p. 345.

De orationibus sacris Leodii a se habitis favoreque episcopi.

Cum ex defectione Hermanni Wedani archiepiscopi populus coloniensis in magnum haeresis discrimen venisset, „Iohannes Gropperus", inquit Raderus, „cum vniuerso Coloniensis Academiae et Cleri concilio Canisium ad Leodiensem Antistitem[2] aduersus nascentem sectae flammam auxilium petitum legauerunt[3]. In qua functione cum diutius cogeretur Leodij propter rei grauitatem haerere, ne bonas horas otio transmitteret, more Societatis interim Cathedras procurauit, et festis diebus omnibus historiam Euangelicam frequentissima concione explicauit, saepeque eodem die in Episcopio, paraeciaque binas conciones habuit, alias etiam Ecclesiasticos a Decano citatos ad officij munus exequendum hortatus[4]. Te-

---

[1] Cf. Matth. 13, 8. Io. 15, 1—16.

[2] Georgium Austriacum; de quo, praeter alios, scripsit *Ioan. Chapeavillus,* Qui Gesta Pontificum Leodiensium scripserunt auctores praecipui III (Leodii 1616), 351—383. *Boero,* postquam in vita Canisii (p. 46) recte scripsit, Canisium anno 1546 functum esse hac legatione, eandem in vita Iaii (p. 85) transtulit in annum 1545 (ante comitia vormatiensia). Quem errorem secutus est *Gothein* l. c. p. 677.

[3] Capitulum metropolitanum coloniense in his angustiis iam anno 1544 a capitulo cathedrali leodiensi per litteras opem petierat (Acta leodiensia, collecta a *H. I. Floss* in „Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein" XXXVII [Köln 1882], 144—176). Canisius in „Testamento" asserit se „optatum subsidium impetrasse"; vide supra p. 46 et ea, quae ex archivo capituli leodiensis affert *Riess* l. c. p. 65—66; quae ostendunt in conventu capituli de subsidio illo actum esse 10. et 22. Decembris 1546. Alia monumenta rerum Leodii a Canisio gestarum in Belgio non superesse cognosci potest ex *Ios. Daris,* Histoire du Diocèse et de la Principauté de Liége pendant le XVI[e] siècle (Liége 1884) p. 431.

[4] Decanus capituli cathedralis S. Lamberti tunc erat Gerardus de Groisbeck (Groosbeeck), qui anno 1563 episcopus leodiensis nominatus est (*Io. Er. Foullon* S. J., Historia leodiensis tom. II, P. 1 [Leodii 1736], p. 255—277. *I. De Theux,* Le Chapitre de saint Lambert à Liége III [Bruxelles 1871], 52. 76).

stantur literae Canisij ad Leonardum Kesselium, primum Colon: Collegij praesidem, quibus docet; ipso Natali Christi coactum ab Episcopo, qui fuit Georgius Austrius Maximiliani Romani nominis primi filius, ex tempore de rebus diuinis apud ipsum et aulicos verba facere; singularique amoris significatione tractatum, ad mensamque adhibitum." [1]

46.

CANISIUS
IOANNI GROPPERO,

canonico ecclesiae metropolitanae coloniensis et scholastico ecclesiae S. Gereonis [2].

Geislinga 24. Ianuarii 1547.

Ex apographo eiusdem temporis (2°; 3 pp.), quod est Dusseldorpii in archivo regni borussici, convolut.: „Geistliche Sachen n. 535 (Churcöln)".
Edidit *Varrentrapp* l. c. II, 112—114.

De legatione ad caesarem religionis causa a se pro Coloniensibus suscepta. De militum vitiis, Ottonis cardinalis augustani hospitalitate, electoris Palatini paenitentia, fautoribus quibusdam Hermanni Wedani puniendis. Coloniensem clerum in aula caesaris maxime laudari. Magno animo causam ecclesiae agendam esse. Quantos triumphos caesar in bello smalcaldico de principibus et civitatibus protestantibus egerit. Petrum de Soto, Granvellanum, alios Coloniensibus patrocinari.

Jhesus

Reuerende Domine Groppere

Gratia domini nostri Jhesu Christi semper dignitatem tuam custodiat, custodiuit ea me quidem hactenus, vt si non animo (quod maxime vellem), corpore tamen incolumis ad Caesarem peruenerim [3]. Interea vero dum preeuntem Caesarem assequi conor, plus satis didici

---

[1] „Leodiensis [Antistes] Georgius ab Austria, cuius ante nouam episcopatuum in hisce partibus distributionem, longe lateque per Belgium iurisdictio patebat, publico diplomate ad 4. Non. Sept. [1554] dato, liberam fecit societati in sua diocesi, munia sua iuxta priuilegia sibi a Pont. Max. indulta obeundi potestatem" (* Cod. bruxell. „Hist. Coll. Lov." p. 22). Cf. supra p. 195—197.

[2] De Groppero vide supra p. 144. 204. 205.

[3] Paulus III. sententiae, qua Hermannum Wedanum ab archiepiscopatu coloniensi removerat, exsecutionem Carolo V. caesari commisit et litteris Roma 3. Iulii 1546 datis Adolpho de Schaumburg (Schauenburg), Hermanni coadiutori, administrationem archidioecesis tradidit. Colonienses itaque, quo citius ab Hermanno se liberarent, sub finem anni 1546 ad caesarem Ioannem de Isenburg et Everardum Billick, ad Leodienses vero Canisium miserunt. Hic, rebus Leodii feliciter gestis, urgetur, ut ipse ait (supra p. 46) „iterum a clero catholico, ut legatus abeat ad Carolum V. caesarem, in castris occupatum, ut rebellantes lutheranos principes suae subiiceret potestati". Ex iis autem, quae infra (monum. 22—24) primum in lucem edentur, tabulis patet Canisium non solum a capitulo coloniensi missum esse, sed etiam ab ipso Adolpho de Schaumburg administratore; qui, praeter alia, Carolo V. litteras, Verallo autem, nuntio apostolico, exemplum iuramenti summo pontifici praestiti per Canisium misit.

verum illud esse quod vulgo dicitur. miseri Miseri[a], qui castra sequuntur[1]. Et illud etiam Multa bellum habet inania[2]. Quamquam vtinam inania duntaxat vt militia non simul omnium scelerum foret sentina, est locus hic in quo biduum egit Cesar, ab incolis Geiseling appellatur et miliaribus tantum tribus ab Vlma distat[3]. Vlmam[b] processerat Legatus ille Verallus[4] quum heri ante prandium huc accederem[c]. Sed ilico agnitum me vltro excepit Cardinalis Augustanus[5] meque tum in hac Ciuitate tum Vlme sibi perpetuo adesse iussit. Adeo beneuolentiam erga me suam confirmatam vult heros humanissimus, quam Wormatiae faustis auspicijs mihi primum ostendit declarauitque. In huius igitur familia dego. quamdiu inter Caesareanos vestro nomine versari cogor. Et vt rem ipsam teneas H. Comes e Weda nullos ad Cesarem Legatos misit. quos ad palatinum deflexisse mihi fit probabile, Palatinus autem aegre admodum in caesaris gratiam receptus[6] nihil sane iam consuluerit quod rebus vestris obfuturum sit. Presertim cum accepti ab Hermanno illo consilij in religione innouanda, non dubiam paenitentiam Cesari comprobarit. Granuelanus[7] audita legationis mee causa etiam hoc nobis precatus est vt Manderscheidt[8] Omphalius[9] et similis farine homines, apud Caesarem sese conspiciendos prebeant, quod sicut ipsis ea temeritate nihil magis paenitendum, ita vobis digna in illos seueritate Cesaris nihil facilius impetrandum esse videatur. Arguunt hi consiliarij senatus istius con-

---

[a] *Sic; sed alterum* miseri *supervacaneum fuerit.*

[b] Vbinam *apogr.* [c] *Varrentrapp falso:* accederer.

---

[1] Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur: *Lucanus,* Phars. l. 10, v. 407.

[2] Canisius hanc sententiam fortasse mutuatus est ab *Erasmo Roterodamo,* qui inter „adagia" sua hoc habet: „*Πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου.* Multa belli inania" (Adagia chil. 2, cent. 10, n. 19; in editione sub „oliva Roberti Stephani" a. 1558 facta col. 599).

[3] Geislingen nunc oppidum est regni wurtembergici; tunc in Ulmensium dicione erat. Vandenesse, Caroli V. secretarius, in actis diurnis itinerum eius scribit eum 21. Ianuarii Geislingae et 25. Ianuarii in itinere ulmensi fuisse (*Will. Bradford,* Correspondence of the Emperor Charles V. [London 1850] p. 559).

[4] Hieronymus Verallus, archiepiscopus rossanensis et nuntius apostolicus.

[5] Otto Truchsess de Waldburg.

[6] Fridericus II., comes palatinus et imperii elector, qui caesaris propinquus cum eoque educatus erat, senex cum eius hostibus se coniunxerat; sed mense Decembri a. 1546 Halae Suevorum veniam suppliciter petiit et impetravit (*Laur. Surius* O. Carth., Commentarius brevis rerum in orbe gestarum [Coloniae 1568] p. 320).

[7] Nicolaus Perrenot de Granvella, cancellarius imperii, vir potentissimus.

[8] Theodoricus comes de Manderscheid, Hermanni Wedani propinquus, a. 1545 in comitiis vormatiensibus cum Smalcaldensibus de coniunctione inter eos et Hermannum efficienda egerat. Attamen mense Februario anni 1547 Hermanno persuasit, ut dignitatibus suis abscederet (*Varrentrapp* l. c. p. 86. 115—117. 246. 275).

[9] Iacobus Omphalius, Hermanni consiliarius, sub initium anni 1546 mandatu „statuum saecularium" electoratus coloniensis capitulum metropolitanum in Hermanni partes trahere conatus est. Coloniae ius docebat ibidemque anno 1570 mortuus est (*I. Doellinger,* Die Reformation I [Regensburg 1846], 541—543. *Varrentrapp* l. c. p. 262. *M. Lossen,* Der Kölnische Krieg, Vorgeschichte [Gotha 1882] p. 646).

ninentiam quod accepta Caesaris sententia de confiscatione bonorum Doctoris Siberti pergat etiam illum ciuem istic ferre[1]. procedat clerus inquiunt ad vlteriora. nullus enim alius in tota Germania Caesari commendatior nullus omnino spectabilior, et publica omnium defensione dignior[2]. Testantur[a] id porro viri vt maximi ita fide dignissimi, vt proinde timorem omnem mittere ac in sanctissimo hoc instituto fortissimos animos confirmare debeatis. Causa non tam vestra quam ecclesiae agitur. Et propter Jhesum Christum agitur, tanto quidem maiore vestrum omnium non desitura cum gloria, quo minus et vestris laboribus et sumptibus parcendum arbitramini. Quod si parum est summi pontificis ac primarij post Christum iudicis aequissimam obtinuisse sententiam, eamque pijssimorum omnium suffragijs ac doctiss: hominum iuditijs nusquam non eximie confirmari, saltem illud vel desperantes animos in certam spem erigeret victorie quod augustiss: Cesar insperato rerum suarum omnium successu potiatur. Gloriantur feroces Franckfordiani, et Vlmenses tumidi, quod vnius Caroli pedibus accidere supplices queant[3], Potens Wirtenbergensis dux in deditionem venire sibi gloriosum estimat[4], et Augustensium celsitudo seruitute maxima libertatem (vt somniabat[b]) Euangelicam commutat[5]. Ciuitates Germaniae non minus populose quam florentes ac munitae nunc ad vnam

[a] Testatur *apogr.* [b] *Varrentrapp:* somniebat.

[1] Sibertus Löwenberg (Lauwenberch), iuris professor in universitate coloniensi, eodem tempore tum archiepiscopi coloniensis consiliarius tum procurator erat Philippi, Hassiae landgravii et capitis protestantium. Cum appellationi ab academia contra Hermannum factae assentiri nollet, iure redituque academico privatus est; tandem initio anni 1547 ex ipsa etiam urbe coloniensi sua sponte exiit. Postea in caesaris gratiam rediit (*Varrentrapp* l. c. p. 93. 100. 250. *Ennen* l. c. IV, 557—558).

[2] Haec Coloniensium religio exterorum etiam ac posterorum admirationem excitavit; cuius exemplum est in opusculo *Bartholomaei cardinalis Pacca* „De' grandi meriti verso la chiesa cattolica del clero, dell' università e de' magistrati di Colonia nel secolo XVI. (Roma 1840) p. 3—56.

[3] Francofurtum ad Moenum et Ulma, quae civitates tunc liberae vel „imperiales“ erant, omnium fere maxime apud confoederatos Smalcaldenses auxilium Hermanno ferendum agitaverant. Iam vero Francofurtensium legati 7. Ianuarii 1547 Heilbronnae magna pecunia caesaris gratiam obtinuerunt. Ulmenses centum milia florenorum aureorum imperatori tradere et peditum eius decem turmas excipere debuere (*Varrentrapp* l. c. p. 260. *Leop. von Ranke,* Deutsche Geschichte im Zeitalter der Reformation IV [4. Aufl., Leipzig 1868], 338—340. *Janssen* l. c. III, 84 ad 85. 234—236. 622—623).

[4] Udalricus dux wurtembergensis 7. Ianuarii 1547 Heilbronnae pactionem cum Carolo V. fecit et 4. Martii Ulmae ipse veniam ab eo efflagitavit (*Janssen* l. c. III, 624—625. Correspondenz des Kaisers Karl V., mitgetheilt von *K. Lanz*, II [Leipzig 1845], 517—528).

[5] Augusta Vindelicorum, urbs imperialis, quae per Sebastianum Schaertlin de Burtenbach, militum suorum ducem, ab oppido faucensi (Füssen) usque ad Augustam ecclesias et monasteria rapinis ac sceleribus repleverat, centum et quinquaginta milia florenorum solvere et praesidium imperiale excipere debuit, Schaertlino profugiente (*Janssen* l. c. III, 599—601. 625).

omnes, gratiam illius ambiunt, quem pertinacibus profecto studijs ac impijs federibus inter se initis velut Tirannum quendam insectabantur[a], Et unus adhuc Episcopus qui senilibus membris prudentiam senilem excussit aduersus vos et authoritatem omnium maiorum sese tueri sufficiet? facile fuerit psitaci vel pauonis tumidam effigiem sibi vindicare. Sed quid horum animalculorum tenuitas ad inuictam lateque spargentem alas aquilam?[1] Caesarem Vlmae[b] adibo et rem omnem apud D. Verallum illic expediam. Si Deus opt. maximus mihi fauere pergat Ibidem responsorias ad archiepiscopum nostrum literas a Cesare diligenter petam. Consiliariorum vna hec sententia est, expectandum esse responsum[c], Statuum et Comitiorum istorum successum[2]. post vero plurimum referre vt que ad regalia[3] spectant aliaque similia nouus Archiepiscopus coram expetat a Caesare potissimum si (quod credunt omnes) tandem confectis rebus Spiram caesar sese recipiat. Ego si conditionem[d] rerum istic vestrarum nossem presertim que hodie tractate sunt, maiorem fortasse ex hac profectione fructum referrem. Ita spero meum perspexistis animum vt meam vobis commendare diligentiam nihil sit opus. Quum[e] ad castra hec faelicissima scribitis, est cur Cardinalis Augustani fidem et operam imploretis. Confessor vere Christi confessor quem nostis[4], et Obernburger cui munus illud promissum est[5] dein Granuelanus et Nauius[6] amicissimos mihi vobisque omnibus exhibent sese. Dominus conseruet tuam dignitatem, et Reuerendissimum vna cum toto Clero[f] incolumem, ex Keyselingen 24 Januarij 1547.

Seruus tuus P. Kanisius

---

[a] insectabant *Varrentrapp.* [b] Vlmam *apogr.*
[c] *Fortasse legendum:* ante responsum. [d] *Varrentrapp falso:* conditionum.
[e] *Varrentrapp perperam:* Quid. [f] cum tota clero *Varrentrapp.*

---

[1] Insigne generis wedani (quod nunc principale est) pavones continet; imperatoris signum aquila erat biceps alasque expandens.

[2] Imperator 21. Decembris 1546 ordinibus electoratus coloniensis mandaverat, ut 24. Ianuarii Coloniam convenirent; huius conventus praesides commissarios suos Philippum Lalaing, Geldriae praefectum, et Viglium van Zwichem designaverat. Quibus 22. Ianuarii Coloniam advectis multum laborandum fuit, ut „saeculares status", Wedano devotos, ad officium reducerent (*Varrentrapp* l. c. p. 272—274. *Fr. Ev. v. Mering* und *L. Reischert*, Zur Geschichte der Stadt Köln am Rhein III [Köln 1839], 127—142).

[3] Iura quaedam dicit, velut vectigal exigendi, ius dicendi, similia, quae episcopis germanis ab imperatoribus deferebantur.

[4] Carolo V. a sacris confessionibus tunc erat P. Petrus de Soto O. Pr. Huic Canisius litteras commendaticias tradere potuit, ab Adolpho archiepiscopo acceptas. Quas vide infra, monum. 23.

[5] Ioannes Obernburger e caesaris secretariis erat (*Pastor,* Reunionsbestrebungen p. 30. 306).

[6] Doctor Ioannes Naves, luxemburgensis, vicecancellarius imperii erat. Canisius tum huic, tum Granvellano ab Adolpho per litteras commendatus erat. Vide infra, monum. 24.

An den hochgelertenn Erwirdigen Heren Iohan Gropper Doctor vnnd Scholaster zu S. Gereon bynnen Cöllen.

Gropper Canisio rescripsit Colonia 20. Februarii 1547.

47.

CANISIUS
IOANNI GROPPERO.

Ulma 28. Ianuarii 1547.

Ex apographo antiquo, quod est Dusseldorpii in archivo regni borussici, Convolut.: „Geistliche Sachen n. 535 (Churcöln)."

Ex eodem apographo hanc epistulam primus in lucem emisit *Varrentrapp* l. c. II, 114—116.

Se cum caesare Ulmam ingressum esse. De caesaris victoriis incruentis. Ecclesiae triumphum ex concilio tridentino sperandum esse. Se in aula id effecisse, ut Romam scriberetur ad pallium aliaque pro novo archiepiscopo obtinenda, atque ut indultum quoddam iudiciale eidem concederetur. De lite in canonicos quosdam colonienses illata, „regalibus" in archiepiscopum conferendis, cardinalis augustani humanitate.

Jhesus.

Reuerende Domine Groppere.

Gratia domini nostri Jesu Christi et pax tecum perpetuo. Scripsi iam istuc sepenumero, ne quid mearum rerum ignoraretis. At 25. Januarij vna cum Caesare et Cardinale Augustano Vlmam ingressus sum. Ciuitatem illam certe nobilem, diuitem ac Imperiali nomine dignam, nisi haeretica lues primum eam ab Opt: Max: Deo, tum ab Imperatore fidissimo alienauisset. Dedit autem nunc intellectum vexatio[1], vt licet spiritualibus oculis Catholicae fidei splendorem. necdum recipiat, quia tetra errorum caligo praepedit. nihil tamen obscure iam intelligat, quae ad externam politiam pacemque publicam spectant[2]. Faxit pax nostra Christus[3], vt sicut omnes Germaniae ciuitates, praeter Argentinam, sese voluntati Cesaris per omnia dediderunt ita demum Religionis nostrae primoribus Episcopis dent manus omnes Ecclesiae hostes ac aemuli. Primum (.Deo sic volente.) effecit incruenta non minus ac insperata Caesaris victoria: alterum atque id longe prestantius efficiet spero (duce Christo.) praedicanda .S. Patrum apud Tridentum Synodus, quae quidem in densissima errorum hac caligine Germanis, vti certissimum presidium, affulget. Nunc si rerum nostrarum statum percunctaberis, primum sic habe prudentissime vir: expectari hic anxie vestrorum Comitiorum qualemcunque progressum, ita vt nisi Cesar quid istic actum sit, norit, ad Reuerendissimum Archiepiscopum rescripturus esse non videatur[4].

[1] Is. 28, 19. [2] Cf. *Janssen* l. c. III, 572. [3] Eph. 2, 14.

[4] „Status saeculares" electoratus coloniensis 31. Ianuarii 1547 imperio Adolphi de Schaumburg se subiecerunt. Adolphus 24. Ianuarii a capitulo ritu usitato ad

Proinde mihi tantisper hic morandum suadent (.sed non sine summo meo incommodo.) donec rerum vestrarum accepto nuncio. quid apud Cesarem vestro nomine procurandum sit, certius fiat. Interim hoc apud Reuerendissimum Cardinalem Augustanum effectum est, necnon apud Reuerendissimum Nuncium et Cesaris Consiliarios. vt tum ad Cardinales, tum ad pontificem de gratis concedendo pallio[1] et Bullis expediendis[2] perscripturi sint. Quod ad Breue apostolicum attinet, frustra vobis expectatur, quia Romam nuper a D. Nuncio remissum est[3]. Hoc grauiter ferunt etiam amici vestri, promissum ante annum esse mandatum Capitulj et Vniuersitatis, quod hactenus ad Concilium haud peruenerit[4]. Quare quod me istinc abeunte hac in re consultari coepit, exequendum curabitis. Integerrimus vir Obernburger, qui promissos aureos difficulter accepturus mihi videtur[5], huc ilico mitti postulat formam[a] indulti, quod olim Hermannus obtinuit ad deputandum Commissarium ante suam intronizationem, ad audiendas causas appellationis ex alto secularj iuditio[6]. Quapropter et illius et meam

[a] *Varrentrapp haud recte:* formulam.

aram maximam summi templi deductus et sollemniter pronuntiatus erat archiepiscopus.

[1] Archiepiscopi sub poena dignitatis amittendae intra tres menses a consecratione vel, si iam antea episcopi fuerint, a confirmatione sua computandos a romano pontifice pallium petere debent, neque „pontificalia“ neque iurisdictionis integram potestatem exercere possunt, antequam vestem illam sacram acceperint, cuius usus antiquissimus est, quaeque archiepiscopos fere ab episcopis distinguit ac cum summo pontifice speciali modo iunctos declarat.

[2] Iure canonico sancitum est, ut episcopi et archiepiscopi electi vel nominati intra tres menses, a die electionis acceptae vel nominationis computandos, confirmationem a sede apostolica petant. Bullae confirmationis aliae addi solent, quae varia episcoporum iura, bona etc. spectant.

[3] Litterae dici videntur 3. Iulii 1546 Romae a Paulo III. datae, quibus Adolphus de Schaumburg administrator archidioecesis coloniensis nuncupatus est; typis descriptae sunt a *Meshorio* l. c. p. 157—159 et a *Theod. Ios. Lacomblet*, Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins IV (Düsseldorf 1858), 691. Eodem die Paulus Adolphum clero, senatui, universitati coloniensi per litteras commendavit; quae a *Raynaldo* insertae sunt Annalibus ecclesiasticis tom. XXI, P. 1 ad a. 1546, n. 104. [4] Quodnam mandatum a Canisio dicatur, nescio.

[5] Huiusmodi pecuniam (quae „Verehrung“, „Abrichtung“, „Handsalbe“ vocabatur) tunc haud raro accipiebant; e. g. Granvellanus cancellarius paulo ante a Francofurtiensibus gratiam petentibus poculum argenteum auroque obductum acceperat, in quo mille aurei erant (*Janssen* l. c. III, 623).

[6] Quamquam Colonia libera erat civitas, intra eius moenia archiepiscopi colonienses a saeculo XIII. usque ad XVIII. iudicium scabinatum („Schöffengericht“) habebant, quod „altum iudicium saeculare“ vocabatur; ad hoc praeter causas civiles etiam graviores causae criminales deferebantur. Cum quis autem a iudicio illo ad archiepiscopum appellasset, is consiliariis quibusdam suis coloniensibus eam causam diiudicandam committebat, donec anno 1653 proprium tribunal pro appellationibus constitueretur (*F. E. v. Mering*, Beiträge zur Geschichte der ehemaligen Churkölnischen und Alt-Stadtkölnischen Verfassung [Köln 1830] p. 9—48. *F. A. Ratjen*, Überblick über die Verfassung und den Sitz der Gerichte in Köln bis zum Jahre 1798, in libello „XXI. deutscher Juristentag“ [Köln 1891] p. 103—137).

hic expectationem vestra non frustret diligentia. Si praeterea sculptum sit sigillum Archiepiscopi nouum, huc mittendum erit exemplar acceptationis ac iuramenti[1] .r.[2] Processus contra Decanum et huius complices duplici de causa differtur[3]: tum quod Secretarius Reuerendissimi Nuncij queratur, ad manum sibi non esse suos libellos et formularia: tum quod frequens haec peregrinandi necessitas, continuusque motus non sinat Processum iuris videri satis legitimum atque probatum. Vbi vero primum alicubi conquiescet Cesar, posito militari strepitu et apparatu (.id quod forte Augustae continget.), arbitror equidem dictum Secretarium suo neutiquam officio defuturum, vt mihi sancte interim pollicitus est. Quod ad Regalia, ceteraque Archiepiscopi nostri priuilegia pertinet, haec suo ipse conspectu impetrarit ac expedierit facillime. Nam presentj talia concedi testantur. De me postremo nihil dicam aliud, nisi corporis mei curam Augustano Cardinalj praecipuam esse, qui nullam mihi humanitatem non clementissime impertit. Vtinam et animae custos adsit perpetuus, qui in hisce turbis ac aulae strepitu me subinde mihi ipsi restituat admoneatque. Nouit dominus, quanto vestro desyderio tenear in hac Babylone[4], tametsi quotidie mihi apud impios[5] sacrificare phas sit. Non mereor profecto, si meipsum recta inspiciam, vt vestrae Sanctiss. Ciuitatis, vestrae constantissimae pietatis et spectator adsim et maneam cultor. Sperabo tamen (.presertim vestris ac spectatissimi Clerj precibus adiutus.) breui fore, vt expeditis pro vestra voluntate omnibus vestro conuictu gaudeam, et tranquillitati sue sensus vagantes ac tumultuantes restituam. Dominus qui excitatos ventos ac fluctus verbo suo tranquillat[6], nos omnes hisce tempestatibus concussos ad eterne glorie portum perducat. Amen. Vlmae 28 Januarij 1.5.47.

Seruus tuus Pet: Kanisius Nouiomagensis.

Comes a Weda nihil hactenus apud Cesarem tentare coepit.

Reuerendo Domino Doctori Joanni Groppero apud .S. Gereonem Scholastico. etc, domino precipuo.

---

[1] Ex tempore sancti Bonifacii, Germaniae apostoli, consuetudo invaluit et lex statuta est, ut metropolitae, antequam pallium reciperent, summo pontifici obedientiam sponderent. [2] Id est: et reliqua.

[3] Henricus de Stolberg, capituli metropolitani coloniensis decanus, et cum eo Fridericus Wedanus, Christophorus de Oldenburg, Iacobus comes Rhenanus, eiusdem capituli canonici, quod Hermanni Wedani partes sequerentur, 8. Ianuarii 1546 a Verallo nuntio apostolico suspensione puniti erant; qui 28. Iulii 1546 Richardo duci Bavariae et Philippo de Dhaun, eorum collegis et amicis, eandem poenam irrogavit. Suspensi autem illi mense Augusto eiusdem anni ad concilium in Germania habendum appellarunt. Verum anno proximo beneficiis privati sunt, et anno 1557 Stolberg Elisabetham de Gleichen uxorem duxit (*Lacomblet* l. c. p. 691. *Varrentrapp* l. c. p. 203—276. *L. Ennen*, Geschichte der Reformation im Bereiche der alten Erzdioecese Koeln [Koeln und Neuss 1849] p. 146). [4] Cf. 1 Petr. 5, 13.

[5] Vide quae Conradus Sam, princeps Ulmensium „reformator", duobus annis post „reformationem" peractam (1531) de moribus aequalium scripsit, apud *Janssen* III, 236. [6] Cf. Matth. 8, 23—26. Marc. 4, 37—39. Luc. 8, 23—25.

Ioannes Gropper hanc Canisii epistulam 13. Februarii accepit. Nam 14. Februarii 1547 Adolpho archiepiscopo scripsit[1]: „Gesteren zu abendt hab ych abermals ein neuwes schreiben vss Vlm von herrn Canisio entfangen, das ych E. Ch. Gnaden verschlossen zuschicke. Daruss Dieselbige vermirken, das er uff die Instruction die ych ym mitgeben, müglich fleiss gethon het, vmb die keyserlicher Majestet furschrifft an die paebstliche heiligkeit vnd an das Collegium Cardinalium zuerlangen, vnd dass er daruff zusagung bekommen, dessgleichen das er das Indultum nemlich das E. Ch. G. die caussas appellationis ab alto saeculari judicio vnd sonst alles anderes handelen lassen mochten, gleich obe sie ingefürt weren, ouch erholten hette. Wan man nur Ime hette ein Copey des Indulti wie es mein alter Herr gehabt, mitgeben vnd nachsenden mögen, welchs doch nit hat geschehen mögen, weill myr die Copey nit hat werden mögen. . . Vnd diweill dan vonnotten sein will das her Canisius beantwort werde, weill er daruff, nit on vffwendung grosser vncoste wartet, vnd sonderlich nochmals geschrieben werde vmb forderliche Expedition vnd abfertigung der keyserlichen vorschrifft an die paebstliche heiligkeit vnd das Collegium Cardinalium, so haben E. Ch. G. zubedenken, obe dieselbige den bott" etc. Epistula canisiana, de qua Gropperus scribit, posterior esse non potest ea, quae modo posita est; nam Gropperus 20. Februarii Canisio scribit se duas tantum epistulas ab eo accepisse, unam 24., alteram 28. Ianuarii datam.

Gropperus Canisio 20. Februarii 1547 rescripsit.

48.

CANISIUS

GERARDO HAMMONTANO,

priori Carthusiae coloniensis[2].

Ulma Ianuario exeunte vel Februario (1.—12.) 1547[3].

Ex „Historia Societatis Iesu ad Rhenum inferiorem", conscripta a P. *Frid. Reiffenberg* S. J. (Coloniae 1764), p. 63. Qui praefatur: „In suis ad Gerardum Hammontanum questus erat Canisius." In fine: „Haec", inquit, „et plura id genus de Ulmensibus Canisius." Et in adnotatione: „Extant [hae litterae] in tabul. Cartus. Colon. unde eas mihi descripsit R. P. Harzheim, ibidem professus."

Quam misere Ulmae sacra omnia ac virtutis studia iaceant.

Omnia fere pietatis vestigia in universum sublata mihi videre videor . . . Templa olim omnis pietatis, et sacri cultus officinae

---

[1] Ex *autographo, quod est Dusseldorpii in archivo regio, „Geistliche Sachen n. 535 (Churcöln)."

[2] Gerardus Kalckbrenner sive Calcificis († 1566), vulgo Hammontanus, ex Hamont, Belgii pago, ortus, Aquisgrani causidicus et notarius publicus fuerat. Carthusiae coloniensi per 30 annos magna cum pietate et prudentia praefuisse traditur; „literatorum quoque", inquit *Hartzheim* (l. c. p. 94), „Mecoenas munificus, et imprimis Laurentii Surii; cui author ad scribendum, adjutor ad perficiendum fuit." Societati Iesu maxime patronum, S. Ignatio amicum familiarem se praestitit. P. *Hermannus Crombach* S. J., rerum coloniensium valde gnarus, litteris Colonia 22. Iunii 1664 ad ignotum sacerdotem datis affirmat Canisium Colonia absentem „crebras" ad Gerardum litteras dedisse (Acta Sanctorum Iulii tom. VII [Antverpiae 1731], 483). Quae nunc latent aut perierunt. Hammontani vita „ex Manuscripto Carthusiae Coloniensis" ad verbum descripta est a *Leone Le Vasseur* O. Carth. (Ephemerides Ordinis Cartusiensis III [Monstrolii 1891], 5—10).

[3] Vide supra p. 238 et infra p. 245 et monum. 25.

celeberrimae nunc sacris imaginibus, nunc sacris altaribus, reliquiis, et Sacramentis omnibus exuta jacent. Ecclesiasticorum census, nescio quo justo Dei judicio in profanissimos usus traducti sunt; monasteria nullos habent sibi cultores religiosos: at sacrilegis amplexibus, et incestis nuptiis habitacula praebent . . . Tota et amplissima Civitas unum ferre Sacerdotem non potest, ut sacrosancto illo Sacrificio immensa communium criminum enormitas expietur. Sic juventus instruitur, sic docetur populus, ut summa cuique maneat quidvis agendi, vivendique licentia; nimirum sine confitendi pudore, sine orandi consuetudine, sine poenitendi, et jejunandi necessitate.

49.

IOANNES GROPPER

CANISIO.

Colonia 20. Februarii 1547.

Ex autographo (2°; pp. 3; in p. 4 inscr. et pars sig.), quod est Viennae in archivo aulae caesareae (k. k. Haus-, Hof- und Staats-Archiv), „Religionsacten fasc. 1. b".

Ex eodem autographo epistulam edidit *Varrentrapp* l. c. p. 116—119.

De concilii tridentini et comitiorum coloniensium successu gaudet. De Adolphi archiepiscopi profectionibus: andernacensi, bonnensi, aliis. Eiusdem nomine Canisio gratias agit et commendat, ut litteras commendaticias Romam mittendas urgeat. Formulam proponit „indulti iudicialis" archiepiscopo concedendi. Canisio gratulatur, quod ad concilium tridentinum accedat. Eundem rogat, ut privilegium quoddam abbati bruwilensi transmittendum curet.

Salutem in Christo Jesu. Binas abs te literas accepi Vnas keyselinge .24. Januarij, alteras Vlme .28. eiusdem mensis datas. Ex quibus mihi volupe fuit intelligere cum sospitatem tuam tum Christianissimi Caesaris speciosam de Ecclesie hostibus victoriam, et Oecumenici Concilij Tridentini optatissimum et foelicissimum progressum Confirmet Deus que cepit in potestatibus a se ordinatis ad consolationem piorum, et Ecclesie sue tamdiu misere jactate tranquillationem et pacem Eius quoque manus nobiscum quoque [*sic*] fuit, sit illi gratia et gloria in seculum amen. Nam vt Comitia nostra foelix initium foelitiorem progressum et foelicissimum denique finem illo bonorum omnium largissimo datore annuente habuerint[1], intellexisti haud dubium jampridem. jntelliges vero copiosius ex actorum descriptione praesentibus apposita[2]. Post que et illud scies. Reuerendissimum jn die Jouis proxime de-

[1] Cf. supra p. 237[2]. 238[4].

[2] Gropper „descriptionem" illam dicere videtur, cuius apographum antiquum (eiusdem temporis) etiam nunc Viennae in archivo aulae caesareae exstat et typis exscriptum est a *F. B. von Bucholtz*, Ferdinand der Erste, Urkunden-Band (Wien 1838) p. 389—393.

cursa[1], Andernacum[2] contendisse vbi non ambigo illum haud aliter quam Bonne hoc est officiosissime per Senatum et populum exceptum. Mittat illi Dominus auxilium de sancto et de Sion tueatur eum[3], Detque ei mentem recta et que illi placita sunt et nobis salutaria cogitandj, et omne consilium eius jn bono confirmet[4]. Mihi heri relatum est antiquum Dominum[5] ab eo petisse vt illi et diem et locum congressus et colloquij condiceret. Quid futurum sit nondum sat scio, Vehementer cupit ob sua Regalia, et alia nonnulla Caesarem accedere, quod et facturus est statim, vbi subditos jn fidem receperit rebus aliquantulum confirmatis, Tibi gratias agit non vulgares quod jam apud Reuerendissimum Cardinalem Augustanum effeceris necnon apud Reuerendissimum d. Nunccium et Caesaris Consiliarios vt Caesaris nomine cum ad Cardinales, tum Pontificem de gratis concedendo pallio et Bullis expediendis scribendum sit[6], Et quando .D. s. Reuerendissima jam per Bancum vt vocant[7] Romam scribit, vbi Prepositum Hoitfelder[8] habet sua negocia curaturum. te orat vt memoratas literas commendatitias, quam celerrime fieri poterit expediri et per Bancum Romam mitti cures additis literis tuis ad Prepositum ipsum, Quod vero scribis frustra expectari Breue quod nuper per Nuncium Romam remissum est, nihil refert, nam nunc eo non jndigemus amplius, Optima illa et promptissima voluntas Magnificj Domini Joannis Obernburger[9] De Reuerendissimo benemerendi gratissima ei fuit, quod et quandoque se reipsa comprobaturum dixit. Forma Jndultj concessa antiquo domino vt ei liceret ante Intronizationem suam Caussas appellationum ex alto seculari judicio recipere et audire, mitti jmpraesentiarum non potest, nam adhuc cum multis alijs Priuilegijs et Instrumentis per antiquum dominum asseruatur. Quare si nihilosetius breue aliquod Indultum impetrari possit. effectus subsequentis[a], jd Reuerendissima s. D. cuperet, Sin minus reijcere oportebit et hunc articulum cum reliquis, donec Reuerendissimus ipse se Caesaris aspectui representet.

Effectus

Nachdem mein gnedigster herr vebuttig[b] vnd gemeint ist sich in kurtzem zu der keyserlichen Majestet vmb Jre Regalia zuentfahen

[a] *Varrentrapp falso:* subsequentes. [b] erbuttig *Varr.*

[1] 17. Februarii.
[2] Andernach, quod oppidum ad Rhenum et nunc provinciae rhenanae regni borussici est. [3] Ps. 19, 3. [4] Ps. 19, 5. [5] Hermannum de Weda.
[6] Otto cardinalis Truchsess 12. Februarii 1547 Adolpho de Schaumburg gratulatus est et nuntiavit se Romam de pallio concedendo scripsisse. V. infra, monum. 25.
[7] Fortasse mercatores et argentarii augustani suos habebant tabellarios, per quos litteras, syngraphas, pecunias ad mercatores italos cito et tuto mittebant.
[8] De hoc vide supra p. 142[5]. [9] Vide supra p. 237. 239.

zubegiben[a], wie dan sein fl. gn. solichs yrer Majestet vnder seinem siegel angezeigt hat, das darumb Jre keys. Majestet seiner fl. gn. verliehen vnd befelhen wolle, das sie mitler Zeit bemelt jr hohe vnd andere niderige gerichten binnen jrer Stat Coln zu bestelln vnd alle appellationsachen daher annemmen vnd befelhen moege, vnangesehen das sein fl. gn. jre Regalia noch nicht entfangen vnd jn bmelte stat noch nicht jngeritten, Nicht widderstehende aller[b] priuilegien so fillicht hiegegen hiebeuor vffbracht vnd gegeben weren von keysern vnd Romischen kunigen. Jrer Maiestet vorfarn, reliqua[1].

Vehementer gaudeo quod jmpulsus per Reuerendissimum D. Augustanum constitueris Tridentum proficiscj in Concilium, Quod sane si feceris et tibi et nobis multum poteris illic commodare[2]. Vbi Acta Concilij prodierint te oro ea ad nos vt mittas. Vehementer enim illa videre desidero presertim, Decretum de justificatione hominis[3]. Deus te seruet et sospitet, Commendabis me istic amplissimis Caesaris consiliarijs. Datum prepropere ipso die Dominico Quinquagesime Anno salutis 1547

Tibi addictissimus

Joannes Gropper .d.[c]

Frater meus d. Godefredus Gropper[4] jn proximis Comitijs Spirensibus[5] sollicitauit expeditionem cuiusdam Caesarei priuilegii pro Abbate et Conuentu jn Bruweiler[6] apud Magnificum et Spectabilem

---

[a] zu begeben *Varr.* [b] alter *Varr.* [c] *Varr. haud recte:* etc.

---

[1] Id est: Cum clementissimo domino meo propositum sit, ut mox ad caesaream maiestatem regalium accipiendorum gratia accedat, id quod clementissimus princeps maiestati suae significavit sigillo suo apposito, maiestas caesarea principi clem. concedat ac mandet, ut interea altum aliaque inferiora iudicia sua in civitate sua coloniensi possit constituere omnesque appellationis causas inde allatas recipere ac de iis decernere, quamvis clementia sua regalia nondum acceperit neque civitatem illam equo invecta sit, non obstantibus privilegiis quibuscunque, quae fortasse contra haec antehac obtenta ac data sint ab imperatoribus et romanis regibus, maiestatis suae decessoribus etc.

[2] Cardinalis augustanus iam anno 1545 inter comitia vormatiensia de Canisio Tridentum mittendo egerat. 12. Februarii 1547 Ulma Adolpho archiepiscopo scribit se Canisio persuasisse, ut Tridentum proficisci statueret atque Adolphum rogare, ut ei ad se non revertenti veniam det. Vide infra, monum. 25.

[3] Hoc decretum 13. Ianuarii 1547, in sessione sexta, factum erat. Cf. etiam supra p. 204[5]. 205[1].

[4] Godefridus Gropper „senior" († 1571), laicus, in universitate coloniensi aliquamdiu ius canonicum tradidit et archiepiscopis coloniensibus compluribus ac Guilielmo Cliviae duci a consiliis fuit (*H. I. Liessem*, Johann Groppers Leben und Wirken. 1. Th. [Köln 1876], p. 6—8).

[5] Haec anno 1544 habita erant.

[6] Brauweiler vicus est Borrussiae rhenanae, haud procul a Colonia; in quo tunc monasterium ordinis sancti Benedicti exstabat. Catalogus abbatum eius, quem

d. Joannem Obernburger. Et quia priuilegium hoc in forma petita vt ex ipso Abbate accepi concessum est, et forsan expeditum jta quod nihil vt puto restet quam solutio Taxe. jdcirco Abbatis nomine te valde oro vt apud memoratum Mag. D. Obernburger agas quo priuilegium expeditum ad manus meas veniat cum significatione Taxe, quam ego (pro quo his fidem facio) ipsi d. Obernburger bona fide exoluam vel hic, cum jusserit numerabo, antequam priuilegium manus meas exeat. jn hoc feceris Abbatj etc longe gratissimum.

Doctrina uirtute ac pietate Ornatissimo viro Domino Petro Canisio Sacrae Theologie candidato tamquam fratri charissimo et colendissimo.

Jn absentia dentur ad manus Mag. et Spectab. Domini Joannis Obernburger jn aula Cesaris.

Carolus V. Ulmae mansit usque ad 4. Martii; 5.—21. Martii Nordlingae fuit [1]. Fortasse ex eo, quod autographum hoc in archivo caesareo est, conicere licet Canisium eo tempore, quo ad aulam allatum est, iam in profectione tridentina fuisse [2], ideoque Gropperi scriptum non in Canisii manus pervenisse, sed secretario Obernburger traditum ab eo postea in acta publica relatum esse.

50.

CANISIUS

SOCIIS ROMANIS [3].

Tridento Februario exeunte vel Martio 1547.

Ex Chronico *Polanci* I, 214. Polancus praefatur: „Scribit P. Canisius haec verba." Ex Polanci opere (tunc typis nondum descripto) eadem primus edidit, italice versa, *Boero* (Canisio p. 49).

Eadem epistula (sed parcius) usi sunt *Orlandinus* l. 7, n. 23, et *Barth. Alcazar* S. J., Chrono-Historia de la Compañia de Jesus, en la Provincia de Toledo. P. 1 (Madrid 1710) p. 103.

Omni seposito affectu, sincere testari possum, esse multos hic undecumque doctissimos theologos, qui acute, diligenterque et sapienter summis de rebus judicent; verum intra illos omnes duobus hisce, Laynio et Salmerone, gratiores omnibus atque admirabiliores non esse alios. Cum horae unius spatium paucis ad dicendum maneat, tres horae et amplius, opinor, dicenti Patri Laynez, ab ipso Cardinali praeside tribuuntur [4].

Dr. *Norrenberg* in „Pastoralblatt" (Köln 1892) col. 396—397 edidit, haec habet: „34. Johann II. von Lunen † 7. April 1531; 35. Hermann von Bochum † 2. Jan. *[sine anno]*; 36. Andreas Münster † 28. Nov. 1579." Andreas regnare coepit anno 1567 (*Höhlbaum*, Buch Weinsberg II, 214).

[1] *Bradford* l. c. p. 560. *Stälin* l. c. p. 579.

[2] Vide infra, monum. 25.

[3] „Lo escribio a Roma el P. Pedro Canisio" (*Alcazar* l. c. p. 103).

[4] Concilio nomine pontificis eo tempore praeerant cardinales Ioannes Maria de Monte et Marcellus Cervinus.

51.

CANISIUS SOCIIS COLONIENSIBUS.

Patavio 12. Aprilis 1547.

Ex autographo (2°, pp. 2); quod anno 1892 Lovanii in conventu RR. PP. Praedicatorum fuit.

Typis exscripta est haec epistula, addita descriptione imagineque litterarum, quam „facsimile" dicimus (ligno incisa), in „Précis historiques" XLII (Bruxelles 1893), 25—34, ac postea iisdem omnino typis una cum imagine illa separatim edita est.

Particulam posuit *Reiffenberg* l. c. p. 26[1].

Se synodum sequi, Bononiam translatam. Quanta in collegio Societatis patavino floreat concordia ferrorque disciplinae, externus licet rigor absit. Grammaticorum et Dialecticorum multiplices exercitationes describit. De reditu suo. Societatis alumnos, candidatos, patronos in eiusdem studio confirmat. Carmina mittit. Coloniensium victum providet. De epistulis scriptis scribendisque.

ihesus

Chariss. fratres,

Gratia domini nostri JESV CHRISTI et pax nobiscum sit perpetua. Equidem adeo nullam vestrum obliuionem recipio, vt vndecunque scribendi ad uos occasionem captare non desinam, eo quod solicite formidem, istuc mea scripta forte non perferri. Magna certe locorum intercapedine disiuncti sumus, ego in Italia Deo gratia, vos in Germaniae ceu vmbilico vitam ducitis. Nam posteaquam Tridentina Synodus ob saeuientem pestem Bonnoniam transferri coepit[1], abeuntibus etiam tum Patribus nostris visum fuit, vt Bononiam vsque vna cum ipsis Concilium insequerer[2]. Interea vero, quia Reuerendus P. Alphonsus Salmeron[3] (cuius iam Oratio extat longe doctissima in

[1] Haec translatio 11. Martii 1547 in sessione octava decreta est. „Patres Laynez ac Salmeron, qui Legatis subditi erant, ab iis Tridento 14 Martii Bononiam missi sunt" (*Polancus* l. c. I, 215).

[2] S. Ignatius Michaeli de Torres scripsit: „Maestro Lainez y Maestro Salmeron son venidos á Bolonia con los llegados del Concilio; los otros dos, es á saber, Maestro Claudio . . . y Maestro Pedro Canisio . . . quedaron en Trento" (Cartas de *San Ignacio* I, 331—332). Iaio „Cardinalis Tridentinus, nomine Augustani, ne inde recederet", significavit, „exemplum in hoc secutus hispanorum Praelatorum. qui, ut Imperatori gratificarentur, Concilium ne alio transferretur repugnabant. Postmodum tamen veniam a Cardinali Tridentino et Augustano obtinuit, ut obedientiae satisfaceret suorum superiorum, et simul cum P. Canisio Patavium veniret" (*Polancus* l. c. I, 215).

[3] Alphonsus Salmeron toletanus (1515—1585) Parisiis Ignatio se iunxerat. Maximas Italiae civitates contionibus et sacris lectionibus illustravit. In universitate ingolstadiensi aliquamdiu sacras litteras professus est. In Belgium, Poloniam, Hiberniam a summis pontificibus missus est et concilio tridentino sub Paulo III., Iulio III., Pio IV. sedis apostolicae nomine interfuit. Neapoli a protestantismo defendendae maxime operam dedit et provinciam Societatis neapolitanam primus praepositus

Concilio dicta, et post Romae aedita[1]) grauissimo morbo Patauij correptus est, ego multis diebus hic apud fratres nostros maneo, vt Reuerendum P. Iacobum Laynes propediem in Concilium abiturum expectem[2]. Dici satis a me, scribique non potest, quanta cum animi mei voluptate ac aedificatione fratres istos quotidie contempler[3]. Vnus idemque omnibus per omnia seruiendi et obediendi conatus est, eadem animorum ac perpetua quaedam consensio, sed non idem humilitatis et mortificationis studium, quia nemo hic sibi satisfacere, alius aliud in sese desyderare, omnes ex animo statum suum deplorare, ac noua indies ad meliora singuli augmenta facere possunt. Mirus et periucundus viuendi ordo seruatur, vt vix existimem, in paucis bene institutis monasterijs maiorem vigere disciplinam. Neque tamen adsunt carceres, non ciliciorum saeueritas, non ieiuniorum districtio. Malunt omnes charitatis dulcedine ac obediendi promptitudine ad quaeuis munia permoueri, quam vllis poenarum comminationibus vel praeceptorum oneribus impelli. Sic vero pietatis imperat affectus, vt studiorum feruor neutiquam in aliquo refrigescat. Quotidie dictantur, componuntur, redduntur epistolae, conficiuntur et carmina, lectiones repetuntur, et in disputationem a coena referuntur. De Grammaticis potissimum loquor, siue grammaticae studiosis, qui tam splendide hic inter fratres perorare iam norunt, vt paucos istic artium magistros, qui rectius id praestent, inuenias. Dialecticorum alia quaedam habetur ratio, quae potissimum in vsu disputandi constituitur. Sed vt nostra persequar, et alienis prolixe non immorer, nescio equidem, ad quem mensem reditum vobis polliceri queam. Dominum rogabitis vt vel apud exteros hic me mori foeliciter sinat, vel in Germania infoeliciter victurum, tempestiue ex hac vita euocet. Vobiscum

administravit. Sacram Scripturam 16 magnis voluminibus interpretatus est, quae compluries prelum subierunt.

[1] Romana haec editio bibliographis diu ignota erat. *De Backer* hanc affert: „Alphonsi Salmeronis Societ. Iesu oratio nuper in concilio Tridentino habita, die festivitatis D. Ioannis Evangelistae, in qua ad exemplar D. Ioannis Evangelistae, vera Praelatorum forma describitur (Lutetiae Parisiorum; Nicolaus Dives, 1547, 8⁰)". (Bibliothèque III, 503.) Ibidem posteriores eiusdem orationis editiones recensentur.

[2] P. *Claudius Iaius* Christophoro cardinali Madrutio, episcopo tridentino, 21. Martii 1547 Patavio scripsit: „Arriuati jn padua don pietro kanisio et jo, hauemo trouato vno nostro fratello, quello che jn di, de Santo giane euangelista fece oratione presente la S. V. Riuerendissima et Altissima jn capella, essere molto amalato de una febre, per la quale se e, trouato jn pericolo de morte, fin a riceure la sancta et extrema vnctione: onde constretto de la fraterna et christiana charita penso non me partire de questa terra ni abandonar lo che prima mediante la gratia de dio non sia jnteramente guarito: Ilche spero jn dio sera presto: Jn questo mezo spero che potero jntendere la resolutione a circa del logho nello quale se ha da concludere et finire questo sacro concilio, et similmente la volunta de Monsignor Riuerendissimo et Jllustrissimo Cardinal de Augusta patrono mio obseruandissimo a circa de perseuerare jn esso concilio jn nome de sua S. Riuerendissima o non" (ex *autographo, quod est Tridenti in bibliotheca urbana, cod. 612, n. 65).

[3] De collegio Societatis, quod Patavii tunc nascebatur, vide supra p. 190.

viuere, vobiscum mori aeque gratum habeo, si tamen in loco sancto et in vestro contubernio inueniri dignus sum. Expecto igitur D. Praepositi nostri[1] literas, quibus de me suam edicat sententiam, an diu in Jtalia morari me cupiat. Quod ad literas tuas D. Leonarde spectat, in Martio scriptas, in Martio eas mira Dei dispositione Tridenti spectare licuit, et magna cum voluptate perlegere libuit, quod multam laetamque spem de bonis adolescentibus adferrent. Eos virtute sui spiritus corroboret misericordiarum pater[2], maxime D. Delphensem[3] et Boium[4], et horum sotios in Laurentiana simul et Montana Bursa. Scripsi ante paucos dies Regenti Bursae nostrae[5], quem spero literas meas boni consulturum. Scribo et nunc Reuerendissimo D. Londensi[6], rogans vt vestras literas huc disponendas curet[a]. Hoc vnum inprimis rogo, vt ne vllam disponendi ad me literas occasionem praetermittatis. Nunc vero hinc Bononiam abiturus, confestim vocor, vt prolixius agere non liceat[7]. Mitto carmina quaedam nostri fratris M. Andreae Frusij[8], quae M. Henrico Baccelio[9] et D. Delphensi meo nomine communicabitis. Quod si forte longius opinione abero, velim amicissime rogatum chariss. dominum et fratrem M. Adrianum[10], vt a suis pecuniam aliquam, si mei nummi non sufficient, in tempore mutuo accipiat: ego Dei gratia quumprimum istuc rediero, abunde resoluam. Et quia Romanarum literarum fontem ipsum videre cupijt, nolui illum sua expectatione defraudare. Sunt opinor ex nostris hic fratribus, qui literas quoque suas istuc transmittent, ijs propterea respondendum a vobis erit fideliter[11]. Scripsi Venetijs ad D. Prae-

[a] *Sic Canisius ipse correxit; scripserat enim:* curaret.

[1] Ignatii. [2] Eph. 3, 16. 2 Cor. 1, 3.

[3] Delphi sive „Delft" urbs est Hollandiae meridionalis.

[4] Petrum Boium (Schorich); de quo infra plura scribentur.

[5] Matthiae Cremerio, regenti bursae montanae.

[6] Georgio de Skodborg, archiepiscopo lundensi, de quo supra p. 79. 134 etc.

[7] Salmeron S. Ignatio Venetiis 16. Aprilis 1547 scripsit: „Il Padre maestro Lainez partì [per Bologna] il terzo giorno di Pasqua [i. e. 12. Aprilis] con maestro Pietro Canisio e con un famigliare del cardinal Santacroce" [Marcello Cervini] (*Gius. Boero* S. J., Vita del Servo di Dio P. Alfonso Salmerone [Firenze 1880] p. 22—23).

[8] Andreas Frusius (Frusi, Des Freux), carnotensis, cum iam parochus esset, anno 1541 Romae Societati Iesu nomen dedit indeque Patavium recolendae theologiae gratia missus est. Postea in collegio Societatis messanensi graecam linguam professus et Romae sacram Scripturam interpretatus est. Sancto Ignatio aliquamdiu ab epistulis scribendis fuit, et Romae decessit anno 1556, cum collegio germanico praeesset. „Epigrammata" eius atque etiam Martialis epigrammata, quae ab omni ipse obscoenitate expurgaverat, compluries typis exscripta sunt. Vulgata quoque versio latina exercitiorum spiritualium S. Ignatii ex hispanico sermone a Frusio confecta est (*Nathan. Sotvellus* S. J., Bibliotheca scriptorum Societatis Iesu [Romae 1676] p. 50—51. *Sommervogel* l. c. III, 1046—1049).

[9] Baccelius — Baxel? [10] Adrianum Adriani: vide supra p. 223.

[11] *Stephanus de Aretio* S. J. Patavio 20. Aprilis 1547 „admonitu atque suasu domini Petri Canisij" et nomine omnium Sociorum pataviensium ad Socios colonienses

positum de singulis vobis, quae mihi in vniuersum occurrere potuerunt. Quid ille tandem responsurus sit, laetis animis expectate.

Scripsi ad Priorem Carthusiae, cum Tridenti agerem: illius ac fratrum Carthusiensium omnium precibus, inprimis vero matris Mariae[1] ac sororum eius desyderijs me commendate. Christus ubique nos tueatur, et in suam gloriam nostra omnia conuertat. Saluto in visceribus Christi M. Sydereum[2], et vt sedulo studijs incumbat, oro. Saluto per vos M. Petrum[3] in Laurentiana Bursa, quem vt pro me Dominum saepe oret, perinde ac fratrem compello. Patauij 12 Aprilis 1547[4].

Vester indignus seruus

Petrus Kanisius

Nouiomagus.

Romam ilico scribendum vobis puto, atque illinc literas ad me scribendas accipiam commodius, quam quauis alia via.

Salutant uos plurimum P. Claudius[5] P. Iacobus L[aynes] P. Alphonsus[6] D. Faber[7] Fratresque omnes.

Henricus ille Traiectensis, olim Bedelli scriptor, et a D. Bobadilla Romam missus post absoluta istic exercitia, nunc Societatem nostram omnino deseruit, aut desertus est ipse potius, quod hinc pro suo arbitratu Romam adierit, ac Roma sine accepto responso huc redierit. Quare quum istuc redire paret, non est cur aliam de illo fidem habeatis, si forte causam dabit aliam.

---

litteras dedit, quibus Pataviensium memoriam dilectionemque iis significat, eorum precibus se suosque commendat, „admonitorias, uel si magis placet consolatorias aliquas literas" ab iis petit (Ex *autographo, quod est in cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I" f. 27).

[1] Mariae de Oisterwijk; de qua supra p. 209. 229 et infra in epistulis 17. Iunii 1547 et 2. Ianuarii 1548 datis.

[2] M. Andream Sydereum (Stern?), canonicum zutphaniensem; de quo infra.

[3] Boium.

[4] Ex hac epistula patet, *Sacchinum* falso asserere, Canisium et Iaium 12. Aprilis Tridento discessisse (De vita Canisii p. 40).

[5] Iaius. [6] Salmeron.

[7] *Petrus Faber* de Hallis (de Smet) Patavio 18. Aprilis 1547 Sociis coloniensibus scripsit: „Adfuit nobiscum isthic patauij aliquot diebus frater noster dominus petrus Canisius cuius praesentia omnes gauisi sumus: vno die septimanae sapientem habuit orationem coram tribus patribus nostris qui nobiscum tunc aderant et venerant tridento ituri bononiam ad concilium, ipsis vero festis Paschalibus discessit dominus petrus Canisius bononiam vna cum Domino Jacobo laynis patre nostro: scio fratres vos plurimum desiderare aduentum domini petrj . . . . . Plures literas ad vos scripsit dominus petrus Canisius" (Ex *epistula autographa, quae est in cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I" f. 26).

52.

CANISIUS
P. LEONARDO KESSEL
ceterisque Sociis coloniensibus.

Bononia 17. Iunii 1547.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 2. inscr. et pars sig.). Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. 29.

De quodam ad sacerdotium aspirante. De reditu suo itinereque romano. Quid Bononiae agat. Amicos aliquos ad litterarum et pietatis studia excitat. Pecuniae parsimoniam Sociis commendat; mendicandum non esse. De dispensationibus pro Maria de Oisterwijk et precibus ab eadem obtinendis. De libris sibi emendis.

Charissimi fratres gratia domini nostri vobiscum amen.

Heri post longissimam expectationem vestras a M. Scoto literas accepi. Abijt ille Romam cum suo sacerdotij obtinendi proposito, non quidem satis idoneus, vt mihi videbatur, quocum tantum et operae et sumtuum insumeretis. Video equidem non hoc modo curandum a nobis esse, vt praeter generalem exhortandi rationem alijs multum et curae et temporis tribuamus. Ego (Christo gratia) rectissime valeo, et haud scio, an vnquam in Germania magis ex animo. De reditu (vt saepe scripsi) certum aliquid promittere non possum, maxime quum in Septembri Romam videre mihi iam constitutum sit. Scriberem autem de varijs rebus, nisi meliorem literarum disponendarum occasionem breui fore putarem, sperans etiam certiora quaedam istinc breui [esse] peruentura. Cum dictis sae[pe] Patribus Reuerendis[1] ago, Italice nonnihil pronuntio, disputationibus Theologicis intersum, meam quoque dicere sententiam coactus[2]. Quod ad M. Christophorum[3] attinet et Petrum Boium[4], si charissimus frater Daniel[5] istac Romam in Augusto petet, ex huius consilio prudentiaque vobis agendum censeo. Sin minus veniet, confido in domino IESV, qui Petro nostro vires addet animumque confirmabit, quo nimirum Patroni sui sumptibus adiutus, in academia vel Louaniensi vel Italica studiorum suorum ordinem absoluat, et secundum datam sibi a Domino gratiam[6] multis nonnunquam in Germania proficiat. Si verum [est], quod Georgium illum[7] fore Carthusianum scribitis non possum non mirari

[1] Iacobo Lainio, Alphonso Salmerone, Claudio Iaio.

[2] Quando et quibus de rebus Canisius in congregationibus theologorum concilii sententiam suam dixerit, vide infra, monum. 27—29.

[3] Christophorum Buscoducensem; cf. infra p. 253. [4] Vide supra p. 248.

[5] *Daniel Paeybroeck* (Paribrouch) ad S. Ignatium Lovanio 17. Martii 1547 scripsit: Se ex romanis litteris cognovisse, sibi „in Octobri Romam intrare esse concessum", ideoque se „aut in principio Augusti aut citius" Lovanio discessurum; discessit vero aliquanto post (Litterae quadrimestres I, 28. *Polancus* l. c. I, 294).

[6] 1 Cor. 3, 10. [7] Georgium Eder? Cf. supra p. 126.

mutationem hic dexterae excelsi[1]: Tantum illi meo nomine dictum velim, vt Kanisij sui fratris in domino meminerit, et quod contra mundi Spiritum instituit, [sine] mundi Spiritu et cum sui contemptu strenue promoueat, nec aliter confici posse credat, praeterquam in sanctae obedientiae liberrima simplicitate. Quod si vobis ita videbitur, non improbarim accedere istuc e Buscoducis Christophorum, cuius literae non mihi hic soli placuere. Sed illud cauendum, ne pater illius absentem desyderans filium, aliquam vobis inuidiam [Colon]iae augeat, praesertim quum sat obloquutorum vos vndique exerceant. De sumptibus etiam augendis nolim vos commonefacere, quando nimium habere soli quidem non potestis, et vestras augere fortunas praesens temporis ratio minime sinit. Non enim hoc mihi refugium placet, quod proponit frater Adrianus, vt si non suppetant facultates et vobis et Louaniensibus, iam emendicare nonnulla (nescio a quibus) cogitet. Laudanda mentis illa promptitudo, sed haudquaquam haec quaerendi victus ratio nunc ineunda est. Proinde licet optima in Deum fidutia praeditos esse oporteat, prouidos tamen et hac in parte solicitos, parcosque persistere nos decet, quamdiu non certa vitae ducendae ratio offert sese. Qua de re diligenter agatis quaeso cum [fratre] Daniele[2], qui re omni perspecta quid certi vobis polliceamini, nobis hic denuntiet. Scripsi p. Priori[3], et de sigillandis literis scribam amplius, nihil vnquam caussa vestra [recu]saturus[4]. Heri caussam Mariae diligenter apud Cardinalem[5] egi, et bona spes est futurae dispensationis de altari portatili, non autem de legendis haereticorum libris. [Qu]antum ego hic quotidie sentiam vestrarum orationum et praesertim Mariae fructum, Deus [perpetuo benedictus nouit et haec mihi testis][a] est conscientia. Rogo illam vti matrem fidissimam, rogo charissimas apud eam sorores, et vos praecipue fratres, quo insolitum hunc mentis meae statum communibus frequenter precibus adiuuetis. Literas vero ex ur[be][6] ad me perferri curabitis. M. Henricus Coterraneus meus, quem plurimum diligere non de[sino,] emat quaeso [a][b] Carthusianis Commentarios in Paulum et Canonicas epistolas, vt

[a] *Haec vel similia supplenda sunt.*
[b] *Hoc puto supplendum esse; vide infra p. 252*[1].

[1] Ps. 76, 11. [2] Paeybroeck. [3] Gerardo Hammontano.
[4] Canisius, cum „exoneraret se suis temporalibus bonis", „ordinaverat, vt Carthusiani annis 12 subleuarent 100 daleros, quos expenderent in vsum eorum qui de societate Coloniae viuerent": Ita *Leonardus Kessel* in *relatione autographa, Romam missa (Cod. „Germ. Fundat. I" f. 175[a]).
[5] De Monte vel Cervinum. Mariam de Oisterwijk hic dici ex epistula cognoscitur, quam Canisius 2. Ianuarii 1548 ad Socios colonienses dedit. Maria, ut videtur, aegrotabat ideoque cupiebat, ut alicui sacerdoti facultas daretur missae sacrificium in cubiculo aegrotae super „altari portatili" offerendi.
[6] Id est: Epistulas, quas ad me dabitis, Romam mittite.

ligat[os?] a me accepit M. ille Dionijsius[1]. Vnum ligatum etiam codicem reddi pro sua fide curet . . . Literas ad eum breui mittam, fortassis ad Decanum etiam[2]. Vtrumque mihi salutate diligenter, et multo amplius nostrum Sijdereum, qui superiorum voluntati faciet satis, si vel hebdom[atim][a] vna [lect]ione (sacra scilicet) contentus, totum se tradat Juri, et in disputando saepius exerceatur. Spero illum Zutphanij inter concanonicos suos maxime aliquando patriae profuturum, ac licet saecularis ipso aspectu habeatur, affectu tamen magis ac magis spiritualem fore[3].

Bene valete in Christo domino nostro fratres dilectissimi. Bononiae 17 Junij 1547.

Salutat vos hic singulatim omnes

Vester indignus frater Pet. Kanisius.

[Hon]orando Domino M. [Leon]ardo Louaniensi, in [vicini]a Joannis Auerdonck [apud] Praedicatores commoranti. Coloniae.

53.

CANISIUS

SOCIIS LOVANIENSIBUS.

Roma[4] 15. Novembris 1547.

Ex cod. bruxell. „Hist. Coll. Lov.“ p. 12.

„Constat“, inquit historicus collegii lovaniensis „eos [P. Cornelium Vishavaeum et Fr. Antonium Vinck a S. Ignatio Lovanio Romam venire iussos] 15 Nouembris [1547] Romae fuisse, quo die Canisius Patres Louanienses, venturum aestate proxima toties expetitum P. Lhostium virum, vt ipse ait, dignissimum, ex vrbe certiores fecit.“ [5]

---

[a] *Cf. supra p. 208:* Accedat hebdomatim . . . confessio.

---

[1] Henricus Dionysius (Denys), neomagensis, Societatem postea ingressus est; qui saepe per hoc opus nobis occurret. Theodoricus Loehr, Carthusianus coloniensis († 1554), circiter a. 1530 provinciam susceperat opera celebris illius Dionysii Rickel (vulgo „Dionysii Carthusiani“) in lucem emittendi; inter quae etiam commentarii in epistulas paulinas et canonicas erant. His autem Canisius (ut videtur) Bononiae uti volebat, cum ea colligeret, quae ad decreta dogmatica concilii paranda necessaria erant. Dionysii opera Coloniae apud Quentelium „in folio“ edita sunt.

[2] Stephanum de Delen? Cf. supra p. 226—229.

[3] Zutphania (Zutphen, urbs regni neerlandici) in ecclesia maiore sive templo S. Walburgis collegium duodecim canonicorum habebat (*H. Fr. van Heussen,* Historia episcopatuum foederati Belgii [Lugduni Batavorum 1719] Ep. Daventr. p. 70—83).

[4] Canisius, postquam menses Iulium et Augustum cum Lainio Florentiae transegit, ineunte Septembri, ab Ignatio evocatus, Romam venit. Cf. supra p. 47.

[5] Cf. supra p. 129. 191.

54.

CANISIUS
P. DANIELI PAEYBROECK S. J.,

domus lovaniensis „ministro".

Roma 15. Novembris 1547.

Ex apographo eiusdem temporis, a Fr. Petro Kannegiesser S. J. Lovanii scripto et Sociis coloniensibus misso (2° min, $^1/_2$ p.). Cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 32b.

De Sociis Romam missis et mittendis, fratribus coloniensibus Lovanium transferendis. De usu quarundam facultatum. Theodoricum fratrem commendat. Epistulas Romam non mittendas, nisi ab aliis etiam probatas.

Chariss. Domine Daniel.

Quod temporis angustia longius scribere prohibeat, hoc mihi dixisse sat erit, missos a vobis huc fratres multis nominibus domi gratos hic esse[1]. Quod ad Bullam attinet nuper istuc a me missam Bononia[2], monebis nostros vt ne quem illius ratione absoluant in casibus illis (vt dicitur) Bullae coenae Domini[3]. praesertim vero ne vlla ex parte ab hoeresi redeuntes absoluant. De fratribus Coloniensibus tuum audire iudicium percupio. Cum in literis parum, ac minus etiam in spiritu obedientiaque exerceri illic queant, fortasse si istuc Reuerendus p. de Geldonia[4] veniat, Louanium mittentur et ipsi voluntate p. nostri Reuerendi M. Ignatij. Qui meis quoque iam literis recta Coloniam dispositis huc inuitari voluit M. Andream Sydereum. M. petrum Boium et M. Christophorum Buschiducen[5]. De quo tamen silendum vobis existimarim. Oro vehementer, commendatum imprimis tibi a me suscipias fratrem meum Theodoricum, et in pietate bonam eius indolem exerceas. Nec abs re fuerit, si literae quae istic a fratribus scribuntur, non nisi lectae, ac alieno simul iudicio probatae, praesertim superioris, huc transmittantur[6]. Orate pro me Dominum, et in spiritu eius vos mutuo confortate. Rhomae 15 Nouembris .154[7.][a] Indignus et seruus et frater tuus petrus Canisius.

---

[a] *Hic numerus facile suppleri potest ex ipsa epistula et ex iis, quae dicta sunt supra, p. 47—48. 248—251.*

---

[1] P. Cornelium Vishavaeum et Fr. Antonium Vinck; vide supra p. 252.

[2] Significari videntur aut litterae Pauli III. Romae 3. Iunii 1545 datae, quibus variae facultates Societati conceduntur, aut (quod magis probatur) litterae, quibus idem pontifex Romae 5. Iunii 1546 Ignatio permisit, ut „coadiutores, tam sacerdotes quam personas saeculares" ad Societatem admitteret et viginti ex illis sacerdotibus facultates eorum concederet, qui professionem sollemnem in Societate fecissent.

[3] Haec bulla corpus quoddam erat excommunicationum, quas summi pontifices quotannis „feria quinta in Coena Domini" sollemniter promulgabant.

[4] P. Iacobus Lhostius, ex Geldria ortus.

[5] Cur Ignatius hos aliosque Romam evocarit, Canisius Ignatii nomine explicavit Ruardo Tapper, cancellario lovaniensi, litteris 10. Ianuarii 1548 datis.

[6] *Institutum* S. J., Ex. c. 4, n. 6; Const. P. 3, c. 1. B.

Huius epistulae inscriptio deest; sed ad Danielem Paeybroeck eam datam esse intellegitur, si cum iis conferatur, quae supra p. 250 dicta sunt. Danielem Paeybroeck sub id tempus „ministrum“ domus fuisse, testatur *Manareus* l. c. p. 14.

55.

CANISIUS
ANDREAE SYDEREO,

canonico zutphaniensi.

Roma 20. Novembris 1547.

Ex autographo (2° min.; $1^1/_4$ pp.; in p. 4. inscriptio et pars sigilli). Cod. colon. „Litt. Epistt. var.“ f. 33 et seq. non signato.

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 679.

In sancta oboedientia summum solacium esse. Se S. Ignatii ceterorumque Sociorum commercio maxime delectari et libentissime in schola humilitatis atque omnium virtutum exerceri et probari. Sydereum, qui Societati iam se devoverat, hortatur, ut, funibus cunctis disruptis, eidem totum se det, ideoque Ignatii nomine ei suadet, ut Romam veniat. Alios etiam duos iuvenes ad eam profectionem invitat. Cautionem adhibendam esse in litteris cum aliis communicandis.

ihesus

Chariss. frater Andrea,

Gratia domini nostri JESV CHRISTI bona in nobis desyderia nutriat, nutrita conseruet, conseruata perficiat amen. Quod in hac tam remota locorum intercapedine nos inuicem consoletur absentes, vnum et maximum illud pulcherrimumque fuerit, simplex nimirum praestandae obedientiae ratio. Hinc procul dubio (neque sine vtriusque nostrum ingenti commodo) effectum videmus, vt et tu istic manens hactenus, juris studio animum quamuis inuitum applices, et ego iam nuper Italiam ingressus, tum a vestro suauiss. conuictu, tum a tumultuantis Germaniae patriaeque conspectu quam saluberrime quidem prohibear. Atque vtinam (quod ad me spectat) calamo linguaue tibi faelicitatem meam explicare possem, partim quidem vt totius profectionis meae successum amicissimus intelligeres, partim vt nouam hanc bene beateque viuendi occasionem gratulabundus ipse in domino mihi comprobares. Ah quanto esse mihi gaudio credas, post conspectos in Concilio tot tantosque viros, post agnitos familiarissime Patres instituti nostri praecipuos, post exploratos et hominum et regionum mores admirandos, nunc daemum, nunc (inquam) tot selectis hic fratribus, dignissimoque omnium Praeposito nostro[1] sic indies adesse, conuiuere[2], adhaerere[3]. Alij quaestus et literarum gratia aetatem, operam vitam-

[1] S. Ignatio.

[2] Domus professorum, haud procul a templo „S. Mariae de Strata“ sita, totam eo tempore Ignatii familiam continebat (*Orlandinus* l. c. l. 4, n. 4. 76).

[3] S. Ignatius Canisium „(id, quod cum aliis quoque, qui recepti in Prouinciis veniebant in Vrbem, moris habebat) de integro interrogari iussit, ac singillatim ex-

que omnem consumunt suam, si non frugifere[a], haud parum tamen laboriose, anxie, periculose. Hic ego in sapientiae domo, in humilitatis officina, in obedientiae virtutumque omnium schola vt ditissima, sic ornatiss. versari me video, et exerceri semper cupio, licet nullum etiam obedientiae ius aut vinculum intercederet. Hoc vero quandoquidem sancte iam nos tenet domino obstrictos ac penitus mancipatos, quid prius quaeso, quid vnquam praestabilius optabiliusque putemus, atque totis ea viribus tum aggredi, tum persequi, quae ad institutum hoc, cui nos dedidimus, quam maxime proximeque faciunt[1]. Qua in re mi frater, noui satis tua pijssima desyderia nec deesse, nec Dei gratia defutura: noui quotidiana illa suspiria, quibus testaris, a Societatis nostrae scopo te summopere abduci primum materni quidem affectus lubricitate; dein vulgari illa, si non et sordida cunctorum de te amicorum expectatione: postremo studiorum atque sumptuum non modica difficultate. Cupiebam idcirco iam nuper hisce tuis malis occursum iri, quo diruptis semel retibus, quod per Christi spiritum sancte istic conceperas, libere alibi matureque pareres, et integre quidem huic nouae IESV CHRISTI militiae, cui te iam deuoueras, totus et expeditus nobiscum adhaereres. Quid multis? Comunicata re omni cum pijssimo sapientissimoque Praeposito nostro, qui suam erga te beneuolentiam nunc etiam auxit, illud velut optimi remedij loco inuenisse tibi videor, vt coniecta scilicet in Deum inprimis omni cura, et de matre, de amicis benefitioque tuo reiecta solicitudine, Romam petas, teque totum in ijs quae sanctae humilitatis et Apostolicae obedientiae sunt, nobiscum in domino hic exerceas. Idque M. et P.[2] nostro Ignatio gratum fore, vt ne dicam consultum videri, absque omni ambiguitate firmiter tibi polliceri

[a] *Sic; sed potius legendum esse videtur:* infrugifere.

plorari, num quibus ab ineunda Societate arceretur impedimentis; quamque ad eam animi praeparationem afferret. Cumque percunctationibus cumulate satisfecisset, Decimo Kalendas Octobris [i. e. 22. Septembris] . . . post viginti circiter dies separatim in aedibus primae probationis exactos, ad omnia paratissimus imperia, idque acturus, eo Societatis loco, et gradu, quem Praesides decreuissent, futurus, ad communitatem vitae recipitur" (*Sacchinus*, Can. p. 41). Exercebatur tunc Canisius in Societatis tirocinio vel probatione, sive „secundam" eam dixeris, sive (quod magis placet) „tertiam", vel potius similem ei, quae nunc „tertia probatio" dicitur. Tunc enim, Societatis constitutionibus nondum conditis, hae probationes ita nondum erant distinctae, ut nunc sunt. Audivimus iam supra (p. 47[5]) P. *Ioannem de Polanco* litteris Roma 13. Novembris 1547 ad Socios lovanienses datis testantem, Canisium una cum P. Cornelio Vishavaeo et Fr. Antonio Vinck „sedulo in humilitatis exercitiis versari" et „cum aedificatione non modica" Sociorum „omnium suis fungi ministeriis".

[1] Haec qui legerit, mirabitur certe, quod *Everardus Gothein* asserere potuerit, unam ex rebus, quibus Canisii animus in domo Societatis romana et in schola spirituali S. Ignatii imprimis commotus et delectatus sit, fuisse „der Mangel jeder Askese" (Ignatius von Loyola und die Gegenreformation [Halle 1895] p. 679).

[2] Magistro et Patri.

habeo. Nec dubites velim de absoluendis aliquando studijs quae tempore post suo Reuerendus in Christo Pater noster Praepositus lubenter admodum prouehet, vtpote nihil praetermittens, quod ad summam Dei gloriam et praecipuam suorum salutem spectat. Animum duntaxat promptum, infractum et simplicem adferre cogites. Omnem honorem, incolumitatem, famam, vtilitatemque tuam humili obsequendi studio metiare, et sancto IESV Christi crucifixi amore nihil in hac vita durum molestumue posse videri putes. An Dei efficacem erga te bonitatem virtutemque non hucusque tota vita sensisti? Atque aderit ille etiamnum suo nomine peregrinanti, viae tuae dux custosque fidissimus vt qui suos deserit nunquam, etiamsi ad tempus mundo despectos illos, et in hac breui vita beate miseros. Festina, quaeso te frater, et (vt Hieronymus monet) haerentis in salo nauiculae funem magis praescinde quam solue[1]. Porro de alijs ad fratres nostros vberius, quorum consilia lubens audi, et sequere magnanimus, praesertim quoad profectionis tuae tempus. Equidem confido in domino, haud defuturum tibi fidum in via sodalitium, etiamsi Christophorus ille[2] ad quem ea de causa scribo, et Petrus noster[3] de quo sic mihi persuadeo, tantam huc perueniendi oportunitatem neggligerent [*sic*]. Inuenies fratres nostros, et fidenter conuenies Paduae (alij Patauium uocant) Bononiae Florentiaeque. Vtinam tuo conspectu in domino frui liceat breui, vt et tu bonorum quae hic nobis affluunt, participatione gaudere non minus quam ditari queas. CHRISTVM IESVM oro, vt fortitudinem sui Spiritus in te augeat, ac faeliciter e vinculis ereptum, breui te nobis libere restituat, et amanter osculandum hic praebeat. Amen. Salutant te fratres nostri, praesertim qui Germani nobiscum sunt quattuor. Romae 20 Nouembris 1547.

Frater tuus in domino

Pet. Kanisius Nouiomagus.

In salutando Delphensi[4] et Henrico conterraneo[5] chariss. amicis nostris fidelem te mihi, vtilemque in domino praestes rogo. Vide tamen etiam atque etiam, quibus hasce literas tuto communices. Multi saepe consultores, rari adiutores, paucissimi rerum optimarum sectatores nobis obtingere solent.

ihesus. Chariss. in Christo IESV fratri, M. Andreae Sydereo Zutphaniensi. Coloniae.

---

[1] „Haerentis in salo naviculae funem magis praecide, quam solve": *S. Hieronymus* ad Paulinum (ep. 53 [alias 103], n. 10. *Migne*, PP. LL. XXII, 549).

[2] Buscoducensis; vide supra p. 250. 253.

[3] Petrus Schorich (Boius); vide supra p. 248. 250. 253.

[4] Van Delft?; vide supra p. 248.

[5] Henrico Dionysio; cf. supra p. 251.

56.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL ET FR. ADRIANO ADRIANI,

Sociis coloniensibus.

Roma 2. Ianuarii 1548.

Ex autographo (2° min.; p. 1; in p. 2. inscr. et pars sig.). Cod. colon.: „Litt. Epistt. var.“ f. 34.

Particula („Semen aliquod — peccatorem commendate“) transcripta est in Cod. colon.: „Hist. coll. Col.“ f. 14[b].

Gaudet de victu iis proviso. Se Sociorum romanorum consuetudine multum iuvari, attamen optare, ut aliqui de Societate Coloniae remaneant. Valde se demittit et fratrum meritis et precibus fulciri cupit. De morte Mariae de Oisterwijk. Nomine S. Ignatii, Germanorum salutem sitientis, iuvenes quosdam Societatis cupidos iterum invitat, ut eiusdem tirocinium Romae ingrediantur.

ihesus

Chariss. fratres,

Gratia domini nostri IHESV CHRISTI semper in cordibus nostris augeatur. Literas vestras in Nouembri scriptas huc fratres Louanienses transmisere. Et haud scio, an sex prioribus mensibus quicquam scriptorum vestrorum huc peruenerit. Gaudeo sane, quod vtcumque vobis modo de vitae sumptibus prouisum sit, quia literas de daleris illis nunc tandem obsignatas esse significauistis[1]. Vnde futurum equidem spero, vt istic diutius commorari vos sinat Reuerendus in Christo pater noster Ignatius. De mutando domicilio pro vestra prudentia agite. De reliquis quoties nascetur quaestio, Patrem et Praepositum qui vos amat, literis consulite. Rationem opinor dedi superioribus literis, cur morari hoc me in loco expediat. Adeo iuuor sancto hoc sanctae societatis contubernio, vt Germaniae locorumque omnium[a] terrae obliuisci merito queam. Quod si vobis istic manere contigerit (vt non dubito, etiamsi M. Iacobus[2] qui Louanium petiturus erat, non adeo grauiter hic perpetuoque laboraret) maximo semper mihi gaudio futurum est, meminisse vestrarum pro me orationum, omniumque spiritualium fructuum, quos Dei bonitas per vos Coloniae producet. Nam semen aliquod benedictum[3] istic relinqui spero, ne Reuerendus Pater, cuius inter iustos gloriosa memoria est, M. Faber expectatione speque sua defraudetur[4], neue chariss. frater, cuius erga vos charitas non excidit[5], sed cum sanctis increscit, M. Lambertus[6]

[a] *Sequitur* meum, *a Canisio ipso postea deletum.*

[1] Vide supra p. 251. [2] Lhostius. [3] Tob. 9, 11.
[4] Vide supra p. 155—156. 169. [5] 1 Cor. 13, 8.
[6] M. Lambertus de Castro, novicius S. J., 29. Septembris 1544 Coloniae mortuus et in Carthusia coloniensi sepultus erat; cf. supra p. 121—123.

istic se solum conspicetur. Ego vtinam vtinam [*sic*] ille sim, qui velut catellus de micis fratrum id est, dominorum meorum[1] pasci merear, nimirum vt qui proprijs meritis laetari nequeo, vestrorum saltem laborum, studiorum fructuumque participatione sustenter. Erit profecto perpetua vestri apud me memoria, vbicumque tandem habebit me terra. Vos, qui et cum Deo familiarius agitis, et Dei spiritum dignius subinde gustatis, inter fratres reliquos, pro quibus Deum precamini, vel infimum quaeso mihi locum concedite, et aliorum simul precibus Kanisium peccatorem commendate. Orbauit uos dominus matre de Oesterwick, sed orat opinor et illa pro nobis orphanis in coelis. Quare nec Bullam illam istuc mitto[2].

Quod prioribus literis ad uos scripsi de nostro Sydereo, Petro Boio et Christophoro Busciducensi, idem breui nunc repeto, sic volente nimirum Reuerendo in Christo Patre nostro M. Ignatio. Qui quum singularem illorum erga Societatem affectum intelligat, hoc expedire arbitratur, vt si probare Societatis institutum, et ad illud admitti cupiant, quamprimum huc vna se conferant, seque in his quae Societatis sunt, nobiscum exerceant. Quare quod in vobis erit, ad ingrediendum iter illos ipsos animabitis, omnique cura coniecta in Dominum, foelicia illis omnia promittetis. CHRISTVM bonorum conatuum confirmatorem precor, vt si non cum omnium aedificatione contingat illis ea profectio, (nam forte obmurmurabunt quidam) forti tamen Spiritus gratia sic dirigatur, vt diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum[3]. Rogo praeterea te frater chariss. M. Adriane. vt literis datis ad M. Christophorum, de profectionis tempore certiorem illum facias, quatenus vno eodemque tempore collecti tres illi Coloniae, iter ingrediantur suum ad vrbem vsque. Quod si plures etiam idonei iuuenes adiungerent sese. haud dubium, quin gratis oculis eos ad probationem assumpturus sit noster Praepositus, qui quantopere Germanorum salutem sitiat, indies quidem clarius experior. Valete domini et fratres, meque totum commendate Reuerendissimo D. Archiepiscopo Londensi[4], cui nuper scripsi, M. Andreae hospiti[5]. Priori Charthusiensium, sororibus Mariae[6], amicis omnibus, praesertim D. Henrico conterraneo[7] et Zutphaniensi[8]. Miror cur de Georgio[9], et Gregorio vestro nihil significetis. Oro breui vestras huc literas disponatis. Valete in domino IHESV fortes et foelices amen. Romae 2° Ianuarij anno 1548.

Vester indignus frater Petrus Kanisius Nouiomagus.

---

[1] Matth. 15, 27. [2] Cf. supra p. 251.
[3] Rom. 8, 28.
[4] Georgio de Skodborg. [5] Andreae Herll.
[6] Mariae de Oisterwijk. [7] Henrico Dionysio.
[8] Andreae Sydereo.
[9] Georgio Eder, ut videtur.

Quia scribit ad vos Reuerendus P. Polancus nomine Reuerendi nostri P. Praepositi, reuerenter eius literas accipite, simulque respondete.

Honorabili D. Leonardo Kessel et M. Adriano Antuerpiensi Coloniae Apud Praedicatores.

57.

CANISIUS

nomine S. Ignatii

RUARDO TAPPERO,

cancellario universitatis lovaniensis et decano ecclesiae collegialis S. Petri [1].

Roma 10. Ianuarii 1548.

Ex apographo eiusdem temporis (2° min.; pp. 2; inscriptio deest); quod Socii lovanienses coloniensibus misisse videntur; librarius in summa pagina priore scripsit: „Copia literarum D. Petri Kanisij ad D. Cancellarium Louaniensem nomine praepositi Ignatii." Cod. colon.: „Litt. Epistt. var." f. 35 et sq. non signato.

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 347. 741.

Gratias agit, quod Societati amicum et patronum summum se praestet. Exponit, cur quidam Societatis scholastici ex academia lovaniensi Romam partim iam evocati sint, partim evocentur. Universitatem lovaniensem laudat. Nicolaum Goudanum commendat, ut Tapperi ope cura pastorali liberetur et in tirocinium Societatis et ipse venire queat. Virtutum schola quam sit Societatis alumnis necessaria. Lovanienses qui Romam evocentur, Germaniae postea redditum iri.

Jhesus

Reuerende plurimum et eximie D. cancellarie

Gratia et pax d. nostri Jhesu Christi nobis continenter assistat, in nobis efficaciter agat, et ad perfectiora charismata nos indies prouehat. Amen. Cumplures sane iam anni sunt, quibus me quamuis immerentem, et fratres in Christo meos, et omnem demum hanc Jhesu societatem impense diligit R. d. t. [2] suisque multis et magnis officijs nos prosequi necdum desiuit: amicus nimirum fidissimus et patronus noster istic maximus. Quapropter quotquot hic sumus et istic erimus aliquando, gratis semper animis de dignitate tua cogitabimus, et illi quod in nobis erit, ea quae vera, summa aeternaque bona sunt a deo optimo maximo precabimur. Postquam autem incolumes huc duce Christo venere charissimi fratres, ijdemque discipuli tui, M. Cornelius Uvisschaueus et M. Antonius Bouterson [3], conceptam nobis iam diu opinionem de humanitate et beneuolentia, erga nos vestra adauxerunt

[1] Quanto studio Ruardus Tapper (hollandus, † 1559) Societatem Iesu prosecutus sit, ostendunt *Manareus* l. c. p. 19, *Polancus* l. c. II, 87. 284—287, *Orlandinus* l. c. l. 11, n. 43; l. 14, n. 49; cf. etiam, quae P. *Adrianus Adriani* de eo ad S. Ignatium scripsit Lovanio 23. Iunii 1551, in „Litteris quadrimestribus" I (Matriti 1895), 341—344. [2] Reuerenda dominatio tua.

[3] P. Cornelius Vishavaeus et Fr. Antonius Vinck, ortus ex Bouterssem: cf. supra p. 230 [1].

qua fretus noster in Christo Jhesu pater et praepositus D. Ignatius tuae d. in domino iam pridem addictissimus, sua quaedam consilia per meas hasce literas conferenda censuit. Nam cum is officio suo respondere (prout par est) vehementer satagat, nimirum vt ad summam summi dei gloriam singula societatis huius membra quoad fieri possit, promoueantur[a], hoc enixe sibi curandum proposuit, vt quotquot Christo inspirante huic nostro instituto se dedunt, ac propter Christum regendos ipsi se totos offerunt, eorum ingenia, mores, conditionesque praenoscat, id vero datis, acceptisque mutuo literis solis perfici minime posse experimento didicit: praesertim si longius absint hi, quos omni ex parte cognosci, et ad professionem hanc minime in vtramuis partem vulgarem institui solide congruit. Qua quidem ratione domini[b] illi quos commemoraui istinc in vrbem evocati sunt, iamque vocationis[c] salutarem valde fructum vna mecum capiunt. Rursus vero pari de causa huc iam nunc euocantur M. Petrus ab Armenteria[1], et M. Daniel de Deneramunda[2] fratres in domino amantissimi discipulique vestri. quibus et iam diu in votis fuit humilitatis, obedientiaeque officijs coram hic sese nobiscum magis magisque probatos reddere. Nec ignoramus interim vniuersitatis vestrae pientissimae successum et studiorum in ea cultum ac vigorem, vt quem et exterae nationes praedicant, et tam multi studiosi summo cum fructu suo sentiunt[d]. . . . nonnullos etiam ex nostris sic probe institutos istic esse gaudemus, sed et in posterum multo plures istic institui cupimus, cum non modico doctrinae fructu id fore speramus licet in praesentia velut e medio studiorum cursu quidam huc reuocentur. Hoc enim agitur vt illi ipsi aliquamdiu hic aegredum probati et post foeliciter istuc reuersi, cum sibi tum alijs Louanij pro virili parte consulant, et si quod a deo talentum ipsis erit ad hoc concreditum in ciuitatum germanicarum aliquod auxilium ex professo impendant. Neque dissimili consilio etiamnum accersitur M. Nicolaus de Gauda Bergensis pastor[3], non solum vt diuturnis in hoc ipsius desiderijs satisfiat tandem, verum etiam vt et ipse nobiscum hic probatus et exercitatus, et Germaniae suae postea redditus, non

[a] promouehantur *apogr.* [b] domino *apogr.*
[c] *Sequitur* suae; *sed a librario ipso deletum est.*
[d] *Sequitur vox obscure scripta.*

[1] Petrus Gillonius (Legillon), ortus ex Armentières, Flandriae urbe, quae olim comitis Egmontani erat, nunc in gallica dicione est, mortuus a. 1565 (*Delplace* l. c. p. 2*). [2] Daniel Paeybroeck; cf. supra p. 250[5].

[3] Nicolaus Goudanus, parochus in Bergen-op-Zoom. Hoc plantante et „Deo incrementum dante“ „numero frequenter confitentium et communicantium quamdam primitivae Ecclesiae faciem Bergensis ecclesia prae se“ ferebat; „conviviorum excessus, ac vestium pompae rescindebantur; . . . unde Marchionissa Bergensis, Domina Jacoba de Croy, semel et iterum hoc ipso anno P. Ignatio scripsit cives suos ad pietatem magis pronos, ac sibi multo obsequentiores, quam solebant, opera Patris Nicolai redditos“ (*Polancus* l. c. I, 295).

minus multis in domino vtilem se prebeat, atque nunc Bergensibus vtilis esse videtur[1]. Quod si promissionibus vllis ad pascendas diutius illas oues obstringitur non dubito quin t. d. obedientiae vinculum firmius esse iudicatura sit quo is propter Christum huic Christi societati iam poenitus astrinxit sese. Magna interim nos tenet spes fore vt academia vestra probatis viris nunquam destituta talem D. Nicolao successorem prebeat, qui coelesti quoque gratia adiutus, fide bona, nec dispari successu pastorale munus hoc apud Bergenses obeat. Nimirum (si verum fateamur) vtcunque spectatur ipsa ecclesiae edificatio tum ab illis qui pium virum in officio suscepto retineri fortasse cupient, tum a nobis huc eum euocantibus, vt quorum ipse vocationem, et vltro amplexus est et sedulo sequi cogitat. Hinc et summopere in domino speramus haud defuturam in posterum illi gratiam Christi efficacem, quando propter Christum honestam vitae suae rationem non deserit, sed in melius vertit, ratus nunquam defore, qui priorem vocationem illam praestare parati sint. In summa, quandoquidem et suae et suorum conscientiae prospectum maxime cupit noster in Christo pater praepositus, tres illos iam supradictos nouis huc literis euocat: remittendos quidem istuc fauente deo, et forsan maiore quibus opus erit, doctrina istic imbuendos, Sed prius tamen in grauissimo illo spiritalis vitae certamine preparandos. Atque prout cuique opus fore videbitur, in eis quae fideles crucis Christi sectatores decent, multum diuque confirmandos, Longa enim (vt mihi videtur) et ardua in coelum est via: tantis nimirum et extirpandorum vitiorum sentibus consita, et superandorum insidiatorum laqueis implexa, vt qui syncere perfectionem meditantur Euangelicam euangelicis etiam armis et opibus instructos esse diligenter oporteat. Ergo ne sim longior habet iam reueren. d. t. expositam vtramque consiliorum patris in Christo nostri praepositi rationem. Partim vt si quid in posterum rectius ad curandam summi dei gloriam statuendum videatur, pro iudicio quidem tuo grauissimo libere nobis pronuncies: Partim vt authoritate simul et dignitate tua nos istic tueri pergas: ac denique solita reuerendorum D. Theologorum istic omnium beneuolentia, nostros cum praesentes tum absentes benigne prosequendos cures: Quo certe charitatis officio nos sibi totos dignitas tua deuinciet. quam virtutis omnis et author et consummator Jhesus Christus Dominus noster custodiat, et in pace sancta faeliciter conseruet. Amen. Romae 10. Januarij anno 1548.

Reuerendae d. v.

Discipulus ac seruus in Christo
Petrus Kanisius Nouiomagus.

---

[1] P. Nicolaus Goudanus postea in universitatibus ingolstadiensi et viennensi professor et in colloquio, anno 1557 Vormatiae de religione habito, ex „adiunctis" collocutorum catholicorum fuit. Mariam etiam Stuartam, Scotiae reginam, Pii IV. iussu nuntius invisit (de qua re vide *„Stimmen aus Maria-Laach"* XIX [Freiburg i. Br. 1880], 83—108).

Hanc Canisii epistulam *Polancus* significare videtur scribens: „P. Ignatius . . . scribendum . . . Cancellario Universitatis [Lovaniensis] curavit, ne aegre ferret ipse nostrorum discessum, et ut sua auctoritate, ne alii aegre illud ferrent, efficeret. Cancellarius autem, praelectis litteris, sedulo nostros ad obediendum, perinde atque si mandatum ex ore Dei suscepissent, est adhortatus; egitque . . . ut Patri Nicolao bonus successor inveniretur.“ [1]

58.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO [2].

Roma 5. Februarii 1548.

Ex autographo (4°, p. 1); Cod.: „Vota simplicia,“ qui incipit „Omnipotente et sempiterne Iddio, Io Joan bolognes“ f. 203.

Apographum a P. Petro Hugo S. J. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 77ᵃ.

---

[1] Chronicon I, 294—295.

[2] Initio anni 1548 Messanae (Mamerti) in Sicilia Ioannis de Vega proregis et ipsius civitatis rogatu constituendum erat Societatis collegium. Pro quo ut idoneus posset haberi delectus, Ignatius mandavit, ut domestici singuli, postquam triduo rem Deo commendassent, scripto ad capita quaedam, scripto pariter tradita, responderent. „Primum erat, an singuli prompte parati essent in Siciliam ire vel non ire, et eam partem, ut sibi cariorem, amplecterentur, quae ipsis a Superiore, quem Christi loco habebant, esset designata; secundo an, qui eo mittendus esset, ad quodvis ministerium externum (si litteris careret), si autem litteris institutus esset, [ad] quamlibet lectionem quavis in facultate interpretandam, prout ab obedientia ei injungeretur, paratus esset, sive Theologia scholastica ea foret, sive Scriptura Sacra, sive Philosophia, sive Litterae humaniores (nam hae quatuor lectiones erant praelegendae); tertio, an qui tamquam scholasticus mitteretur, cuicumque facultati dare operam, juxta obedientiae praescriptum, vellet; quarto, an praeter obedientiam in exsequendis quae dicta sunt, id essent existimaturi convenientius, quod ipsis a Superiore demonstratum foret, suum judicium et voluntatem sanctae obedientiae submittendo“ (sic *Polancus* l. c. I, 268—269). *Orlandinus* secundum et tertium caput sic proponit: „An qui eo destinaretur, eadem aequitate animi perrecturus esset siue ad ingenij, ac literarum munera, siue ad manus, et operae ministeria: ita vt et docti in labore manuum, et qui nil didicissent, docere, quantum in ipsis esset, parati essent. Ad haec si studiorum caussa mitterentur, num parati essent vel scholares quauis in disciplina, quocunque sub praeceptore versari; vel magistri doctrinam quamlibet tradere.“ Idem Orlandinus haec adnotat: „Hisce percunctationibus aliqua ex parte seculi iudicio stultis, sed in Euangelicae schola Philosophiae altissima sapientia plenis alumnorum suorum mentem prudens magister ad eximij decus obsequij veterum Patrum exemplo formabat.“ Dicta igitur die ad unum omnes, sex circiter et triginta numero, quotquot erant domi, etiam coquus, suas tradiderunt syngraphas: quibus in unam eandemque conveniebant sententiam. Canisii itaque scriptum instar omnium esse potest (*Orlandinus* l. c. l. 8, n. 8. 9). Autographa illa anno 1864 supererant (*Boero*, Canisio p. 54). De illo homines eligendi vel probandi modo *Daniel Bartoli*, Societatis historiographus: „Fu“, inquit, „singolarmente notabile, e quale, nè prima, nè poscia mai, per quanto io ne sappia, non si era usato“ (Dell' istoria della Compagnia di Gesù, l'Italia II [ed. nova, Torini 1825], c. 12, p. 123). Vide epistulam sequentem et *Acta Sanctorum* Iulii VII (Parisiis et Romae 1868), 555—556.

Etiam apud *Orlandinum* l. c. l. 8, n. 9; *Sacchinum*, Can. p. 42—43; *Python* l. c. p. 50—51; *Dorigny* l. c. p. 65—66 (gallice); *Séguin* l. c. p. 53—54 (gallice); *I. E. Nieremberg* S. J. et *P. d'Outreman* S. J., La Vie du Vén. P. Pierre Canisius (Douay 1642) p. 74 (gallice); *I. E. Nieremberg* S. J., Vida divina . . con la vida del venerable Padre Pedro Canisio (Madrid 1633) p. 321—323 (hispanice); *Garcia*, Canisio p. 62—63 (hispanice); *Giac. Fuligatti* S. J., Vita del P. Pietro Canisio (Roma 1649) p. 28—29 (italice); *Boero*, Canisio p. 54 (italice); *Riess* l. c. p. 76 (germanice); in „Leben deſs Ehrwürdigen Patris Petri Canisij der Societet JESV Theologen. Auſs dem Lateinischen ins Teutsch versetzt" (Dilingen 1621) p. 29—30 (germanice) etc.

Profitetur se aeque paratum esse ad proficiscendum quocumque et ad obeundum quodlibet munus atque omnem sui curam relinquere praeposito suo.

Habita mecum qualicumque deliberatione super iis, quae Reuerendus in Christo Pater meus et Praepositus M. Ignatius breui proposuit[a], primum adiuuante Domino, in vtramuis partem aeque per omnia moueri me sentio: siue domi hic manere perpetuo iusserit, siue in Siciliam, Jndiam, aut quouis alio transmiserit. Tum si in Siciliam abeundum sit, simpliciter mihi gratissimum fore profiteor, quale quale iniungatur obeundum illic offitium ministeriumue: etiam coqui, hortulani, ostiarij, auditoris, et in quauis disciplina licet mihi ignota professoris. Atque ab hoc ipso die, qui est quintus Februarii, sancte voueo, sine omni respectu me curaturum nihil in posterum, quod quidem ad habitationis, missionis similisque commoditatis meae modum vllum facere posse vnquam videbitur, relicta semel ac semper eiuscemodi cura omnique solicitudine Patri meo in Christo Reuerendo Praeposito. Cui sane tam quoad animi, quam corporis gubernationem, et intellectum ipsum et voluntatem meam per omnia plene subijcio, humiliter offero, fidenterque commendo in IESV CHRISTO domino nostro. 1548.

Mea manu scripsi

Petrus Kanisius Nouiomagus.

In processu beatificationis Canisii etiam haec eius professio producta est[1]. Gregorius XVI., cum anno 1844 Canisii virtutes heroicas fuisse pronuntiasset, R. P. Ioanni Roothaan, Societatis praeposito generali, pro eo decreto gratias agenti, affirmavit se ad illud faciendum permotum esse potissimum humili illa oboedientia, quam Canisius (concilii tridentini antea theologus) praestitisset in Siciliam discedens ibique rhetoricam docens[2].

---

[a] Ignatius proposuit *Pyth.*

---

[1] *Positio super virtutibus* (Romae 1833) Summ. p. 216 et iterum Expos. virt. p. 218. [2] *Riess* l. c. p. 553[6].

59.

CANISIUS
P. LEONARDO KESSEL ET FR. ADRIANO ADRIANI,

Sociis coloniensibus.

Roma 8. Februarii 1548.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 2. inscr. et pars sig.). Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. non sign., medio inter ff. 36 et 38.

Duae partes („Quotquot hic" — „personae numerantur"; „Quod si temporaria" — „subijcit") transcriptae sunt in Cod. colon.: „Hist. coll. Col." f. 14b.

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 457. 458.

Messanae collegium Societatis incipi. Quam praeclarum oboedientiae exemplum Socii romani praebuerint. Quanti viri et quam multa collegia Societati offerantur. Qua ratione Sicilia a Sociis reformata sit. Romae ad ordines recipiendos neminem admitti nisi a Sociis examinatum et confessione peccatorum generali expiatum. De Sociis compluribus. Preces et missas petit.

Ihesus

Abierat nuntius, quum literas prius istas ad uos mittere studerem. Lite[ras nuper ea] conditione Louaniensibus misi, vt ad vos mittendas etiam curarent. Breui hinc decem abibunt in Siciliam, vt noui collegij iaciant fundamenta; 4 professores, et sex auditores: pro quibus Dominum precari conuenit. de personis non constat. Quotquot hic agunt, scriptis Reuerendo P. Preposito datis hoc contestati sunt, se in vtramuis partem aeque moueri, siue vt perpetuo hic maneant, siue vt in Siciliam, Indiam aut quouis alio transmittantur. Tum si ad studium illis abeundum sit, nihil se curare, qualequale illis offitium iniungatur, non modo studendi inquam, sed etiam linguam Arabicam aut quamuis ignotam aliam profitendi. Ita nimirum vt et secundum voluntatem, et secundum intellectum (quod maius est) nemo hic expetat vel expectet aliud, praeterquam sine omni respectu in obedientia mori sibi ipsi[1].

Plurima huc quotidie adferuntur noua de incredibili quodam Societatis nostrae profectu. Plura offeruntur nostris collegia, si Hispaniam spectemus, quam personae numerantur. Et tamen cum sese ingerant[2] praelati, docti et egregij viri, ac pro summa ducant gratia, si ad culinae offitia recipiantur, fortiter adhuc a nostris refutantur. Quae res maiorem sitim ingerit animis bene dispositis. Breui nepos Regis Portugaliae Societati se dedidit[3]. Et Ducum filij inter nostros

---

[1] Canisius his verbis ea confirmat, quae supra p. 262[2] ex Polanco, Orlandino, Bartolo, Boero allata sunt.

[2] Id est: Societatem ingredi cupiant.

[3] Ioannes de Alencastro, Ioannis I., ducis alveirensis, filius, anno 1547 Societatis tirocinium ingressus est; at postea a proposito declinavit (*Polancus* l. c. I, 257—258. *Ant. Franco* S. J., Synopsis Annalium Societatis Iesu in Lusitania [Augustae Vind. et Graecii 1726] p. 19). Ioannes ille primus filius erat Georgii Lusitani, filii Ioannis II., regis Lusitaniae.

modo educantur. Quod si temporaria haec vanaque bona spectarent Patres, non noua quotidie collegia vltro citroque fundarentur. Sed sicut vera gloria sequitur fugientem[1], sic perfecta paupertas totum sibi mundum subijcit.

Totum Siciliae regnum per nostros modo reformari coepit. Sublatus abusus deambulantium in templis, blasphemantium, non confitentium in infirmitate corporali[2]. Eriguntur hospitalia pro recipiendis orphanis: quibus et optimi magistri praeficiuntur. Captiui aere alieno liberantur si debitores sint, meretrices conuertuntur, monasteria reformantur, Clerus emendatur, populus confitendo et communicando aedificatur[3].

Ex multis pauca retuli, quoniam ad species et particulares circumstantias non libet nec per otium licet descendere. Quid autem Romae? vbi fratrum augetur sic numerus, vt 36 domi in summa pace et ordine pulcherrimo maneamus. Magnum sane ad reformationem Ecclesiae patet ostium, posteaquam nostris hic iniunctum est illud muneris, vt Romae nullus ordinetur, qui non prius et examinatus a nostris hic fuerit, et generaliter de tota vita confessus, et sic demum nostrorum Patrum consensu admissus. Sed Deum omnis gratiae fontem et consummatorem precari super est, vt quod ita foeliciter per eum coepit, eiusdem gratia indies magis magisque confirmetur.

Non satis noui, num de morte M. Ambrosij Lyrani acceperitis[4].

Veniet ad vos M. de Hallis[5], qui vt vobiscum maneret, precanti mihi concessum est. Cupio enim vos illius praesentia recreari et confirmari in domino[6]. Expectamus hic M. Sydereum, Petrum Boium et Christophorum Buscidensem [*sic*] de quibus saepe iam ante. Rogo vt ambo S. Magos pro me visitetis, S. Gereonem, S. Vrsulam et D. Seuerinum[7]. Valete semper in domino IESV, et pro me dominum orate. 8. februarij 1548 Romae. Salutant vos maxime fratres; M. Cornelius et D. Anthonius[8]. Raptim.

Indignus frater Pet. Kanisius.

---

[1] „Gloria . . virtutem tamquam umbra sequitur": *Cicero,* Tusculanae disputationes l. 1, c. 45, n. 109.

[2] Haec effecta sunt a P. Iacobo Lhostio et praecipue a P. Hieronymo Domenech, qui Panormi, Messanae, Monte Regali laboravit. Is a prorege impetravit, ut per totum regnum decretum Innocentii III. promulgaretur, quod est de non admovenda aegrotantium corporibus curatione prius, quam animis medicina sacrae confessionis sit admota (in *Jure canonico* cap. 13, X. V. 38).

[3] Haec omnia uberius exponuntur ab *Orlandino* l. c. l. 7, n. 17—21, et a *Dan. Bartolo* l. c. l. 2, c. 11, p. 111—118. Cf. *Litteras quadrimestres* I, 47—53.

[4] Is a. 1544 Coloniae fuit et a. 1547 in collegio gandiensi in Hispania vita cessit; cf. supra p. 103[2]. 108[3].

[5] Petrus Faber (de Smet).

[6] Ps. 70, 6.

[7] Corpus S. Severini, episcopi coloniensis, circiter a. 403 mortui, Coloniae asservatur in ecclesia parochiali (tunc etiam collegiali) S. Severini.

[8] Cornelius Vishavaeus et Antonius Vinck.

Charissime frater M. Adriane, quandoquidem te sacerdotem breui fore confido, (id quod iam iterum apud Reuerendum p.[1] nostrum egi, non tuam spectans sed Dei in te gloriam) hoc vnum precanti quaeso mihi largiaris, vt post primas illas triginta missas, quas forte dicturus es, ad meam intentionem septem celebres, quibus et me totum Deo commendes. Id quod mihi quamuis immerenti non deneges precor. Sed et te mi pater ac frater Leonarde modis omnibus precor, vt septem alias pro me dicere non graueris[2]. qua re nihil gratius prestare potes illi, qui semper tuus erit in Christo totus, Kanisio.

Reuerendo fratri M. Adriano Antuerpiensi et D. Leonardo Kessel apud Praedicatores Coloniae.

60.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL ET FR. ADRIANO ADRIANI,

Sociis coloniensibus.

Roma 28. Februarii 1548.

Ex autographo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr. et pars sig.). Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. 38.

Complures huius epistulae sententiae, aliis omissis, insertae sunt codici colon.: „Hist. coll. Col.", ad a. 1548, f. 15[a].

Partem epistulae („Augeat quod in vobis" — „non minus hic literatis") typis exscripsit P. *Michael Pachtler* S. J., Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticae Societatis Iesu per Germaniam olim vigentes I (Berlin 1887), 135—136.

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 386. 680.

Gaudet Coloniae adulescentium peccata confitentium numerum augeri. Sociis de „renovatione votorum" gratulatur. Eosdem hortatur, ut adulescentes ad virtutis studium, Aristotelis lectionem, disputandi fervorem incitent. Omnia ad charitatem Dei referenda esse. Quanti vel una anima valeat. Oboedientiam praedicat; epistularum frequentiam, grammatica exercitia, Ciceronem commendat. Multos Romam mittendos; quales ii esse debeant. Germaniae salutem curandam. Se mox in Siciliam abiturum, Ignatio atque immo Deo volente; ac vel in Indiam, si mitteretur, libentissime profecturum; propter Christum enim omnia esse spernenda. A Sociis et Carthusianis preces et missas pro se offerri cupit.

Ihesus.

Charissimi fratres in domino,

Gratia domini nostri JESV CHRISTI semper in cordibus nostris vigeat et augeatur. Literas vestras in fine decembris scriptas accepimus, et non sine communi fratrum gaudio legimus, quia consolationis et aedificationis caussas maximas adferebant. Scribitis enim

[1] Patrem, id est: S. Ignatium.

[2] Notandi hic esse videntur numeri missarum: tricenarius et septenarius; qui quidem in missis quoque „Gregorianis" servabantur (cf. *Fr. Beringer* S. J., Die Ablässe [11. Aufl., Paderborn 1895] p. 430—433).

(summa Deo aeterno gloria) messem istic foecundam praeparari, moueri complurium corda salubriter, augeri confitentium adolescentum numerum, et solito maiorem aliorum erga vos beneuolentiam esse. Neque tantum de alienis scribendo agitis, verum et ipsi vestrum in spiritu profectum declaratis, dum nouo studio quae iam olim aedidistis societati nostrae vota, et comprobare et huc transmittere voluistis[1]. Augeat igitur quod in vobis iam coepit, idem misericordiarum pater[2], diffundat lumen suum, inserat charitatis feruorem cordibus nostris, vt non modo sanctae vocationis huius offitia cognoscamus, verum etiam agnita fortissime compleamus, et finem spei nostrae citra errorem atque periculum obtineamus.

Interim quod optime facitis, accedentium, ac vos inuisentium adolescentum rationem sedulam habebitis, a mundo ad CHRISTVM, a carne ad spiritum eos adducetis: confitendi, communicandi, orandi, meditandi, plorandi sanctum illis vsum amoremque commendabitis, zelum animarum et perfectionis studium eorundem animis instillabitis, ad Aristotelis lectionem etiam repugnantes prouocabitis[3], in disputandi feruore confirmabitis, verum studiorum scopum et fructum illis ad charitatem vnice referetis. Quod si vel vni quicquam horum persuaderi a vobis posset, non video, cur ob id solum non libenter vitam omnem istic transigere vt plurimum desyderaretis. Nam vnius animae prodesse et recte consulere posse, totius mundi pretium superat in immensum. Neque tantum charitatis est, quicquid laboris iuuandis alijs tribuere soletis, verum etiam vt duplicata sint vestris benefactis praemia, quod charitas aedificat[4], ornat simul et firmat augetque vobis sancta obedientia. De qua superioribus quidem literis ad vos perscribendum curauit Reuerendus Pater in Christo Praepositus noster[5], iubens per charissimum Patrem M. Ioannem Polancum, vos quiete istic vitam degere, ac saepius vestris de rebus huc literas dare. Mihi commodum facturi sane videmini, quod et Praepositus hic noster dignissimus comprobat, si nonnunquam in exercendo stilo vestrum studium collocetur, praesertim ad epistolarum Ciceronis imitationem. Ita D. Cornelio[6] accidit charissimo fratri nostro, vt et ipse ad Gramma-

---

[1] De hac „renovatione votorum" vide supra p. 232[3] et infra monum. 3.

[2] 2 Cor. 1, 3.

[3] *S. Ignatius* in Constitutionibus Societatis: „En la Lógica, y Filosofía Natural y Moral, y Metafísica, seguirse ha la doctrina de Aristóteles" (P. 4, c. 14, n. 3). In verbis „constitutionum Societatis" ponendis non vulgatam versionem latinam (quamquam haec in Societate vim legis habet), sed S. Ignatii „autographum" illud hispanicum hic et semper sequimur, quod nunc quoque exstat, quodque a. 1606, Claudio Aquaviva praeposito generali, Romae et a. 1892 a R. P. Ioanne Iosepho de la Torre Madriti typis exscriptum est cum hoc titulo: „Constitutiones Societatis Jesu latinae et hispanicae cum earum declarationibus." „Autographum" illud describitur ibidem p. VIII—IX. XIII—XIV. Latinae constitutiones sat notae sunt: Ignatius tantum hispanicas scripsit.

[4] 1 Cor. 8, 1. [5] Ignatius. [6] Vishavaeo.

ticam redire iussus sit: ita breui futurum arbitror [mihi][a] vna cum M. Antonio[1], alijsque non minus hic literatis.

Nunc sextus mensis agitur, quod summa cum animi mei voluptate patribus ac fratribus Romae adfuerim, ac vt nunquam antea, fructuose simul conuixerim. Idem sane certo certius procurabunt, quotquot a vobis huc mittentur. Mitti autem satis non poterunt, (vt vestrum scrupulum submoueam), modo corpore firmo seu sana valetudine fuerint, ac dociles, aspectuque non deformes, et quod praecipuum est, ad societatem nostram ex animo adspirantes. Quattuor hae res quum aderunt, ad mittendum idoneos iudicate, et si qui forsan idonei fuerint, in aduentum charissimi fratris nostri Danielis reseruate. Nam is contendens vna cum Pastore Bergensi et M. Gillon istuc in Augusto venturus est[2], quando simul inter vos conferetis et illud, expediatne M. Petrum de Hallis, qui istic breui aderit, vobiscum persistere, an duobus Louanij fratribus reliquis[3] adesse. Reuerendo Patri nostro M. Ignatio non displicebit, vtrumuis cum statueritis et pro Dei promouenda in vobis gloria, et pro M. Petri valetudine rectius curanda. Expectamus modo Sydereum nostrum vna cum suis comitibus[4], quos vtinam permul[tos] hic videam. sic Germanicae patriae salutem sitio, et vobis istic commendatissimam esse cupio. Vtinam vero literis ad M. Henricum[5] datis efficax Dei spiritus adspir[et.] Quo pacto meam libertatem in scribendo laturi sint, nescio. Vos euentum omnem perscribite. Scripsi ad amicos etiam, ne vobis vllo pacto desim, vbi prodesse possum. Nescio autem quibus primum literis vos conuenturus sim mi [*sic*] fratres, posteaquam hinc, et breui quidem in Siciliam vna cum nouem alijs discessero. Sic enim et de me, et de M. Cornelio Praepositi nostri statuit auctoritas, imo per Praepositum ita dei nostri sanctissima decreuit voluntas[6]. Noui in Sicilia collegij fundamenta collocanda sunt[7], et ad quattuor eius amplissimi regni oppida similis fere patet accessus. Sed ideone amicissimi disiungentur

[a] *Hoc insertum est, quia ipsa sententia id postulare videtur.*

[1] Vinck.

[2] Daniel Paeybroeck, Nicolaus Goudanus, Petrus Gillonius, Socii lovanienses, a Canisio significantur (de quibus vide supra p. 260).

[3] Unus ex iis Cornelius Broegelmans fuisse videtur (cf. *Orlandinum* l. c. l. 7, n. 41). Alter fortasse erat Nicolaus Lanoius (Delanoy); de quo *Delplace* l. c. p. 2*.

[4] Petro Boio et Christophoro Buscoducensi; cf. supra p. 265.

[5] Henricum Dionysium dicit; cf. supra p. 251—252. 256.

[6] Fortasse sub hoc tempus Canisius ex ore S. Ignatii excepit illud „viaticum quinque puncta memorabilia exituris [in alias partes] continens", quod „ex manuscripto R. P. Petri Canisii" (quod tunc in archivo romano Societatis Iesu asservabatur) a P. Ignatio Pinio S. J. descriptum, P. *Ioannes Pinius* S. J. in „Actis Sanctorum Iulii" VII (in editione nova [Parisiis et Romae 1868] p. 586) latino sermone vulgavit, quodque postea etiam italice editum est a P. *Francisco Mariani* S. J. (Della vita di S. Ignazio [Bologna 1741] p. 216).

[7] Messana (Messina) collegium Societatis habitura erat; cf. supra p. 262[2].

animi, quia mortalia haec corpuscula ad tempus separat obedientia, separat Dei prouidentia, separat vtilitas puplica [*sic*], cui semper et soli debemus omnia, non corporea solum haec vincula, sed totius mundi daemum praesidia? Ego sane, si vel ad Indias iamiam proficisci iubear, quia DEVM ipsum itineris ducem mihi polliceor, nec animo turbari possum, nec solicitudine vlla moueri debeo, certus in illo vno mihi salua fore omnia, qui propter me condidit et seruat vniuersa. Quare quum e celo emissi, et caelum repetituri breui sint nostri animi, despiciamus fratres charissimi, despiciamus inquam huius terrae caducum globulum, atque tetrum omnino carcerem, cuius tenebris occupati, luce illa praestantissima aeternaque destituimur, et mille hic errorum, vanitatum, laqueorum, cupiditatum labyrinthis inuoluimur, rapimur, concutimur, agitamur. Hoc solum remedij, hoc solatij relictum est, vt pulcherrimo charitatis nexu inuicem colligati, iungamus ac firmemus in CHRISTO animos, CHRISTO libere seruiamus, CHRISTI spiritum hauriamus, CHRISTVM daenique morte nostra, miserijs et incommodis nostris plene lucrifaciamus[1], et in aeterna vita simul foelicissime possideamus. Illud addam neutiquam omittendum, vt per charitatem eam, quam CHRISTVS inter nos firmissimam maximamque intercedere voluit, perpetuam mei memoriam istic retineatis, pro me, pro salute mea DEVM et Sanctos eius fideliter imploretis, me amicorum simul precibus omnium commendetis, me Sanctis Magis, S. Gereoni, Thaebeis, Mauris ac toti B. Vrsulae castissimo sodalitio etiam atque etiam offeratis[2], pro me daenique (si tantum petere fas est) hebdomadatim sacratissimum CHRISTI corpus Deo patri offerre curetis. Sane P. Priorem Carthusiae amicissimum deprecor, vt semel sacrificantes omnes pro suo Kanisio celebrare iubeat, atque ita totius conuentus suorum fratrum precibus indignum licet filium, amicumque prosequatur. Sed et Reuerendus P. Ignatius vna cum hac tota IESV societate cumprimis illi sese commendat. Hic quamquam inuitus scribendi finem facio mi fratres, precandi iterum pro me, ac hebdomadatim celebrandi munus obnixe a vobis postulo, certus hanc vestram ditissimam eleemozinam proficiscenti egeno mihi commodissimum viaticum fore. CHRISTVS IESVS amore suo nos inuicem magis magisque coniungat, vt in eius persistentes gratia consortes gloriae reddamur sempiternae. amen.

Romae, XXVIII Februarij, 1548.

Vester in Christo conseruus Petrus Kanisius,
Nouiomagus.

Reuerendis fratribus in Christo M. Leonardo Kessel, et M. Adriano Antuerpiensi apud templum Praedicatorum Coloniae Agrippinae. Coloniae.

---

[1] „Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam" (Phil. 3, 8). [2] Cf. supra p. 37[2]. 173[3]. 173[4].

61.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL ET FR. ADRIANO ADRIANI.

Sociis coloniensibus.

Neapoli 24. Martii 1548.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 2. inscr.). Coloniae, in bibliotheca domini H. Lempertz sen.

Particulam germanice vertit *Gothein* l. c. p. 768.

Adulescentes germanos Romam mittendos esse. Socios rogat, ut duo sacra capita sociarum S. Ursulae collegio Messanae instituendo mittant. Se, oboedientiae et charitatis vinculis Christo iunctum, nihil timere. Preces petit. B. Petri Fabri memoriam renovat.

Ihesus

Chariss. fratres in Christo IESV.

Gratia domini nostri JESV CHRISTI semper in cordibus nostris abundet amen. Priusquam decem ex vrbe discessimus [1], quo iamdiu desyderati in Siciliam obedientia duce perueniremus, abunde satis ad vos variis de rebus perscripsi, et illa praecipue significaui, quae ad M. Siderei, Boij et Christophori profectionem maturandam pertinent, quaeque ad bonos adolescentes huic societati praeparandos, et a vobis istic sedulo prouehendos spectant. Adiunxi praeterea literas ad M. Sutphaniensem [2] et Baccelium meum [3] scriptas, ratus libertatem si qua vsus sum in scribendo, illos aequi bonique consulturos.

Spero in domino, et cupio equidem vehementer fore, vt quum in Augusto mense fratres Louanienses istac urbem petierint, vestro simul studio quidam illis adiungant sese. Et praeterquam quod Reuerendo P. Ignatio, et Patribus fratribusque omnibus id placiturum intelligo, sane si paulatim ita Germani iuuenes a nostris, et cum nostris Romae instituantur, permagnam hinc vtilitatem et Dei gloriam colligi augerique posse putarim.

Nunc vel ob id maxime scribendum mihi videbatur (quamuis in itinere hic essem et quamprimum mare mediterraneum ingressurus) quando-

[1] Discesserunt 18. Martii (quae tunc erat „dominica Passionis"), cum pridie eius diei Paulus III. amantissime iis benedixisset (cf. supra p. 52). Eorum quattuor erant sacerdotes: Hieronymus Natalis, quem, ceteris consentientibus, Ignatius praeesse iusserat, Petrus Canisius, Cornelius Vishavaeus, Andreas Frusius. Reliqui, sacerdotio paulo post ornandi, erant: Benedictus Palmius (Palmio) parmensis, Isidorus Bellini (Sbrandus) Romae parentibus germanis natus, Hannibal Codrettus (du Coudrey, du Codré) allobrox, Martinus Mare gallus, Ioannes Baptista Passerini brixianus, Raphael Riera barcinonensis (*D. Bartoli*, Italia l. 2, c. 12 [l. c. p. 124]. *Litterae quadrimestres* I, 91 [1]. *Boero*, Can. p. 55. Hic [l. c. p. 56] asserit eos iter neapolitanum quinque diebus absolvisse). Cf. ea, quae unus ex iis Neapoli 24. Martii 1548 ad S. Ignatium scripsit, in „Litteris quadrimestribus" I, 91—93. Quae etiam ostendunt eos per Marinum (Marino) et Velitras (Velletri) transiisse.

[2] Andream Sydereum. [3] Magistrum Henricum Baccelium; de quo infra.

quidem ex consensu Reuerendi P. in Christo Praepositi magnopere desyderamus, et quotquot modo Siciliam petimus, a vobis obnixe precamur, vt sancta duo capita quae Virgines Capitolij tribuerunt, Romam nobis perferri pro vestra fide diligentiaque curetis[1]. Jllinc enim in Siciliam facile perferentur, ac nouo quod Messinae erit collegio non minimum (vt spero) praesidij ac ornamenti dabunt[2]. Mihi sane consultum videtur, vt chariss. fratribus Louaniensibus Romam adeuntibus hasce sanctiss. reliquias commendetis[3]. Cum enim et Reuerendo P. Jgnatio ita fieri placeat, haud dubitare possum, quin lubenter admodum sanctum hoc onus deportaturi sint, cuius meritis et ipsi peregrinando iuuari atque consolari queant. Hoc tantum interea curabitis, vt in Augustum sportula quaedam, et opertoria si videbitur. istic praeparentur[4].

P. et frater chariss. Cornelius qui mecum Siciliam accedit, plurimum vos in domino salutat. Ego quam maxime possum vna cum illo me vestris orationibus commendatum iri velim. Dicunt, inexpertis nauigationem qualis nunc subeunda nobis est, periculosam esse solere. Sed animat me sanctae obedientiae ratio, quae siue viuos siue mortuos corpore nos inueniat, CHRISTO semper praesentes atque gratos vbique nos facit. Et quis exilij sui perpetuas grauesque miserias, aeterne patriae beata immortalitate commutari statim non optet? Sane siue diu in hoc tabernaculo demoremur[5] (quamquam momentaneum est omne quod hic viuitur) siue e vestigio dissoluatur corporea ista moles, praeclare nobiscum agi vtrinque caensendum est, modo Christo duci et principi nostro adhaerescamus, in illius gratia persistamus, illius crucem et gloriam diligamus, illius daemum nomine superioribus obedientiam, et charitatem omnibus exhibeamus. Verum mei memoriam vestris orationibus quotidie renouari, totus exopto semper. Qua quidem re nihil aut maius, aut dignius mihi vnquam praestabitis chariss. fratres, qui vestris etiam in domino filijs me commendetis precor, et amicis demum vniuersis. Neapoli 24 Martij 1548. Valete semper in visceribus IESV CHRISTI pro nobis crucifixi, et

---

[1] Plectrudis, Pipini Heristalli uxor, Coloniae (ut ferunt) in Capitolio ecclesiam et virginum nobilium collegium condidit, quae aliquamdiu regulam S. Benedicti observabant. Hae Sociis — id ex proximis epistulis intellegetur — duo capita donaverunt sanctarum „Sociarum S. Ursulae" virginis et martyris (cf. supra p. 173[4]), eaque fortasse ad gratiam Canisio referendam pro sacris orationibus in templo illo habitis (cf. supra p. 143). Errat igitur *V. de Buck* S. J., scribens haec duo capita Canisio „a Carthusianis patribus" data esse (Acta Sanctorum Octobris IX [Parisiis et Romae 1869], 252).

[2] *Polancus* affirmat civitatem messanensem haec duo capita sacra anno 1548 suis litteris a S. Ignatio postulasse (Chronicon I, 366—367).

[3] Haud recte igitur Crombach, Boero, Séguin, alii scribunt Canisium ipsum sacra illa capita Colonia Romam attulisse.

[4] „Reliquiarium", quod vocatur, a Canisio significari videtur.

[5] Cf. 2 Cor. 5, 4. 2 Petr. 1. 13. 14.

Reuerendi P. piae memoriae D. Petri Fabri de Coloniensibus fidem, expectationem desyderiaque nunquam non ad mentem reuocate.

Vester indignus et frater et seruus perpetuus Petrus Kanisius.

Chariss. fratribus .D. Leonardo Kessel, et M. Adriano Antuerpiensi prope templum Praedicatorum Coloniae. Coloniae.

62.

CANISIUS

PETRO GILLONIO, CORNELIO BROGELMANNO [1], DANIELI PAEYBROECK

ceterisque Sociis lovaniensibus.

Messana 23. Aprilis 1548.

Ex archetypo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr. et pars sig.); quod, Canisio dictante, P. Cornelius Vishavaeus scripsit, Canisius correxit nomenque suum subscripsit. Cod. colon.: „Litt. Epistt. var." f. signato num. „39", per quem 2 lineae ductae sunt.

Quantum solacium ex Sociis capiat, quibuscum in Italia conversetur. De benignitate Pauli III. sibi comitibusque fausta precantis. De singulari protectione divina, peregrinantibus inter varios casus adversos timoresque concessa. Contiones habitas, nautas, hospites, alios ad sacramentorum perceptionem inductos, stipem largam acceptam esse. Socios Messanae coram proceribus latine dixisse, liberalissime tractari, omnem iuventutem instituturos. Quas disciplinas tradituri sint.

Jesus.

Charissimi fratres in Domino.

Gratia Domini nostri Jesu Christi nobiscum perseueret, et augeatur semper. Amen.

Quandoquidem diuine voluntati, et patribus nostris ita visum est, vt primum quidem e Germania in Italiam, tum ex Italia in Siciliam concederemus, magnam profecto huius omnis profectionis et vtilitatem intelligimus, et voluptatem quotidie capimus. Augetur autem eaipsa

---

[1] Cornelii Brogelmanni (Broegelmans, Broghelmans) saepius mentio recurret. Brugis (Bruges) in Belgio natus (*Delplace* l. c. p. 2*), Lovanii circiter annum 1545 „cohabitabat nostris, suo tamen aere et nutu victitans spe potiundae Societatis" (*Cod. bruxell. „Hist. Coll. Lov." p. 11). Societatem ingressus postea Romae, cum in officio divino recitando scrupulis laboraret, ab ipso S. Ignatio sanatus est (*Petr. Ribadeneira,* Vita Ignatii Loiolae l. 5, c. 10). Initio anni 1556 ab Ignatio Pragam cum aliquot Sociis missus est ad collegium Societatis instituendum, ibique „minister" et „confessarius domus" fuit (*Orlandinus* l. c. l. 16, n. 19. *Georgius Varus* S. J., *Historia fundationis Collegii Pragensis [saec. XVII. scripta], qui est cod. „I A 1" bibliothecae universitatis pragensis, f. 1). Ineunte anno 1561 in collegio viennensi „confessarius domesticorum et praefectus templi" fuit. A provincia Societatis austriaca anno 1565 Romam ad congregationem generalem legatus, vivere desiit Viennae a. 1578, annos natus 65, e quibus 32 in Societate transegerat (*Cod. „Annal. Vienn." ad a. 1561 f. 11b—12a; ad a. 1565 f. 14b; ad a. 1578 f. 28a).

mirum in modum, quum reuerendos in Christo patres charissimosque fratres nostros aspicimus, aut absentes etiam nobiscum reputamus. Nam cum illi virtutum prerogatiuis, ac pietatis omnis excellentia vere nobis admirabiles, iuxta et amabiles videantur, ad horum exempla, mores, instituta nobis haud immerito respiciendum est. Quare non modo patienter ferimus, sed libenter etiam, et iucundissimis animis videmus, a terrena quidem patria seiunctos nos esse procul, illis autem per quam familiariter adiunctos, qui sapientia plusquam patres, charitate plusquam fratres, et amicorum fide superiores exhibent sese, nihil intermittentes paenitus, quod nobis ad bene beateque viuendum ab illis ipsis expectandum videretur. Id quod praefari nunc libuit charissimi fratres, ut quia summi beneficij huius magnitudinem ne animo quidem concipere possimus, et grati tamen bonorum authori omnium Deo esse cupimus, fraterna in vobis praesidia sentiamus, et vestrarum pro nobis orationum munera, caelesti regi offeramus. De totius itineris in Siciliam successu permulta scribi poterant, quae partim consolationes spiritus, partim afflictiones corporis comprobarent. Sed vt e plurimis vel pauca obiter attingamus, equis vecti Neapolim peruenimus[1], posteaquam a summo pontifice[2], et a maximis quibusque Cardinalibus humanissime dimissi sumus[3]. Nec dubium, quin istuc copiose perscriptum iam sit, qua beneuolentia sanctissimus ille pater Paulus tertius nos exceperit decem, qui nouo in Sicilia collegio destinati fueramus, postulante ita viro clarissimo Prorege, et Messana celeberrima ciuitate. Igitur priusquam Neapolim uentum est, preter alia incommoda (sed quae spiritum nutriebant) in summo discrimine fuit Cornelius noster in Domino frater et socius, cui vt a praecipitio liberaretur, stupenda Dei virtus adfuit, et equum vna cum insessore ipso seruauit. Porro simulatque ingressi mare sumus, ac [cum] procul iam a Neapoli abessemus, fractus[a] repente malus in ciuitatem redire compulit[4]. Hic tum inuenta est mulier, quae captiuum de-

[a] *Sic Canisius ipse (ut videtur) scribam suum correxit, qui scripserat:* fracta.

[1] Haud recte igitur *Boero:* „Andavano a piedi" (Can. p. 56).

[2] Summam orationis, quam Paulus III. tunc (17. Martii) ad Socios habuit, vide apud *Orlandinum* l. c.; cf. etiam *Boero*, Canisio p. 55. De sicula Canisii missione et profectione confer, quae scripsere tum *Canisius* ipse in autobiographia (supra p. 47. 52—53), tum P. *Natalis* in litteris Messana 10. Aprilis 1548 ad S. Ignatium datis (Litterae quadrimestres I, 94—99), tum *Emman. Aguilera* S. J., Provinciae Siculae Societatis Iesu ortus et res gestae ab Anno 1546 ad Annum 1611 (Panormi 1737) p. 7—13.

[3] Margaritam etiam Austriacam, antequam iter ingrederentur, salutaverunt; „quae modesta officia", inquit *Orlandinus,* „non parum in rem Societatis publicam valuere" (l. c. l. 8, n. 12).

[4] Mare 28. Martii ingressi, sed post aliquot horas Neapolim reversi, 29. Martii, quae erat „feria V. in coena domini", iterum navem ascenderunt; 30. Martii ad Schaletam (la Scalèa) Calabriae vicum appulerunt; a Franciscanis prope Schaletam habitantibus hospitio recepti sunt; ubi nautis omnibus persuaserunt, ut peccata con-

plorabat maritum, ipsa deploranda potius, quod peccatorum alligata vinculis, totum triennium a nullo sacerdote soluta esset. Tum vero cum a nostris pietatem doceretur (hospitam enim sese exhibebat nobis) confiteri M. Andreae nostro[1] cepit, et consolationis plurimum persensit. Multis profecto visum est, ob curandam huius salutem, praeteritae nauigationis incommodum accidisse. Sed et alibi gratiam hanc nostris deus contulit, vt [aliqui][a] licet tabernis publicis praeessent, confitendo tamen sese per nostros expurgauerint[2]. Habitae sunt et conciones publicae, quibus non parum fructus collectos esse[b] Christo, speramus, alijque testantur. Vt ad nauigationem redeam, in qua multum fastidij, nauseaeque pertulimus, satis exagitauit nos ventus, et antenas[c] demum disrupit, prouidente nimirum ita Christo, vt ad ciuitatem proximam declinaremus[3]. Vbi multis haerere diebus coacti, tantum spiritualis fructus nostri compararunt, vt nobilissimi illic viri certis inter se constitutis legibus, ad frequentem sacrae confessionis et communionis vsum sese astrinxerint, et communi populo verae pietatis exemplis praelucere statuerint[4]. Quo in loco cum et nobis et nautis ad esum vix minimum superesset, vltro ciues illi ne cognita quidem hac necessitate nostra, liberalitate summa nos prosecuti sunt. Huc accedit, quod in ea naui qua vehebamur, nullus omnino fuerit (fuerunt autem permulti) qui non confitendo et communicando magnam nobis laetitiam attulerit, ac bonam de se spem prebuerit, Hoc vere testari possum, corporalem non minus quam spiritualem victum nostrorum opera nautis suppetiuisse. Cogor multa hic praeterire, quibus explicandis omnibus otium negatur. Vt, quod piratas videre visi sumus, quod nauis cursum nocturno tempore pedestri itinere insequeremur, quod per aquas reptandum et transeundum fuit[5]. Meminit horum exactius puto Magister Cornelius[6], qui praesenti semper animo tempestates ac iniurias omnes conspicatus

---

[a] *Hoc vel simile quid hic supplendum esse videtur.*

[b] *Sic; sed potius scribendum erat:* non paucos fructus collectos esse.

[c] *Sic; sed melius scripsisset:* antennas *vel:* antemnas *(Segelstangen, sailyards).*

---

fiterentur et festo paschali sacram eucharistiam sumerent; eodem aut postero die mare iterum ingressi sunt (*Natalis* in litteris 10. Aprilis datis l. c. p. 95—96).

[1] Andreae Frusio.

[2] Ita caupo eiusque servus confessi sunt Velitris (*Litterae quadrimestres* I. 91—92). Contiones habitae sunt Velitris et Paulae (vide infra adnot. 3. *Litterae quadrimestres* I, 91. 96—97).

[3] Ad Paulam (Paola) Calabriae citerioris oppidum navem appulerunt 2. Aprilis, quo ipso die ecclesia festum agit „S. Francisci a Paula", conditoris ordinis „Minimorum" (*Natalis* in litteris modo allatis l. c. p. 96).

[4] Praeterea cum capitaneo et archipresbytero illius regionis constitutum est, ut bonus quidam sacerdos catechista puerorum crearetur, et statim ab aliquo ex Sociis „sanctum hoc opus" inchoatum est (*Natalis* l. c. p. 97).

[5] Id factum est d. 6. Aprilis, quo Paula profecti sunt; v. litteras *Natalis* l. c. p. 97—98.

[6] Vishavaeus.

est, et alijs esse potuit subsidio atque consolationi. Si molestum toleratu fuit, quicquid experti tum sumus, nunc sane iucundum nobis est meminisse, vt naufragantibus et periclitantibus in posterum etiam libentius compatiamur, illis et charitatis et orationis officia prestemus.

Igitur qui dominica passionis ex vrbe discessimus, octauo die paschae[1] nauigationem omnem confecimus Messanam ingressi, Ac statim quidem ad vicereginam admissi[2], magnoque senatus et ciuium applausu excepti sumus, Deinde tertio die quinque nostrum orationes latine habuerunt, praesente semper Illustrissimo principe vicerege, astantibus nobilissimis viris, circumsedentibus omnibus magistratibus, et audientibus demum plurimis ornatissimo in loco[3], Benedictus dominus pater misericordiarum[4], qui nobis ex profectionis laboribus vix dum satis adhuc respirantibus adfuit, et ingentem illorum conatuum successum nunc palam ostendit. Extruitur collegium non modo decem nobis praesentibus, sed triginta, sumptus magnifice suppeditantur. Jamque intra dies quatuordecim quinquaginta fere coronati aurei in libros expenduntur. Constitutum nunc est et publice promulgatum, ne quisquam iuuentutem hic instituat, cuius docendae cura nostris iniuncta est penitus. Quapropter scholae totius gubernationem sustinemus, et crastino quidem die lectionum publicarum initium erit. Magnae voluptati nobis esse solet, cum in omni disciplinarum genere exercitatos hic fratres aspicimus, eosque summa cum voluntate ad infima etiam studia se demittentes, ut ad grammaticos instituendos perlibenter cuncti applicent sese[5]. Sunt interim praelectiones et in Ethicis, et in Theologia. Sed studiorum omnium rationem, quae per nostros hic instituuntur, ex ipso carmine, quod mittimus, facile capietis[6]. Author carminis Magister Andreas noster, qui grecus hic professor erit, cepit iam libellum de imitatione Christi versibus comprehendere. Tam luculenter hoc opus Deo fauente vertit, vt plurimum pijs etiam esse placiturum confidamus[7]. Ego cum ad scribendum

[1] Die 8. Aprilis.

[2] Eleonora Osorio, uxor Ioannis de Vega, tum Romae tum in Sicilia suam et liberorum conscientias patribus Societatis regendas tradebat; in collegiis Messanae et Panormi condendis multum laboravit; eius filii tria alia in Sicilia collegia instituerunt: catanense, syracusanum, bibonense (Cartas de *San Ignacio* II, 14[2]).

[3] Id in templo S. Nicolai factum est, quod Messanenses Societati dedere. Canisius orationem habuit de studio eloquentiae (*Aguilera* l. c.), nisi fortasse eam orationem habuit in „renovatione studiorum" initio Octobris sollemniter facta; vide *Polanci* Chronicon I, 283.

[4] 2 Cor. 1, 3.

[5] Natalis universitatis parisiensis morem in docendo pedetentim inducere studebat. Grammaticae classes tres instituit: primae Palmius praeerat, alteri Codrettus, tertiae Passerinus. Artem dicendi tradebat Canisius, dialecticam Bellinus, graecas litteras Frusius, hebraeas Natalis. Qui tamen has quoque brevi post Frusio reliquit; ipse autem theologiam mane, ethicas vel morales quaestiones post meridiem explicabat (*Orlandinus* l. c. l. 8, n. 13. *Aguilera* l. c. p. 16. *Boero,* Canisio p. 57. *Polancus* l. c. I, 282).

[6] Hoc carmen periisse videtur.

[7] Hoc quoque opus intercidisse videtur. Neque enim a Societatis Iesu biblio-

satis compositus non essem, humanitate charissimi fratris M. Cornelij vtendum in dictando putaui. Nec ingratum fuerit, si Colonienses fratres haec ipsa cognouerint, quae varijs describere literis ob praelegendi munus haud mihi vacabat. Idem de se testandum inquit M. Cornelius, vt ne suas modo literas desideretis. Magnum hic sane ostium apertum[1] iri non est dubium, et ex felicissimis initijs incrementa maxima speranda nobis breui videntur. Nunc alijs in Sicilia collegijs, quae nostris assignentur, studiose boni viri dant operam. Christus Jesus in suam solius gloriam vertat omnia, nosque saluti proximorum vtiles esse concedat. Fratrem Theodoricum[2] et praeceptorem eius Magistrum Uernerum [?], inp[rimis] autem Reuerendum d. et Magistrum Routtardum Cancellarium digniss.[3] ex nobis salute plurima impartiatis. Fratres qui istic agitis, fraternam precor operam precando Christum nobis impendite, studijs vt facitis diligenter incumbite, et felices in Christo viuite. Amen. Reuerendum dominum Hezium[4], eiusque conuictorem amicissimum mihi virum D. Scholasticum officiose vtriusque nostrum nomine salutabitis. Denique Coloniensibus fratribus, per has literas me purgatum velim, quod separatim ad eos nihil perscripserim. Breui tamen id me facturum spero. Messanae 23 aprilis anno 1548.

Vester indignus et frater et seruus Petrus Kanisius.

Jesus. Charissimis in Christo fratribus Domino Petro gillon ab Armenteria, D. Cornelio bruegelmans, M. Danieli paeijbroech a denderamunda ceterisque fratribus agentibus juxta caemiterium Diui Michaelis de societate nominis Jesu. Louanij.

63.

CANISIUS

IONAE,

[litterarum studioso et Societatis candidato?] Romae degenti.

Messana mense Aprili vel Maio 1548.

Ex epistula autographa Petri Schorichii, de qua infra. Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. 43.

Libros scriptaque petit, quae sibi in rhetorica tradenda usui sint.

Petrus Schorichius, Societatis Iesu novicius vel scholasticus, Roma 5. Iunii 1548, P. Leonardo Kessel scribit: „In libris quos ego tibi re-

graphis ulla eius fit mentio, neque a bibliographis libelli „De imitatione Christi" (Essai bibliographique sur le livre de imitatione Christi, par *Augustin de Backer* S. J. [Liège 1864] p. 186—199. 252. Catalogue 81. de *L. Rosenthal:* Imitatio Christi [Munich 1892] p. 22—25).

[1] 1 Cor. 16, 9. 2 Cor. 2, 12.

[2] Canisium; vide supra p. 116[2].

[3] Ruardum Tapper.

[4] Theodoricum van Heeze (supra p. 121), alium ab Arnoldo Hezio (de quo cf. infra p. 302[2]), qui a sacerdotio tunc longe aberat.

liqui, inuenies opus de conscribendis epistolis Erasmi[1], *Officia Ciceronis, de amicitia, de Senectute, et Paradoxa, omnia uno libro, corio rubro subducto, compraehensa; ex ijs, Dialogus de amicitia, Dialectices et Rhetorices officio*[2], *in margine pulcherrime explicatus, ut nosti, est, quae quidem Scholia omnia diligenti cura et ordine a perito aliquo describi postulo, et huc si non quam primum, certe cum illis qui sub finem aestatis uenturi sunt, mitti. Cogito enim ea in Syciliam M. Petro Kanisio transferenda dare[, cum is] petat ta[lia in li]teris ad Ionam [datis]; fortassis non oberunt et alijs; et mihi ubi ad studia rediero, seruient. Inuenies et alium libellum Schematum Petri Mosellani*[3], *ab Hadamario Reinhardo, (nisi memoria fallat) locupletatorum*[4]*; a me similiter multis scholijs marginalibus ex diuersis, auctorum, quem in eundem finem mittere non grauaberis.*"

Nescio, num Ionas, cui Canisius scripsit, Ionas Adler fuerit, de quo plura infra dicentur.

64.

CANISIUS

HENRICO BACCELIO[5], ANDREAE SYDEREO[6], PETRO BOIO[7].

noviciis S. J. Romae degentibus.

Messana 27. Maii 1548.

Ex apographo recenti, quod descriptum est ex autographo, posito in cod. „Epistolae B. Petri Canisii. Vol. I." n. 1, p. 450. Partes duae huius epistulae („Quid

---

[1] Ab Erasmo Roterodamo circiter a. 1522 Basileae compositum.

[2] Ciceronis „Laelius" iam saeculo XV. exeunte et initio saeculi XVI. compluries typis descriptus erat, v. g. anno 1498 Venetiis cum expositione Omniboni Leoniceni.

[3] Petrus Schade, vulgo Mosellanus (1493—1524), linguarum professor in universitate lipsiensi, Lutheri fere studiosior quam romani pontificis, proprietates linguae latinae per indices exposuerat in suis „Tabulis de schematibus et tropis", quae primum anno 1516 Francofurti et postea saepe typis exscriptae sunt. Coloniae a. 1512—1514 civis academicus et bursae montanae alumnus fuerat (*K. Krafft* und *W. Krafft,* Briefe und Documente aus der Zeit der Reformation im 16. Jahrhundert [Elberfeld 1876] p. 183. 190).

[4] Reinhardus Lorichius, ex Hadamar, Nassoviae oppido, ortus, rhetorices professor in universitate marburgensi, a. 1540 Francofurti ad Moenum typis Christiani Egenolphi vulgavit opus „Tabvlae Petri Mosellani de schematibvs et tropis, iam recens compluribus figuris locupletatae, uariisque nouis Autorum optimorum exemplis illustratae". Quem *Chr. Gottl. Iöcher* et *Car. Goedeke* Iesuitam fuisse falso dicunt; protestans erat, et parochum agebat apud protestantes, cum paulo post a. 1564 vita cederet (*N. Paulus* in „Der Katholik", 74. Jahrg., I [Mainz 1894], 528. *F. W. E. Roth* in „Centralblatt für Bibliothekswesen", 11. Jahrg. [Leipzig 1894] p. 375—377).

[5] Hic paulo post Societatem reliquit; vide infra p. 290.

[6] De hoc vide supra p. 249. 252. 254.

[7] Is idem esse videtur ac Petrus Schorichius, de quo supra p. 276; hic enim litteris illis sic nomen suum subscribit: „Petrus Scorichius Crembserius" (Cremsa,

enim est" — „expeditos omnibus provexit"; „Agite vero" — „preces impertiatis") transcriptae sunt a P. *Petro Hugo* S. J. in cod. monac. „Lat. 1606" f. 78[a]; alterum earundem partium apographum est ibidem f. 129. Sed haec omnia ex Sacchino descripta esse videntur.

Eaedem partes sunt apud *Sacchinum,* De vita Canisii p. 45—47.

Aliqua etiam sunt apud *Python* l. c. p. 55; *Ign. Agricolam* S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae Superioris P. 2 (Augustae Vind. 1729), Dec. 6, n. 754. 755, p. 216; *Riess* l. c. p. 74—75 (germanice); *Boero,* Canisio p. 52 (italice); alios.

Fratres et se ipsum consolatur, quod non liceat sibi praesentibus colloqui. Congratulatur iis commorationem romanam et Sociorum romanorum consuetudinem, ac monet, ut facultate omnis virtutis addiscendae diligenter utantur. Caelestibus praemiis ob oculos positis, ad patiendum et oboediendum eos excitat. Se Rhetoricam docere ac preces et epistulas desiderare.

Chariss. desyderatissimique in CHRISTO fratres

Gratia Domini nostri IESV CHRISTI et pax in nobis sentiatur, per nos operetur, et nobiscum permaneat. Amen. Quid primum ad vos scribam, nescio; tam multa se cumulatim hic offerunt mihi, et ea quidem ipsa tum gaudii, tum doloris haud dissimilia. Sicut enim post mutuos illos amplexus mire suavis esse solet primus conspectus, amicorumque congressus, praesertim quum e longinquis regionibus longa etiam expectatio et desyderium ardens adfertur: ita moerorem quoque (nescio quem) experiuntur homines vel inuiti, quando iamdiu quaesita firmandae et augendae amicitiae praesidia non sibi deesse modo ad tempus, verum etiam eripi omnino suspicantur. Ad hunc modum sane (ut ego arbitror) communis quaedam et saltem leuis inter nos commotio subnasci potuit, siue quod Kanisium vestrum vel unice istic notum, et amicum veterem, ita subito esse sublatum vobis, abductumque procul initio acciperetis: sive quod ego tantopere mihi desyderatos fratres eosque primos pene in hoc instituto nostro Germanos coram salutare non potuerim, praesertim post longam et ut credo, laboriosam profectionem illam, quae vos ab amicis, a mundo, a patria semel auulsos, vobis ipsis tandem reddidit; nec in urbem solum gloriae imperiique principem foelices adduxit, sed patres etiam (uti videtis) optimos, et fratres omnium (ni fallor) fidissimos vobis in Christo utendos ac fruendos dedit. Quae profecto mihi tanta ac talia videntur esse, ut infoelicis Germaniae capere nos omnes possit obliuio, summusque amor succedere debeat urbis, in qua praeter inviolatam semper Christi Petrique fidem, noua nobis foelicitas obtigit, quae omnes mundi pompas, omnes carnis delitias in immensum excellit. Quid enim est, quid valet obsecro[a], veros et exercitatos in Christo

[a] Quid enim valet obsecro *Agric.*

Cremisium, Krems, oppidum austriacum, ad Danubium haud procul a Bavaria situm). Idem in matricula ingolstadiensis universitatis (infra, monum. 52) dicitur „Magister artium Coloniensis", et frater erat Georgii Schorichii (*Polancus* II, 581), qui postea Societatem ingressus et insignis contionator factus est. — Tres hi iuvenes Romam paulo ante advecti erant; cf. supra p. 253. 255.

patres spectare, illos tibi patres intelligere[a], a quorum sententia tutissime totus pendeas malique nihil omnino expectes, sed ea solum, si velis, quotidie accipias, quae nullis mundi praesidiis, et ne maximo quidem literarum studio tibi aliquando[b] pares. In hac schola diues abunde paupertas discitur, libera vere obedientia percipitur, gloriosa praecipue humilitas, et nobilissimus IESV crucifixi amor solide comparatur[c]. Ego vero, quum pulcherrimam illam philosophandi rationem, quae istic nemini deest, occasionemque animo mecum reputo, quid Romae habuerim, quid reliquerim, video: sed damnante segnem hunc animum ipsa mihi conscientia, doleo certe, parum temporis, minus vero curae et studii rebus illis praeclarissimis a me datum esse. Quod fortasse quum non sine summo dedecore dicatur, praeteriri a me nunc poterat, nisi meo exemplo vestris etiam commodis prospectum iri desyderarem. Quare non in vacuum quaeso gratiam hanc Dei amplissimam accipite[1], sed praesente bonitatis divinae munere sic utendum censete, ut sitis et ipsi vobis[d] omni ex parte superiores, et in dies singulos conformiores CHRISTO. Non quod meis exhortationibus ad pietatis vestrae cursum opus sit, quin potius stimulis vestris tarditas mea locum aditumque praebet: sed pro mea apud vos libertate solita id dixerim fratres. Benedictus interim pater ille misericordiarum[2] qui terram veluti promissionis alteram vobis exhibiturus, Pharaonem submersit cum suis Aegiptiacis curribus[3], atque in plenam ut libertatem vos assereret sibi, per calcatas mundi illecebras huc demum vinculis expeditos omnibus provexit. Accedit insuper hoc singulare commodum, si Dei Opt. Max. probatissimam voluntatem disquirimus, nos nimirum ne horulam quidem colloquiis familiaribus consumere sinimur, ut causam inveniamus optimam, verum amicitiae nostrae proventum. Is non corporum coniunctione (ut vulgus hominum praepostere facit) nobis metiendus est, sed animorum aequalitate, ac voluntatum concordia constat. Proinde quum unus idemque CHRISTO serviendi conatus nec dispar cursus nobis obtigerit, afflante nimirum sacratissimo ita spiritu, quo pacto non ubique coniuncti sumus? quae locorum intercapedo nos distrahet? quando invicem videre et colloqui prohibemur? Aut si perfectissimam convivendi rationem exquirimus, quid expectare tandem, aut desyderare possumus fratres, nisi post brevissimum huius vitae curriculum ad perbeatam illam commigrare patriam, in qua nulla mortis iniuria nos dirimat, nullus malorum impetus frangat, sed immortalis ille pater assistat, delitiis nos omnibus expleat, denique charissimorum fratrum societas beatitudinem augeat? Tum vero (Deus bone) quam voluptuarium erit

[a] veros et exercitatos in Christo Patres nancisci *Sacch.*, *apographa mon.*, *Agric.*
[b] *In autographo hic litterae aliquae desunt.* Aliquando *habent Sacch.*, *cod. monac.*, *Agric.* [c] comparantur *Sacch.*, *Agric.* [d] ut sitis vobis *Agric.*

[1] 2 Cor. 6, 1. [2] 2 Cor. 1, 3. [3] Cf. Exod. 15, 1—20.

meminisse, quid CHRISTI amore perpessi, quae terrae bona aspernati, quas hominum censuras et de nobis expectationes abominati sumus, si tamen id omne summo in nos Dei amori vel minima ex parte satis esse potest. Agite vero mi fratres (hoc enim nomine si antehac unquam nunc mihi maxime utendum puto) fidentibus quaeso animis aggrediamur ea subire omnia, quae sanctae obedientiae iugum adfert, sed leve illud non minus ac suave iugum[1], si vel paulum assuefecerimus[a]. De me quod peculiariter scribam operae pretium non est. Rationem suscepti in Siciliam itineris haud dubie cognouistis. Qui spiritualibus istic rebus operam dare amplius eram indignus, ad studia sed certe insipida reuocatus sum: nisi forte[b] sapidum esse dicimus[c] quicquid suum ab obedientia condimentum capit. Rhetoricem profiteri iussus (a qua tamen facultate alienus sum) in instituendis bonis adolescentibus operam meam colloco, facturus etiam spero duce CHRISTO aliud quiduis, quod vel obedientia praescriberet, vel mea imbecillitas ferret[2]. Mirum quantus hoc loco fructus per nostros Christo sit collectus[3], et breui quidem tempore maiora his accessura speramus. Qua in re vestras etiam nobis preces impertiatis, Kanisii vestri, vestri dico memoriam augeatis, et cui pene universa desunt, quotidiani muneris loco precationes assiduas (per Christum precor) singillatim tribuatis. Postremo quia de fratrum Coloniensium rebus ipsorum literae parum indicant (vestris enim omnium verbis explicari singula sperauerunt) vellem equidem tum de illis, tum rebus de aliis, quas ad me spectare putabitis, singuli perscriberetis, maxime vero illud, quos in hisce primordiis affectus, quasve molestias maximas fortasse sentiatis. Dominus IESVS spiritu suo imbecillitatem nostram corroboret, et germanam nobis charitatis suae vim in dies augeat. Amen.

Messanae 27 Maij 15[48.]

Vester et servus et fr. in Domino minimus
Petrus Kanisius.

Chariss. in domino fratribus M. Henrico Baccelio, M. Andreae Zutphaniensi et M. Petro Boio.

In autographo annus, quem Canisius epistulae adscripsit, vel potius duae ultimae eius litterae obscurae fuisse vel excidisse videntur. Epistulam anno 1548 datam esse et ipsae res ostendunt, quae in ea leguntur, et Sacchinus, Boero, Riess tradunt.

[a] animos assuefecerimus *Sacch.; cod. monac.*
[b] nisi quod *Sacch.; cod. monac.* [c] ducimus *Pyth.*

[1] Matth. 11, 30.
[2] „Canisius Rhetoricorum libros ad Herennium scriptos coepit interpretari, addita ex Ciceronis orationibus una." Ita *Hannibal Codrettus*, Canisii tunc collega (cf. supra p. 275[5]), in historia ms. provinciae S. J. siculae, quam in messanensi Societatis bibliotheca asservari scribit *Aguilera* l. c. p. 3—4; cf. ibidem p. 16. Praeter docendi munus, quod Canisius singulis diebus una hora ante meridiem administrabat et una post meridiem, latine et italice contionabatur (*Aguilera* l. c. p. 22—23. *Sacchinus*, Can. p. 44—45). [3] Vide *Aguileram* l. c. p. 17. 22. 29. 36—37 et epistulas sequentes.

65.

P. IOANNES DE POLANCO,

Societatis Iesu secretarius,

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 2. Iunii 1548.

Ex libello periodico „*Monumenta historica* Societatis Iesu" Ann. 1. (Matriti 1894), Vita Ignatii p. 289[1].

„Ex commissione", inquit editor, S. Ignatii Polancus Canisium „laudat simulque corripit, quod Germaniae suae tam sit memor".

Spes magna est has et multas alias litteras, a S. Ignatio vel Polanco (Ignatii nomine) datas, mox typis exscriptum iri in „Nova serie litterarum S. P. N. Ignatii", ab hispanis nostrae Societatis patribus evulganda.

66.

CANISIUS

CHRISTOPHORO BUSCODUCENSI,

candidato vel novicio Societatis Iesu.

Messana aestate anni 1548.

Ex apographo (eiusdem temporis) epistulae Polanci, de qua infra. Cod. colon.: „Litt. Epistt. var." f. 46.

P. Ioannes de Polanco nomine S. Ignatii Sociis lovaniensibus Roma 28. Augusti 1548, praeter alia, haec scribit: „De Christophoro vero quid actum sit, nescimus, nec enim responderi literis ad eum transmissis a Domino Canisio, videmus, si quid vobis erit compertum, nos admonebitis."

67.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL ET FR. ADRIANO ADRIANI.

Sociis coloniensibus.

Messana 12. Augusti 1548.

Ex autographo (2°; pp. 3; in p. 4. inscr. et pars sig.). Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. 45 et sq. non sign.

Particulae quaedam transcriptae sunt in Cod. colon.: „Hist. coll. Col." ad a. 1548 f. 15a.

De amicis quibusdam. Adrianum cupit esse Ciceronianum. Socios ad Germaniam iuvandam excitat. Tres Socios lovanienses Romam fauste advenisse. Adrianum monet, ut sacerdotium suscipiat et Coloniae libenti animo maneat neve ulla specie ab oboedientia recedat; hanc enim in Societate summam esse oportere. Eundem repre-

hendit, quod in litteris inconsiderate quaedam scripserit, leges ab Ignatio condendas deprecatus sit etc. Quantum apud Socios messanenses oboedientia floreat. Eius urbis iuventutem peccatorum confessione maxime cohiberi. Quae catecheses, contiones, exercitia pia ibidem fiant. Indicem pensorum et disciplinae scholasticae eius collegii proponit. Quanta ab eo pro ipsa etiam Graecia sperentur. Adulescentem pauperem Sociis commendat eosque de futuris rebus laborare vetat.

ihesus

Chariss. fratres et in domino semper desideratissimi.

Gratia domini nostri JESV CHRISTI et pax vera nostros conatus dirigat, et ad aeternam gloriam prouehat amen. Literas vestras, quae mihi non possunt non esse pergratae, easque in Aprili subscriptas, post Augusti Kalendas accepi. Amo vestrum Meerhoutanum, cuius et epistolam probo, sed voluntati non satisfacio nimirum tam procul ab vrbe nunc absens. Quod ad D. Henrici Zutphaniensis scripta pertinet, quibus mihi respondet amicissime, sentio facile, quibus impedimentis cursum in pietate suum perturbet: atque vtinam et ipse quam sentit vere, tam corrigat integre. CHRISTVM precemur omnes, vt profligata omni pusillanimitate libertatem spiritus inueniat, et ad hanc capessendam ab externis etiam rebus perfecte contemptis viam sibi patefaciat, nec sibi citra praesidem aliquem facile credat. Sane per occupationes ad illum mihi chariss. scribere non licet: orationes eius etiam atque etiam pro me fundi velim.

Gaudeo de mutato stilo tuo mi frater Adriane, quem ego inter Ciceronianos (quod inter nos dictum sit) videre cupio excellentem. Gaudeo itidem de singulari, ac diuinitus data tibi fidutia, quod de Germaniae tum reformatione, tum integritate reddenda, in domino magnopere confidas. Augeat hanc vobis fidutiam qui dedit, eoque libentius in adiuuanda istic iuuentute elaboratote: permultum vos commoueat velim speratae salutis ratio: cuius vt participes omnino sitis, partim in orationibus vestris et sacrifitijs, partim in priuatis exhortationibus et exemplis pubplicis [*sic*] situm est. Hic in mentem venit triplex ille funiculus[1], quem per uos dei charitas ita coniunxit, vt sine omni ruptura saluus Romam peruenerit[2], magnumque de se alijs odorem diffundere iam coeperit[3]. Credo ex fratrum illorum literis vos plura intellecturos. Dabit spero maiorem indies prouentum

---

[1] „Funiculus triplex difficile rumpitur": Eccles. 4, 12.

[2] Magistri Andreas Sydereus, Petrus Schoriehius, Henricus Baccelius; cf. supra p. 277—280. Qui etiam ab *Antonio Vinck* S. J. significari videntur in litteris a. 1548 Roma Coloniam ad Adrianum Adriani S. J. missis; in quibus haec sunt: „Juuenis quidam cui nomen antonius qui cum .D. petro Kanisio leodium proficiscebatur cum a capitulo coloniensi mitteretur, ad nos venit [ut in Societatem reciperetur] quinque aut sex diebus (ni fallor) antequam tres fratres reliqui venirent, qui benigne susceptus est et in hospitali sancti Jacobi incurabilium viuis christi membris inseruit feruentissime" (Ex *autographo. Cod. colon.: „Litt. Epistt. var." f. 53).

[3] Cf. 2 Cor. 2, 14. 15.

dominus, vt non frustra cum fratre piae mem. M. Lamberto[1] istic relicti videamini. R. P. Jacobus de Geldonia et M. Petrus de Hallis magni haud dubie pro nobis patroni apud CHRISTVM intercedunt et letissime Patri Reuerendo M. Petro Fabro, M. Ambrosio, et M. Lamberto, alijsque nostris fratribus nunquam morituri assistunt[2]. Scribis mi frater Adriane: Si in istis partibus mihi manendum foret etc. sacerdotium suscepissem, et ad Catholicum quendam magnae dignitatis virum me contulissem, intrando penitius Germaniam. etc. Primum de sacerdotio vellem plane, et velle idem Patrem nostrum Praepositum sensi, et vt quamprimum sacerdos ad nos scribas, per CHRISTVM te obsecro. De manendo sic habe: Vbicumque ex R. P. Jgnatij voluntate commoramur, illic toti esse tum corpore tum animo, ac prorsus ita quiescere conuenit, velut nunquam illinc simus emigraturi. Quare spem et dubitationem et expectationem futurorum omnem praescindamus, et qui ne crastinum quidem nobis polliceri possumus[3], de ratione mutandae vitae nil omnino curae admittamus, sed ab obedientia simplicissime toti pendeamus, ne intellectu quidem in partem aliquam deflectentes. Alterum illud de discenda lingua Germanica[4] et eloquentia, praesertim apud alienos extra Coloniam, scio quidem R. P. Jgnatio id minime placiturum, vt mirer admodum, cur ob istam falsi boni spetiem te segregare cogites a dilectiss. patre tuo d. Leonardo, ne dicam ab obedientia ipsa, quae omni sermonis gratiae (ut nosti) anteponenda est. Vbi charitatis ratio me valde mouet, vt pauca dicam familiarius. Vellem sane mi frater, vt non quae incidunt statim, nobisue sic esse videntur, ea literis libere mandarentur, et maxime ne Romam perscriberentur. Quum ante annum de statu fratrum Louaniensium scriberes, admirati sumus haud parum, presertim quod rationibus quibusdam concludere te posse sperares, nullum e Societate nostra Louanium ex urbe mittendum esse, aut certe Patrem de Geldonia Louanij parum fuisse profecturum. Adde quod fratres Louanienses ita praedicares, qui nullis constitutionibus, quas promiserat tum R. P. Ignatius, coercendi essent, eo quod constitutiones libertatem spiritus impedirent. In quibus multa scio tum Romae reprehensa sunt, et ego tacita omnino voluissem. Quare primum orationibus diu multumque commendari conuenit, dein cum fratribus communicari, si quid huiuscemodi forte scribendum occurret. Praeterea quum R. Patri nostro M. Leonardo commendatus sis, eique per omnia non secus ac R. P. Jgnatio, imo CHRISTO IESV obedientiam, reuerentiam et obseruantiam omnem debeas, nihil quaeso nisi per illum scribi et proponi cures: nisi magna scribendi ratio se praebeat, aut ille tibi scri-

---

[1] De Castro.

[2] Iacobus Lhostius et Petrus Faber (de Smet) paulo ante vita decesserant, hic in collegio patavino, ille Bononiae (*Orlandinus* l. c. l. 8, n. 23. 27. *Polancus* l. c. I, 284). [3] Cf. Prov. 27, 1. Luc. 12, 16—20. Iac. 4, 13. 14.

[4] Adriani sermo patrius lingua erat vlamica; antverpiensis enim erat.

bendum quicquam commandet[a]. Reuera nihil in hoc nostro instituto firmius, nihil vtilius maiusque reperias atque incomparabilem quandam obediendi promptitudinem, et sese per omnia subijciendi illi, qui pater nobis ex R. P. Jgnatij voluntate obtingit, etiamsi coquuus uel puer is esset. Quae omnia vt a me sincero animo scripta sunt, ita boni aequique consulas precor, et me vicissim qui nunc primum obedire disco, per omnem occasionem admoneas oro.

Porro praecipuus obedientiae fructus est ille, quem hic quotidie diuina bonitas per nostros exhibet successus. Qui maximi e fratribus videbantur, ad infimam puerorum classem ex obedientia ad tempus demittunt sese, Donatumque praelegunt[1]. Alij quum in studijs maxime feruent, ilico curis et offitijs administrandae domus onerantur; quotidie multi tum ante prandium, tum post in horto laborant sudantque. contiones ex tempore fieri mandantur, et a minimo quoque poenitentiae iniunguntur.

De loci huius et vrbis dispositione iam alias ad uos perscriptum est. Ciues et magistratus mira quadam beneuolentia nos prosequi pergunt, omnemque iuuentutem nobis gubernandam committunt. Magnus et bonus de societate sparsus hic odor est (CHRISTO gratia) cum publicum profectum ac iuuentutis emendationem spectet. Petulans enim aetas et nugarum sequax hoc fraeno maxime cohibetur, si frequenter peccatis in confessione recitandis immoretur. Atqui nullus est uel ex minimis adolescentulis, qui non quouis mense ad minimum semel conscientiae suae consulat confitendo. Accedunt et lectiones singulis hebdomadis de doctrina Christiana, lectiones item in D. Pauli epistolas publicae[2], confessiones frequentes, priuatae exhortationes. Offerunt iam nunc se quattuordecim, quibus exercitia (vt nostis) spiritualia impertiamus. Complures tum nobiles, tum plaebei nobis commorari exoptant, et ex eis breui admittendos esse nonnullos audio. Kalendis Octobris suum repetent feruorem coepta iamdudum studia, sed ob aestiuum feruorem parumper intermissa[3]. Quorum sane studiorum variae constitutae sunt iam classes. Vt prima teneat Grammaticis elementis imbuendos, ac rudiores adolescentulos. Proxima linguae latinae docebit elegantiam, et grauiores tractabit auctores. Tertia Rhetoricen proponet ex Cicerone[4] et Fabio[5], addita interim

[a] *Sic; sed legendum esse videtur:* commendet.

[1] Aelii Donati, grammatici et rhetoris romani (sub a. 350), magistri S. Hieronymi, „Ars minor" grammatica, qua octo partes orationis catechetice exponuntur, per medium aevum in usu erat frequentissimo.

[2] Hae a P. Hieronymo Natali „in aede maxima maximoque conuentu, nec sine Vega Prorege" habebantur (*Orlandinus* l. c. l. 8, n. 13).

[3] *Polancus* Roma 4. Augusti 1548 „ex commissione" S. Ignatii scripserat „de studiis quibus exerceri" oporteret „Petrum Canisium, Benedictum Palmium et Annibalem Coudreto" (Monumenta historica Societatis Iesu l. c. p. 290[1]).

[4] Cf. supra p. 277[2].

[5] *M. Fabii Quintiliani* opus „De institutione oratoria" tunc usitatissimum erat

lectione nobilis historiographi, vt Liuij uel Suetonij. Erit et Graecae linguae classis propria, quemadmodum et Hebraeae[1]. Tum in philosophia peculiaris habebitur studiosorum ratio, vt Dialectica et Phijsica percipiantur. Nec aethicae suus quidem locus et honos deerit. Theologus autem professor et D. Paulum explicabit, et Scholasticam theologiam non obscure tractabit. Cui adiungetur opinor et alter, eximium quiddam e sacris literis deprompturus. Demum certis diebus in doctrina Christiana praelectorem sibi habebit quaeque classis, et ad pietatem singulari opera prouehetur. Quotidie sacrum in templo nostro adstantibus studiosis omnibus fiet: quouis mense confessuri et explicaturi conscientiam venient, ac sine cessatione disputationibus, quum tempus praescriptum aderit, operam dabunt. In scribendo, componendo, declamando, repetendo iam antea sensimus quid quantumque fructus sit positum, ac proinde nihil istiusm[odi] postea negligetur[2]. Huius igitur vtilitatis magnam habere rationem volunt nostri, praesertim quum liquido perspiciant, non solum huius nobiliss. Reip. ornamenta augeri sic posse, ex probe institutis videlicet bonorum adolescentum animis, verum etiam totius regni Siciliensis salutem hinc non minima ex parte dependere. Quod vsque adeo iam alijs Sici[liae] ciuitatibus comprobatum est, vt e Societate hac nostra mitti ad se quosdam efflagitent. Prorex, cui plurimum debemus, vltro citro, longe lateque literas tijpis excusas misit et ad studia haec Messanae noua quosuis inuitat prouocatque. Confidimus in domino, breui fore, vt non tam studiorum quae (vt dixi) profitebimur, quam pietatis incrementa successumque maximum lete hoc loco aspiciamus. Neque tantum haeresibus hoc pacto viam occludere licebit, sed etiam (quod vehementer cupimus) ad Graeciam vsque fidei et Ecclesiae restituendam hinc patere aditum ianuamque patefieri posse videmus[3]. Quo magis habenda vobis est ratio fratres, vt tum in orationibus, tum in sacrifitijs vestris perpetuam nostri memoriam conseruetis. Nam et breui plures e nostris hic expectamus, quos ex vrbe euocari summi homines amicique nostri curauerunt. Datur etiam opera, vt auctoritate Apostolica sit Messanae Vniuersitas[4]. Collegium certe nostris commodissimum iam prop[e] perfectum est, sed adiunctae scholae necdum exaedificatae. Quod aedifitium quanti constet, nondum certo intelligitur. parum abest, quin bis mille ducatos in istam qualemcunque structuram

---

[1] Cf. supra p. 275[5].

[2] En indicem pensorum et disciplinae scholasticae, antiquiorem ceteris omnibus, qui ab aliis collegiis Societatis in vulgus emissi sunt, vel saltem priorem iis omnibus, qui hucusque typis exscripti sunt. Catalogum quendam messanensem anni proxime secuti proponit *Polancus* in Chronico I, 371—372.

[3] De pueris graecis, quos S. Ignatius alendos et instituendos suscepit, vide eius litteras in „Cartas de *San Ignacio*" II, 144—145.

[4] Paulus III. id quidem Messanensibus et Societati concessit; sed varias ob difficultates decreta exitum non habuere (*Orlandinus* l. c. l. 8, n. 14; l. 9, n. 19).

impenderint. Sed ne sim longior, ad amicos Nouiomagenses scribo, ne per illos mora sit, quominus in Martio daleri Carthusiensibus numerentur[1]. Qua de re, sicut et de occupationibus, studijs incommodisque vestris me semper quaeso certiorem facite. Nam ex urbe literas quauis hebdomada cum vestris accipere possu[mus.] Georgium fouete, charum mihi in domino et magnae spei adolescentem[2]. Mater eius haud dubie vobis oneris nonnihil adfert. sed vestra in illam charitas minime infructuosa [est.] Confido equidem vobis euentura foelicius omnia, quamdiu pauperem eiusmodi propter CHRISTVM ipsi pauperes liberaliter aletis. Quod ad me attinet, vti precari soleam, nostis. Quippe vestris mihi precibus esse opus, facile ac grauiter saepiusque experior. Orate igitur chariss. fratres pro Kanisio vestro, qui semper istic adesse quidem corpore non potest, animo tamen vobiscum vnitus perstare tum maxime cupit, quum sanctiss. Magos, Thaebeos, Machabaeos, et S. Vrsulae sodalitium inuisitis ac imploratis. faxit sanctorum author D. IESVS, vt non priuatum in nobis sequendum esse spiritum putemus, sed communia semper ea spectemus, quae magis ad praestandam simplicissime obedientiam faciunt. Non resideat vllus in nobis affectus aut loca mutandi, aut studia praepropere absoluendi: Ex Dei nutu enim obedientiae sanctae dictamine tota nobis vita pendeat, nihilque de incertis futurisue soliciti, tantum quae proposita nobis sunt ac praesentia, humiliter non minus ac vigilanter curemus et vrgeamus oro. Valete in domino fratres dulcissimi.

Messanae 12 Augusti 1548.

Vester indignus licet frater et seruus
Petrus Kanisius.

Exercitia nostra (quod forte intellexistis) auctoritate Apost. examinata et confirmata sunt[3]. Amicos demum omnes nominatim salutate.

ihesus. Reuerendo in Christo fratri, domino Leonardo Louaniensi, et M. Adriano Antuerpiensi, studiosis Coloniae prope templum Praedicatorum † Coloniae.

[1] Vide supra p. 251[4]. 257. [2] Georgium Eder? Cf. supra p. 126. 163.

[3] Paulus III. litteris apostolicis Romae 31. Iulii 1548 datis, petente Francisco de Borgia, Gandiae duce, exercitia spiritualia, ab Ignatio „composita" et a Ioanne Alvarez de Toledo O. Pr., cardinali S. Clementis et episcopo burgensi, et Philippo Archinto, episcopo Saluciarum et urbis romanae vicario generali, atque Aegidio Foscarari O. Pr., magistro sacri palatii, examinata, approbavit omnesque hortatus est, „ut tam piis documentis et exercitiis uti, et illis instrui devote velint". Quae litterae haud raro typis exscriptae sunt, maxime in editionibus exercitiorum.

68.

GERARDUS HAMMONTANUS,

prior Carthusiae coloniensis,

CANISIO.

Colonia aestate vel autumno 1548.

Ex *Actis Sanctorum* Iulii VII (Antverpiae 1731), 483—484; in nova editione (Parisiis et Romae 1868) p. 495.

Optat, ut Canisius in Germaniam inferiorem revertatur.

P. Ioannes Pinius (Pien) S. J. l. c. ex apographo, quod in tabulario Societatis romano ex autographo ipso descriptum erat, typis exscripsit partem maiorem epistulae a Gerardo priore ad aliquem de Societate Romae degentem datae [1], *in qua Gerardus Ignatium eiusque fratres salutat et de eorum „sancta conversatione" et de fructibus ab iis collectis vehementer gaudet ac „in spiritu coniungit se illis". Deinde sic scribere pergit: „Saluto singulariter nostrum M. Petrum Canisium, cui literae adjunctae destinentur, si reverendo D. Praeposito, primum illis lectis, visum fuerit, cui etiam humiliter supplico, ut Germaniae misereri, et succurrere dignetur, mittendo Canisium aut aliquos ex suis saltem ad Coloniam et Lovanium, quia Spiritus sanctus adhuc operatur in multorum cordibus, maxime in inferiori Germania"....*

Litterae, quas ad Canisium datas esse prior Romam scribit, eaedem esse videntur atque illae, de quibus Canisius Messana 12. Novembris 1548 Leonardo Kessel scribit: „Placuerunt mihi literae. . . Prioris Carthusiani." Quae Canisio allatae esse videntur simul cum epistula Kesselii, ad quam Canisius 12. Novembris 1548 respondet; itaque aestate vel autumno eius anni datas esse dixeris.

69.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

CANISIO.

Roma 13. Octobris 1548.

Ex „*Monumentis historicis* Societatis Iesu" Ann. 1, Vita Ign. p. 290 adnot. 1.

„De Sanctorum reliquiis [2] *et earum distributione."*

Vide supra p. 281.

---

[1] Datae esse videntur ad aliquem ex illis Societatis Iesu noviciis, qui paulo ante Colonia Romam venerant: Petrum Schorichium, Andream Sydereum, Henricum Baccelium.

[2] Potissimum duo illa capita sociarum S. Ursulae significari videntur; cf. supra p. 271.

70.

CANISIUS
P. LEONARDO KESSEL,

Sociorum coloniensium praeposito.

Messana 12. Novembris 1548.

Ex autographo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr.). Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. 49 et sq. non sign.

Pars minor epistulae („Scribis . . . plures iuuenes — duce Christo, se comparabunt") edita est a P. *G. M. Pachtler*, Ratio Studiorum S. J. 1, 136—137.

Particulam germanice versam posuit *Gothein* l. c. p. 319.

Reliquias ursulanas Romam allatas esse. Kesselio de iuvenibus aliisque gratulatur, quos ad pietatem doctrinamque instituat; eundem de Sociorum morte consolatur. Kesselii alumnos saepe domi contionari debere idque germanice; aliquem iis correctorem constituendum esse. Hortatur etiam, ut in omnibus disciplinis disputationes fiant. De quodam Societatis desertore ac de Theodorico Canisio ad eundem adducendo. Quantum Messanae collegium floreat ac sacramenta frequententur. Virtutum et maxime oboedientiae studium commendat.

IESVS.

Chariss. frater et domine Leonarde.

Gratia domini nostri IESV nos in omni pace et studio sanctae obedientiae conseruet. a[men.] Diu desyderatas literas vna cum sanctis illis capitibus[1] Romam transmisisti, multorumque tum oculos tum animos admirabili pignore delectasti. Faxit dominus IESVS, vt sacra huiusmodi ossa tam istic pie colantur, quam a nostris alijsque magno quidem cum fructu quotidie visuntur. De aduentu Louaniensium fratrum est cur Deo gratias ingentes dicamus[2]. Ego certe M. Adrianum non expectaram, quem venisse tamen, illi tibique gratulandum est. Nunc solus istic relictus videri non potes, qui tot in Christo filijs auctus es pater, ac paternae curae tuae successum et opes CHRISTO duce conspicis, vt etiam expectationem nostram diuina per te gratia superarit. Age mi pater et frater, dum tempus est, operemur bonum, praesertim in eiusmodi ut scribis, domesticos[3] t[uos,] quorum in studijs profectum, et ad pietatem affectum augeri indies opto. Bonus nimirum dominus, qui sperantium in se vota desyderiaque perficit, et spirituali lucro etiam tum suos recreat augetque, quum desperationem humana iuditia promittunt. Nosti Patrem vere, perpetuoque nobis reuerendum Fabrum, nouimus chariss. fratres Lambertum illum Leodiensem et Petrum tuum Coloniensem[4],

---

[1] Sociarum S. Ursulae: cf. supra p. 271.

[2] Romam venerant P. Daniel Paeybroeck, P. Nicolaus Goudanus, P. Nicolaus Lanoius, Adrianus Adriani ac fortasse etiam Petrus Gillonius et Christophorus (Buscoducensis?) (*Polancus*, Chronicon I, 295—296. 405. 416. * Cod. bruxell. „Hist. Coll. Lov." p. 13).

[3] Gal. 6, 10.

[4] Fr. Petrus Kannegiesser S. J., patritius coloniensis (cf. supra p. 125. 167), a. 1548 Coloniae decessit; eius corpus ibidem in ecclesia S. Agathae, quae monialium

quorum opera videbatur quidem istic, si viuerent, nostris Christoque profutura fuisse. Nunc foeliciter commut[ato] vitae statu, nunc vbi perfecte sibi Deoque viuere et regnare coeperunt, nunc in[quam] etsi nihil nos adiuuare putentur, plus agunt tamen, plus nostra quam viui, pro[mo]uent ac promouere pergent. Quare quod sepultos istic e fratribus iam duos numerare possim, gaudeo vehementer, et Christo gratias ago, Sanctisque potissimum ijs qui Coloniae praesunt et prosunt. Scribis exolui nummos meo nomine, plures etiam iuuenes breui ad te venturos, contiones itidem Dominicis a te diebus haberi; quae omnia cum e diuina bonitate mihi promanare singulariter videantur, etiamsi fruc[tus] alios in confessionibus non adiecisses, erat satis tamen, quo laudandum et admirabilem usque Patrem Deum intelligerem, intellectum magis amarem. Video facile messem istic vberem, nec dubito futuros etiam messis operarios: tantum vt cepisti mi frater, insta oportune importune[1], vt multorum salutem facias lucrum animae tuae, et cumulum laetitiae nostrae. Quod ad tuos qui domi instituuntur attinet, laudo quidem studiorum ad me scriptas exercitationes. Verum hoc etiam adijci velim, vt ex tempore aut saltem sine graui studiorum impedimento saepe domi contionarentur, idque verbis germanicis, veluti cum vulgo res illis esset in suggestu. Nam ad hunc finem, recte scilicet contionandi, praecipuus illorum et nostrorum studiorum fructus est referendus. Vnum interim constitues, qui praecipue gestus obseruet, qui vocem attendat, et cum opus erit corrigat, quique praecipua concionatorum ornamenta quantum licebit, inculcet singulis atque commendet[2]. Sic Romae, sic in Portugalia, sic quotidie hic factitant nostri, et id absque studiorum iactura, quia parum temporis ad praemeditandum datur. Nosti uero, quanta concionatorum penuria Germani praecipue laborent. Res collegij nostri foelicissime habent, breui Academica [*sic*] publica nominabitur: sic tractantur studia Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Philosophica, Mathematica, Graeca, Haebraica, Theologica, vt putem sane, quod alij facile confirmant, nullibi maiorem in instituendis adolescentibus diligentiam esse, si de publicis academijs dicendum sit. Vellem hoc quoque vestris in vsum verti, quemadmodum hic nostris, ut certo die cuiusuis hebdomadae disputaretur, non de logica solum, sed de Rhetorica et

---

benedictinarum erat, tumulo maiorum eius illatum est. * Cod „Hist. gymn. tr. cor.“ f. 21[a] et alio non sign. [1] 2 Tim. 4, 2.

[2] Haec paene omnia *S. Ignatius* postea in „Constitutionibus“ Sociis praescripsit. Ita de noviciis: „Es bien“, inquit, „que se ejerciten todos (si alguno no eximiese el Superior) en predicar dentro de casa, para que . . . se animen y tomen algun uso cerca la voz, modo, y lo demás.“ De scholasticis autem: „Se ejercitarán en el predicar y leer en modo conveniente para la edificacion del pueblo, que es diverso del escolástico, procurando tomar bien la lengua.“ Expedit etiam „tener buen corrector que avise de las faltas en lo que toca á las cosas que se predican, á la voz, tonos, gestos y meneos“ (Constitutiones Societatis Iesu P. 3, c. 1, n. 21; P. 4, c. 8, n. 3 et C. Constitutiones latinae et hispanicae p. 95. 137. 139).

caeteris quae audiuntur lectionibus. Estque maxime probandus feruor ille disputantium. Adhaec in docendo, repetendo, ediscendo ea quae lecta forte sunt, operam frugifere suam collocabunt. Sic domesticis adiuti exercitationibus, reliqua non difficulter sane consequentur, et ad functiones publicas egregie duce CHRISTO se comparabunt[1].

Abijt, vt nosti, Baccelius[2], non tam nobis, quam sibi ipse consulens perperam. Profectum audio in Austriam, sed vtinam ad se redire, ac nostrorum accepta benefitia intelligere, spretamque domini gratiam expendere posset. Exemplo est nobis frater, vt quid prae alijs diuina bonitate conseruemus, gratis semper animis agnoscamus, idque ipsum cura et studio augeamus, priusquam male collocati talenti et temporis condemnemur.

Scripsi ad germanum fratrem Theodoricum, qui Louanij studijs cum laude incumbit. Js Canonicatus sui velut pertaesus[3], animum inquit suum ad coetum et societatem religiosorum iamdiu multumque propendere. Iuuabis eum igitur tuis aliorumque precibus, ego literis ad institutum hoc nostrum euocaui. Placuerunt mihi literae Archiepiscopi Londensis, Bardwick Licentiati, et Prioris Carthusiani. Singulis respondere non sinunt modo lectiones meae quotidianae: gratias autem omnibus agi volo, vti Patribus et viris de me semper optime meritis, quos absentes videri posse non puto, si debitum illis precandi munus apud Christum exoluero, quoties iure illi suo repetere hoc a me possunt. Cures interim, vt vicissim pro me dominum precentur, et quos nosti, reliquos idem rogo enixe, praesertim apud D. Jgnatium[4], in Nazareth[5], apud S. Maximinum[6] et in Carthusia. Quod ad salutem attinet corporis, mirum quanta Dei benignitate et aeris salubritate hic vtamur. Extructum est nunc tandem collegium[a]. Augetur admodum numerus confitentium, in quibus vberem sane prouentum Dei bonitas euidenter commonstrat. Breui accidit vt in templo nostro, quod magnis exornatur sumptibus, LXX communicarentur[b][7].

[a] *Sequitur brevis sententia, quae postea deleta est, idque a Canisio ipso, ut videtur, et ita, ut iam legi non possit.*

[b] *Sequitur haec sententia, quae postea (a Canisio ipso, ut videtur) deleta est:* Ego partim confessionibus audiendis, partim contionibus Italice habendis festos dies transigo.

[1] Confer epistulas, quas ex collegio messanensi mensibus Novembri et Decembri anni 1548 P. *Hieronymus Natalis* ad S. Ignatium dedit, in „Litteris quadrimestribus“ I, 119. 125—128. [2] Cf. supra p. 248. 277—278.

[3] In **catalogo* collegii S. J. ingolstadiensis, circiter annum 1565 (quo Theodoricus illic rectoris munus administrabat) Romam ad praepositum generalem misso, asseritur Theodoricum, antequam Societatem ingrederetur, Xanti (Xanten, in Borussia rhenana) canonicum ecclesiae S. Victoris fuisse. Cod.: „Germ. Sup. Cat. 1566. 1599“ f. 373.

[4] Monasterium S. Ignatii, cuius nunc vix ulla exstant vestigia, virginum erat tertii ordinis S. Francisci. [5] Vide supra p. 45. 209[4]. [6] Vide supra p. 126.

[7] *Natalis* S. Ignatio m. Decembri 1548: „Maestro Canisio predica los domingos“

Sanctos Coloniae Episcopos, Martijres, Virgines et vos omnes obnixe precor, quo meam Christo caussam solicite commendetis, ac pro me apud Sanctos etiam ipsos intercedatis. Quidam suis me literis Coloniam reuocant: vos imbecillem hunc animum precibus ad seipsum et in Deum ipsum reuocate. Frustra enim agitur, temere instituitur, quod coelesti fauore, rectaque ratione ac animi moderatione caret. Quod si CHRISto semel nos dedidimus, nostraque omnia resignauimus, in illius voluntate sanctissima conquiescamus, non de patria repetenda soliciti, non in studijs continuandis tepidi, nullaque aut locorum aut temporum varietate commoti. Dux et autor CHRISTVS, prora puppisque salutis humanae: fidus auriga, et quam sequendo falli non possumus, amussis recta est obedientia: custos inuictus humilitas, coeli ianitor patientia perseuerans, et perseuerantia patiens. His veluti satellitibus omnium fortissimis stipati vitae huius curriculum tuto percurremus, et vbicunque tandem desyderanda mors exules reperiet, ab illo tamen abstrahi diuellique non poterimus, qui solus ex mortuis viuos, ex miseris beatos, aeternique regni sui participes facit. Ex ipso omnia, in ipso et per ipsum omnia[1], qui sui semper dilectione nos renouet atque defendat amen. Messanae 12 Nouembris anno 1548. Amicos meo nomine salutatos velim, te cum primis iubet saluere P. Cornelius[2], ac reliqui etiam hoc loco fratres.

Frater tuus P. Kanisius.

Chariss. fratri M. Leonardo Louaniensi, Coloniae apud templum Praedicatorum. Coloniae.

Liceat hic ex Chronico P. Ioannis de Polanco nuper primum edito locum transcribere, quo ea de Canisio referuntur, quae usque adhuc omnes Canisii biographos latuerunt, quaeque epistulam Canisii modo propositam magis explicant et quasi amplificant: „Cum [initio anni 1549] apud dominicanos [messanenses], in provinciali ipsorum capitulo, pro more, octo diebus publice positiones in ipsorum et cathedrali templo defenderentur, invitati nostri ad disputandum fuerunt. P. Hieronymus Natalis cum Patribus Canisio et Frusio eo se contulit; aderat etiam magister Isidorus [Bellini]; et tam prospere successit disputatio (primo autem loco vel inter primos disputarunt) ut Providentia divina id factum videatur, quae et vires et gratiam in disputando sic dedit, ut Collegii [messanensis] existimatio, quod ad litteras attinet, mirum in modum apud populum immo et apud insulam promoveretur. Erant enim illi religiosi totius ordinis in ea provincia celeberrimi; et nihilominus cum applausu, tam doctorum quam indoctorum nostri se gessisse visi sunt, et nunquam melius eo functos officio fuisse, quam tunc, ipse P. Natalis profitetur. Sed illud inter caetera animi causa dicatur, quod P. Canisius de potestate Ecclesiae

---

(Litterae quadrimestres I, 125—126). *Polancus* ad annum 1548: „Pater Canisius italice diebus etiam dominicis concionabatur“ (Chronicon I, 285). Nonnumquam autem sermones sacros etiam in ecclesia „S. Maria di Montalto“ (vel „S. Maria dell'Alto“) habebat, quae monialium cisterciensium erat. Hae a Societate petierant, ut ea, quae ad religiosam perfectionem pertinerent, edocerentur (Cartas de *San Ignacio* II, 215—217. *Polancus* l. c. I, 369. *Plac. Sampieri* S. J., Iconologia della gloriosa vergine Madre di Dio Maria, Protettrice di Messina [Messina 1644] p. 397 ad 399). [1] Rom. 11, 36. [2] Vishavaeus.

tam eleganti sermone est argumentatus, ut bonus monachus, qui respondebat, parum intelligere ingenue fassus est[a]: unde et ulterius progredi desiit cum auditorii applausu." [1]

71.

S. IGNATIUS

CANISIO.

Roma circiter 19. Martii 1549.

Ex opere posthumo P. *Placidi Sampieri* S. J., messanensis (initio saeculo XVII. in Societatem recepti), „Messana S. P. Q. R. Regumque decreto nobilis exemplaris et regni Siciliae caput" II (Messanae 1742), 533—534.

Eadem fere italico sermone narrantur in eiusdem auctoris „Iconologia" etc. (vide supra p. 290 [7]) p. 203—210.

Canisio mandat, ut reliquias ursulanas et diplomata pontificia magistratibus tradat.

„Anno 1549 XIII. Kal. Aprilis" [2], *inquit Sampieri, „S. P. Ignatius Messanam misit P. Antonium Vinch* [3] *cum duplici diplomate impetratae a Paulo III. Academiae, et Collegii Messanensis ex auctoritate Pontificia erectionis* [4], *nec non cum insigni dono duorum capitum ex sociabus virginibus, et martyribus S. Ursulae in aurata arca repositorum* [5]. *Per epistolam* [6] *vero P. Petro Canisio* [7] *publico artis Rhetoricae Professori dedit in mandatis, ut suo nomine Magistratum conveniret, diplomata, ac dona proferret, quae tanti a Magistratu et propter se ipsa, et propter donatorem habita sunt, ut e templo Divi Joannis Baptistae, ubi deposita fuerant publica omnium ordinum, et populi supplicatione decreta, solemni cum pompa in aedem S. Nicolai Collegii Societatis Iesu translata sint. Porro diploma alterum novi Collegii Societatis Iesu fundationem laudabat, alterum Academiae publicae instituendae potestatem Senatui P. Q. M. his conditionibus conferebat, ut Collegii Societatis Rector, idem, et novae erigendae Academiae esset Cancellarius, item ut a Patribus Societatis Jesu, quorum doctrinae puritas Pontifici satis fuerat explorata, regeretur, et ex ipsis scientiarum,*

---

[a] *Sic;* sit?

---

[1] Monumenta historica Societatis I, 370. Polancus haec partim desumpsit ex litteris, quas *Natalis* mense Aprili anni 1549 ad S. Ignatium dedit; ex quibus multa olim excerpta et nunc typis exscripta sunt in „Litteris quadrimestribus" I, 152—154. [2] 20. Martii.

[3] Scribendum erat Vinck vel Vynck. De quo cf. supra p. 230—233. 252. 255 [3].

[4] Cf. supra p. 285. [5] Vide supra p. 271.

[6] S. Ignatius 19. Martii 1549 „Magistro Antonio Winck, sacerdoti Societatis Iesu, et Petro Riera, scholastico eiusdem societatis" litteras dedit, quibus testabatur eos „ad comitanda sancta capita" illa et ad alia obeunda Messanam destinari (Cartas de *San Ignacio* II, 175—176. 416).

[7] Iconologia p. 203: „Con una lettera a P. Pietro Canisio" etc.

bonarumque artium Professores, et Magistri eligerentur ut constat ex diplomatibus quae cum plausu a Senatu probata, acceptaque tum fuerunt." [1]

Epistulae huius non fit mentio in opere „Cartas de San Ignacio".

72.

CANISIUS
CARTHUSIANIS COLONIENSIBUS.

Messana 5. Iunii 1549.

Ex libro „Vita et Martyrium S. Ursulae et Sociarum" (p. 712—713), Coloniae Agrippinae anno 1647 edito a P. *Hermanno Crombach* S. J. Qui ibidem scribit eam epistulam a P. Petro Liphausen, Carthusiano coloniensi, sibi traditam esse.

Ex libro Crombachii P. *Victor De Buck* S. J. partem epistulae („Addam nonnihil de sacris" — „non imminuant") transtulit in Acta Sanctorum Octobris IX (Parisiis et Romae 1869), 252.

In regno congensi a Sociis multos Afros adultos baptizari puerosque erudiri. Ioannem III. Portugalliae regem fidei propagandae studiosissimum esse. Aliquem e Sociis in Abessiniam destinatum esse. Quanta pompa Messanenses sacra capita ursulana in templum Societatis transtulerint. Deum ipsum in sanctis honorari. Coloniensibus gratulatur, quod sacris reliquiis abundent, eosque hortatur, ut easdem rite colant.

— — Tantus est Nostrorum vbique profectus, vt in hoc pusillo grege[2] excelsam Dei gratiam nemo non agnoscere, ac iure summo praedicare possit.

Non diu est, vti nostis, quod India, nouus, vti aiunt, orbis Dominum CHRISTVM profiteri coepit, vbi etiamnum Nostri strenue laborant, atque Deo fauente crescunt. Nunc in Regno Nubiae, quod Africa complectitur, et ab AEthiopibus incolitur, noua messis accessit. Multa illic Ethnicorum millia fide Christi Baptismoque donata sunt. Postquam e nostris quatuor eo destinauit Rex ille sincerus Lusitanorum[3], qui pro incredibili sua pietate non contentus intra suas Prouincias enutrire nostros, e quibus iam haud vulgaris Doctorum hominum messis emersit[4], in exteras etiam regiones mittit Christi operarios, vt ex feris, barbarisque Gentibus magna accessio Ecclesiae fiat. Atque tam sapienter id facit, vt omnem fidei propagationem in iuuentute bene instituta sitam maxime arbitretur[5]. Vnus est in dicta

---

[a] illi *Cromb.*

---

[1] Diplomata haec typis exscripta sunt in Iconologia p. 204—210.

[2] Luc. 12, 32.

[3] Ioannes III. in regnum congense („Nubiam" Canisius dicit) misit Patres Georgium Vaz, Christophorum Ribeyro, Iacobum Diaz, et Iacobum Soveral Societatis scholasticum (cf. *Polanci* Chronicon I, 331—338).

[4] Maxime in collegio conimbricensi.

[5] Ioannes III. praeclarum illud seminarium „Sanctae Fidei" sive „Sancti Pauli",

iam Africa locus, in quo Regia liberalitas pueros alit sexcentos, datis etiam probatissimis e Societate nostra Magistris[1]. Quid magis quaeso Regium? quid tam augustum et efficax ad semina fidei nostrae per ea loca spargenda?[a] Hic fructus, haec summa, hic scopus, vt ego censeo studiorum, hoc Societatis nostrae proprium institutum, quod vtinam recte norint vniuersi.

Tum in ea India, cuius Regem vocamus Presbyterum Ioannem, expetitus est a Romano Pontifice Patriarcha, qui Ecclesiae nostrae iura, ceremonias, fidemque suos doceret Indos. Abijt igitur et illuc vnus e Nostris fide publica destinatus, nec dubium vllum arbitramur, quin adiuuante Domino sit augendum Ecclesiae regnum in istis regionibus vastissimis, ditissimis, florentissimis[2]. Ita precandus est summus ille Pastor Pastorum, vt fiat vnum ouile[3] sub vnius Pastoris tugurio, gentesque efferatae suauissimo Christi iugo sua colla submittant; Precandus est inquam, pro hac etiam Societate nostra, quam idem, qui voluntate sua instituit, virtute indies augeat, et ad Ecclesiae suae fructum magis, magisque confirmet, Amen.

Addam nonnihil de Sacris Reliquijs vndecim millium Virginum et Martyrum Coloniensium[4]: ex his capita duo mihi iam pridem Coloniae data, et autoritate Apostolica[5] Romam vti postulaueram sunt deportata, huc denique transmissa[6]. Igitur vt in nostrum templum de-

---

[a] spargendae *Cromb.*

Goae pro pueris indis institutum, S. Francisco Xaverio eiusque sociis procurandum tradiderat.

[1] Canisius ante oculos habuisse videtur epistulas ex San-Salvador sive Banza-Congo, Congi capite, 1. Augusti 1548 a missionariis Societatis ad fratres suos europaeos atque imprimis ad conimbricenses datas; in quibus v. g. referunt: Ribeyrum a die 18. Martii ad 30. Iulii 1700 adultos instruxisse et baptizasse; Georgium Vaz in urbe locisque propinquis 3000 fere baptizasse Afros; a Soveralio scholam dirigi, in qua 600 ferme pueri ad christianam fidem et ad artes legendi ac scribendi instruantur; victum et magistris et discipulis a rege congensi praeberi (vide *Vict. Baesten* S. J., Les Jésuites au Congo, in „Précis historiques". Sér. 3, t. II [Bruxelles 1893], 60—74).

[2] David III., Abessiniae rex (1508—1540), compluribus epistulis ad summum pontificem et ad Lusitaniae regem missis, Ioannem Iacobum Bermudez obtinuerat patriarcham. Abessinis autem postea in monophysitismum relapsis anno 1547 S. Ignatius, petente eodem Lusitaniae rege, P. Paschasium Broet destinavit patriarcham. Verum re dilata, anno demum 1555 Aethiopiae patriarcha consecratus est Ioannes Nuñez Barretus S. J. ac cum 12 fere Sociis Olissipone dimissus.

[3] Io. 10, 16. [4] Vide supra p. 173[4].

[5] Bonifacius IX. pontifex maximus, senatus coloniensis rogatu, sub poena excommunicationis sanxit, ne sacrae reliquiae Colonia exportarentur (Bonifacii litteras posuerunt *Crombach* in „Ursula" p. 698; *Vict. de Buck* S. J. in Actis Sanctorum Octobris IX [Parisiis et Romae 1869], 251; *L. Ennen* in „Quellen zur Geschichte der Stadt Köln" VI [Köln 1879], 114—115. Cum De Buck anno 1381, Ennen 1392 datas esse scripsissent, postea cognitum est Roma 3. Novembris 1393 datas esse. „*Mittheilungen* aus dem Stadtarchiv von Köln", 9. Heft [Köln 1886] 83, n. 5083).

[6] Vide supra p. 271. 292.

ferrentur solennis, honestissimaque habita est pompa, totius Ciuitatis Ordines conuenerunt, praecedebat cum Canonicis Episcopus[1], comitabantur nobilissimi Ciues; suum tenebant locum, amplissimi Magistratus. Quatuor, vt dicimus, Ordinum, et Fratrum aliorum Sodalitates aderant, concinebant Musici, clangebant tubae, Scholasticorum cerei collucebant[2]. Adhaec sacris Capitibus parata erat sua capsa, pulchris distincta imaginibus, certis ornata versibus, vndique auro refulgens[3]. Sunt haec fateor non per se satis, neque ad pietatem prorsus necessaria, sed quae tam religiose gesta vidimus, vt vel Impios Germanos ad pietatem aliquam excitare potuerint. Quasi vero Sanctus ille Sanctorum[4] idcirco contemnatur, quod in Sanctis suis praedicetur Martyribus, quod in Diuorum Reliquijs agnoscatur, aut in sacris imaginibus intelligatur. Ego felicem sane semper Coloniam putaui, cum coelestibus illis Thesauris, et sacratissimis pignoribus affluat: feliciorem vero dixerim, bona si sua norit[5], vt debito cultu scilicet, ac maiore indies reuerentia ditissimum penum Reliquiarum prosequatur, Deumque sic laudet, sic veneretur in Sanctis suis, vt etiam exteri hoc exemplo pietatem suam augeant, magisque confirment, aut certe quidem non imminuant. Verum vt scribendi finem faciam, hoc vnum meae ad vos literae semper loquentur, hoc subinde repetent Venerandi Patres, vt mei memoriam inter precandum deponatis nunquam, Christum IESVM ex animo precor, caritate sua nos impleat, et in interiore homine vsquequaque reformet, ne sanctissimae eius voluntati quidquam repugnemus; salutant vos in Domino, qui mecum sunt Fratres, et vestras expetunt preces. Messanae, 5. Junij, Anno 1550. [*sic*]

Seruus in Christo et filius vester
Petrus Canisius Nouiomagus.

Epistulae huic Crombach annum 1550, De Buck 1551 adscripsit. Sed certum est anno 1549 datam esse. Nam Canisius aestate anni 1549 Messana discessit et ab ipso initio anni 1550 Ingolstadii fuit neque unquam Messanam rediit. Itaque aut erratum est, aut Messanenses tunc (interdum saltem) „calculo pisano" utebantur, quo annus 1550 25. Martii 1549 incipiebatur.

Haec ultima est, quae inveniri potuit, messanensis epistula Canisii. Mense Iunio anni 1891 praefecti et bibliothecae academicae messanensis et archivi provincialis eiusdem urbis editori scripserunt se nihil repperisse, quod Canisium spectaret.

---

[1] Archiepiscopus erat Ioannes Cibo. Sed ex Chronico *Polanci* intellegitur hic eius vicarium significari, qui episcopus „in partibus" fuerit (l. c. I, 367).

[2] *Natalis* S. Ignatio mense Aprili 1549 scribit se eodem die post meridiem sermonem ad populum habuisse „de la veneracion de los sanctos, dándoles á entender que no buscaba esta Compañía haber limosnas dellos por medio de las reliquias, mas que los gloriosos sanctos fuesen reverenciados y acatados, y los herejes confundidos" (Litterae quadrimestres I, 152—153).

[3] „Ornanda curaverat ea capita et arcam, in qua erant includenda, cum magno decore et non sine sumptu P. Ignatius": *Polancus* l. c. I, 367.

[4] Dan. 9, 24.

[5] „O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas!" (*Vergilius,* Georgicon l. 2, v. 458—459.)

73.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

CANISIO.

Roma 14. Septembris 1549.

Ex „*Monumentis historicis* Societatis Iesu", Vita Ignatii etc. tom. I, p. 413 adnot. 1.

„*De eius scriptis.*"

Vide supra p. 281.

74.

S. IGNATIUS

CANISIO.

Roma 21. Septembris 1549.

Ex „*Monumentis historicis*" l. c.

„*Instructio Canisio data de modo se in Germania gerendi, Bononiam ipsi missa, 21 Septembris" [1549]* [1].

Vide supra p. 281.

75.

CANISIUS

P. IOANNI DE POLANCO,

Societatis Iesu secretario.

Ingolstadio mense Novembri vel Decembri 1549.

Ex „*Monumentis historicis*", Vita Ignatii etc. tom. II, p. 73, adnot. 1.

„*Polancus, ex commissione [S. Ignatii], sociis Messanae degentibus, quid de Germania scribat Canisius et quam enixe iterum iterumque exposcat ab omnibus sociis ut pro illa regione preces fundant.*" [2]

Ipsa Canisii epistula periisse videtur.

---

[1] Guilielmus IV. Bavariae dux pro ducatu suo in fide periclitante a Paulo III. aliquos de Societate petiit, qui in universitate ingolstadiensi professores essent. Delecti sunt igitur ab Ignatio Patres Alphonsus Salmeron et Petrus Canisius iisque ad tempus adesse iussus est P. Claudius Iaius. Canisius autem, antequam in Bavariam proficisceretur, Romae 4. Septembris 1549 professionem religiosam sollemnem fecit et 4. Octobris Bononiae una cum Iaio et Salmerone doctor theologiae creatus est (cf. supra p. 48. 53—62 et infra, monum. 30—37).

[2] Canisius eiusque socii 13. Novembris 1549 Ingolstadium advenerunt. Eodem mense Salmeron et Canisius scholas habere coeperunt, hic de quarto libro „Sententiarum" Petri Lombardi, ille de Epistula paulina ad Romanos data. Iaius initio a. 1550 Psalmos explicandos suscepit. Cum autem paulo post Leonardus de Eck, Guilielmi consiliarius potentissimus et universitatis patronus, Ingolstadium advectus esset, Socii de collegio Societatis ibidem condendo cum eo egerunt; quod ni fieret.

76.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 18. Ianuarii 1550.

Ex „*Monumentis historicis*“ l. c. tom. II, p. 71, adnot. 1.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio, de lectione librorum haereticorum et quomodo Ducis ope et Universitatis auctoritate malo tanto obviam iri possit, 18. Januarii“ [1550] [1].

77.

CANISIUS

P. IOANNI DE POLANCO.

secretario Societatis Iesu [2].

Ingolstadio 25. Ianuarii 1550.

Ex apographo recenti, quod descriptum est ex ipsa epistula autographa, posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I.“ n. 2, p. 111.

Bene sperandum esse de collegio Societatis Ingolstadii condendo. Sociorum primos conatus feliciter successisse. Se iuvenum aliquot conscientias regere. Po-

---

adventum suum Bavariae et universitati haud valde profuturum, praesertim cum theologica facultas tam infrequens esset et theologia adeo neglegeretur. Cf.: *Ioh. Nep. Mederer,* Annales Ingolstadiensis Academiae P. 1 (Ingolstadii 1782), p. 213—214; *Polanci* Chronicon I, 413—416; *Ign. Agricolam*, Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae Superioris P. 1 (Augustae Vind. 1727), Dec. 1, n. 160—171, p. 19—20; *Orlandinum* l. c. l. 9, n. 52—54; *Boero*, Canisio p. 63—69; *Riess* l. c. p. 81—87; *Genelli*, Ignatius p. 342—344 (in editione nova et emendata, quam P. *Victor Kolb* S. J. curavit Viennae 1894, p. 321—324); *Ch.-H. Verdière* S. J., Histoire de l'Université d'Ingolstadt I (Paris 1887), 175—215. — Confer etiam quae infra ponentur de epistula, quam Canisius precum pro Germania fundendarum causa anno 1553 ad Ignatium dedit.

[1] „Ut alliceret homines [litterarum studiosos] ad rerum spiritualium profectum, aliquid privatim P. Canisius suo in cubiculo eis praelegebat. . . . Attulerunt hi libros suos a Luthero, Bucero et Melanchtone conscriptos; sed . . . non pauci, peractis festis [nativitatis domini], eos repetebant“: *Polancus* l. c. II, 70—71.

[2] Ioannes de Polanco, Burgis (Burgos) in Hispania natus, Parisiis philosophia excultus, Romae anno 1541, cum „scriptor apostolicus“ esset, Societatem Iesu ingressus et ibidem anno 1577 mortuus est. Sancti Ignatii per novem annos in Societate regenda praecipuus minister, adiutor, secretarius fuit. Etiam apud praepositos generales Iacobum Lainium et S. Franciscum Borgiam publicus Societatis secretarius fuit ac simul per longum tempus munus procuratoris generalis et sub Lainio officium „assistentis Hispaniae“ administravit. S. Francisco Borgia ex vita egresso Polancus totius Societatis vicarius generalis fuit. Complures etiam evulgavit libros atque imprimis „Directorium“ pro confessariis et confitentibus, plus quam tricies editum, et „Methodum ad eos adiuvandos, qui moriuntur“.

lancum rogat, ut doctorem Olave in viam perfectionis christianae adducere conetur. Quanti ipse aestimet Polancum; a quo instrui cupit. Facultates, diplomata, epistulas petit.

Reuerende Pater Polance

Gratia Domini nostri IESV CHRISTI, et pax vera nobiscum semper. Iam inde ab Octobri mense (quis credat?) frustra literas Romanas expectamus, nihil de Reuerendi P. Ignatii, nihil de tua et Patrum fratrumque salute omnium intelligimus. Decies opinor, aut etiam saepius nostrae istuc literae pervenerunt, nisi forte fallunt nos tabellarii. Quamquam hisce diversis usi sumus, ut aliqua saltem via succederet, quod perferri ad vos tuto cupiebamus. Equidem semel atque iterum de spe optima futuri Collegii Ingolstadiensis, quod nostris institueretur, scripsi. Quominus urgeatur sanctum negotium, nihil in caussa esse video, nisi tardam noui Pontificis electionem [1]. Ea semel confecta (foeliciter autem confectam desideramus) non cessabunt opinor ii, quorum erit apud Pontificem instare, et P. Ignatium exorare pro huius collegii institutione et constitutione. Primi singulorum conatus ceciderunt hoc loco foeliciter, nunc eadem Dei benignitate adiuvamur, ut quod cum aliorum laude coeptum est, neque nobis poenitendum modo videatur [2]. Itaque lectiones recte habent, fauent multi, et quod sane miror, nullis rebus adversis exercemur. Privatim ego studiosos aliquot instituo, et eo quidem lubentius, quod suas mihi conscientias permittere non graventur, bonae spei adolescentes. Quod si CHRISTVS adspiret, si pietatis uestrae uota suffragentur, erit aliquando, et breui quidem, quum sterilis corruptaque terra fructum edet, si non frequentem in prima ista cultura, non aspernandum tamen; mihi certe, ut res sunt in Germania, proventus qualiscumque magni etiam momenti esse videatur. Quum vero a Theologo Olave plurimum diligare, non abs re facturus mihi videberis, si literis ad illum datis de pietate nonnihil disseras. Sancte sibi displicet bonus Doctor, et nescio quam mihi spem praebet fore, ut consiliis et (quod maxime velim) colloquiis tuis ad optima permoueatur [3]. Sed neque Canisium neglige,

[1] Paulus III. mortuus est 10. Novembris 1549, Iulius III. electus 8. Februarii 1550.

[2] In *Polanci* Chronico (II, 71) haec narrantur, Canisii biographis usque adhuc ignota: „Cum pro more ipsa vigilia Natalis Domini [a. 1549] latina oratio habenda esset, cum is, cui hoc oneris impositum erat, non inveniretur, P. Canisio est impositum qui, ex tempore quidem, sed per Dei gratiam tam luculentam habuit in summo templo [Beatae Mariae Virginis] orationem, praesente Universitate, ut ei magnopere fuerit satisfactum."

[3] Martinus Olave, e Vitoria Hispaniae urbe oriundus, ex Caroli V. commissione concilio tridentino theologus interfuit; anno 1549 a cardinali Ottone Dilingam in collegium S. Hieronymi professor accersitus est; Societati Iesu a. 1552 nomen dedit et postea in collegio romano Summam theologicam S. Thomae explicavit et rectoris munus administravit; vita cessit 17. Augusti 1556. Cf. etiam *Monumenta historica* Societatis Iesu l. c. I, 413 [1].

pater, sustenta imbecillem tuarum precum virtute, consiliis instrue, admonitionibus impelle rudem ac segnem. Ego tuae in me charitatis oblivisci nequeo: manebis usque sic fixus et insculptus in pectore meo, ut quamvis nil scribas ad immerentem, quamvis Polancum ego meum spectare nunquam possim amplius, tamen absentem etiam non possum[a] non colere et adamare. Vellem autem (quod tuo commodo fiat) ut praeilegiis [*sic*] hic admodum necessariis, in haeresis presertim negotio[1], adiuuaremur. Mihi ut omnia desunt, quae perfectum huius instituti nostri decent professorem, sic etiam non suppetunt ulla diplomata[2]. Tuae sapientiae atque humanitatis fuerit, de his aliisque nuper scriptis me commonefacere, obiurgare, damnare; nam quo saeuies liberius, eo me tibi chariorem esse cognoscam. Vale pater in Christo, et cum fratribus aliis, patribusque, tum vero maxime Praeposito nostro habe me commendatum. Ingolstadii 25. Ianuarii 1550.

Societatis, P. Laijnez, Messanen., Panormitanorum fratrum, tuique etiam, ut certiores nos aliquando facias, rogamus.

Seruus et filius in Christo tuus
Petrus Canisius.

Reuerendo Patri Joanni Polanco de Societate IESV. Romae.

Polancus nomine S. Ignatii Canisio rescripsit 18. Februarii 1550.

78.

P. IOANNES DE POLANCO

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 1. Februarii 1550.

Ex „*Monumentis historicis*“ l. c. tom. II, p. 70, adnot. 1.

„*Polancus, ex commissione, Petro Canisio, cur Rectoris in Universitate officium assumere non expediat, 1 Februarii*“ *[1550]*[3].

Canisius rescripsit 24. Martii 1550.

[a] *Sic; scribendum erat potius:* possim.

[1] Facultates quasdam dicit, v. g. homines a crimine haeresis absolvendi, libros haereticorum legendi. De quibus multa infra dicentur.

[2] Quae fidem faciant de iuribus et privilegiis Societati concessis etc.

[3] Novus rector die 24. Aprilis eligendus erat. Ac Canisius dignitatem illam tunc quidem effugit, sed 18. Octobris 1550 suscipere debuit. De qua re infra.

79.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

PP. ALPHONSO SALMERONI, CLAUDIO IAIO, PETRO CANISIO S. J.

Roma 14. Februarii 1550.

Ex „*Monumentis historicis*“ l. c. p. 66, adnot. 2.

„*Polancus, ex commissione, Patribus Salmeroni, Jayo et Canisio, de electo Pontifice Julio III, qui eos fecit Doctores*[1]*; de Cardinalibus qui apud Pontificem plurimum valeant; de Collegio Ingolstadiensi; de quadrimestribus litteris latine scribendis.*“

Canisius rescripsit 24. Martii 1550.

80.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 18. Februarii 1550.

Ex „*Monumentis historicis*“ l. c. p. 72, adnot. 3.

„*Polancus, ex commissione, Petro Canisio, ut ab Apostolico Nuncio facultatem haereticos resipiscentes absolvendi postulet*[2]*, 18 Februarii*“ *[1550].*

Canisius 24. Martii 1550 ad has litteras respondit.

81.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL,

Sociorum coloniensium praeposito.

Ingolstadio 9. Martii 1550.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 2. inscr. et pars sig.). Cod. Colon.: „Epistt. ad Kessel. I“ f. 58.

Particulas duas edidit *Reiffenberg* l. c. p. 31, unam (germanice) *Gothein* l. c. p. 692, integram paene epistulam *Pachtler*, Ratio studiorum S. J. I, 138—139.

Kesselium ad novicios et scholasticos Sociis ingolstadiensibus submittendos incitat. Ducem apud pontificem pro collegio Ingolstadii instituendo serio instare. Ignatio praeposito per omnia parendum esse. Kesselium exhortatur, ut, quos in Christo filios habeat, magno studio ad Christi imitationem inducat. Preces efflagitat.

---

[1] Cf. supra p. 61 et infra, monum. 30.

[2] Canisium postulasse et obtinuisse infra apparebit.

IESVS

Chariss. Domine ac frater Leonarde,

Gratia domini nostri IESV CHRISTI te, fratresque omnes istic adiuuet. Bis iam, aut ter Coloniam literas dedi, quas ad te perlatas arbitror, ego tuas accepi nunquam, ex quo cum hisce duobus Patribus in Bauariam veni. Sum valde cupidus de tuis, ac fratrum rebus intelligendi. Nunc daemum opus esse video, vt haec IESV societas apud uos etiam augeatur[a]. Nos nidum inuenimus, tuis ac pluribus auibus recipiendis aptum, parata est quodammodo cauea, tantum inuolent vndecunque pulli, quos fouere CHRISTO et uolucres efficere commodas Germaniae aliquando possimus. Quod vt clarius accipias, misit in vrbem literas dux noster Bauariensis[1], magnaque contentione cum apud Cardinales, tum apud nouum Pontificem[2] curat, vt societati nostrae constet hoc loco suum, et bene instructum collegium[3]. Quare quid Christiano huic principi debeatur a nobis, cogita. qui primus apud Germaniam rem praeclaram illam, sed difficilem et valde raram aggreditur, qui primis hisce mensibus tantum fauoris ac humanitatis nobis impertit[4], atque adeo de tota hac IESV societate bene mereri studet, ratus fortasse (id quod res est) fore, vt nostrorum praesenti opera non solum hanc academiam et Bauariam suam, sed etiam vicinas haereticorum partes possit adiuuare duce CHRISTO. Quid vero mirum, si constitutis collegij fundamentis huc tui accersantur? certe paratos esse omnes conuenit, et maiori cum fructu quam istic sua (ut opinor) studia promouebunt, si nobiscum, vt vellem, habitaturi sunt. Dispiciet ea quidem de re Pater et Praepositus noster digniss. cuius dum paremus sententiae, vitam vbilibet et tutissimam et foelicissimam agimus. De nobis idem pene, quod antea scripsi, nunc repetendum videtur, siue lectiones, siue auditores et fauorem huius in nos academiae spectes. Admonet me temporis huius ratio, vt in confessionibus occupatum te putem. Perge vero mi frater, et arundines quassatos [*sic*][5] fulcire, et aquas ex istis petris deducere[6]. Confirma quaeso fratres tuos[7] ac filios, pasce quamuis exiguum gregem[8], oues effice prorsus simplices, educ eas in[b] uitae pascua ubi sentiant

[a] *Quae sequuntur, usque ad* pulli, *a Reiffenberg minus accurate proponuntur.*
[b] educas in *Reiff.*

[1] Guilielmum IV. certe Canisius significavit, neque tunc sciebat eum 6. Martii e vita excessisse. Vide epistulam Iaii et Canisii 10. Iunii 1550 ad Stockhammerum datam. [2] Iulium III.

[3] Pars epistulae, quam Guilielmus IV. hac de re Monachio 27. Februarii 1550 ad Marcellum cardinalem Crescentium dedit, ponetur infra, monum. 43.

[4] Provisum etiam esse refert *Polancus*, ut Socii Ingolstadii „sine germanicis conviviis, more religioso atque italico vivere possent" (Chronicon I, 414).

[5] Matth. 12, 20. [6] Num. 20, 8. Ps. 77, 16. [7] Luc. 22, 32.

[8] Cf. Ez. 34, 3. 1 Petr. 5, 2.

optimam uocem summi Pastoris, hanc intelligant, hanc obseruent, huic sese, conatusque suos, et voluntates omnes usque submittant et dedant. Cum uero Domini sui uocem intellexerint[1], occludant protinus ambas aures insidianti mundo, amicis blandientibus, et aemulis obtrectantibus. Respiciant scopum, despiciant sese, tum mente libera et tranquilla studijs dent operam, et ad quotidianum fructum colligendum augendumque contendant. Rogo frequenter ad me scribas, quem tui esse, futurum ac fuisse studiosiss. non iniuria credas. Orationum tuarum opto praesidia, vt semper antehac. Orent pro me fratres etiam, filijque tui et amici demum omnes, quos meo nomine salutabis. Ingolstadij 9 Martij 1550. Vale in domino Jesu frater chariss.

Petrus tuus Canisius.

Chariss. in Christo domino ac fratri, D. Leonardo Louaniensi. Coloniae.

82.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL

ac scholasticis et noviciis Societatis Iesu coloniensibus[2].

Ingolstadio 19. Martii 1550.

Ex autographo (2°; 2 pp.; in p. 4. inscr. et pars sig.). Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I" f. 59/61 et sq. non sign.

Maiorem partem edidit *Reiffenberg* l. c. Mant. p. 14—15; omisit „Accepi literas a te" — „valeant in Christo precor". Ex Reiffenbergii opere gallice vertit *Verdière* l. c. I, 477—480.

Sociis de virtutum studio gratulatur. Oboedientia quam sit in Societate necessaria quamque perfecta in eadem esse debeat. Societatis obtrectatores neglegendos esse. Sociis epistulas mittit, e quibus intellegant, quam sublimia Deus per Societatem ubique efficiat. De ingolstadiensibus rebus bene sperandum esse. De Taulero. Quantum Canisius debeat Carthusianis coloniensibus.

IESVS

Charissimi fratres in Christo Domino

Gratia Spiritus sancti, pax omnem sensum exuberans[3] [*sic*] et obedientiae fructus perpetuae vobiscum.

---

[1] Cf. Io. 10, 1—14.

[2] „*Historia Gymnasii novi trium coronarum" in a. 1549 haec habet, ex veteri „Historia collegii Coloniensis" hausta: „Kesselius . . . . duodecim Adolescentes perpolit studijs, omnes, vno dempto qui Carthusiam elegit, Societatem amplexi. Godefridi Barner Zutphaniensis, et Arnoldi Hezij feruentes literae ad P. Ignatium cum voto Societatis ineundae." Item ex „Catalogo Prouincialium": „Jnter adolescentes a P. Kesselio informatos P. Theodorus Peltanus, P. Martinus Herphordianus *[corrige: Stevordianus]*, Nicolaus Comitius, postea Prior Carthusiae Tuckelhusanae." Et ad annum 1550 (fonte non indicato): „Kesselius praeest Socijs 14 lectissimis" (l. c. f. 22).

[3] Vulgata nostra: „pax Dei, quae exsuperat omnem sensum" (Phil. 4, 7).

Allatae sunt hoc ipso vespere, quas ad me scripsistis, literae vestrae, non solum diligentiae profectusque testes in literis, verum etiam charitatis et humanitatis in fratrem vestrae comprobatrices. Quid vero mihi, nobisque hic omnibus vel auditu iucundius, vel cogitatu dignius esse possit, quam quod aperte docetis magnum in mundo spernendo contemptum, ardentem in sustinendo CHRISTi iugo consensum, forte in praestandis obedientiae offitijs propositum, singularem daenique tum in prosequendis studijs, tum in prouehendis desiderijs, quae CHRISTVS inspirat suis, contentionem? Quare licet mea cohortatione, quantum intelligo, non sit apud vos opus, rogo tamen, atque per Dominum IEsum obtestor omnes, vt obedientiae uobis munus et pulcherrimum et sanctiss. retineatis, ad hoc caetera, quae aut in studijs, aut in affectibus sita sunt, omnino referatis. Nam et doctrina, et parentes, et contiones, et preces, omnesque sacrae exercitationes eatenus locum apud vos[a] habere suum, vigoremque debent, quatenus cum obedientia consentiunt: a qua profecto quicquid vel palam nos abstrahit, vel secreto reuocat, id uero Dei templum prophanat, id Spiritum dei contristat[1], id amorem Dei profligat, et a profectu pietatis omnis abducit. Positum sit ergo, quod firmissimi apud vos fundamenti esse loco velim, vt quotidie Diuinam hanc vocationem intentis oculis adspiciatis, quid item in ea vobis praestandum[b], quid adijciendum, vt IESV socij vere sitis, et haberi merito valeatis. Qua in re quo diligentius versabimini, eo sublimius esse, quod obedientia requirit, intelligetis, magisque uos ipsi despicietis, quod neque voluntatis motus omnes, neque intellectus apprehensiones exueritis, vt nudi prorsus ac nitidi tum in Dei vestri conspectu, tum in superiorum praesentia vos tales exhibeatis[c], qui nihil in vobis esse vestrum aut proprium re ipsa declaretis, non verbis tantum ac gestibus promittatis. Huc iam vocati, huc destinati estis fratres, haec obedientiae simplex est regula, se nimirum alteri per omnia pro Christi amore dedere ac resignare. Quod dum facitis (facere autem ex diuino et humano iure debetis) tum ex IESV societate tyrones, milites, fratres, discipulos existimate uos, tum laeta vobis esse omnia constituite, quantumuis pauci quod institutum coepistis, comprobent, atque adeo vt maxime vos cuncti negligant, rideant[d], despiciant, execrentur. Ita enim firmiores etiam animos res aduersae parant, et piorum cursum omnium promouent acceptae iniuriae, perturbant repulsae. Sed charitatis ratio huc me prouexit, vt cum alios admoneo, meipsum doceam, et ad communem hunc obedientiae fructum quem quaerimus, magis magisque contendamus, vocante Christo, flagitantibus promissis, omni ratione

[a] apud hoc *Reiff.* [b] praestantur *Reiff.*
[c] *Sic cum Reiff. correxi; autogr.:* exerceatis. [d] videant *Reiff.*

[1] Eph. 4, 30.

cogente. Mitto autem ad uos, ut mihi quidem videtur, pulcherrimos obedientiae fructus, quos Dux militiae nostrae D. IESVS collegit e suis, et paucis quidem ab hinc mensibus, vt verissimum sit illud: Manus Domini nondum est abbreuiata[1]. Videbitis nostrorum fortissima illic certamina, Spiritum ardentem, labores indefatigabiles, fidem Apostolicam, erga proximos vero incredibilem pene charitatem. Sed ex obedientiae fundamento haec omnia. Mirabor sane, si citra fructum haec tam mira, perfecta, sancta legeritis. Ego me valde affectum ea lectione sensi, ac plane mutatum, praesertim cum ad spectatissima tot fratrum exempla meas quoque sordes conferrem[2]. Orandus est nobis clementiss. pater, vt perpetuum hoc nobis et huic societati velit esse, quod a primis nostrorum initijs procedit foelicissime vt bonus Christi odor propemodum in omni iam loco simus[3], non in Italia tantum, et Sicilia, sed etiam in Hispanijs, in Lusitania, Arabia[4], India, et vbi nomen Dei sanctum hactenus ignorabatur. De Germania dicere nunc non attinet, habet et illa semen e nostris aliquod, habebit etiam, ut speramus, indies magis ac magis, quemadmodum hoc ipso in loco multa nobis pollicentur, defuncto licet Duce Guilhelmo[5]. Nam collegium hic nostris designatum est, quod fortasse, cum fauente CHRISTO extructum videbitur, vestris etiam commodis tribuetur. Sed precibus adiuuate labores nostros, qui vt exigui sint in sacra profitendo, tamen inutiles esse non possunt, si coeptis, vt hactenus, annuat spes nostra CHRISTVS. Accepi literas a te binas mi Leonarde frater, alteras per M. Endouianum[6] huc Telinga[7] missas,

---

[1] Is. 59, 1.

[2] Canisius litteras imprimis „indicas" misisse videtur (cf. supra p. 172). *S. Ignatius* in Constitutionibus Societatis: „Ayudará," inquit, „tambien muy especialmente la comunicacion de letras misivas entre los inferiores y Superiores, con el saber á menudo unos de otros, y entender las nuevas y informaciones, que de unas, y otras partes vienen; de lo cual tendrán cargo los Superiores, en especial el General y los Provinciales, dando órden cómo en cada parte se pueda saber de las otras lo que es para consolacion y edificacion mutua en el Señor Nuestro" (P. 8, c. 1, n. 9. Constitutiones latinae et hispanicae p. 235. 237). Eadem iisdem paene verbis S. Ignatius iam proposuerat in primis illis Constitutionibus, quas anno 1550 absolvit (l. c. p. 390). [3] 2 Cor. 2, 14. 15.

[4] P. Gaspar Barzaeus (Berse) anno 1549 in insula Armuzia (Hormouz, Ormuz) Persiae et Arabiae confini consederat. Epistulae eodem anno de laboribus eius armuzianis scriptae exstant in libro „Selectae Indiarum epistolae nunc primum editae" (Florentiae 1887) p. 77—79. 88. Cf. etiam *Polanci* Chronicon II, 150—157; *Nic. Trigault* S. J., Vita Gasparis Barzaei (Coloniae 1611) l. 1, c. 15. 16; l. 2, c. 1—25; *W. v. N.* S. J., Gaspar Berse of de Nederlandsche Franciscus Xaverius (Rotterdam 1870) p. 100—277. [5] Cf. supra p. 301.

[6] Endhoven (Eyndhoven) urbs est Brabantiae septentrionalis, nunc regni neerlandici. *Raderus* refert „M. Petrum Endanianum" a cardinali Ottone Truchsessio praefectum esse contubernio iuvenum ad ecclesiasticum ordinem adspirantium, quod a. 1549 Dilingae institutum est (Can. p. 115).

[7] Dilinga (Dilingen, Dillingen) oppidum suebicum ad Danubium situm sedes erat episcoporum augustanorum.

verum sine scriptis illis, quae adiunxeras, venient tamen vt audio, propediem: Alteras cum Taulero Latine verso,[a] [1] — — — —

Scripsi ante mensem ad amicos Nouiomagenses, literas Louanium destinaui, tum ad te scriptum adieci, sicut et ante hos dies Francfordiae traditae sunt Melchiori Nouesiano [2] literae, quas ad te istuc meo perferret nomine. Ex his multa nunc mihi non repetenda cognosces. Quod admones de M. Henrico [3], nihil compertum habemus aliud, quam ex nostris et illius in vrbe scriptis ante autumnum missis intellexisti, Dubitant adhuc de vita hominis, et ego mortuum esse suspicor. Gratissima fuit quam adscripsisti, salutatio Patrum meorum Carthusiae: ijs me commendatum vicissim opto maxime, nec vllam de ipsis bene merendi occasionem relinquam, si quid tamen ego tantis Patribus prodesse possum vnquam. Certe adiuuandus magis illorum precibus est Canisius, quem tot annis tam benigne ac propense complexi sunt, vt consanguineis omnibus a me chariores haberi promereantur. Vir desideriorum Daniel [4] et qui diligit nostram gentem [5], non Synagogam, amiciss. D. Andreas [6], recte valeant in Christo precor. Bene valete fratres dilectiss. et pro nobis orate ut facitis, diligenter, vti maxime quidem opus esse uidemus. Ingolstadij 19 Martij 1550.

Petrus Canisius vester in Christo seruus.

Charissimo fratri D. Leonardo Kessel, et ipsius in Christo fratribus de IESV societate. Coloniae.

83.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

PP. CLAUDIO IAIO, ALPHONSO SALMERONI, PETRO CANISIO, S. J.

Roma 23. Martii 1550.

Ex *„Monumentis historicis"* l. c. p. 76, adnot. 1 et p. 80, adnot. 3.

„Polancus, ex commissione, Patribus Jaio, Salmeroni et Canisio, quas gratias seu facultates ipsis Summus Pontifex concesserit, 23. Martii" [1550].

„Polancus [etc. ut supra], ut concionentur latine, ubi sint, qui latinam linguam capiant, auditores, 23 Martii" [1550].

[a] *Hic quattuor fere versus manu alterius saeculo (ut videtur) XVIII. ita deleti sunt, ut legi iam omnino non possint.*

[1] De hac editione vide supra p. 89[1].

[2] Bibliopola hic coloniensis Francofurtum ad Moenum venisse videtur propter librorum nundinas, quae tempore ieiunii quadragesimalis ibi fiebant.

[3] Henricum Baccelium dicere videtur; cf. supra p. 290.

[4] Dan. 9, 23; 10, 11. 19. Canisius significare videtur Danielem in Carthusia degentem; de quo supra p. 126. 157 etc. [5] Luc. 7, 5. [6] Herll.

84.

CANISIUS
P. IOANNI DE POLANCO,
secretario Societatis Iesu.

Ingolstadio 24. Martii 1550.

Ex apographo, scripto a P. *Ios. Boero* S. J. et a. 1891—1892 collato cum epistula Canisii autographa, posita in cod.: „Epistt. B. Petri Canisii I." n. 3, p. 112.

Summam quandam huius epistulae (haud ita tamen accurate) proponit *Boero*, Canisio p. 69—71, et post eum *Prat*, Le Iay p. 319—321, et *Verdière* l. c. 1, 212 ad 213. Eadem epistula usus est *Polancus* in Chronico II, 70—81.

Gaudet de Societate tam fausta nuntiari. Ingolstadii theologiae candidatos esse paucos et fere ineptos. Parochum de iurium suorum violatione questum esse. Academicos cives complures a fide errare nec corrigi posse. Ieiunium et missae sacrificium misere neglegi. Haereticorum libros etiam a piis retineri; monitionem hac de re cuidam factam secus cecidisse. Quibus rationibus defendant legem a pontifice contra libros haereticorum latam in ea regione non vigere. Bullam „Coenae" non esse promulgatam; haereses non compesci. Spem collegii condendi, mortuis licet patronis, superesse. In Societate nil sine contradictionibus succedere. De laboribus suis apostolicis et de Sociis coloniensibus virtutum studiosissimis. Concilia, catechismum, pietatis exercitia petit.

IESVS

Reuerendo padre mio et osseruandissimo nel Signor

La gratia e pace del Segnor nostro IESV CHRISTO s' augmenti sempre nei cuori nostri al seruizio della sua somma Maiesta. Circa li 14. di questo Marzo hauemo receputo 3 diverse litere scritte da V. Reuerentia in Febbraro; e vi erano agiunte, primo le grazie concesse dal S. N. Papa Paolo di fel. mem.[1] che sia in gloria con il Reuerendo P. M. Pietro Codatio[2], e anchora noue alcune scritte della Compagnia in Bologna. Benedetto sia il Signor eterno, che tanto

---

Iesus. Pater mi reverende et in domino observandissime. Gratia et pax domini nostri Iesu Christi in animis nostris semper augeantur, quo melius summae eius maiestati serviamus. Circiter pridie Idus Martias huius anni tres epistulas diversas accepimus a reverentia vestra mense Februario ad nos datas; quibus adiunctae erant tum gratiae a domino nostro Paulo papa felicis memoriae concessae[1] (qui sit in gloria aeterna, una cum reverendo Patre Magistro Petro Codacio[2]), tum etiam nova quaedam, quae de Sociis Bononiae degentibus referebantur. Do-

---

[1] Paulus III. litteris apostolicis Roma 18. Octobris 1549 datis, quae incipiunt „Licet debitum", Societati Iesu plurima concesserat privilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, facultates, quae eiusdem gubernationem et sacra ministeria spectabant.

[2] Petrus Codacius (Codacio), laudensis, sacerdos e pontificis familia nobilis et magnis ecclesiae opibus et facultatibus praeditus, primus ex Italis Societati se adiunxit in eaque rei familiaris procurationem strenue et prospere per decennium gessit; subito exstinctus est mense Decembri a. 1549 (*Orlandinus* l. c. l. 2, n. 66; l. 9, n. 7—9. *Bartoli*, L' Italia l. 3, c. 1, p. 11—12).

ci consola per il frutto ammirabile delli carissimi fratelli nostri in Spagna e Sicilia. Per il che meritamente aspettiamo e desideriamo vedere anche l'altre noue d'altri luogi, siccome promette V. Reuerentia. E secondo la comissione d'essa già sono mandate quelle medesime nuove alli fratelli nostri di Colonia.

Hora per esplicare a largo il nostro stare e la dispositione di questa terra, perchè secondo la mia liberalità[a] non soglio dissimular, anchor ch' io potesse, a V. Reuerentia principalmente. Primo quanto si è alle nostre lettioni, bisogna guardarci di non citare molto i dottori scholastici, nè usar le allegorie[1], se uolemo intertener questi auditori, alli quali quantunque facciamo le carezze di non essere o troppo sottili, o in alcuna parte negligenti, pure cominciano a diminuirsi. Voglia Iddio che fra tutti siano 4 ouero 5, delli quali potessimo sperar frutto delle nostre lettioni. Certo se fussino gl' altri nelle mani del Reuerendo P. Nostro M. Ignazio, credo che senza ogni iniuria potriano essere rimandati alla Grammatica e Dialettica. Qui si reputa per una regola generale, che nello studio Ingolstadiense gli scholari, ancor che siano pochi, non si fatichino molto per le

---

mino aeterno habenda est gratia, quod tantopere nos consolatur fructibus miris, quos fratres nostri carissimi in Hispania et in Sicilia colligunt. Propterea merito etiam exspectamus et desideramus videre ea, quae aliis ex locis perscripta sunt, quae nos accepturos esse R. V. promittit; et iam, prout mandasti, nova illa ad fratres nostros colonienses missa sunt.

Fuse nunc exponam, quomodo habeamus, et quomodo terra haec disposita sit; pro mea enim libertate res, etiamsi possum, dissimulare non soleo, praesertim cum R. V. scribo. Ac primum quidem in lectionibus nostris a doctoribus scholasticis saepe producendis et ab allegoriis proferendis [1] diligenter oportet abstinere, si auditorium hoc tenere volumus; in cuius gratiam licet nec nimis subtiles, nec ulla ex parte neglegentes esse studeamus, minui tamen iam incipit. Utinam inter illos quattuor vel quinque sint, quibus lectiones nostras profuturas sperare possimus! Ceteros certe, si in potestate reverendi patris nostri M. Ignatii essent, sine ulla iniuria remitti posse puto ad grammaticam et dialecticam. Hic sic fere fieri censent: academiae ingolstadiensis auditores, etiamsi pauci sint, litterarum ac praesertim Scripturae sacrae, studiis operam navare haud magnam. Item, cum discipulorum

---

[a] *Sic apographum nostrum, cum autographo collatum; sed voluit fortasse scribere Canisius:* libertà.

---

[1] Expositionem sacrae Scripturae „allegoricam" dicit, quatenus haec a „litterali" differt. Inter „reformatores" hunc „sensum allegoricum" imprimis aversabatur Calvinus. Qui v. g. Contra Libertinos (cap. 9) scripsit: „Combien que ceste secte soit bien diverse de celle des Papistes, comme elle est cent fois pire et plus pernicieuse: neantmoins tous les deux ont ce principe commun ensemble, de transfigurer l'Escriture en allegorie, et d'affecter une sagesse meilleure et plus parfaicte, que celle que nous y avons. Et tous deux d'un accord prennent pour couleur ceste sentence de sainct Paul, que la lettre occist (2 Cor 3, 6). . . . Il n'y a non plus de fermeté aux allegories qu'aux bouteilles d'eaue que font les petis enfans avec un festu" (*Ioannis Calvini* opera edd. G. Baum, Ed. Cunitz, Ed. Reuss, VII [Brunsvigae 1868], 174. 175).

lettere e massime per la scrittura sacra. Item hauendomi pigliato un poco di cura di alcuni scolari, i quali si confessarono e communicarono con meco in casa, il parrochiano presto si resentette, lamentandosi con altri, che li Teologi s' intricavano nella cura dell' anime sue, reputando questo per detrimento e pregiuditio delli suoi cooperatori. Dapoi gli abbiamo fatto saper e delli privilegi nostri [1], e della commissione speciale a noi fatta dal suo vescovo e Reuerendissimo nostro Eistettense [2]. Pur non ci è parso bene o mostrare li nostri privilegi, o usarli molto in questo principio.

E per dire più chiaramente, essendo qui un concorso di scolari Tedeschi e principalmente di giure, li quali sono di diverse parti di Alemagna, no può essere manco, che non abbiano varie opinioni ed errori nella Sancta fede. Con questo li principali della Università o non possono, ovvero non vogliono contrariargli, vedendo che fin' a quì tutta l' Università non sta tanto nelle loro mani, como nel gouerno del Duca e del dottore Eck speciale governatore del predetto studio [3]. Il Signor nostro clementissimo conceda la sua Sancta pace alle lor due anime. Oltre di questo, communemente il zelo de la religione non bisogna cercar hora nelli Tedeschi [4], conciosiache il culto divino

aliquot animos paulum coepissem excolere iisque sacramenta paenitentiae et eucharistiae domi nostrae praebuissem, parochus statim id aegre tulit et coram aliis conquestus est, quod theologiae professores in curam animarum suarum se ingererent, idque in detrimentum et praeiudicium cooperatorum suorum cedere existimabat. Quem postea certiorem reddidimus tum de privilegiis nostris [1], tum de speciali commissione a reverendissimo Eystettensi [2] nobis facta, qui ipsius et noster episcopus est. Neque tamen nobis visum est expedire nos privilegia nostra ei ostendere vel in his initiis frequenter iisdem uti.

Atque ut apertius loquar, cum scholares germani et imprimis iuris studiosi ex variis Germaniae partibus huc confluant, fieri non potest, quin in rebus sanctae fidei varias habeant opiniones et errores. Accedit, quod universitatis proceres iis repugnare aut nequeunt aut nolunt; videbant enim totam academiam non tam in sua esse potestate quam in dicione ducis et doctoris Eck, qui studio illi peculiariter praefectus erat [3]. Dominus noster clementissimus sanctam pacem suam amborum illorum animabus concedat! Praeterea, ut in universum dicam, hoc tempore religionis studium apud Germanos non est quaerendum [4]; catholicorum enim cultus

[1] Paulus III. iam 3. Iunii 1545 Sociis facultatem dederat fidelium quorumcunque confessiones excipiendi iisque eucharistiam ministrandi, „Dioecesanorum locorum, Rectorum parochialium et aliarum ecclesiarum aut quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita". Atque 18. Octobris 1549 (vide supra p. 306 [1]) idem pontifex declaraverat fideles omnes „Rectoris sui licentia minime requisita" Sociis peccata confiteri ab iisque (paschatis festo et mortis articulo exceptis) eucharistiam accipere posse. [2] Mauritio de Hutten.

[3] Leonardus ab Eck, Guilielmi IV. consiliarius intimus, per triginta fere annos academiae ingolstadiensis patronus et curator fuerat. Qui ducem suum, 6. Martii mortuum, secutus est die 17. eiusdem mensis (*I. N. Mederer,* Annales Ingolstadiensis Academiae I, 216).

[4] Quam malo loco religio catholica tunc in Bavaria et regionibus finitimis fuerit, ostendit *Janssen* l. c. IV, 106—122.

delli cattolici già è ridotto quasi a una fredda predica nelle feste. Resta solamente il nome quì della quaresima; il gieiunar non si tocca. Oh quanto è raro visitare l'echiese, star alle messe, o mostrar' alcun gusto dell' antica religione. E questo dico delli cattolici, gli quali con il nome così restano. Onde essendo ogni dì quasi almeno una messa publica in la nostra cappella[1], la quale è propinqua a tutti gli scolari e in mezo quasi della città, anchorachè si suona con due campane alla messa, pur tanta è la pouertà delle persone che vengono, che quasi con denari no potreremo comprare doi auditori. benchè ci danno assai la stima della dottrina et della vita buona.

Item hauendo ci qui un amico più speciale di tutti, Reggente d' un collegio e persona delle principali dell' Università[2], il quale tanto con gli suoi libri, quanto con gli fauori et adgiuti si è portato con noi sempre benissimo, pur lui tenendo (come è solito qui) non pochi libri Lutherani, finalmente gl' hauemo discoperto il gran pericolo di ritenere tali libri contra la Bolla de Caena Domini[3], e siamo entrato

---

divinus iam ad hoc fere redactus est, ut festis diebus frigida quaedam habeatur contio. Ieiunii quadragesimalis solum hic superest nomen; nihil enim ieiunant. O quam raro fit, ut templa adeant, missis intersint, aliquo modo patefaciant se veteri religione delectari. Atque haec de catholicis dico sive de hominibus illis, qui nomen retinent catholicum. Itaque cum singulis paene diebus una saltem missa publica in sacello[1] nostro fiat, quod omnium scholarium aedibus vicinum et quasi in centro urbis situm est, licet duarum campanarum sonitu ad missam vocentur, tam pauci tamen veniunt, ut neque pecuniis oblatis, ut ita dicam, homines vel duos ad missam audiendam inducere possimus; quamquam doctrinae et vitae bonae nomine sat magnam nobis tribuunt laudem.

Item vir quidam hic degit prae ceteris nobis amicus, qui collegium quoddam regit et ex primariis huius academiae est[2]; is tum libros suos nobis commodavit, tum favore et auxilio semper optime nos prosecutus est. Attamen retinenti illi, pro huius regionis more, libros lutheranos haud paucos, tandem aperuimus, quanto cum periculo eiusmodi libri retineantur, qui Bulla „De Coena Domini" interdicantur[3];

---

[1] „Concessum" Sociis „ad sacras functiones Divae Martyris Catharinae sacellum fuit, ad Academiae portam, Facultatis (ut tum appellabatur) Artisticae, seu Philosophicae proprium" (*Agricola* l. c. Dec. 1, n. 174, p. 21).

[2] Erasmus Wolf, ex Landsberg Bavariae oppido oriundus, philosophiae professor et canonicus ecclesiae S. Mauritii, quae Augustae Vindelicorum est, Kalendis Maiis a. 1544 „regens" collegii georgiani constitutus est idque per septem fere annos gubernabat; qui et universitatis rector fuit a. 1543/44 et 1548/49 atque hoc ipso a. 1550 (*Mederer* l. c. I, 182. 190. 206. 214. 235. *Andr. Schmid*, Geschichte des Georgianums in München [Regensburg 1894] p. 38. 94). Plura de Wolfio infra dicentur.

[3] Bulla „in Coena Domini" vel „Coenae" (cf. supra p. 253[3]) diversis temporibus diversas excommunicationes continebat. Canisius autem haud dubie Bullam illam spectat, prout a Paulo III. 4. Iunii 1536 conformata est; in cuius § 1 haec dicuntur: „Excommunicamus et anathematizamus . . . libros ipsius Martini [Lutheri] aut quorumvis aliorum eiusdem sectae, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae, quomodolibet legentes aut in suis domibus tenentes" (*Bullarium Romanum* VI [Augustae Taurinorum 1860], 218—219. Magnum Bullarium Romanum I [Luxemburgi 1742], 718).

con lui spesso in ragionamenti spirituali per adgiutarlo. Or costui per il nostro avviso tanto si è turbato, che non sapremo s' era meglio lassarle star come inanzi, o di hauerlo posto in questa miseria, doue si trova [1]. E pure esso è delli migliori e più catholici e più versati nella theologia, q' in questo luogo si trouano.

Onde si può considerar ex parte, quanta difficoltà e contraditione a noi sarebbe, se manifestamente cercassimo di levar i libri heretici ad ognuno. Perchè, anchora che così volesse il Duca, non so come potrebbono sostenere molto rigore da noi peregrini, principalmente essendo gli tanto poco fondati sopra l' Echiesa Romana. E per questo medesimo più facilmente ci contentiamo di non aver sino a quì, (come pur anche desideriamo) la podestà Apostolica di assoluere [2]. Perchè certamente non pocho si richiede di fare uno quì capace della assoluzione. Li casi riseruati mai sono publicati appresso di costoro, e tanto pocho sono guardati, che ci merauigliamo assai, como sia possibile, che gli pastori e frati così assoluono la gente. Dicono, che la Bolla in Caena domini non sia stata qui publicata; 2º che l' intenzione del Papa non sè per iscomunicar gli dotti cattolici in queste bande, quando essi con buona intentione [a] leggono gli libri heretici, e vogliono confutar esse eresie etc.: 3º che sin aqui essendo

---

atque eius animi iuvandi causa saepe sermones pios cum eo orsi sumus. Is autem monitione nostra tantopere conturbatus est, ut nesciamus, an praestiterit eum in condicione sua relinquere quam in eam conicere miseriam, in qua nunc est [1]. Et hic quidem ex optimis est et maxime catholicis et versatissimis in theologia, qui hoc loco reperiantur.

Ex his rebus intellegi potest, quantae nobis nasciturae essent difficultates et contradictiones, si libros haereticos ex omnium manibus tollere manifeste conaremur. Nam etiamsi dux mandatum eiusmodi daret, nescio an in eius exsecutione multum rigoris a nobis qui sumus peregrini possent sustinere, praesertim cum in ecclesia romana adeo non nitantur. Et hac ipsa de causa facilius acquiescimus eo, quod facultas apostolica ab hisce peccatis absolvendi adhuc nobis desit [2] (quamquam eandem accipere cupimus); certo enim haud pauca requiruntur, ut hic absolutionis quis capax reddatur. Casus reservati hac regione numquam promulgati sunt et adeo negleguntur, ut satis miremur, quod fieri possit, ut pastores animarum et monachi hos homines absolvant. Dicunt Bullam „in Coena Domini" hic promulgatam non esse; 2º summum pontificem non habere voluntatem doctos catholicos huius regionis excommunicandi, cum bonis animis libros haereticos legant ipsasque haereses confutare velint etc.; 3º cum usque adhuc tot homines fuerint docti et theologiae periti et ecclesiae studio-

---

[a] intententione *autogr.*

---

[1] Wolfium paulo post ex ea „miseria" emersisse ostendunt Canisii litterae 28. Maii 1550 ad S. Ignatium datae.

[2] Paulus III. in Bulla Coenae (§ 19, l. c. p. 223) statuerat a casibus illius Bullae „nullum, per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutum, absolvi posse"; atque a. 1545, cum Sociis absolvendi potestatem tribueret (cf. supra p. 195), casus illos nominatim exceperat, neque a. 1549 (cf. supra p. 306 [1]) hanc absolutionis facultatem iis concesserat nisi pro terris infidelium et „provinciis alias remotissimis".

stati tanti huomini dotti, teologi e zelatori dell' Echiesa, non s' hanno curato o per se, ovvero per altri di guardare da questo caso. Imperoche preghiamo V. R. che scriua il suo parere sopra tutto questo e delle cose simili [1]. Item a che modo potremo mutare le pietre in huomini [2], id est hauere delli Tedeschi persone per la Compagnia; conciosiachè abborriscano i voti e consigli Euangelici e già quasi in tutto disusati sono della semplicità e sincerità della fede, che pare certamente un stupor a considerarlo debitamente. Non s' estirpano più le heresie nè per via della violentia, nè de reformatione; e anchora che volessimo [?] ridurr' in tutto la fede persa, non si [?] potrebbono per mancamento e paucità delle persone ecclesiastice.

Tutto questo s' è detto per auisar V. R. di questo luogho ed altri vicini, et 2º per eccitarla alla charità et compassione, mediante la quale giustamente si [?] muouerete a pregar il Signor eterno e per noi e per la comune Alemagna, siccome per altre volte anchora pregai V. R. e pregaro sempre per essa tutti gli Padri e fratelli nostri charissimi, ut ubi abundat delictum, abundet aliquando et gratia [3].

Benedicto pur sia il padre della misericordia [4], il quale in tutte queste difficoltà ci consola, et da continuamente la speranza del futuro collegio, per quod reliquiae Israelis salvae fiant [5], non ostante la morte delli duoi Signori e Patroni nostri, che siano sempre

---

sissimi, eosdem tamen nec cavisse, ne in hunc casum ipsi incurrerent, nec aliis cavendum censuisse. Idcirco R. V. rogamus, ut nobis scribat, quid de omnibus his rebus et de similibus sentiat [1]. Item, qua ratione lapides in homines convertere [2] seu ex Germanis homines ad Societatem idoneos nancisci possimus; a votis enim religiosis et a consiliis evangelicis abhorrent, iamque omnem paene fidei simplicitatem et sinceritatem exuerunt; quod recte considerantes stupore certe afficit. Haereses iam nec vi exstirpantur nec reformatione, atque etiamsi fidem perditam omnino restituere vellemus, non tamen possemus, quia ecclesiastici desunt vel nimis pauci sunt.

Haec omnia dixi, ut reverentiae vestrae huius loci aliorumque vicinorum condicionem exponerem, et secundo, ut eiusdem caritatem et misericordiam concitarem, quibus merito movebimini ad dominum aeternum et pro nobis et pro universa Germania exorandum; quod et alias a R. V. petii, et per eam ab omnibus patribus et fratribus nostris carissimis semper petam, ut, ubi abundat delictum, abundet aliquando et gratia [3].

Benedictus tamen sit pater misericordiarum [4], qui in omnibus his difficultatibus nos consolatur continuoque spem praebet futuri collegii, per quod reliquiae Israelis salvae fiant [5]; tametsi duo illi domini et patroni nostri

---

[1] Nunc quidem haec diiudicare canonum peritis haud ita difficile est; in illa autem rerum condicione maior certe erat obscuritas, ideoque hac Canisii interrogatione sapientia viri ac religio illustrantur. Ceterum de his rebus disserere non vacat; hoc unum hic adnotandum esse puto: In illa rerum perturbatione, etsi eo pontificis praescripto etiam Germaniam adstrictam fuisse dixeris, facile tamen sumpseris ibi multos illud bona fide ignorasse nec proinde, in lege saltem ecclesiastica, peccasse ac multo minus in excommunicationem incurrisse; immo nec mireris complures tunc existimasse legem illam in Germania non vigere vel desuetudine evanuisse. [2] Cf. Matth. 3, 9. Luc. 3, 8.

[3] Rom. 5, 20. [4] 2 Cor. 1, 3. [5] Rom. 9, 27; cf. Is. 10, 21. 22.

in gloria[1]. Non crediamo, che il nuovo Duca[2] uorrà disfare un opera tanto laudabile e cominciata dal suo cattolicissimo Padre, et raccommandata alli Reuerendissimi Cardinali; anchora ci conforta la fede et gli pregeri assidui del Reuerendo nostro Padre e di tutta la Compagnia. Item vedeno chiaramente, como per altra via non possono qui intertienire la facoltà theologica etc. Item essendoci domandati tanto instantemente da Roma per mezzo del Reuerendissimo Eystettense, pensiamo che lui medesimo non mancara di adgiutarci[3]. Et credo che non seria stato conforme alle cose che vanno innanzi nella compagnia, se questo collegio fusse così facilmente fondato e concesso senza contraditione. Il Signor si degnerà eccercitarci un poco, ut educat nos in refrigerium[4].

In questi giorni consolati semo [?] per un bellissimo giovene Todescho, che parla quasi con tutte le lingue, ed è già risoluto di entrare in una religione[5]. Hoggi sono io entrato con lui negli esercizij, e tutti speriamo di vederlo essere della Compagna. Pregate il Signor, che sua Sancta Maiesta sia servita di quest' anima.

Nella domenica Laetare[6] è parso al parrochiano e alli Reuerendi Padri ch' io predicassi nella chiesa principale in Tedescho[7]. Ringraziata sia sua somma Bontà per il buon successo; perchè sopra l' opi-

---

decesserunt; qui semper sint in gloria[1]. Non credimus novum ducem[2] opus destructurum esse tam laudabile, quodque a patre eius maxime catholico coeptum est et reverendissimis cardinalibus commendatum. Praeterea fide assiduisque precibus confirmamur reverendi patris nostri et totius Societatis. Atque etiam clare intellegunt alia ratione facultatem theologicam hic conservari non posse etc. Item cum per reverendissimum episcopum eystettensem tam impense pontificem, ut nos mitteret, oraverint, illum ipsum episcopum nos non esse destituturum existimamus[3]. Ac si collegium hoc tam facile constitutum et sine contradictione concessum esset, id puto discrepaturum fuisse a rebus illis, quae in Societate prospere succedunt. Dominus paulum nos exercere dignabitur, ut educat nos in refrigerium[4].

His diebus optimus quidam iuvenis germanus nos consolatus est, omnium fere sciens linguarum, cuique iam deliberatum est ordinem aliquem religiosum ingredi[5]. Quem ego hodie exercitiis spiritualibus excolere coepi, omnesque speramus eum Societati nomen daturum. Dominum rogate, ut sancta eius maiestas hanc animam in famulatum suum recipiat.

Dominica, quae dicitur Laetare[6], parocho et reverendis patribus placuit, ut ego in ecclesia primaria germanice concionarer[7]. Deo optimo maximo sit gratia,

---

[1] Vide supra p. 308[3]. [2] Albertum V. dicit.

[3] Sociorum ingolstadiensium animos tunc aliquantum demissos tristesque fuisse epistula patefacit, quam universitatis camerarius 28. Martii 1550 ad Schweickerum ducis secretarium dedit; vide infra, monum. 45.

[4] Ps. 65, 12.

[5] Lambertus Auer? Carolus Grim? Vide epistulam Canisii ad S. Ignatium datam 31. Augusti 1551.

[6] Illo anno = 16. Martii.

[7] Ecclesiam parochialem Beatae Mariae Virginis dici puto: cui tum Georgius Theander praeerat. Alteram urbis parochiam, S. Mauritii dictam, Balthasar Fannemann regebat (*Mederer* l. c. I, 207. 219. 320—321).

nione di tutti sono stato inteso per quella prima volta [1] e vorrebono ch' io tornassi e seguitassi l' impresa cominciata.

Joan Battista, il nostro charissimo fratello, adiutase molto, e tanto in priuato, quanto in publico cerca appresso di noi et in casa di mortificarse. Credo que li non habbia fatto male d' esser riuato in Alemagna [2], e massime con il Reuerendo Padre nostro Claudio [3], il qual a tutti noi da qui honor e frutto.

Quanto alli charissimi fratelli nostri di Colonia, siamo molto edificati per le loro lettere, intendendo la continua fruttificatione [4] nel Signor del Padre Leonardo, et da poi delli altri fratelli e figlioli suoi, che virilmente s' eccercitano nella obedientia, humiltà e charità secondo gli diuersi offitii in casa. E perchè tanta contraditione in Colonia è stata, poi ch' il mio Reuerendo P. M. Piedro Fabro (che viue senza dubbio in gloria) cominciò iui a fruttificare [5], spero che anche per l' intercessione sua la Compagnia in quello santo luogo sarà fondata e augmentata. Prego V. Reuerentia humilmente, che mi perdoni della mia solita prolixità et imperfetione del scriuere. Item, che qualche uolte auisi il suo figliolo Canisio del modo di procedere con questa gente et prouedermi anchora di un Catechismo per li Todeschi. Sic multa, qui nil promerebatur, orat improbus. Tutti ci raccomandiamo spetialissimamente nelle sancte orationi et sacrifitii

---

quod res fauste evenerit; praeter omnium enim opinionem hunc primum sermonem meum bene perceperunt [1] cupiuntque me in suggestum redire coeptaque prosequi.

Ioannes Baptista, carissimus frater noster, multum proficit et tum secreto tum palam domi nostrae se mortificare studet, neque detrimento ei fuisse puto, quod in Germaniam venerit [2], praesertim cum eo venerit cum reverendo patre nostro Claudio [3], qui nobis omnibus hic honorem affert atque utilitatem.

Quod ad carissimos fratres nostros colonienses attinet, eorum epistulis saluberrime monemur, intellegentes P. Leonardum et post eum ceteros fratres filiosque eius continuo fructificare [4] in domino; qui quidem in oboedientia, animorum demissione, caritate, pro officiorum domesticorum diversitate, viriliter se exercent. Et quia tantopere quidam nobis obstiterunt, cum reverendus pater meus M. Petrus Faber (qui sine dubio vivit in gloria) Coloniae fructificare [5] coepisset, spero etiam eodem deprecatore Societatem sancto illo loco constituram esse atque auctum iri. A reverentia autem vestra veniam suppliciter peto, quod prolixe et vitiose, pro more meo, scripserim, simulque eam rogo, ut filium suum Canisium nonnumquam doceat, quomodo hi homines tractandi sint, atque etiam catechismum Germanis convenientem mihi suppeditet. Sic multa, qui nil promerebatur, orat improbus. Omnes quam maxime sacris precibus et sacrificiis reverentiae vestrae et omnium patrum

---

[1] Canisius, cum in inferiore Germania natus et educatus esset, illius etiam dialecto erat assuetus.

[2] Ioannes Baptista Brancacci, neapolitanus, Societatis „coadiutor temporalis" sive frater laicus, Canisio ceterisque patribus ministrabat. Postea remissus in Italiam et ex Societate dimissus est (Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2[b] [cf. infra, monum. 48]. *Mederer* l. c. I, 217). [3] Iaio. [4] Marc. 4, 20. Rom. 7, 4.

[5] Cf. supra p. 103—112.

di V. R. e de tutti li Padri e fratelli. Il Signor ci conserui sempre et c' augmenti nella sua Sancta gratia. Ingolstadii 24. martii 1550.

Petrus Canisius filius et servus tuus.

Prego V. R., che mi faccia un di casa andar alle 7 chiesie[1] et pigliar per me il Sancto Jubileo[2].

Al Molto R. P. mio in Cristo Giovan Polanco Professo della Compagnia di Gesù.

---

et fratrum nos commendamus. Dominus in sancta gratia sua conservet nos semper atque adaugeat. Ingolstadii 24. Martii 1550.

Petrus Canisius filius et servus tuus.

Curet, quaeso R. V., ut aliquis e nostris meo loco septem illas ecclesias adeat[1] et gratias sancti iubilaei acquirat[2].

Multum reverendo patri meo in Christo Ioanni Polanco, professo Societatis Iesu.

85.

ALOYSIUS LIPOMANUS,

episcopus veronensis et nuntius apostolicus[3],

PP. ALPHONSO SALMERONI, CLAUDIO IAIO, PETRO CANISIO, S. J.

Salisburgo 21. Aprilis 1550.

Ex apographo, anno 1890 a P. *Caecilio Gomez Rodeles* S. J. descripto ex apographo antiquo (eiusdem temporis ac diploma ipsum esse videtur), quod est in cod. „Brevia et Rescripta antiquiora" p. 47.

Breve summarium harum litterarum est in „Synopsi actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu 1540—1605" (Florentiae 1887) p. 11.

Socios laudat iisque licentiam dat absolvendi homines ab haeresi.

Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis S. D. N. Papae Eiusque Apostolicae sedis per totam Germaniam nuncius dilectis nobis in Christo Claudio Iaio, Alfonso de Salmeron, et Petro Canisio praesbyteris Congregationis D. N. I. C. nuncupatae, in Theologia magistris ac tamen [?] nunc in Universitate Ingolstadiensi sacras litteras profitentibus salutem in Domino.

---

[1] Romae vetus piorum mos est, ut septem primarias urbis ecclesias obeant: S. Petri in Vaticano, S. Mariae maioris, S. Laurentii extra muros, S. Crucis in Ierusalem, S. Ioannis in Laterano, S. Sebastiani extra muros, S. Pauli.

[2] Cum annus 1550 e more iubilaeus esset, Iulius III. 24. Februarii 1550 „portam sanctam" aperuerat sicque fideles incitaverat, ut indulgentiam plenariam ceterosque iubilaei sacros thesauros lucrarentur (*Raynaldus*, Annales ecclesiastici tom. XXI, P. 2 ad a. 1550, n. 47).

[3] Vir eximie pius Aloysius Lippomano (1500—1559), vulgo Lipomanus, patritius venetus, a. 1551—1552 unus e praesidibus concilii tridentini, non solum legationibus in Lusitania, Germania, Polonia obitis, sed et libris valde doctis ecclesiam adiuvit.

Vestris probis moribus et sana doctrina ac pietatis zelo, quo animas a recta fide deviantes ad Deum reducere satagitis permoti [1], vobis et unicuique vestrum tenore praesentium Concedimus, omnibus et singulis facultatibus, indultis, gratijs et privilegijs, quae super reconciliatione haereticorum ac reductione eorum Vobis a Sede apostolica concessa sunt, uti, fruj et gaudere posse, nec non vices nostras agere ac juxta tenorem facultatum impressarum, quae alias nostris subditis traditae sunt, quarum exemplar vobis consignarj fecimus, omnes ad vos et vestrum quemlibet recurrentes absolvere et cum eisdem dispensare etc. [?] [a] in foro Conscientiae duntaxat [2]. Et hoc facimus vigore litterarum S. D. N. Domini Iulii papae tertii, in forma brevis sub die 17. Mensis Februarij annj praesentis nobis concessarum, nec non litterarum Reuerendissimi in Christo P. D. Episcopj Fanen. [3] Collegae nostri apud Caesaream Majestatem constituti sub die 21 mensis praeteriti ad nos transmissarum et apud nos manentium, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Salisburgj die 21 aprilis anni Domini N. I. C. 1550. pontificatus ejusdem SS. D. N. Papae Anno I°.

86.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 28. Maii 1550.

Ex apographo, quod reverendus P. *Ioachim Campo Sancto* exscribendum curavit ex exemplo, quod ipso anno 1550 Roma ad Socios lusitanos missum esse videtur, quodque nunc exstat Olissipone in bibliotheca nationali (Collecção Pombalina, n. 490, f. 134).

Ex hac epistula *Polancus* complura transcripsit in suum Chronicon II, 73—74.

(Litterae historicae [quasi „semestres"] de rebus a Sociis Ingolstadii gestis.) Socii a summis quibusdam Germaniae viris humaniter excepti, ab universitate ingolstadiensi publico testimonio laudati. Collegium a Guilielmo IV. duce promissum. Placet Sociorum doctrina, abstinentia, diligentia. Argumenta rerum, quas in academia exponunt. Academici sacramenta et missae sacrificium frequentare incipiunt. In Germania sacerdotes rari sunt, haereses non puniuntur, libri haeretici passim leguntur. Primarius quidam professor de his monitus ac fidei Societatisque studio incensus. Sacerdos ab haeresi et concubinatu ad publicam paenitentiam traductus, miles exercitiis excultus, molestiae nocturnae sublatae. Canisius contionatur et domi quoque iuvenes instituit. Orandum pro Germania.

[a] *Vel* at; *vocabulum obscure scriptum est.*

[1] Lipomanus paulo ante Ingolstadii Socios inviserat; vide infra, monum. 44.

[2] „Exemplar" hoc periisse videtur. Licentiam haereticorum absolvendorum a Lipomano significari ex epistulis constat, quas Polancus 18. Februarii 1550 Canisio et hic 2. Novembris 1550 S. Ignatio miserunt.

[3] Petrum Bertano, episcopum fanensem (Fano), dicit.

Ihesus.

†

Reverende in Christo pater praeposite.

Gratia domini nostri Jesu Christi, et pax nobiscum perpetua.

Ut quemadmodum iussi sumus, ea breviter explicemus, quae a nostro in Germaniam adventu domino favente hic praecipua contigerunt, non prorsus abs re fuerit, a loco ipso rem omnem auspicari. Habet in medio paene Germaniae Catholicam universitatem suam dux illustris bavariae, nimirum Jngolstadiensem, nec eam incelebrem apud Germanos. Ad quam dum proficisceremur, tres missi et expetiti professores theologiae, filii tui, in eo ipso quidem ad Germaniam ingressu non sine favore singulari, seriaque congratulatione sumus excepti: primum certe a Reverendissimo Cardinale Augustano: deinde a Reverendo episcopo Eystettensi[1], hinc [?][a] a duce ipso cui a pontifice Max. iam diu ante promissi fueramus, bavariense, postremo a tota hac Jngolstadiensi Academia[2]. Ubi cum nobis conciliata fuisset professorum benevolentia, et suppeteret abunde quod ad vitae spectat commoditatem, coepimus, nec uno tamen die, lectiones theologicas, praesentibus omnium professionum studiosis, auspicari. Qui conatus tam feliciter cessit singulis ut non levi argumento divina commonstraret bonitas se principiis illis adesse velle[3]. Publicus favor, publicum accessit testimonium etiam typis excussum [*sic*], novos theologos et ob vitae sinceritatem, et ob doctrinae suae praestantiam eos esse, qui conceptam de se omnium expectationem eamque maximam non aequarent modo, sed superarent[4]. Unde dux bene catholicus Bavariae qui tum vivebat, accepto hoc laeto successu, lectionum sacrarum, quas viri maximi coram et per litteras commendabant per summum[b] consiliarium suum[5] fore promisit, ut Societatis nostrae collegium in hac Academia sua constitueretur. Nec immerito precari bene debet hoc [?][c] tota Societas tali principi, quem Christus idem qui nobis

[a] tunc?

[b] *Sic legendum esse omnino videtur;* suum consiliarium suum *apogr. nostrum.*

[c] *Sic apogr. nostrum; quod corrigendum esse videtur:* haec.

[1] Mauritio de Hutten.

[2] Quomodo Socii excepti sint Dilingae, Monachii, Ingolstadii, Eystadii, vide infra, monum. 39. 41.

[3] „Scripserat Cancellarius Ecchius Universitati de theologicis lectionibus, quae Ingolstadii erant praelegendae; erant autem prima ex evangeliis, secunda ex Pauli epistolis, tertia ex psalterio Davidico, quarta ex Magistro sententiarum." Canisius 26. Novembris, „in studiorum initio", Salmeron 29. Novembris scholis suis praefati sunt. „Multi autem cum Doctore Ecchio Cancellario eas orationes ut typis excussae evulgarentur petierunt. Universitas . . . tota praesens fuerat": *Polancus* l. c. I. 414—415. Qui et refert Iaium initio novi anni Psalmos exponendos suscepisse (l. c. p. 414. Cf. *Orlandinum* l. c. l. 9, n. 54: *Raderum,* Can. p. 45; *Agricolam* l. c. n. 166, p. 19—20: *Mederer* l. c. p. 214). [4] Hoc testimonium ponetur infra, monum. 40.

[5] Leonardum Eckium; cf. supra p. 308[3].

ipsum neque infeliciter, ut speramus, abstulit, in filio praesentem facit, ut futuri Collegii spem neutiquam amittamus.

Sed praeter hanc doctrinae confirmatam nobis existimationem, quae apud Germanos inprimis valet, admirantur etiam ac laudant nostram in vita frugalitatem. Nusquam enim exulare magis, quam in Germania videtur sobrietas abstinentiaque. Tum illud magni facere solent, quod gratis doceamus, nulla, ut reliqui, salaria expetentes, praesertim cum in profitendo diligentiam cum doctrina solida coniunctam animadvertant [1].

Reverendus Pater Claudius in psalterio interpretando versatur, P. Alphonsus epistolam ad Rom. exponit, ego quartum librum doceo sententiarum [2]. Jllud, ut rarissimum est hoc loco, sic admiratione dignum censent, quum vident novem aut decem in templo nostro accipere una Eucharistiam. Jnter quos, et studiosos illos omnes, Rector etiam adfuit universitatis, cum Festum Pentecostes proxime celebraretur [3]. Vix unus aut alter antea, nunc multi veniunt ad sacrum quotidie audiendum in aede nostra. Alioquin ut frigent in his terris pietas et templa et sacra non amant fere Germani, Caeremonias retineri prohibet tam late sparsa doctrina lutheri. bonorum pastorum adeoque sacerdotum major fit indies, et gravis profecto raritas, ut si maxime vellent in ovili se continere oves, quae Christi vicarium et Ecclesiam paulatim deserunt, non sint tamen, proh dolor, qui panem orthodoxae doctrinae frangant esurientibus et pereuntibus istis fame verbi divini, opitulentur. Auget hoc malum vere deplorandum licentia, quum impune licet catholicis haeretica legere, de sectis et controversiis fidei disputare, nec ullus in haereticos poenae metus proponitur, nedum supplicium exerceatur.

Ex capitibus universitatis huius, et singularis idem amicus noster [4], simul atque de abjiciendis haereticorum libris [a] commonitus a nobis fuisset (habebat autem istius farinae plurima volumina) multis quidem diebus admonitionem graviter tulit, perturbato prorsus ob id animo.

[a] *Verba* haereticorum libris *in exemplo antiquo in margine addita sunt.*

[1] Vide infra, monum. 43. 45. 46. 47.

[2] Petrus Lombardus, „magister sententiarum", in libro 4. Sententiarum de sacramentis et de „novissimis", quae dicuntur, agit. Haud recte *J. Crétineau-Joly:* „Canisius commentait saint Thomas" (Histoire de la Compagnie de Jésus t. 1, chap. 6 [Tournai 1846], p. 108). *S. Sugenheim:* „Salmeron [las] über die Paulinischen Briefe an die Römer" [*sic*] (Baierns Kirchen- und Volks-Zustände im sechszehnten Jahrhundert [Giessen 1842] p. 282). *K. H. Ritter von Lang:* „Salmeron [las] über die Paulinischen Briefe an die Römer und Canisius über Lombards [*sic*] Magister Sententiarum" (Geschichte der Jesuiten in Baiern [Nürnberg 1819] p. 98).

[3] Die 25. Maii. Ex verbis supra scriptis suppleri potest verbum, quod intercidit in *Polanci* Chronico II, 73. Universitatis rector tunc erat Erasmus Wolf, collegii georgiani regens (*Mederer* l. c. I, 214).

[4] Erasmus Wolf; v. supra p. 309 [2].

Sed adiuvante Christo fidis tandem consiliis et credidit, et paruit, jamque confessus est non semel, purgavit bibliothecam, rogavit nos veniam, et hoc ipso pentecostes festo simul et confessionem apud nos aedidit peccatorum, simul et communionem accepit sacram, tantoque post resipiscentiam coniunctior, quanto prius alienior factus omnino nobis videtur. Probabile est admodum, sanitatem huius ad curandos multorum morbos valituram, praestat enim caeteris authoritate, quam et coepit adversus nonnullos iam exercere, nobisque promittit se nihil intermissurum, quod ad zelum attinet fidei declarandum.

Sacerdos quidam Germanus annorum 64, quum[a] a lutheranis esset male persuasus etiam uxorem duxit senex ante annos octo. Is ad cardinalem venit Augustanum, sed uti postea fassus est, coactus venit minis commissarii Caesaris ut ecclesiae communioni restitueretur. Habet enim Imperator hispanos, sed paucos, in quibusdam adhuc locis commissarios quorum fidei propugnacula quaedam et castra superiore bello[1] capta dereliquit. Cum autem non raro eveniat ut syncerus absit in iis animus, qui a lutheranismo revertentes, Ecclesiae cupiunt reconciliationem, data fuit a Cardinali provincia istaec p. Claudio ut senis poenitentis probaret ingenium, exploraret conditionem. Id quod Christo duce sic dextre perfecit, ut in primo statim colloquio fucus deprehenderetur. Nam praeterquam quod senis corrupta fides proderetur idem uxorem relinquere quidem simulabat, concubinam vero ex uxore facere constituebat. Unde circa fidem atque religionem inprimis optime confirmavit qui illum amanter instituendum susceperat p. Claudius. Et quod mirum est, omnes ei scrupulos prorsus exemit. Tum quod difficilius erat effectu eo senilem permovit animum, ut coniugem pariter et concubinam sacerdos ex animo detestaretur. Hinc saepe peccata confiteri, hinc revocare et damnare suas haereses, poenitentiam publicam agere, coram populo reconciliari ecclesiae (aderat autem et ipse Cardinalis cum solemni pompa) denique profusis in medium lacrymis poenitentem vere animum cunctis comprobare.

Miles quidam Germanus, quem inspirantibus [?][b] exercitiis instituendum ad nos miserat Reverendus Pater Caes. Mai. confessarius[2] in illis ita profecit paucis apud nos diebus, ut non solum instituto religioso se devoverit, sed hactenus etiam exemplo suo praeluceat caeteris, et a viris fide dignis apprime commendetur. Quum nonnulli nocturnam a spiritu quodam ferrent molestiam, creditum est quiete data recessisse omnino defuncti animam illam, quia missae sacrificio per nos a poenis fuerit liberata.

[a] *Sic legendum esse censeo; exemplum antiquum:* qui.
[b] *Sic exemplum antiquum; sed malim legere:* in spiritualibus.

[1] Smalcaldico; cf. supra p. 236. [2] Petrus de Soto O. Pr.

Quindecim abhinc milliaribus hispani duo venerunt, ut patri Alphonso peccata confiterentur neque id factum est absque ipsorum certo profectu.

Et quoniam de me tanquam abortivo[1] aliquid etiam dicere habeo praeter ordinarias quidem in theologia lectiones, domi auditores mihi quotidie non desunt. Quae quidem docendi occasio praestat ut in litteris et in pietate iuxta proficiant quos ad sacrae confessionis et communionis usum paulatim frequentem adduco. Diversi (Christo gratia) Lutheranos nobis attulere libros ac se illis abdicarunt. Verum quando id commune in Germania vitium cernitur ut haereticorum scripta in omnium versentur manibus (nam aut non satis norunt aut parum digne expendunt bullam Coenae domini) fuimus quidem hactenus ab audiendis multorum confessionibus impediti. Nunc vero quidquid ad absolvendos pertinet haereticos post multam expectationem impetratum habemus. Ex qua concessione lucrum aliquod speramus in Christo spirituale. Tentavi aliquoties germanice concionari in quo munere ut pergam, suadent desiderantque. Nunc quia sic patribus visum est, latinas homelias diebus etiam sacris recito studiosis, promoveat christus hosce tam exiguos conatus, et in vinea sua nos reddat fructuosos. Quum vero superioribus litteris explicatum sit a nobis quanta sit Germanicae nationis[a] olim florentissimae nunc corruptissimae calamitas (regnat enim hic pro fide perfidia, pro Ecclesia synagoga satanae[2], pro obedientia contumacia) quumque catholici vix ferre videantur, aut Evangelii consilia aut ecclesiae praecepta, rogamus enixe pietatem tuam Reverende pater, ut pro nobis, pro universitate hac, totaque germania preces tuas ad Christum effundas nosque filios tuos, totius Societatis fratribus patribusque commendes in christo Iesu domino nostro. Is p. t. et nos in pace sua sancta conservet, augeatque semper amen. Ingolstadii 28 Maii 1550.

Claudius Jaius

Petrus Canisius filius P. T. indignissimus.

Licet Iaius priore loco subscripserit hanc epistulam, ex ipsa tamen facile intellegitur a Canisio compositam esse, cum de Canisio loquatur in prima persona.

---

[a] *Duo verba sequentia in exemplo antiquo adscripta sunt in margine.*

---

[1] Ita Paulus de se 1 Cor. 15, 8.
[2] Apoc. 2, 9; 3, 9.

87.

CANISIUS ALOYSIO LIPOMANO,

episcopo veronensi et nuntio apostolico.

Ingolstadio mense Maio vel Iunio 1550.

Ex commentario autographo (2°; 1 p.), quod est in fascic. „Va Ser. X.“; extrema pars epistulae, inscriptio, adnotatio loci et temporis desunt [1]; vide, quae post ipsam epistulam dicentur.

Lipomano gratias agit pro eius in Societatem Iesu benevolentia et peculiariter pro facultate absolvendi sibi, Salmeroni, Iaio concessa. Dispensationem petit a lege, qua cavebatur, ne sanctorum reliquiae Colonia asportarentur.

IESVS.

Reuerendissime in CHRISTO pater, et Domine Legate amplissime [2].

Gratia Domini nostri JESV CHRISTI et pax uera, quam mundus accipere non potest [3], vbique nos tueatur et servet. Etsi non ignoro grauissimas esse res atque curas, quae sapientiam tuam huc illuc distrahant, vt locus esse vix possit ad humiliora ista respiciendi: tamen ausus sum tandem aliquid scribere occupatissimo, partim ne tacendo confiteri viderer uitium foedum ingratitudinis, partim vt voluntatem de nobis benemerendi tuam, quam esse maximam scio, magis magisque confirmarem. Primum certe, nec minimum illud, in me contulit benefitium amplitudo tua, vt integra mihi constaret absoluendi facultas, quam apud Germanos constat vt plurimum desiderari [4]. Et hac in parte quanquam non merebar, paria feci cum R. P. et Doc. Claudio Jaio, simul et Alphonso Salmerone, qui proinde fatentur, semperque testabuntur dum viuent vna mecum, deberi a se plurimum tuae in nos beneuolentiae ac benignitati, qua totam certe societatem hanc Domini IESV, etsi exiguam illam, amantissime tamen complecti non desinis. Neque nostro in precando deerimus offitio, quin tuae dignitatis causam illi commendemus, qui solus veram pro benefactis gratiam, ac gloriam aeternam rependit. Nunc aliud se offert, quod rogare humiliter cupimus gratiam tuam, sed ea lege, vt repulsam feramus illico, si res impetratu difficilis uel indigna esse videatur. Habet praestantes Diuorum ac Diuarum reliquias Colonia Agrippina, quae multis annis nostros fouet, nostrorumque operas in Christo sibi

---

[1] In altera pagina commentarii Canisius sententias aliquot germanice scripsit, quae ad hanc epistulam non pertinent; v. g. Ain ainige menschliche seel weit vberwigt vnd vbertrifft alle schatz vnd güter diser gantzen welt“.

[2] Lipomanus constitutus erat nuntius „cum potestate legatorum a latere“. Montesa in litteris ad Ferdinandum I. datis, Roma 10. Septembris 1548, apud *A. v. Druffel*, Briefe und Akten zur Geschichte des sechzehnten Jahrhunderts I (München 1873), 155. [3] Cf. Io. 14, 27.

[4] Facultatem dicit homines ab haeresi absolvendi. Vide supra p. 315.

frugiferas experitur. Hic offeruntur igitur nostris id genus reliquiae vt vocamus, sacra profecto et deo dilecta, pijsque reuerenda semper pignora: sed hoc vnum obstat, quominus vel tradi ab alijs, vel a nostris accipi possint, quod spetiali lege Pontificis summi cautum sit, addita etiam poena excommunicationis, ne quis scilicet uel donet, vel accipiat, vel transferat alio reliquias illas urbis Coloniensis [1]. Quod si hanc legem nostris relaxare dignabitur pietas tua, nihil pene gratius erit, efficiemusque duce CHRISTO, vt non sine profectu spirituali isthaec fiat dispensatio. Ita et piorum animos magis iuuat ille conspectus atque contactus reliquiarum; excitant non raro exteros, vt pro Germanis precentur Deum ac Diuos, tum honos etiam accedit non inferior, quam Coloniae illis ipsis exhiberetur. — —

His verbis commentarium nostrum terminatur. Quo cum ex altera parte Canisium litteris a Lipomano 21. Aprilis 1550 ad Socios ingolstadienses datis respondere voluisse constet, ex altera parte Canisius scribat Salmeronem et Iaium „vivere una secum", Iaius autem Ingolstadio abierit 26. Iunii 1550 et Salmeron mense Augusto discesserit: de tempore scriptionis dubitari nequit. Utrum autem commentarium hoc in formam epistulae redactum et Lipomano missum sit, necne, dubium manet, cum 19. Aprilis 1551 Pighinus nuntius apostolicus Canisio et Kesselio reliquiarum coloniensium asportandarum licentiam dederit.

88.

CANISIUS

iussu P. Claudii Iaii S. J.

P. IOANNI DE POLANCO,

secretario Societatis Iesu.

Ingolstadio 3. Iunii 1550.

Ex apographo recenti, a. 1891—1892 collato cum epistula autographa, posita in cod.: „Epistt. B. Petri Canisii I." n. 4, p. 116.

Cochlaeum theologum laudat eiusque nepotem commendat.

Reuerende Pater in Christo.

Gratia domini nostri IESV CHRISTI nobiscum perpetuo.

Scripsit ad P. Claudium [2] D. D. Ioan. Cochlaeus [3], quo nullus pene inter Theologos Germanos exercitatior est alius in sectis refellendis, quique in excudendos libros Catholicorum sumptus huc usque maximos fecit [4], nec sine suarum rerum gravi iactura: scripsit, inquam, ut non sine literis nostris nepotem hunc suum venire isthuc sineremus [5].

---

[1] De hac lege vide supra p. 294 [5]. [2] Iaium. [3] Vide supra p. 77.

[4] Haec verba egregie illustrantur litteris Cochlaei, Vormatia 20. Novembris 1540 ad Robertum Wanchopium archiepiscopum armachanum datis, quas edidit *Alph. Bellesheim,* Geschichte der katholischen Kirche in Irland II (Mainz 1890), 692—693.

[5] Nepos hic fortasse fuit vel Ioannes Agricola (Bauer), de quo supra p. 126, quique tunc Moguntiae in ecclesia collegiali S. Victoris beneficium aliquod habuisse

Proinde quod commodo tuo fiat, mi pater, si quicquam opera vel consilio tuo queas peregrinum iuvare, si imperito prodesse adolescenti, valeat haec nostra pro charitate commendatio. De rebus nouis literas hodie misimus: Vale, pater in Christo Carissime, et ora pro Canisio tuo. Ingolstadii 3. Iunii anno 1550.

Iussu Reuerendi Patris M. Claudii
Petrus tuus Canisius.

Reuerendo patri M. Joanni Polanco, de Sotietate IESV — Apud S. Marcum Romae. Romae [*sic*].

89.

PP. CLAUDIUS IAIUS ET PETRUS CANISIUS

GEORGIO STOCKHAMMER,

consiliario Alberti V. Bavariae ducis et curatori universitatis ingolstadiensis [1].

Ingolstadio 10. Iunii 1550.

Ex apographo, circiter a. 1862 descripto ex archetypo, quod est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359 I." f. 2. ante „1", et sq. Tota epistula (etiam verba extrema „Claudius Iaius" etc.) a Canisio scripta esse videtur [2], eamque archetypam esse (non transcriptam vel adumbratam) inscriptio et sigillum probant.

Epistula usi sunt *Riess* l. c. p. 87—88 et *Gothein* l. c. p. 696—697. Partem eius vulgavit *Max Fr. v. Freyberg*, Pragmatische Geschichte der bayerischen Gesetzgebung etc. III (Leipzig 1838), p. xx. Integram ediderunt: *Druffel*, Briefe und Acten I, 407—411; *Boero*, Iaio p. 229—235; *Verdière* l. c. II, 475—479.

Proponit, quae ad collegium Societatis Ingolstadii condendum spectant. Theologica studia restaurari non posse sine collegio, in quo Societas ex ipsa Bavaria sibi colligat alumnos eosque ad litteras docendas instituat. Ideo a Guilielmo IV. duce eiusque cancellario Eckio collegium promissum esse, misso Romam, qui desertorum monasteriorum bona eidem applicanda curaret. Similia ab Alberto Guilielmi successore promissa esse. Modo Stockhammeri esse, ea exsequi. Tunc theologiae magistros ac discipulos de Societate semper praesto fore, eosque bona ceteris exempla praebituros, ac multos e collegio udituros esse apostolicos operarios. Neque unquam Germanos defuturos esse, qui Societati nomen dare velint; quibus si exteri misceantur, id academiae ornamento fore; charitate Christi omnes conglutinari.

videtur, vel Melchior, filius Francisci Behem, typographi moguntini et mariti sororis Cochlaei, anno 1559 sacerdotio initiatus (*Sim. Widmann*, Eine Mainzer Presse der Reformationszeit [Paderborn 1889] p. 2—3. 25—26).

[1] Georgius Stockhammer, monacensis, unus e primariis Alberti V. consiliariis, Leonardo ab Eck mortuo, eius loco universitatis curator constitutus est. *„Antiquitatum Ingolstadiensium" auctor: „Minus", inquit, „et authoritate et erga nos beneuolentia ualebat" (f. 1[b]). Mortuus est anno 1555 (*Mederer* l. c. I, 90. 224. *Manfr. Mayer*, Leben, kleinere Werke und Briefwechsel des Dr. Wiguleus Hundt [Innsbruck 1892] p. 21. 23[2]).

[2] Conferenti hanc epistulam cum autographis Iaii (integrum codicem habemus Iaii manu scriptum) patet eam non esse scriptam a Iaio.

Magnifice Domine Patrone.

Gratia Domini nostri Iesu Christi et pax nobiscum perpetua. Non ignorare potest excellentia tua, quid[a] postremo inter nos colloquio tractatum fuerit, iam iam instante discessu. Et quia tractandi otium excludebat festinata profectio, dedit hoc mihi munus praestantia tua, ut iisdem de rebus, quas proposueram sero, instructionem istuc mitterem pleniorem. Faciam id quidem eo nunc libentius, quo magis mihi fore persuadeo, ut pium istud, de quo agitur, institutum, complexurus sis ea, quam tunc nobis declarasti, benevolentia, atque pro tua fide promoturus. Est enim hoc negotium tale, quod, ni plane fallor, ad Dei Optimi Maximi[b] gloriam faciat, quod clarissimo Duci Alberto non vulgari[c] queat esse ornamento, et quod Ingolstadiensi academiae, sicut et toti Germaniae frugiferum fore videatur.

Igitur postquam ab Urbe missi vocatique venimus Ingolstadium et lectiones caepimus Theologicas profiteri, reipsa quidem satis comperimus, conatus hosce nostros, qualescumque sunt, in profitendo parum aut certe nihil hic profuturos, quum deessent auditores. Proinde, quod operae pretium videbatur, admonuimus ea de re magnificum dominum, qui tunc Ingolstadii aderat, Doctorem Leonardum ab Eck piae memoriae. Exposuimus[d], quae ad hanc praelegendi incommoditatem spectabant, tum sacerdotalem ordinem et monachatum Germanis exosum haberi; ad haec Theologiae partem sinceriorem[e] [1] explodi passim, negligi ab omnibus; hinc restituendae quidem disciplinae sacrae, uti maxime nunc erat opus, non videri nobis remedium aliud superesse, nisi ut bene multis adolescentibus constitueretur collegium, in eo[f] pauperes alerentur[g] studiosi, bonis ingeniis praediti, qui ad pietatem quoque sub eadem disciplina sedulo instituerentur, sacrae tantum scripturae studiis destinati [2]. Nec ignoravit ille, talium quidem studiosorum nobis collegia esse, ut in Portugalia, Italia, Sicilia, Hispania, superioribus ab hinc annis non ita multis extructa omnia, et Societati nominis Iesu applicata [3]. Quid multis[h]? Respondit D. D. ab Eck, quemadmodum posterioribus etiam literis saepe confirmavit, placere nostrum hoc institutum Illustrissimo Duci Guilhelmo, qui confirmato insuper animo statuisset huius instituti fundare collegium in hac aca-

[a] quod *Bo.* [b] maximam *Verd.* [c] volgari *Bo.*
[d] ei exposuimus *Verd.* [e] solidiorem *Bo.* [f] quo *Bo.*
[g] haberentur *Verd.* [h] *Bo. om.* Quid multis? *Verd.:* Quid multa?

[1] Theologiam scholasticam dicere videtur.

[2] Eadem iam anno 1549 a S. Ignatio dicta esse cardinalibus Cervino et Maffaeo, Guilielmi ducis nomine haec transigentibus, P. Polancus scribit Iaio Roma 23. Februarii 1551 (*Genelli*, Ignatius p. 342. 498. Cartas de *San Ignacio* II, 452—454).

[3] Ex his verbis colligi potest, Iaium et Canisium non „saecularium“ clericorum seminarium, sed collegium scholasticis de Societate Iesu destinatum ab Eckio petiisse. Cf. infra p. 325[2].

demia sua. Adiecimus praeterea, bonam nobis inesse spem, ut[a] qui societatis nostrae ac[b] instituti huius existit Praepositus, ubi collegium a Duce constitutum videret, duos hic in perpetuum praeberet Theologos, qui nomini suo offitioque publico respondere possent. Id quod illi placuit admodum, ut qui paulo ante fuisset expertus, non modo penuriam sentiri passim Theologorum, sed etiam expetitos illos a Duce Guilhelmo obtineri non potuisse, tametsi ea de re scripsisset serio et amanter ad Louanienses, Colonienses[1], Parrisienses[c]. Confirmant hoc eiusdem Principis literae ad Pontificem[2] datae, priusquam huc ex Italia destinaremur.

Quod ad rationem atque commoditatem extruendi collegii spectat, aperuit is[d] ipse nobis animum Principis, et in eo esse dixit: Quandoquidem deserta sunt et desolata hodie monasteria nonnulla, procuraret apud novum Pontificem, ut applicarentur monasteriorum bona pio huic instituto[3]. Nos idcirco, ut iussi fueramus, Cardinalium designavimus nomina, qui tum societati nostrae chariores, tum ad promovendum hoc Romae negotium aptiores videbantur[4]. Postea cum allatum esset de novi Pontificis[5] electione nuntium (nihil enim aliud voluntatem Ducis in conficiendo negotio impediebat, quemadmodum ostendunt Doctoris ab Eck literae) missus in Urbem Legatus est Ducis[6], non modo praestandae obedientiae gratia, quae Sedi Apostolicae deberetur, verum etiam ut toties promissi collegii caussa quamprimum expediretur. In hanc enim sententiam et ad Pontificem Maximum et ad sex[e] vel octo Cardinales, quos nominaveramus, Dux perscribendum[f] curavit. Sic Dominus ab Eck[7] in postremis ad nos literis. Hinc subsecuta est dolenda certe mors Ducis Christianissimi[g] Guilhelmi,

[a] fore ut *Bo.* [b] et *Bo.*

[c] *Sic sine dubio legenda sive resolvenda, quae sunt in archetypo:* Louanien, Colonien, Parrisien. *At Druffel:* Lovaniensem, Coloniensem, Parisiensem.

[d] et *Bo.* [e] tres *Verd.* [f] rescribendum *Verd.* [g] illustrissimi *Bo.*

[1] Epistulam, quam Guilielmus IV. hac de re ad Colonienses dedit, typis expressit *Bianco* l. c. I, 437—438. [2] Paulum III.

[3] „Cum Pater Claudius id proposuisset, perplacuit res Cancellario, . . . et se jam ante biennium ea de re cogitasse et cum Duce contulisse affirmabat, nec de ejus se dubitare voluntate; sed ad hujusmodi Collegii erectionem non decimas ullas, ne Universitati substrahi quicquam videretur, sed ex aliqua abbatia, a monachis deserta, vel vacantibus beneficiis ecclesiasticis fundationem Collegii, Pontificis Summi auctoritate, faciendam videri": *Polancus,* Chronicon I, 416.

[4] Cf. supra p. 300. [5] Iulius III. 8. Februarii 1550 electus est.

[6] Henricus Schweicker, ducis secretarius. Epistulam, quam Guilielmus IV. hac de re ad cardinalem Crescentium dedit, vide infra, monum. 43.

[7] Leonardus ab Eck scripsit „ante mortem ad Episcopum Mauritium Eystettensem qui summa semper beneuolentia primos e nostris complexus atque prosequutus est . . . scripsit inquam, de hoc instituto et adiunxit se testamento cauturum esse, ut nostri librorum haeredes fierent, quos in sacris ille plurimos coemerat. Auditum est postea, testamentum hoc diserte conscriptum extare, sed forte non satis authenticum". Ita vetus ille collegii ingolstadiensis historicus (* Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 1[b]).

nec diu post illum superfuit Doctor ipse, qui proxime ante mortem, quum in amicum nostrum incidisset Monachii[a], hoc etiam addidit, clarissimi Principis Alberti voluntatem eandem esse, quae Patris optimi fuerat, de collegio hic nostris constituendo[b]; scripsisse illum quoque diligenter in Urbem hoc nomine; sic negotium foeliciter procedere; non defuturam nobis aut gratiam, aut operam novi, sed humanissimi Ducis. Neque aliud fere quicquam[c] accepimus postea, nisi quod Secretarius Principis, quum nuper esset Romae[1], Societatis nostrae Praepositum accesserit, impetratis demum iis omnibus, quae ad huius instituti disciplinam et ad exstruendorum pro nobis collegiorum rationem spectant intelligendam[d], ut proinde operae pretium non sit, hic eadem replicare, quae scripta in Urbe accepit ille et adportavit. Summam habes omnium, uti postulasti, clarissime Doctor; quae transacta nos cognovimus, vides in hoc negotio; nihil enim dissimulamus[2].

Nunc vero, quum Divina voluntate nobis et Patronus obtigeris et Protector huius academiae, non est in obscuro, quid speremus, quid expectemus ab excellentia tua; quae dubitare vix possit de magno emolumento, quod Christo duce ad hanc totam academiam rediturum sit[e], constituto semel collegio. Igitur gratissimum[f] nobis fecerit benignitas tua, quam nunc primum imploramus, si desideratam benevolentiam operamque suam[g] in re tam pia quam honesta non deneget[h]. Cum vero authoritate polleas apud egregium Ducem, etiam hoc precamur enixe, ut tanti Principis gratiae nos causamque nostram pro tua fide commendes. Quod si audimur, si succedit negotium, ut complures in Italia sperant et praedicant, primum quidem hoc sibi persuadere de nobis[i] potest optimus Princeps, non defuturos unquam in academia sua Doctores Theologos, eosque Christi gratia professores idoneos ac bene catholicos.

Secundo, praeter professores aderunt auditores perpetui vereque studiosi doctrinae divinae, qui sedulitate sua communem aliorum torporem emendent. qui disputationum usu multos ad hoc studium excitent, atque ita collapsam foede disciplinam hanc sacram instaurent.

Tertio, praeterquam quod professores et auditores erunt perpetui, ornabitur istud collegium bene institutis adolescentibus, qui honestae vitae, qui piae conversationis exemplo praelucere possint.

[a] Monaci *Verd.* [b] instituendo *Bo.* [c] quodcunque *Verd.*
[d] intelligendum *Bo.* [e] *Ita archetypum. Druff. om.* sit.
[f] grandissimum *Druff.* [g] tuam *Bo. Verd.* [h] deneges *Bo.*
[i] *Druff. om.* de nobis.

[1] De hac legatione vide litteras Alberti ducis, 1. Iunii 1550 Iulio III. destinatas, infra, monum. 46.

[2] Polancus Iaio (cf. supra p. 323[2]): Albertum V. scripsisse quidem Iulio III. se collegium, quod pater suus condere voluisset, constituturum. At Ignatium postea comperisse Albertum collegium illud destinasse non scholasticis Societatis Iesu, sed clericis saecularibus, ab aliquot patribus S. J. gubernandis.

et aedificationem in Christo adferre aliis, quemadmodum haec quidem tempora praecipue flagitare videntur.

Quarto, illud pro indubitato censemus, et Christi virtute confisi, fore nobis promittimus firmiter, ut paulatim ex hoc collegio tanquam optima schola multi prodeant, iamque[a] absolutis illic[b] sacris studiis, cum laude demum versentur in publico, quaerentes non quae sua sunt, sed quae aliorum, et quae Iesu Christi[1]. Id vero fiet praelegendo, docendo, contionando, et similia Christianae pietatis opera tum privatim tum publice exercendo, et gratis quidem haec omnia, quia sic iubet societatis huius propria disciplina.

Nec vero est, cur quisquam existimet, defuturos huic collegio inhabitatores, qui nostrum velint institutum amplecti. Habemus (Christo[c] gratia) Germanos iam adolescentes, nec paucos, huius quidem instituti; navant operam studijs etiamnunc Parisiis, Lovanii, Coloniae, nec sine laude tum doctrinae tum pietatis suae, ut nihil difficile fuerit, ex hisce fundamenta collegii Bavarici comparare. Sed neque nunc desunt[d] hoc in hoco, neque defuturos unquam arbitror, qui sese nobis et instituto huic traderent, si fundamenta quaedam apparerent. Amabilis est vitae sinceritas cum sancta eruditione coniuncta. Ubi vere pietas colitur, ubi sapientiae lumen cernitur, facile conciliatur hominum animus, et ad virtutis aemulationem incitatur. Verbis et exemplis asseri gaudet veritas: asserta vel nolentes trahit in sui admirationem, amorem et cultum. Quid vero sit incommodi quaeso, si Germanis adolescentibus exteri quoque commisceantur, et diversis e provinciis unam firmamque collegii sedem cohonestent? Non obscurat, sed illustrat haec varietas gymnasia. Stat Apostolica semper sententia: In Christo Iesu non est Iudaeus, neque Graecus, non est barbarus, neque Schyta[2], etc. Ubi nobis collegia suppetunt, quemadmodum Messanae, Panormi, Bononiae, Patavii, ut alia Hispaniarum et Portugaliae collegia nostra praeteream, fovemus et illic Germanos, exteros licet amplectimur, eosque provehimus ad piam eruditionem et ad eruditam pietatem. Iunctim illic commorantur Hispani et Siculi, Germani et Itali, eoque magis charitate conglutinantur, quo longius inter se patria dividuntur. Hanc ergo curiosam diligentiam ultro negligimus, ut diligenter[e] quae in Christo est charitatem inter alienigenas foveamus. Nimirum ornamento datur academiis, sicubi nationum diversarum collecti fuerint professores; et nos qui huc acciti Theologi venimus, natali plane solo differimus, nisi forte idem videatur, Hispanum, Germanum ac Sabaudum esse. Ita fides demum et charitas unum in Christo facit; ita Christi sanguis ille sacrosanctus et gentes

---

[a] itaque *Druff.* [b] illis *Verd.* [c] Christi *Verd.*
[d] deerunt *Verd.* [e] diligentem *Verd.*

[1] 1 Cor. 13, 5. Phil. 2, 21. [2] Col. 3, 11.

et peregrinos omnes copulat, adeoque indissolubili quodam nexu tenet conglutinatos.

Verum ut ne sim longior, hoc peto, hoc rogo per Christum excellentiam tuam: primum quo nos favore complecti modo coepisti, eodem absentes prosequare; deinde, quod hisce literis promovere cupimus, tanto magis commendatum habeas, quanto verius pro tua prudentia sentis, divinam hic spectari provehique gloriam, ornari[a] praeterea nomen illustrissimi Ducis et apud exteros illustrari, demum Academiae vestrae commodis prospici, et Christianae sapientiae lucem vindicari. Quae civitas pridem inter armatas haereticorum copias invicta perstitit[1], non orbetur quaeso splendore virtutis omnis ac religionis. Vivat saltem divina scientia Theologia, ubi regnant humanae disciplinae.

Curabimus autem, quod nostri est officii, sedulo, susceptosque pro nobis labores tuos gratis complectemur animis. Neque nos tantum, sed hanc omnem Iesu societatem tibi devincies, si, quod certe potes, etiam voluisse, nostramque caussam egisse videaris. Precabimur interim Dominum, qui nobis te Patronum clementer impertiit, ut tuis adspiret conatibus, incolumitatem tuam familiaeque tueatur, et gratia sua nos omnes augeat. Amen.

Denique, si ullo pacto licet, vel paucis ad nos rescribas, oramus[2].

Ingolstadii 10. Iunii 1550.

Claudius Iaius Doctor Theologus.

Magnifico et nobili D.D. Georgio Stochmero[b], Illustrissimi Ducis Bauariae prudentiss: Consiliario, et academiae Ingolstadiensis Patrono.

Totam epistulam Canisii manu scriptam videri supra relatum est. Nec dubitari potest, quin Canisius hac in re Iaio non solum manu, sed etiam consiliis opitulatus sit ideoque secundarius huius epistulae auctor aliqua ratione dici possit.

90.

CANISIUS

P. CLAUDIO IAIO S. J.

Ingolstadio mense Iulio vel Augusto 1550.

Ex epistula autographa Wolfii[3], quae est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I.“ f. 3. ante 1. Epistulae wolfianae mentionem facit *Druffel*, Briefe und Acten I, 413.

[a] demum ornari *Verd.* [b] Stochamero *Verd.*

[1] Mense Augusto a. 1546 prope Ingolstadium castris Caroli V. caesaris opposita erant ex adverso castra Smalcaldensium (*I. Gerstner*, Geschichte der Stadt Ingolstadt [München 1853] p. 171—175).

[2] „Sub Patrono illo altero Eckij Leonardi successore, quem diximus Stockhamerum fuisse, urgebamus quidem Collegij institutum, et egregia spe lactabamur subinde; sed serio nihil effectum est“: * Cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 1b—2a.

[3] Ex litteris Wolfii intellegitur Iaium tunc Augustae Vindelicorum degisse. Otto

Iaium rogat, ut iuvenem quendam Stockhammero commendet.

Erasmus Wolf, collegii georgiani regens, Iaio, cuius se dicit „filium in Christo et discipulum" Ingolstadio 19. Augusti 1550: . . . „Porro quid uelit adolescens noster Vuolphgangus, aut cuius rei causa istuc uenerit, ipse coram significabit. Peto autem abs te, ut quemadmodum d. Canisius eciam, nisi fallar, sollicite scripserit, ita eundem a me quoque tibi, de meliore (ut inquiunt) nota commendatum, tua singulari autoritate, apud nobilem et magnificum patronum nostrum Stockamerum iuuare uelis. Scriberem pluribus ad te, qualis aut cuius spei esset adolescens, nisi tibi antea satis notum ac in Canisij nostri literis diligenter descriptum arbitrarer. dignus omnino est omnium bonorum hominum consilio simul et auxilio. . ."

91.

CANISIUS

P. CLAUDIO IAIO S. J.

Ingolstadio inter mensem Iulium et Septembrem 1550.

Ex *Boero*, Iaio p. 202—203; hic epistula Iaii archetypa usus est, de qua mox dicetur.

De catechismo latino, pro iuventute academica conscribendo.

Iaius S. Ignatio, Augusta Vindelicorum 12. Septembris 1550: „Secondo che in Italia si insegna la dottrina cristiana in volgare, Maestro Pietro Canisio la vorrebbe insegnare nella[a] *Università agli scolari in latino, e darla in iscritto publicamente. Della qual cosa mi ha scritto domandando il parer mio. Io gli ho risposto che sarebbe cosa non solamente utile, ma necessaria fare un catechismo conveniente alla gioventù, nel quale fossero insegnati li dogmi cattolici repugnanti agli errori che regnano in queste provincie; siccome per lo contrario fanno con grandissima diligenza i luterani, che in tutte le loro scuole dei putti e delle putte insegnano i loro catechismi, ma che mi pareva, che il catechismo cattolico dovrebbe esser fatto con gran diligenza da tre o quattro della Compagnia, che fra gli altri hanno più esperienza e dottrina in cose di dogmi; e che tutti quelli della Compagnia, che insegnassero la dottrina cristiana, massime in Germania, avessero da procedere secondo questo catechismo. Onde mi pare, che nel comporre detto catechismo bisognerebbe molte divisioni e definizioni, e avvertire di non partirsi del modo di parlare degli antichi Padri e dottori*

[a] Nelle *Boero. Manifestum est epistulam Iaii a Boero aut ex latino translatam aut saltem ad scribendi genus, quo Itali nunc utuntur, accommodatam esse.*

Truchsess cardinalis augustanus Dilinga 22. Iunii 1550 S. Ignatio scripsit: „Gratias ago Domino Nostro Iesu Christo, quod Paternitas tua Mag. Claudium Iaium, virum sane piissimum, mihi concesserit. . . Cras D. Claudium ad me per nuntium ad id destinatum accersam, ut continuo mecum sit, eiusque consuetudine, consilio et auxilio iuver in spiritualibus omnibus, et in his praesertim, quae ad religionem et fidem christianam spectant, de qua agetur in proxima diaeta" (Cartas de *San Ignacio* II, 530—531. *Boero*, Iaio p. 227). Iaius ipse S. Ignatio Augusta 4. Septembris 1550 se 26. Iunii Ingolstadio ad cardinalem profectum esse scripsit (*Boero* l. c. p. 243 ad 244). Comitiorum imperii initium factum est Augustae 26. Iulii.

cattolici[1]. *Sicchè l'ho pregato, che aspettasse il giudizio di V. R.; massime che essendo lettore, rettore*[2] *e predicatore nella Università, non gli mancheranno faccende al presente.*"

92.

P. IOANNES DE POLANCO

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 16. Augusti et 16. Septembris 1550.

Ex „*Monumentis historicis*" S. J. l. c. p. 80, adnot. 2.

„*Polancus, ex commissione, Petro Canisio, de Nicolao Gaudano ejusque in itinere socio Petro Schorichio*[3], *16 Augusti et 16 Septembris*" *[1550].*

---

[1] Diu ante Canisium — atque diu etiam ante Lutherum — initium factum est catechismorum componendorum sive libellorum, quibus via et ratione elementa illa doctrinae christianae breviter comprehenderentur, quae ecclesia ab ipso ortu suo pueris aliisque fidei ignaris voce tradebat, quaeque statim post artem typographicam inventam innumeris explicationibus symboli apostolici, orationis dominicae, decalogi, „speculis peccatoris", „Poeniteas cito", „artibus bene moriendi" et aliis eiusmodi libellis vulgo proposuerat. Atque, ut de sola Germania dicatur, catechismus ille, qui „Fundamentum aeternae felicitatis" inscribitur, anno 1498 Coloniae in lucem emissus et ante a. 1510 minimum sexies editus est. Ante a. 1550 catechismos catholicos in Germania conscripserunt Ioannes Gropper, Ioannes de Maltiz (episcopus misnensis), Georgius Witzel, Michael Helding (episcopus suffraganeus moguntinus), Petrus de Soto O. Pr., Ioannes Dietenberger O. Pr. etc. Dietenbergeri catechismus ante a. 1550 octies editus est; priore parte saeculi XVI. e solis prelis coloniensibus septem diversi catechismi catholici prodierunt (*Nic. Paulus* in „Der Katholik", 73. Jahrg. [Mainz 1893] p. 382—384. *Fr. W. Bürgel,* Geschichte des Religionsunterrichts in der katholischen Volksschule [Gotha 1890] p. 50—96. *Fr. I. Knecht,* „Katechismus" in Wetzer und Weltes Kirchenlexikon, 2. Aufl., VII, 288—316. *P. Bahlmann,* Deutschlands katholische Katechismen bis zum Ende des sechzehnten Jahrhunderts [Münster 1894] p. 3—33). Verum cum horum catechismorum alii longiores essent, alii imperfecti vel vitiosi, alii doctrinam non continerent per quaestiones et responsiones dispositam, Canisio nullus omni ex parte probabatur.

[2] Canisius tamen rector universitatis electus est 18. Octobris 1550; ex hac autem epistula conici potest eum iam antea ad id munus destinatum fuisse.

[3] Salmeronem Iulius III. et S. Ignatius Veronae, Lipomano episcopo postulante, concesserunt. Itaque Salmeron Ingolstadio abiit et 11. Septembris Augustam advenit, quo 9. Septembris ex Italia venerant P. Nicolaus Goudanus et Fr. Petrus Schorich; qui 12. Septembris Ingolstadium petierunt, ut Salmeronis et Iaii loco academicam iuventutem instituerent (*Boero,* Iaio p. 171—172, et Salmerone p. 36—37).

93.

P. CLAUDIUS IAIUS S. J.

P. PETRO CANISIO, P. NICOLAO GOUDANO, FR. PETRO SCHORICHIO.

Sociis ingolstadiensibus.

Augusta Vindelicorum mense Septembri 1550.

Ex *Boero,* Iaio p. 222—223; qui usus est epistula archetypa Iaii, ad S. Ignatium data, de qua mox dicetur.

De superiore Sociis constituendo. De muneribus rectoris et vicecancellarii universitatis accipiendis. De pecuniis in promotionibus dari solitis.

Iaius S. Ignatio, Augusta Vindelicorum 18. Septembris 1550: . . „I fratelli in Ingolstad mi hanno scritto circa la superiorità tra loro. Io ho risposto, che a me non toccava costituire capo fra loro, e che, finchè V. P. in questo dichiarasse la sua volontà, vivessero in tal modo, che uno avesse rispetto all' altro, superiores sibi invicem arbitrantes[1]. *La P. V. sarà contenta far loro intendere la sua volontà*[2]. *Mi hanno ancora scritto circa il rettorato e procancellierato dell' università*[3]. *Io ho risposto, che sono uffici da non essere desiderati e ricercati; ma se alcuno di loro fosse eletto a quelli uffici, che li accettino per l' onore del Signore, e per non pregiudicare al collegio, che per la Compagnia si spera di avere. Se altro paresse a V. P., sia contenta far intendere la sua volontà*[4]. *Quando nella università si fa alcun dottore di teologia, alli lettori ordinari toccano certi fiorini. Si dubita, se i fratelli debbono ricevere la sua parte, o lasciarla nelle mani del cameriere, che fa loro le spese, o a quello che piglia il grado, o veramente farli distribuire alli poveri. Nel mese di agosto si è fatto un dottore spagnuolo, cappellano della Maestà Cesarea*[5]*; e Maestro Alfonso Salmerone mi scrisse, se dovevano accettare la parte che toccava, o nò. Non sapendomi risolvere, rimetteva a ciò che Loro pareva. Maestro Alfonso e Maestro Pietro Canisio non vollero accettare la parte, e la lasciarono al detto dottore spagnuolo, il quale ne restò edificato. Pure non so, se l' università ne fu contenta. La P. V. sarà contenta scrivere alli fratelli la sua volontà.“*

---

[1] Phil. 2, 3.

[2] „*Polancus,* ex commissione [S. Ignatii, scribit] Claudio Jaio, ut, si ipsi videatur, Canisium caeteris praeficiat, praeterquam Nicolao Gaudano, qui Canisio collateralis esse poterit, mense Octobri“ [1550]: *Monumenta historica* l. c. p. 79[1]. „Quamvis recusaret P. Petrus Canisius et in P. Nicolaum rejici curam nostrorum optaret, ipsi tamen a P. Ignatio injuncta fuit“: *Polancus,* Chronicon II, 79.

[3] Die 18. Octobris rector eligendus erat, isque ex theologica facultate tunc erat desumendus. Balthasar autem Fannemann, universitatis vicecancellarius (cf. supra p. 312[7]) abitum parabat, Moguntiae munus episcopi suffraganei suscepturus (*Mederer* l. c. I, 219—220).

[4] S. Ignatius Iaio „ut vicino, et rerum germanicarum perito“ rem commisit (*Polancus* l. c. II, 79).

[5] Petrus a Binero, decanus granatensis. Plura vide infra p. 335.

94.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 29. Septembris 1550.

Ex apographo, quod reverendus P. *Ioachim Campo Sancto* exscribendum curavit ex exemplo, quod ipso anno 1550 vel 1551 Roma ad Socios lusitanos missum esse videtur, quodque nunc exstat Olissipone in bibliotheca nationali, Collecção Pombalina n. 490, f. 145. Librarius vetus exemplo suo superscripsit: „De rebus patrum Societatis qui apud Germanos degunt, in Academia Ingolstadiensi."

Multa ex his litteris protulit *Polancus,* Chronicon II, 76—79.

(Litterae „quadrimestres"). PP. Iaius et Salmeron aegre et magno cum honore ab universitate dimissi. Cardinalis augustanus vitae rationem in melius mutavit, Iaio auctore. Societas proceribus commendata. Spes collegiorum Viennae et Ingolstadii condendorum. Salmeron alter Eccius habetur. Goudanus et Schorichius. Ducis favor. Canisius Socios vehementer rogat, ut pro religione in Germania apud catholicos quoque misere iacente Deum precentur. Litterarum studiosi eucharistiam frequentare incipiunt. Decanus granatensis a Sociis gratis laurea ornatus. Wolfii mores correcti. Professorum lites compositae. Canisius „dictat". Disputationes. Summa theologica S. Thomae.

†

Ad Jesu Christi domini nostri gloriam ea dicere aggredior, que summa illius bonitate per nostros hoc loco effecta sunt, ut quatuor mensium reddatur ratio quemadmodum nobis iniunxit T. R. P. Atque ut a Charissimis michi [*sic*] colendisque patribus incipiam, nimirum P. M. Claudio Jaiio, et P. M. Alphonso Salmerone, difficile dictu quam egre dimissi ex hac Academia fuerint, Postquam Pont. Max. et voluntati tuae sic visum est, ut hinc ambo revocarentur, quos acerbo dolore fusisque publice lachrimis non vulgares sed primarii quoque viri prosequebantur. Et neque desinunt adhuc absentium suaviter meminisse, concepta simul indignatione quadam adversus eos, quorum opera hinc evocari dicebantur, uti Reverendissimi Cardinalis Augustani et Reverendissimi Episcopi Veronensis, Quo die ad Cardinalem destinatus abiit Reverendus Pater Claudius, qui precellunt in hac Academia ad illum venientes, et confiteri peccata et accipere Eucharistiam curaverunt, ut hac saltem consolatione quem de patris Charissimi discessu moerorem collegerant, temperarent. Poterat sane commodare[a] nobis Pater Claudius presentia sua; sed eius abitum, ut nunc intelligo, non ad parum multa Christus valere voluit, qui res Societatis suae feliciter usque moderatur. Cardinalis enim ille postquam P. Claudium apud se iterum habere coepit, in melius pleraque commutavit, magna quidem cum laude ac edificatione multorum, sive vestitus[b] simplicitatem spectes, sive mensae frugalitatem, sive profectum in meditationibus nostrorum Exercitiorum consideres. Tum inter edendum relictis hospi-

[a] commodore *apogr.* [b] vestititus *apogr.*

tibus, quos frequentes et sumptuose Germani proceres excipiunt, sacra semet[a] lectione oblectat, pro tot magnatibus, nobilibusque viris, uno pene contentus P. Claudio quo utitur perquam familiariter. Eoque magis confirmatur in nobis, et augetur spes constituendi Collegii, quod Cardinalis idem non frigide promisit nostrae Societati. Et ea ipsa firmiores interim radices iacit in Germania, dum apud hosce Principes P. Claudius coram agit, cum aliis plerisque gratus, tum Regi Rom. haud parum acceptus[1], De praecipuis archiepiscopis hoc certum habeo, mirifice laudatum illis esse hoc nostrum institutum[2]. Taceo publico Germaniae commodo fieri, dum nostrae societatis homines in hisce Comitiis Augustanis degunt, ubi precipuus esse locus potest exhortationibus piis, sanisque consiliis, presertim ad instaurandam Imperii Germanici disciplinam in Christiana fide ac religione, ubi, duce Christo iam id effecit P. Claudius, ut societati nostrae promissum sit Collegium Viennae, que caput est Austriae Veteris, simul Academia nobilis, et ostium exhibens apertum ad Ungariam ac Turcas, promissum, inquam, a Rege Roman. Caesarisque Germano. Qui impensius nunc amare nostros videtur, quo tulit prius molestius P. Claudii pertinaciam in refutando Trigestino Episcopatu vel nolentem eo studens vi summa pertrahere[3]. Prius quam hinc abiret Pater Alphonsus Veronam, ubi summa de illo omnium expectatio est, ut a fide dignis accepi, appararunt[b] hic nobis professores non vulgare convivium. Solent enim Germani hoc velut firmum amicitiae symbolum adhibere quo nichil [*sic*] est illis antiquius ad fidei humanitatisque testificationem. Neque convivio contenti, se curaturos pollicebantur (vellet modo P. Alphonsus) ut modis hic omnibus retineretur. Non enim ferendam iacturam si posset averti, ut ornamento hoc tam insigni Academia spoliaretur. hunc alterum esse Echium[4] et plus quam Echium qui admirabilis doctrinae suae fragrantem odorem iam longe lateque per Germaniam diffudisset, In locum Reverendi P. Alphonsi suffectus Reverendus P. M. Nicolaus Goudanus, doctor, et ipse Theologus et

[a] *Sic legendum esse omnino videtur; apogr. recens:* senex.
[b] accepi. Appararunt *exemplum antiquum.*

[1] P. Claudius Iaius tunc cum Ottone cardinali Augustae Vindelicorum morabatur, ubi comitia imperii, praesidente Ferdinando I. rege, habebantur.

[2] Puto Canisium hos significare archiepiscopos: Sebastianum de Heusenstamm moguntinum (cf. supra p. 176—181), Ioannem de Isenburg treverensem, Ernestum Bavariae ducem salisburgensem (cf. supra p. 120[6]). Sebastianus et Ioannes comitiis augustanis ipsi intererant. Vide Canisii epistulam 30. Aprilis 1551 ad S. Ignatium datam.

[3] Anno 1546 haec res agitabatur. Vide *Polanci* Chronicon I, 179—181.

[4] Ioannes Eccius (Eck, Maier, Maioris), universitatis ingolstadiensis lumen et ecclesiae catholicae columen, 10. Februarii 1543 Ingolstadii e vita abierat, cum ibidem theologiam per annos fere 32 tradidisset (*Mederer* l. c. I, 184—185). Cf. infra, monum. 45.

Germanus et professus nostrae Societatis, una cum comite suo ac fratre nostro Charissimo M. Petro Schorichio[1], Cum huc primum venisset, tum nomine principis valde commendatus, tum laete et humaniter acceptus est ab Academia. Nec dubitarim quin per hosce promotura sit Dei benignitas, quod pulchre coepit, per superiores illos Patres qui summum sui desiderium, doctrinaeque suae famam ingentem Germanis reliquerunt, et multorum erga nos benevolentiam conciliarunt. Multi M. Petrum expetunt, expectantque professorem tum in Graecis litteris, tum in Philosophicis. Qua in re, quod optimum P. T. videbitur, sequendum putabimus. Quamvis repugnaret obtulerunt P. Alphonso viaticum, adiunxerunt equos comitesque septem, aut octo, Inter hos [erant[a]] Magnificus Academiae rector simul et procancellarius[2], multisque miliaribus deduxerunt proficiscentem, Haec tametsi prolixe, non tamen inutiliter ut spero recensentur, ut aperte constet, quo pacto erga nostros hactenus Germani se praebeant tum ut singulare Christi donum hoc omnes intelligant, quod anno uno tantum et favoris et amoris sit nostris hic comparatum, quantum neque Coloniae neque Louanii hactenus, quod sciam, impetravimus, Nec dubito quin primus gradus hoc pacto iaciendus fuerit ex quo pedetentim ad curandos animos tam male affectos, pene dixeram immedicabiles perveniamus, Qua in re spem nobis maiorem prebuit cum viveret Bavariae Princeps Guilhelmus, qui ad collegium nostris extruendum animum adiecerat. Nunc vero spem eandem iterum confirmat augetque magis in dies successor filius. Nam is proxime datis literis ad Pont. Max.[3] singulos e nobis valde commendavit ut nesciam quid honorificentius aut sentire aut testificari potuerit. Idem mira sedulitate contendit, ut nemo quidem nostrum hinc queat evocari, quod alibi locorum, maiore cum fructu, ut scribit, prodesse non possimus toti fere Germaniae[b], Postremo, meditatum inquit, a Parente meo Theologicum ejusdem Ordinis Collegium iamiam ad effectum ducere accinctus sum. Sic ille ad Pont. Max. Et eandem sententiam ab Academiae Gubernatore[4] sic confirmatam habemus, ut Christo duce, quam primum finem habebunt Augustana Comitia, primi in Germania[c] collegii fundamenta, hic putemus omnino iacienda. Vix credi posse suspicor, quantum presidii ex ea re perceptura sit Germania, que nunc undique corruptis homi-

[a] *Aut:* erat. *Vide infra, adnot. 2.* [b] Germania *exempl. antiqu.*
[c] Germana *exempl. antiqu.*

[1] De Goudano vide supra p. 213[5]; de Schorichio supra p. 248. 277[7].
[2] Rector tunc erat Erasmus Wolf, procancellarius Balthasar Fannemann; sed fortasse, hoc Ingolstadio iam profecto, procancellarii munus ad tempus a rectore administrabatur. Cf. *Mederer* l. c. I, 214. 219.
[3] De his Alberti V. litteris Monachio 9. Iulii 1550 ad Iulium III. datis vide infra, monum. 47.
[4] Georgio Stockhammer; vide supra p. 322[1].

num animis, laborat, abundatque, postquam suum virus infudit atque tam late diffudit Lutherana secta, cuius procul dubio foecibus mentes quoque catholicorum asperguntur, ut iam plerisque sint in fastidio ceremoniae sanctae[a] matris Ecclesiae, studium Theologiae, sacerdotii honor et cultus demum omnis verae pietatis. Quare cum eo usque sparsa per Germaniam hereticorum zizania[1] succreverint, ac prestandae obedientiae ratio pene nulla sit, religio charitasque nulla, summum vero quod ventri, carnique persolvitur studium, equidem committere non possum, quin pro afflicta tam miseris modis Germania intercedam. In primis quidem apud Reverendam P. T. cui rem tantam curae esse non dubito, Deinde apud Patres fratresque reliquos huiusce Societatis, eos omnes et singulos quam maxime possum, satis autem posse non videor, per Jesu Christi sanguinem sacrosanctum, per commune ius, sanctumque vinculum fraternae charitatis, per tot pereuntium animarum iacturam gravissimam oro simul, ac obsecro, suis ut precibus ac sacrificiis quothidianis, iuvent nos, Germaniamque nostram, quae nunc spe tantum Tridentini Concilii aliquantulum se consolatur, suis alioquin legitimis operariis miserrime destituta; hoc loco, cum de frequenti sacrae confessionis et comunionis usu nonnunquam alios admonemus, non parum fecisse videri possumus, si rem inauditam ac inusitatam prorsus istorum aures ferre queant. Quod si probent in aliis, etiamsi non sequantur pium institutum, haud exiguus fructus apparet in Germanicis ingeniis. Ita quod apud portugalenses, hispanos, sicilienses fratres vix esse minimum videtur, hic pro magno ducimus fidem in plerisque sinceram invenire ac conservare, Sermo de perfectione consiliisque[b] evangelicis et votis vereor ne officiat prius quam commodet hisce parvulis et utinam parvulis Christi[2], Sed consolatur nos interim deus pater ille animarum [?][c], studiosorum erga nos excitans paulatim benevolentiam, ut, quod nemo ante solebat, confiteantur et Eucharistiam accipiant domi nostrae nonnulli, praesertim dum festa se offerunt celebriora. Simul [?][d] cum adessent multi et ex his Lutherani prius habiti quidam, quo Eucharistiam perciperent, affirmavit mihi vir fide dignus, conspectum in eo templo nichil tam religiosum fuisse unquam post ipsa templi fundamenta[3].

[a] lac *apogr.* [b] conciliisque *apogr.*

[c] *Sic apogr. nostrum; sed puto in archetypo per compendium scriptum fuisse:* misericordiarum: *cf. 2 Cor. 1, 3. „Pater spirituum" est Hebr. 12, 9.*

[d] *Sic apogr. nostrum; sed malim legere:* semel.

[1] Cf. Matth. 13, 24—30. [2] Cf. Matth. 18, 2—3. 1 Cor. 3, 1.

[3] Haud multo post (anno 1551) „*Rogerius Scotter* de Poperinga" Coloniam ad P. Leonardum Kessel de Canisio et Goudano haec scripsit: „Vidimus" Ingolstadii „plures quinquaginta Clericos apud ipsos communicantes, inter quos erant et praecipui Doctores ac Professores fere omnes Vniuersitatis" (Ex *libello, cui titulus „Ex Historia Collegij Coloniensis de Reuerendo P. Petro Canisio excerpta", qui anno 1640 Romam ad praepositum generalem missus est. Cod. „Rheni Infer. 1631.

Reverendus Pater Alphonsus, cum Decanum Theologicae facultatis ageret, mirifica cum laude omnium disputavit, quum nobilis quidam hispanus idemque Caesareae maiestatis Sacellanus aderat, nimirum ad suscipienda insignia doctoratus. Nec minimum aedificationis attulit compluribus quod pecuniae summam recusavimus quae pendi solet in collatione lauree doctoralis [1]. Professores isti valde nos amant et observant, neque sine fructu suo nobiscum conversantur. Asseruit saepe lector primarius [2], sibi sat abunde videri, si quis profectionis nostrae in Germaniam fructum requireret, quod [a] virum unum qui magnae auctoritatis est, ad vitae novae rationem adduxerimus. Is enim cum plerosque non levibus de causis offenderet, et ob fidei negocium suspectus haberetur, nunc postquam nobis confiteri coepit, apud omnes audit optime, libros reliquit hereticos, recte suos, quibus preest, non paucis, instituit, nos literis ultro citroque datis predicat, saepius confitetur et Eucharistiam accipit, ut nemo alius [3]: Admiratur in se felicem commutationem, unde rectius et valet corpore, cupit adolescentes vel suis impensis eo adducere, ut se nobis prebeant instituendos. Persuasimus ut dilatum in multos annos sacerdotii gradum, assumat brevi. Atque ut Germanis concionando, sic nobis in collegio constituendo, magno erit hic idem adjumento.

Diaconus quidam, officii sui immemor, nullam in vestitu servarat honestatem. Is ubi confiteri coepit domi nostrae, incedit decentius, nec sine fructu suo nobis utitur familiariter.

Fuit inter hosce professores lis non minima que libris et [?] [b] editis male fovebatur, ut facultates inter se non convenire, sed alia aliam contemnere videretur. Cum ad graves contentiones ventum esset, ac iniuriarum actio inter partes institueretur, Dei gratia sic placavimus iratos animos ut iunctis inter se dextris pacem utrinque firmaverint, offensam omnes [c] ex animo sibi mutuo remittentes [4]. Ego

[a] qui *apogr.* [b] *Sic apogr.; sed legendum esse videtur:* etiam.
[c] *Sic; sed fortasse legendum:* offensas omnes *vel:* offensam omnem.

1640. I."). Nomine „clericorum" hic cives academicos cuiuscumque facultatis designari (quod olim haud ita rarum erat) res ipsa ostendit.

[1] Hispanus ille ab *Agricola* (l. c. I, 23) vocatur „Petrus a Binero Sacellanus Caesareus, Theologiae jam Baccalaureus, Granatensis Regni Decanus, et Prior." Cf. *Polanci* Chronicon II, 78. *Ioannes Agricola*, universitatis camerarius, anno 1550 adnotavit: „5 fl 5 patzios d. Alphonsus [Salmeron] mihi dedit de Promotione Petri Decani Granatensis" (*Cod. „Codex Dati et Acceptj Facult. Theolog. ex Anno 1536" etc. p. 38. Monachii, in archivo seminarii georgiani).

[2] Significatur, ni fallor, Franciscus Zoanettus, nobilis bononiensis et iuris professor primarius (*Mederer* l. c. I, 213. 291—292).

[3] Canisius de Erasmo Wolfio scribit; vide supra p. 309 et infra, epistulam Canisii, 28. Decembris 1550 ad S. Ignatium datam.

[4] Anno 1549 Vitus Amerbach philosophiae et rhetorices professor poemate comico „Doctor" a se edito senatus academici iram contra se concitaverat, quod universitates et inprimis ingolstadiensem derisisset (*Prantl* l. c. I, 212—213).

lectiones Theologicas ex more prosequor, latine pergo concionari festis diebus, eoque preter studiosos accedunt quidam e professoribus Academiae. Rogant ut quod feci aliquoties, in eo pergam, Germanice concionando atque [?][a] fructum spiritualem ex eo conatu pollicentur. De rebus theologicis, ut hic professorum mos est, etiam dictare coepi, id quod non minus gratum quam utile suspicor auditoribus fore. Nullum hucusque disputandi usum habebant, nunc ut singulis etiam sabbatis velint disputare persuasimus. Collapsa nimirum Theologiae studia, que nunc florere potissimum oportuerat, Christo duce hic promovemus eoque novam in Summa S. Thomae lectionem proposuimus, ut sic disputandi fervor augeri queat.

Ingolstadii feriis B. Angelorum. Ann. M.DL

Reverende P. T.

Indignus filius et servus in Christo
Petrus Canisius.

Litteras hasce a Canisio non esse scriptas illis „feriis B. Angelorum", quae nunc in Germania dominica prima Septembris aguntur („festum SS. Angelorum Custodum"; alibi die 2. Octobris), vel ex eo patet, quod Canisius in earum initio profitetur se per eas Ignatio „quattuor mensium reddere rationem"; postremam autem huiusmodi rationem idem dederat 28. Maii 1550 (v. supra p. 315—319). Censeo igitur eas datas esse festo „Dedicationis S. Michaelis Archangeli" sive die 29. Septembris, qui dies, cum ceteris quoque angelis sacer sit, olim nonnumquam „S. Angeli" et „Engelweyhe-Tag" vocabatur.

Litterae hae sunt „quadrimestres" [1]. Anno 1547 Ignatius Societatis Iesu parens „ad gloriam Dei latius celebrandam, ad confirmandam inter se compagem corporis vniuersi, conglutinandosque in dies magis vniuersorum animos, simulque excitandos sancta aemulatione, et exacuendos in publicae procuratione salutis excogitavit, vt quarto quoque mense de rebus, quas vbique gereret, mutuis se se literis cuncta Societas admoneret. Qui mos diu saluberrime viguit, donec Societate ipsa crescente, semestres; dein etiam annuae literae datae sunt" [2]. De hoc epistularum genere S. Ignatius praecepit: „Escriban cada principio de cuatro meses una letra, que contenga solamente las cosas de edificacion" [3] (Constitutiones Societatis Iesu P. 8, c. 1, M [Constitutiones latinae et hispanicae p. 235]). Ab his autem litteris distinguendae sunt illae, quae negotii causa scribuntur [4]; de quibus Ignatius, inter alia, haec praecipit: „Siendo [el General] en Reino diverso . . ., así los particulares que se dijo imbiados á fructificar, y Prepósitos Locales y Rectores, como Provinciales, escribirán una vez al mes al General; el cual General les hará escribir á ellos

[a] Mihique? Sibique? *Vocabulum obscure scriptum.*

[1] Sunt etiam aliqua ratione nec tamen plane „quadrimestres" litterae positae supra p. 306—314 et p. 315—319.

[2] *Orlandinus* l. c. l. 7, n. 12. Mittendae erant mensibus Ianuario, Maio, Septembri. Polancus Roma 27. Iulii 1547 iussu S. Ignatii de ratione eas conficiendi et transmittendi longas litteras ad omnes Societatis domos dederat. Cf. *„Litterae quadrimestres"* I (Matriti 1894), 5—6.

[3] Cf. etiam, quae ex Societatis Constitutionibus allata sunt supra p. 304 [2].

[4] Aliqua, quae in collegii coloniensis initiis ibidem de litteris mittendis notata sunt, typis exscripta sunt a *Ios. Hansen*, Mittheilungen aus dem Stadtarchiv von Köln VIII (Köln 1893), 283 [3].

comunmente una vez al mes, á lo ménos á los Provinciales" etc. (P. 8, c. 1, L. Constitutiones latinae et hispanicae p. 235). Fiebat etiam (ni fallor), ut, quae sola negotia spectarent, litteris „quadrimestribus" adiungerentur, in folio separato notata, quod nequaquam cum omnibus communicaretur.

95.

P. IOANNES DE POLANCO

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma mense Octobri 1550.

Ex *„Monumentis historicis"* S. J. l. c. p. 75, adnot. 1.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio, de collegio Viennae instituendo, mense Octobri" [1550].

96.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 2. Novembris 1550.

Ex apographo, facto a Boero, et postea collato cum epistula archetypa (Canisius solum subscripsit), posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I." n. 5, p. 117. Particulas edidit idem *Boero*, Canisio p. 74—75, et Iaio p. 173. Eadem usi sunt *Polancus* l. c. II, 69. 80 et *Janssen* l. c. IV, 400.

Se rectorem universitatis factum esse. Quae eius officii praecipuae sint partes. De reformatione academiae. Iuris peritos dominari; haeresim non puniri. P. Goudanum praeclare disputasse. Quomodo ipse et Goudanus doctrinae christianae ac linguis germanicae et graecae operam dent. De collegio condendo, scholasticorum exiguo profectu, casibus Bullae Coenae, iuvenibus sacramenta frequentantibus.

jhesus

Molto Reuerendo in Christo Padre nostro.

La grazia[a] e pace di Cristo Signor nostro sia sempre nei cuori di tutti. Amen. Due mesi sono, che non hauemo nessuna lettera o avviso di V. Reuerenda Paternita, benchè in questo mezzo n' hauemo

---

Iesus. Admodum reverende in Christo pater noster. Gratia et pax Christi domini nostri in omnium animis semper sint. Amen. Abhinc duos menses neque litteras neque alium nuntium a reverenda paternitate vestra accepimus, licet saepe

---

[a] *Ita apographum nostrum; quod et infra habet:* accusazioni, congregazioni *etc. Puto tamen huiusmodi verba aut semper aut saepe scripta fuisse:* gratia, accusationi, congregationi *etc.; sic enim eo tempore scribere solebant; similiter:* Maiesta *loco* Maestà *etc. Apices quoque (v. g.* benchè) *et interpunctionis signa non antiquo, sed nostro more a Boero posita esse facile patet. Eadem de compluribus aliis apographis recentioribus dicenda sunt, quorum archetypa editor non vidit.*

scritto spesse volte. Il R. P. M. Nicolao[1] nell' ultima sua a V. R. scrisse ad longum delle cose nostre communi; e come io, benchè indegnissimo, son fatto Rettore di questa Università[2], della quale toccando in breve, dico, che il frutto poco si mostra, e non poca molestia quanto al governo. Conciosiachè le principali faccende del Rettore sono inscrivere li nuovi scolari, sforzare i debitori a pagare i suoi creditori, sentire le querele e accusazioni de' cittadini e donne contra li scolari, aristare, riprendere gli imbricconi e discorrenti le notti per le strade, mandarli in prigione[3]; avere il primo luogo nelli convitti, congregazioni et promozioni. Per li quali uffizii bisogneria ben hauere più della lingua tedesca. Di modo che quanto alla riformazione del studio et religione, il Rettore, avendo da durare solamente un mezzo anno, comunemente non s' intromette. Onde uedendo quello che si fa, et che si potria emendare in questa Università, quale ha ben di bisogno di una non piccola riforma, aveva gran ripugnanza di pigliare tanto carico insino che da poi la lettera di R. V. espressamente mi scrisse il R. P. Claudio[4] di Augusta, che non dovessi rifutarlo[5], adiungendo come non doverebbe essere sollecito del riformar o d' innovar cosa alcuna per non eccitare rumore contra di noi in questo principio, donde si potesse pigliare occasione di non fare il Collegio[6].

per id tempus ad eandem scripserimus. R. P. M. Nicolaus[1] in postrema, quam ad R. V. dedit, epistula, de rebus nostris communibus copiose scripsit atque etiam rettulit me, licet indignissimus sim, rectorem huius universitatis factum esse[2]. De qua re breviter hoc dico: Laborum fructus apparent pauci, et gubernatio academiae magnam mihi affert molestiam. Praecipua enim rectoris munera sunt: adulescentes nuper advectos in matricula inscribere; debitores ad aes alienum solvendum cogere; querelas et accusationes audire, quas cives et mulieres contra scholasticos proferunt; ebrios et eos, qui noctu per vicos discurrunt, comprehendere, obiurgare, in vincula conicere[3]; in conviviis, congregationibus, promotionibus principem locum tenere. Ad quae recte agenda melius debeo germanice scire. Studiorum itaque et cultus divini reformationem rectores, cum per semestre tantum spatium id officium teneant, aggredi non solent. Videns igitur, quae fierent quaeque emendari possent in hac universitate, reformatione haud levi valde indigente, a tanto onere suscipiendo magnopere abhorrebam, donec R. P. Claudius[4], litteris a R. V. acceptis, Augusta Vindelicorum diserte mihi scripsit me illud recusare non debere[5], addiditque me de ulla re reformanda vel innovanda sollicitum esse non debere, ne in hisce initiis turbae contra nos excitarentur, quae occasionem dare possent desistendi a collegii constitutione[6]. Atque sic agere secura conscientia statutum

[1] P. Nicolaus Goudanus.

[2] Canisius 18. Octobris 1550 cunctis senatus academici suffragiis rector electus est. Vide infra, monum. 50.

[3] Quae Canisius hic universim a se facta esse et fieri refert, ea singillatim ex actis universitatis ingolstadiensis cognosci possunt, quae nunc Monachii in archivo academico asservantur. Ponentur infra, monum. 50—62.

[4] Iaius; cf. supra p. 327[3]. [5] Cf. supra p. 330.

[6] Collegio constituto reformatio illa facilius, uberius, securius effici poterat. Attamen epistulae proxime subiungendae ostendent Canisium rectorem nequaquam academicorum erroribus neque vitiis indulsisse.

Et cosi sto deliberato farlo con quieta conscienza, se V. R. non scriverà altro. Si dice, ed è vero, regnant hic iurisperiti, de quali il principale ieri mi disse, che gli scolari in leggi, puochi in fuora, sono luterani. Et essendo quatro Dottori in legge[1], non sono dal tutto senza suspicione di eresia; et stanno accordi insieme in questo, che non si punisca nessuno per l'eresia. Perchè, come dicono, il Duca, l'Imperatore supportano et permettono tali vitii nella gente. Et che l'Università potria diminuirsi per il zelo della fede etc., come V. R. facilmente intende.

Quanto al pigliare denari da coloro, quali s'inscrivono[2], dal principio non l'ho pigliati, insino che il R. P. Claudio mi scrivesse, che anchora in questo mi conformassi alli predecessori, et avessi risposta di V. R., per la quale desidero essere informato in tutte le cose et aiutato con le sue sante orazioni.

Stiamo tutti sani per grazia del Signor nostro et con buona commodità corporale. Il R. P. Nicolao ha dato principio alle sue lettioni et non sine bona satisfactione di tutti, et poi in una disputa publica ha guadagnato non puoco, dando grande odore della sua dottrina, cioè che non sia solamente teologo, ma anchora philosopho[3]. Volesse Dio, che potesse fra un anno imparare la lingua

---

habeo, nisi R. V. aliud quicquam mihi scripserit. Dicunt idque vere: „Regnant hic iurisperiti"; quorum princeps heri mihi dixit legum studiosos, paucis exceptis, lutheranos esse. Neque quattuor illi, qui ius tradunt[1], haeresis suspicione omnino carent; qui omnes in hanc conveniunt sententiam: haeresis poenas a nemine petendas esse. „Dux enim," inquiunt, „et imperator eiusmodi vitia in suis ferunt et permittunt; atque academiae frequentia illo fidei vindicandae studio minui posset" etc. Quod R. V. facile intellegit.

Quod ad pecunias attinet ab iis accipiendas, qui in album universitatis referuntur[2], initio eas accipere nolui, donec R. P. Claudius mihi scripsit in hac quoque re decessorum exempla me sequi oportere, ac R. V. sententiam exquirendam esse; quae me ad omnia, quaeso, instruat et sanctis suis precibus adiuvet.

Domini nostri beneficio omnes bene valemus et, quae corpora spectant, commoda nobis sunt. R. P. Nicolaus scholae suae fecit „principium"; in quo omnibus bene satisfecit. Et postea in disputatione publica multum profecit, magno eruditionis suae sparso odore; neque enim theologiae solum, sed et philosophiae se peritum praestitit[3]. Utinam is uno anno linguam germanicam addiscere posset,

---

[1] Franciscus Zoannettus (cf. supra p. 335[2]), Nicolaus Everhard „senior" (vulgo Phrysius, Frisius) amstelodamensis, Bartholomaeus Romuleus florentinus (*Mederer* l. c. I, 207—208). Quartus videtur fuisse Ioannes Baptista Weber, quamquam Mederer et Prantl, universitatis historiographi, id non referunt (*Mederer* ad a. 1556 [I, 244]: „Ioannes Baptista Weber, Ivris vtriusque Doctor et Professor Institutionum Ordinarius." *Prantl* haec repetit in „Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität" I [München 1872], 313). Nam ex actis senatus academici infra proponendis (mon. 54) cognoscitur Weberum iam 4. Decembris 1550 „consilio" universitatis interfuisse; cui ordinarii tantum professores interesse poterant.

[2] Quid rector ex legibus academicis acceperit a comite, a canonico etc. vide apud *Mederer* l. c. IV, 196.

[3] Iaius et Salmeron, priusquam Nicolaus Goudanus Ingolstadium adveniret,

todescha, per predicare la parola sua santa et fruttificar nella gente et anchora che bastassimo parlare tanto bene come il fratello nostro Pietro Scorichio, non si trova luogho nelle chiese di questa terra per predicare come sappiamo per esperienza[1]. Per la qual cosa il P. Nicolao et io hauemo determinato prima d'imparar bene la lingua in casa; 2º de conferir gli studii et passar di nuovo libri molto necessari; 3º d'insegnar la dottrina cristiana una volta nella settimana: 4. oltre le lezioni ordinarie et prediche latine[2], d'esercitarchi nella lingua greca, la quale in questi paesi è molto necessaria.

Quanto al Collegio del Duca non sappiamo niente. Dicono, si farà finita la dieta di Augusta. Credo non esser senza providenza divina che finora nessuno di tutta l'Università abbia saputo la promessa del Duca. Preghiamo il Signor eterno, si degni aiutare questa Alemagna, et principalmente per la via dei Collegii della Compagnia, non vedendo altro mezzo più conveniente. Le dispute nostre in teologia, siccome abbiam scritto altra volta, essendo cominciate bene, sono tornate in dietro, talmente che non hauemo quasi speranza veruna in questi scuolari, cognoscendo per esperienza che sono non solamente puochi et insufficienti per le lezioni, ma anchora senza affezione et sete di esser aiutati. Di modo che la materia circa quam versamur

---

qua sanctum Dei verbum pronuntiaret et fructus colligeret ex hominibus huius regionis! Sed etiamsi tam bene loqueremur quam frater noster Petrus Schorichius, locum tamen ad contionandum in aedibus sacris huius regionis nobis praesto non fore experiendo didicimus[1]. Propterea P. Nicolaus et ego statuimus: 1º linguam bene addiscere domi nostrae; 2º, studia inter nos conferre et libros, qui valde necessarii sunt, denuo percurrere; 3º, doctrinam christianam semel singulis septimanis tradere; 4º, praeter scholas ordinarias et contiones latinas[2] in lingua graeca nos exercere, quippe quae in his terris valde necessaria sit.

De collegio ducis nihil scimus. Dicunt rem effectum iri, cum comitia augustana finita fuerint. Neque sine providentia divina factum esse puto, ut ne unus quidem de tota universitate usque adhuc, quae dux nobis promisit, compererit. Dominum aeternum rogemus, ut Germaniae huic succurrere dignetur, idque potissimum per collegia Societatis; nullum enim subsidium magis idoneum novimus. Disputationes nostrae theologicae, quas bene coeptas esse alias scripsimus, deteriores factae sunt, ita ut a scholasticis istis nil fere exspectemus; usu enim cognitum habemus eos non solum paucos et ad scholas ineptos esse, sed neque ullum in iis esse studium neque ullam sitim adiumenti a nobis accipiendi. Itaque „materia circa quam versamur", nimis vilis et indisposita et quasi incapax esse nobis videtur. Do-

---

censuerant, ut is tum expositionem epistulae „ad Romanos" a Salmerone coeptam persequeretur, tum aliquam „ex partibus sancti Thomae" scholasticis proponeret. Quae Goudanus libenter se facturum promisit (*Boero*, Iaio p. 172—173). Sed postea vice Summae theologicae Ethica Aristotelis explicavit ita, ut alternis diebus Aristotelis et Pauli lectiones enarraret (*Polancus* l. c. II, 70).

[1] Attamen paulo post praesto fuisse mox videbimus.

[2] „Doctor Canisius in declamando latine primum se exercere caepit, in diebus festis, cui M. Erasmus [Wolf] tunc Regens nouum posuit in nouo suo Collegio [georgiano] suggestum": Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2ª.

par ci troppo povera, indisposta et quasi incapace. Il Signor ci concedi la santa pazienza e vera allegrezza di stare in questa messe desolata.

Preghiamo V. R., ci avvisi cerca li casi della Bulla Caenae Domini, in quanto possiamo assolvere fuori del caso di eresia, del quale possiamo assolvere per dispensazione del Reverendissimo Nunzio [1]. Il Signor ci ha consolati in questa festa d'Ogni Santi [2] con buon numero di scuolari, communicanti [3] et non senza molta edificazione, di questi scholari quali molto difficilmente possono esser introdutti alla frequentazione de' santi sacramenti. Per il che più carità et pazienza ci bisogna mostrarli. Quanto al fratello nostro Pietro Scorichio, essendo scritto di qua et d'Augusta, et perchè anche fanno instanza per averlo professore, aspettiamo la risposta di V. R., alla quale ci raccomandiamo tutti umilmente, desiderando le sante sue orazioni, et di tutta la Compagnia, non solamente per noi quattro, ma anchora singolarmente per questa misera Alemagna. Il Signor ci conservi et aumenti in sua santa grazia. d'Ingolstadt 2º novembre 1550.

Di V. R. P.

Servo et figliolo indegno
Petrus Canisius.

Al molto Reverendo in CHRISTO Padre il Padre M. Ignatio de Loyola Praeposito generale della Compagnia de JESV appresso a San Marco In Roma.

S. Ignatius Canisio per Polancum rescripsit Roma 6. Decembris 1550.

---

minus sanctam patientiam et veram alacritatem nobis largiatur, ut in messe hac desolata persistere possimus.

R. V. rogamus, ut ad nos perscribat, a quibus casibus bullae Coenae Domini homines absolvere possimus, praeter casum haeresis; ab hoc enim ex dispensatione reverendissimi nuntii [1] absolvere possumus. Dominus die Omnibus sanctis sacra [2] nos consolatus est, scholasticis sat multis sacram eucharistiam percipientibus [3]; qua re eorum pietas magnopere excitata est; difficillimum enim est eos ad sancta sacramenta frequentanda inducere. Quo fit ut eo maiorem caritatem et patientiam iis praestari oporteat. De fratre nostro Petro Schorichio cum hinc et Augusta scriptum sit, cumque etiam de eo professore constituendo instent, responsum reverentiae vestrae exspectamus; cui demissis animis nos commendamus, cupientes precibus reverentiae vestrae et totius Societatis non solum nos quattuor Socios, sed etiam singulariter miseram hanc Germaniam adiuvari. Dominus in sancta gratia sua nos conservet et augeat. Ingolstadio 2. Novembris 1550.

Reverendae paternitatis vestrae

Servus et filius indignus
Petrus Canisius.

Admodum reverendo in Christo patri, Patri M. Ignatio de Loyola, praeposito generali Societatis Iesu, apud S. Marcum, Romae.

---

[1] Aloysii Lipomani; vide supra p. 315.

[2] Kalendis Novembribus.

[3] „Ad decem et septem pervenerunt": *Polancus* l. c. II, 80—81.

97.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma mense Novembri 1550.

Ex *„Monumentis historicis"* S. J. l. c. p. 80, adnot. 2.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio, de Petri Schorichii lectionibus, mense Novembri" [1550] [1].

98.

CANISIUS

MAURITIO DE HUTTEN [2],

episcopo eystettensi et imperii principi.

Ingolstadio mense Novembri vel Decembri 1550.

Ex *Polanci* Chronico II, 69—70.

„P. Petrus Canisius, Rector Universitatis Ingolstadiensis, . . . Eistetensi episcopo et Ingolstadiensis Academiae cancellario . . . summam quamdam reformandorum abusuum . . secreto obtulit."

Quando et quae Canisius episcopo huic scripserit, ad cuius dioecesim urbs ingolstadiensis pertinebat, et qui academiae cancellarius erat, conici potest ex epistula Canisii, 28. Decembris 1550 S. Ignatio inscripta.

99.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 6. Decembris 1550.

Ex *„Monumentis historicis"* S. J. l. c. p. 81, adnot. 1; p. 79, adnot. 1.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio, de haereticis absolvendis et eorum libris legendis; mittit ei etiam authenticum transumptum Bullae ‚In Coena Domini', 6 Decembris" [1550].

---

[1] „Magister Petrus [Schorichius] philosophiam et graecas litteras ut profiteretur, prout Universitas enixe petebat, concessus [concessum?] est": *Polancus*, Chronicon II, 77.

[2] Mauritius de Hutten, Franco nobilis, a 1539—1552 episcopus eystettensis, cum Ottone cardinali augustano et cum Ioanne Cochlaeo amicitia coniunctus, anno 1544 exercitia spiritualia S. Ignatii, duce P. Claudio Iaio S. J., peregerat, quibus „fructum et consolationem spiritualem se accepisse quam maximam fatebatur" (*Polancus* l. c. I, 132—133. *Joh. Heinr. v. Falckenstein*, Antiquitates Nordgavienses oder Nordgauische Alterthümer . . aufgesucht in der Aureatensischen Kirche. 1. Th. [Frankfurt und Leipzig 1733], p. 220—224. *Jul. Sax*, Die Bischöfe und Reichsfürsten von Eichstädt II [Landshut 1885], 430—448).

„Idem Canisio, de officio Rectoris Universitatis et de ejus proventibus quid ei agendum, 6 Decembris“ [1550].

Quid de rectoris salario agere iussus sit Canisius, conici potest ex litteris, quas ipse 30. Aprilis 1551 ad S. Ignatium dedit.

100.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 28. Decembris 1550.

Ex apographo recenti, nuper collato cum epistula autographa, posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I.“ n. 6, p. 119. Polancus in autographo pauca quaedam mutavit; quae infra in lectionibus variantibus ponentur. Versio castellana, saeculo XVI. facta, exstat in cod. „Varia Historia“ tom. I, f. 195.

Epistula integra primum edita est in *„Litteris quadrimestribus“* I, 237—241; versio castellana est ibidem p. 241—244.

Complures epistulae locos iam ediderat *Konstant. Germanus*, Reformatorenbilder (Freiburg i. Br. 1883) p. 305—306. Usus est ea *Polancus* in „Chronico“ II, 80—81.

Iaio auctore a Ferdinando I. collegium viennense promissum esse. A cancellario cuiusdam electoris ecclesiastici institutionem collegii Societatis commendari. Iaius quam sit cardinali augustano familiaris. Disputandi rationem, contionum et sacramentorum frequentiam apud academicos promoveri. Quae remedia contra librorum a Lutheranis scriptorum inundationem et contra pravos mores adhibeantur. Qua ratione ipse rector factus sit. Dissidia composita esse, ieiunia et officii divini recitationem reflorescere, facultatem pro haeresi confessariis obtentam. De regente collegii georgiani eiusque exercitiis spiritualibus primaque missa. Edicta pro religione conscriptum iri.

IESVS

Reuerende in CHRISTO Pater

Gratia Domini Nostri IESV CHRISTI et pax nobiscum perpetua. Postquam huc venit R. P. M. Nicolaus Goudanus eiusque comes M. Petrus Scorichius (nunc quartus est mensis), summa Dei bonitate et recte valemus, et ut ante solebamus, in praelegendi functione versamur. Nec procul hinc abest R. p. Claudius[1], de quo saepe testati sumus, quantum praesidii tum nobis, tum Societati huic toti adferat, dum in Comitiis manet Augustanis[2]. Perfecit sane (summa Deo patri summo gloria) ut Sereniss. Romanorum Rex Ferdinandus non promiserit modo, sed literis etiam datis partim ad Pontificem Max. partim ad R. P. T. promissionem hanc firmauerit, curaturum se statim in academia sua Viennensi, ut Societati nostrae Collegium bene dotatum assignetur. Quare duos illuc e nostris Theologos mitti voluit, qui locum et fundamenta totius Collegii occuparent[3]. Hoc

[1] Iaius. [2] Vide supra p. 332.

[3] Eosdem theologiam quoque in universitate docere Ferdinandus volebat. Eorum alterum cupiebat esse Iaium, „qui ob ipsius praestantem in sacris literis doctrinam

primum apud Germanos collegium nostris erit, tamdiu desideratum, cui nihil dubitamus propediem accessurum Ingolstadii alterum, CHRISTO adiuuante. Quo fit, ut precari sedulo debeamus patrem misericordiarum[1], ut pro piissimo Rege Ferdinando et pro genero illius Duce hoc Bauariensi[2], quos deinde ceu duces alii quoque (ut ipsa coget necessitas) in Germania passim imitabuntur. Cui rei argumento esse potest vir summus, qui Cancellarium agit cuiusdam Principis Electoris[3], non amicus quidem Societatis, sed qui causam tantam et fructum istorum Collegiorum intelligens rescripsit cuidam in haec verba — Literas tuas Reuerendissimo Domino nostro, commoda quaesita occasione, et cum mollia tempora fuerint affandi exhibebo, simulque manibus ac pedibus tuam sententiam confirmabo. (De literis loquitur in gratiam Collegii nostri accurate scriptis)[4] Quamquam res ipsa non egeat aliqua persuasione, cum non solum sit omnium sanctissima et honestissima, sed et maxime utilis et necessaria, quaeque a Reuerendissimo sine maximo dedecore, scandalo et detrimento etiam salutis suae omitti minime queat. — Hactenus ille, cuius verba nos ad laudandum DEVM vel ob id provocare queant, quod in aulis principum Germanorum ita cognitae simul et probatae sint res Societatis, iuvante plurimum, ut dixi, praesentia R. P. Claudii, quo nec immerito tantopere delectatur Reuerendissimus Cardinalis Augustanus, illum pene solum habens, quo utatur familiarissime, cuiusque ductum sequutus, vitam[a] et aulam suam reformasse prorsus existimatur[5].

P. Nicolaus in praelegendo admodum et sibi et aliis proficit, laudatur in disputandi ratione, quam sua quidem praesentia non parum iuuat, promouetque. Brevi post auspicaturus est Aristotelis Ethicam, quae lectio plures quam theologica nobis promittit auditores[6]. Tum festis diebus pergimus contionari, sed maiore quam antea, cum audi-

[a] *Polancus in margine addidit:* licet alioqui probatam. *Versio castellana:* a tanto reformado su casa y costumbres.

vitaeque probitatem et modestiam nobis iam pridem notus ac gratus et charus est" (Epistula Ferdinandi regis, Augusta Vindelicorum 11. Decembris 1550 ad S. Ignatium data, in *Actis Sanctorum* Iulii, VII [Parisiis et Romae 1868], 507, et in „Cartas de *San Ignacio*" II, 548—550). [1] 2 Cor. 1, 3.

[2] Albertus V. uxorem duxerat Annam Austriacam, Ferdinandi I. filiam.

[3] Ex epistula 24. Martii 1551 ad Mauritium episcopum eystettensem a Canisio data intellegitur hic ab eo significari Ioannem de Isenburg, archiepiscopum treverensem et romani imperii electorem. Cuius cancellarius tunc fortasse doctor Iacobus Wimpheling fuit.

[4] De collegio in ipsa urbe treverensi condendo agebatur (*Polancus* l. c. II, 67—68). [5] Vide *Polanci* Chronicon II, 76.

[6] Prima iam „statuta" academiae ingolstadiensis (a. 1472) habent: „volentem promoveri ad Magisterium [artium] debere audivisse" per 32 hebdomadas Aristotelis Ethica; „legantur 6 libri" (*Mederer* l. c. IV, 94). Annis autem 1526 et 1535 statutum est, ut quattuor priores libri Ethicorum omnibus explicarentur (*Prantl* l. c. II, 177. 181—182).

torij et professorum frequentia[1]. Fructum aliquem ostendunt confitentes, quos adeo multos nuper[2] diuina tribuit benignitas, ut annis abhinc plurimis fuisse plures negent, quiue sacram Eucharistiam perciperent, ex communi inquam grege studiosorum. Accedit quod haereticorum libros nobis resignant, et suspectorum authorum scripta deserant abiiciantque. Et hac in parte non minima videtur pestis Germaniae, ut alias admonuimus, cum inferiores etiam artes ab haereticis plurimum tractatae, habeant venena sua, et vel impiis exemplis adductis inficiant fere adolescentes. Quare operam damus, ut nomine publico caueatur, ne quis aut vendat aut teneat suspectos codices, iique visitentur a certis et fidedignis viris ad hoc deputatis, non in publicis tantum bibliothecis, verum etiam in privatis multorum cubiculis[3]. Qua de re, sicut et de aliis quibusdam abusibus, quos nimium iam inveteratos esse dolemus, literas dedimus ad primaria capita huius academiae[4], orantes ut pro authoritate sua provideant et occurrant hisce morbis, qui partim disciplinam pietatis, honestorumque morum attingunt, partim rectam studiorum rationem perturbant ac distrahunt. Ita fiet, speramus, ut et illi magis offitii sui meminerint, et nos provintiae Rectoratus non defuisse videamur. Mense etenim Octobri, quum ad novi Rectoris (ut vocant) electionem ventum esset, pari consensu professorum et suffragantium omnium accidit, ut repugnanti etiam mihi hoc munus delegarint. Nec satis licuit recusare, quod ut susciperem onus, R. P. Claudii faciebat authoritas, sententiaque tua obseruande pater, et eorum qui mecum sunt in Christo fratrum consensus post multas ad Deum fusas precationes flagitabat. In quo munere administrando multa sunt quae singularem erga nos Dei Patris bonitatem commendent, et gratiam comprobent. Placuit enim aeternae ipsius benignitati, ut per huius ministerii occasionem professores in primis iuuarentur, atque magistri, quos inter se mutuo grauiterque dissidentes in gratiam rediisse tandem gaudemus, ut diuturnae simultates et publicae contentiones jam conquieuerint, Deo duce pacis omnis authore[5]. Deinde magno studiosorum omnium bono factum affirmant, quod tres non optimi exempli adolescentes relegati et hinc excedere iussi sunt[6],

[1] Latine contionabantur in collegio georgiano. Vide supra p. 340[2].

[2] Festum Nativitatis domini certe significat.

[3] Universitas ingolstadiensis iam anno 1531 omnes Melanchthonis libros proscripserat. Ac mense Octobri a. 1548 senatus academicus decreverat, libros Alexandri Weissenhorn typographi inspicere eidemque interdicere, ne opera quaedam Melanchthonis et Cornelii Agrippae venderet (*Prantl* l. c. I, 162. 163). Annis etiam 1550 vel 1551 eiusmodi inspectionem factam esse Prantl non comperit.

[4] Ad Mauritium de Hutten episcopum eystettensem; vide supra p. 342. Scripsisse Canisium etiam ad Georgium Stockhammer puto, qui curator et patronus erat universitatis.

[5] Vide supra p. 235. Cf. etiam infra, monum. 55.

[6] Quae ab his commissa quaeque de iis acta sunt, ex actis senatus academici proferentur infra, monum. 51—62.

posteaquam apud multos viguit cultus honestae disciplinae, ad quam non sine timore et terrore proposito, hic praesertim, reuocari posse videantur. Tertio, desierunt professores praelegere libros haereticos et priuatim et publice: tum accessit cautio, ut ne in posterum quidem praelegantur iidem authores, quos etiam, ut ante dixi, ne huc invehantur curabimus, adiuncta simul, ut speramus, fida inquisitione [1]. Quarto, cum in collegio publico studiosorum [2] non essent ieiunationes, quas praescribit s. mater Ecclesia, et aperte, magnoque cum scandalo violarentur, eo rem brevi adductum iri speramus, ut sicut quaedam in hac parte iam immutata sunt, ita magis magisque in dies hic reformetur abusus, quia totus est noster illius praeses Collegii [3]. — Qui confessiones poenitentium audiunt (de omnium praecipuis loquor), nunc consilio nostro et opera R. P. Claudii facultatem impetrarunt, qua periculosissime destituti fuerunt hactenus, in casu (ut vocant) haeresis absolvendae [4]. — Complures ecclesiastici homines nihil recitarunt de horis Canonicis. Eos pensum hoc nobiscum persolvere curavimus, ut recitandi morem addiscerent, et quia Breviarii novi Romani [5] usus maxime placebat, impetravimus illis, quod petebant, a Reuerendissimo Legato Pontificis. Itaque pergunt quotidie in recitandis horis canonicis, et eorum nonnulli vestitus etiam honestatem ostendunt.

Exercitia primae, ut vocamus, hebdomadae illi communicavimus [6] ex parte, qui primum in hac Academia locum tenere videtur. Confessus est generatim [a] non sine magna animi sui moerore, ac fletu, consilioque et magisterio nostro usus in templo nostro celebrauit primitias, contempta omni pompa [7]. Multae fuit aedificationi plurimis, quod communicantium Eucharistiae adesset tunc frequentia, qualis ab initio huius Academiae nescio si conspecta eo loco fuerit. Valde nobis profuturum in Domino videtur, illius viri amorem et beneuolentiam penitus conciliasse, cum huius authoritas apud omnes in pretio

[a] *Polancus haec sic immutavit:* Universalem vitae totius instituit confessionem. *Versio castellana:* a hecho confesion general de toda su vida.

[1] Quid hac in re a senatu constitutum sit vide infra, monum. 53.

[2] Collegium (seminarium) georgianum etiam hodie superest, cum ipsa universitate ingolstadiensi Monachium translatum.

[3] Erasmus Wolf; vide supra p. 309. 317—318.

[4] Dubium non est, quin eam facultatem obtinuerint a Sebastiano Pighino, archiepiscopo sipontino, quem Iulius III. aestate anni 1550 Augustam Vindelicorum ad Carolum V. miserat, Aloysio Lipomano et Petro Bertano nuntiis revocatis (*Druffel,* Briefe und Akten I, 423—429. 468). [5] Breviarii „Sanctae Crucis" ; v. supra p. 196[2].

[6] Illam exercitiorum spiritualium S. Ignatii partem dicit, quae in considerandis peccatis et confessione generali facienda versatur et viam „purgativam" (ut ascetae loquuntur) constituit atque exercitia peragentibus semper ac praecipue explicatur.

[7] Erasmus Wolf significatur; vide supra p. 318. „Huic nouo sacerdoti in Collegio nostro cum primum sacrificaret, Doctor Canisius astitit" : Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2[a]. (Cf. *Joh. Nep. Mederer,* *Geschichte der Stadtpfarrei St. Moritz in Ingolstadt, f. 44[a]—45[b] [Cod. archivi parochiae S. Mauritii, Ingolstadii].)

habeatur. Hodie nobis iniuncta est prouintia, ubi professores conuenissent, ut pro religione conscriberemus edicta quaedam, paulo post omnibus studiosis proponenda. Faxit Dominus IESVS, ut quae tum ad nostram, tum ad aliorum salutem procurandam faciunt, recte intelligamus et strenue perficiamus. Hoc unum addere tandem visum est, et magni sane momenti illud, dignetur ut R. P. T. precari pro Germania, eiusque statum omni ex parte miserabilem et suis et fratrum omnium precibus CHRISTO commendet. Ingolstadii 28 Decembris anno 1550.

Indignus in Christo seruulus
Petrus Canisius.

Reuerendo admodum in domino patri meo M. Ignatio de Loyola, Praeposito Societatis IESV — Romae.

S. Ignatius per Polancum rescripsit 11. Martii 1551.

101.

CANISIUS
P. IACOBO LAINIO S. J.

Ingolstadio 10. Februarii 1551.

Ex apographo recenti, nuper collato cum epistula autographa, posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I." n. 6 bis, p. 378.

Lainio expeditionem africanam gratulatur. Eius contiones audire cupit. Eum obsecrat, ut catechismum pro pueris germanis conscribat. De suis et sociorum scholis et contionibus. De rectoratu suo. Preces petit.

Iesus.

Reuerende in CHRISTO pater

Gratia Domini nostri IESV CHRISTI semper in nobis augeatur. Amen. Gratias divinae bonitati agimus, quod Romam salva venerit R. T., simulatque in Aphricana victoria non sine multorum salute et commodo interfuisti [1]. Nunc Florentiae opinor degis contionaturus hac quadragesima, quantum literae P. Paschasii [2] significant. Det fructum Dominus in amplissima messe, ut verbo suo sancto convertantur qui audient contiones tuas, quas utinam mihi detur etiam

---

[1] Anno 1550 Ioannes de Vega Siciliae prorex, classe ad africanam oram appulsa, Dracutum archipiratam e nido suo exturbavit. Cui expeditioni Vegae rogatu Lainius interfuit contionator, confessarius, nosocomii praeses (*Orlandinus* l. c. l. 10, n. 88—95. Vita P. Iacobi Laynis, a P. *Ribadeneira* hispanice scripta; Latine vero ab *And. Schotto* [Coloniae Agrippinae 1604] c. 6, p. 23—32. *Gius. Boero* S. J., Vita del Servo di Dio P. Giacomo Lainez [Firenze 1880] p. 116—118. Cartas de *San Ignacio* II, 519—530).

[2] P. Paschasii Brouet (Broet), opinor, qui ex primis S. Ignatii sociis fuit et hoc ipso anno 1551 ab eo primus Italiae „praepositus provincialis" constitutus est. Laynez a. 1551 non Florentiam, sed Pisas venit (*Ribadeneira-Schottus* l. c. c. 7, p. 33 *Boero* l. c. p. 118—120).

audire: majorem ex illis profectum sperarem, quam linguae imperitus et ignavus [*sic*] colligebam, quum Florentiae viverem cum R. T.[1] Saepe quidem dolui occasionem illam, quae tunc parata erat, non observatam a me fuisse diligentius, eoque magis precor R. P. T. ut precibus et sacrificiis suis me Deo commendet, cuius gratiam in vacuum recipere[2] necdum cesso, mihi semper similis id est in hac Societate servus piger et inutilis[3].

Romam aliquando scripsi de Catechismo, qui Germanicae iuventuti proponeretur iuxta Societatis nostrae et iudicii tui rationem ac disciplinam. Sed et R. P. Claudius idem ad nos scripsit, consultissimum sibi videri, si P. T. dignaretur doctrinam CHRIStianam colligere, ut Germanis pueris et simplicioribus quibusque doctrina Ecclesiae, a qua tam longe aberrant, facilius commendaretur. Ego saepe una cum fratribus in eadem fui sententia, plurimum nempe nobis et aliis prodesse posse per Germaniam, si secundum gratiam a Deo datam[4] R. T. modus conscriberetur aliquis, qui propius ad instituendos recte adolescentes accederet, quam plerique alii passim aediti Catechismi, qui etiam saepe nocent iuventuti[5]. Rogamus igitur enixe, et pro bono Germaniae publico desideramus, ut si dominus inspiret aliquid ad hanc rem accommodum, nobis communicare digneris, missa huc, si ullo modo videatur consultum, doctrina Christiana. Efficiemus enim favente domino, ut haudquaquam frustra hunc laborem suscepisse et nobis filiis annuisse videaris[6].

De R. P. Nicolao Goudano, qui primus Venetiis rector nostrorum fuit, intellexisti arbitror, quod in locum R. P. Alphonsi huc fuerit destinatus. Is quotidie docet aut in Ethicis Aristotelis, aut in Paulina ad Rom. epistola, nec habet pauciores, quam P. Alphonsus habuit, auditores, quibus etiam Dei gratia satisfacit, valetque plurimum in disputationibus publicis. Ego in Sententiis docere pergo; festis diebus concionamur: multum negotii et nonnihil fructus spiritualis, hic tribuit Rectoratus, cui utinam omni ex parte satisfacere possem. Sed nosti, tarde maturescere messem apud Germanos, eoque diligentius Dominum oret pro nobis R. T., ut e petra panes[7] et homines Deo digni efficiantur. Magna in expectatione sumus futuri Collegii, non solum id nobis, sed etiam Pontifici promissum est a Duce[8], quem tuis etiam precibus commendamus. Tres hoc loco manemus. M. Petrus[9] qui tertius et chariss. frater adest, brevi Aristotelem in Logicis auspicabitur. Rarissime ad nos ex Italia scribitur, tuaeque occupationes et tenuitas

[1] Canisius a mense Iunio usque ad Septembrem anni 1547 cum Lainio Florentiae fuerat. Vide supra p. 47[4]. [2] 2 Cor. 6, 1.

[3] Matth. 25, 26. 30. Luc. 17, 10. [4] Rom. 12, 6.

[5] Vide supra p. 313. 328—329.

[6] Lainius aliis semper iisque gravissimis negotiis impeditus est, quominus catechismum ipse conscriberet.

[7] Cf. Matth. 4, 3. [8] Vide supra p. 333. [9] Schorichius.

nostra non ferent fortasse, ut vel paucula hic in exilio velut relictis respondeas. Quod si fieri non potest ut R. T. literis consolemur hanc tristem solitudinem nostram, saltem orando miseros adiuva, quo et nos tua vestigia sequentes divinae gratiae cooperemur, terraque nostra sterilis aliquando fructum reddat, Deo benedicente: Plurimum salutari in Christo cupimus D. D. Ioannem Medicum[1] una cum conjuge sua. Dominus vias nostras dirigat in gloriam suam, praecipue Germaniam quaeso commendatam habeas, mi pater. Ora sedulo cum fratribus pro deserta vinea, quae sine operariis perit. Ingolstadii, 10 Februarii anno 1551.

Servus et filius in Christo
Petrus Canisius.

Reuerendo in Christo Patri M. Iacobo Laynez. de Societate IESU eximio Theologo, patri observandissimo Florentiae.

102.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 11. Martii 1551.

Ex „Monumentis historicis“ S. J. l. c. p. 261, adnot. 1.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio, ejus animum erigens adhortansque ut pluris exiguum id, quod in Germania fit, aestimet quam magna quaelibet, quae ipsi alibi fieri posse videantur, 11 Martii“ [1551].

103.

CANISIUS

suo et sociorum nomine

MAURITIO DE HUTTEN,

episcopo eystettensi.

Ingolstadio 24. Martii 1551.

Ex autographo (8⁰ mai.; 1 p.; in p. 4. inscr. et sigillum integrum). Eystadii in archivo curiae episcopalis.

Edita a *Ios. Ge. Suttner* in „Pastoral-Blatt des Bisthums Eichstätt“, 12. Jahrg. (Eichstätt 1865) p. 115. Particulam proposuit *Riess* l. c. p. 110.

Socios ingolstadienses scholasticorum eystettensium studia litteraria diligenter promoturos esse. Mauritio gratias agit, quod Societatem Treverensibus commendarit quodque serio curet, ut eius res Ingolstadii bene succedant. P. Claudium Iaium Eystadium venturum esse.

[1] Ioannem de Rossis (de Rossi), medicum florentinum; de quo Canisius etiam scribit litteris 3. Iulii 1557 ad Natalem datis. Cf. *Litteras quadrimestres* I, 41.

IESVS

Reuerendissime in CHRISTO pater, et Princeps Jllustrissime,

Gratia Domini nostri JESV CHRISTI, et pax aeterna nobiscum Amen.

Abijt hinc, priusquam putabamus, Durschius noster, quem commendare literis vt isthuc veniret commendatior, pro nostro in illum amore desiderabamus [1].

Fauebimus certe, vti coepimus, tum illius, tum sotiorum bonis studijs, atque honestis conatibus: eoque magis, quo grauior de his est concepta expectatio, non aliorum modo, sed etiam tuae dignitatis. Cui cum multa multis nominibus debemus omnes, qui in hac qualicunque JESV societate versamur, tum ob id sane plurimum, quod in Comitijs proximis [2] nihil non tentarit pietas tua, vt e nostris acciperet ministros et magistros aliquot Ecclesia Treuerensis [3]. Et iam certo [a] scimus, quam sedulo ac serio curaris, vt Jngolstadij res nostrae succederent [4], quemadmodum et literis absens, et viua voce coram breui testatus est, qui tuam vere amplitudinem obseruat et amat, R. Pater et Doctor ille CLAVDIVS. Jgitur haec noua sunt offitia, inditia certa sunt perpetui in nos amoris, quo vniuersam hanc IESV societatem perpetuo demeretur sibi, planeque deuincit pietas tua: digna profecto, cui neque nostras preces, neque curas, neque vigilias, aut operas vllas vnquam denegemus. Sed perfacile est inquiunt, gratias agere, benefitium ornare, verbis polliceri. Nos vero testari reipsa potius, quam inanibus literis prosequi cuperemus, quid daemum rependere Patrono nostro gestiamus, sed pro nostra quidem, etsi modica, non ingrata tamen tenuitate. Atque vt rependere non liceat vnquam,

---

[a] *Suttner:* certe.

---

[1] Ioannes Durschius (Dirschius, Dyrsius) „Eystettensis", „alumnus Episcopi atque canonicus" erat (Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2[b]). De quo plura infra dicentur.

[2] Comitia imperii 26. Iulii 1550 ad 13. Februarii 1551 Augustae Vindelicorum habita sunt.

[3] Cf. supra p. 344. Ioannes de Isenburg, archiepiscopus et elector treverensis, comitiis augustanis ipse interfuit (*I. Sleidanus*, De statu religionis et reipublicae, Carolo Quinto Caesare, l. 22 [Argentorati 1566], f. 402[b]). „Quamvis dissuasores non deessent, qui multa etiam falsa Societati imponebant," his, ope maxime episcopi eystettensis, redargutis, Treveris collegium Societatis condendum esse constitutum est (*Polancus* l. c. II, 67—68).

[4] Ex epistula S. Ignatii, Roma 23. Februarii 1551 ad Mauritium episcopum data (*Genelli* l. c. p. 496—497. Cartas de *San Ignacio* II, 451) cognoscitur Mauritium ad Ignatium litteras misisse „humanitatis et benevolentiae christianae" erga Societatem „plenissimas", in quibus scripsit, „curandum esse, ut qui ex" Sociis „Ingolstadii sunt, alio non transferantur". Ignatius respondit, „hoc missionum munus" a Societate summo pontifici commissum esse. Plenius autem, quid ipse ea de re sentiret, Mauritium cogniturum esse ex Iaio. Cui Ignatius eodem die copiose scripsit (*Genelli* l. c. p. 497—499. *Cartas* II, 303—310). Vide etiam epistulam a Canisio ad Ignatium datam 30. Aprilis 1551.

non gratiam referre praestantiae tuae, suppetit tamen certa merces adhuc, et plusquam plena remuneratio, quae nempe constat apud Deum benefactis, ideoque nec defutura tuis in nos studijs, offitijs, fauoribus. Quod porro ad R. Patrem, Dominumque Doctorem Claudium [1] spectat, breui huc se venturum recepit, vt suis vale dicat, priusquam in Austriam proficiscatur [2]. Nec dubium, quin pro singulari in Celsitudinem tuam animo suo sit curaturus, vt Episcopalem benedictionem Eijstadij coram accipiat, quo foelicius adeat nouam hanc Viennae conditionem. Qua de re lubenter illum monebimus, quamprimum a Cardinalis aula huc accesserit. CHRISTVM pro nobis afflictum precamur, tuam vt excellentiam poenis omnibus liberet, nouasque vires impertiat ad sacrum pascha celebrandum [3]. Jpse nos peccato mortuos, iustitiae viuos efficiat in gloriam suam [4] Amen. Qui mecum sunt fratres, quam offitiosissime possunt, salutatam in Christo cupiunt tuam dignitatem. Ingolstadij 24 Martij 1551.

Reuerendissimae Cel. Tuae

Seruus in Christo,

Petrus Canisius Nouiomagus
et suo et fratrum nomine.

† Reuerendissimo in Christo Patri et Jllustrissimo Domino, D. Episcopo Eijstattensi, Patrono et Cancellario dignissimo.

104.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

PP. PETRO CANISIO ET NICOLAO GOUDANO, S. J.

Roma 31. Martii et 2. Iunii 1551.

Ex *„Monumentis historicis“* S. J. l. c. p. 257, adnot. 1.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio et Nicolao Gaudano, eorum animos erigens et promittens frequentiores in posterum se ad ipsos litteras daturum, 31 Martii et 2 Junii“ [1551].

---

[1] Iaium.

[2] Commissum ei erat, ut Viennae theologiam traderet et collegium Societatis incoharet. Vide supra p. 343—344.

[3] Festum paschatis anno 1551 agebatur 29. Martii.

[4] Cf. Rom. 6, 11.

105.

CANISIUS
ACADEMIAE INGOLSTADIENSIS ADULESCENTIBUS STUDIOSIS.

Ingolstadio 5. Aprilis 1551.

Ex archetypo (in 2° duplo, charta transversa, 1 p.), manu ignota scripto. Ex reliquiis cerae viridis in quattuor angulis paginae posterioris comparentibus intellegitur litteras has Ingolstadii affixas fuisse eo loco, quo universitas edicta sua promulgare solebat. Postea Canisius eas Friburgum usque Helvetiorum secum asportavit et in charta aversa partem contionis germanicae a se habitae scribendam curavit, quam et sua manu correxit. Exstant in cod. „Scripta B. P. Canisii X. U a" ff. non sign.

Excusat se, quod litterarum studiosis tam saepe litteras publicas proponat. Quaenam aestivo tempore mutationes faciendae sint in horis scholarum etc. Aristotelis „Ethica"; Sophoclis „Oedipus Coloneus"; Lucianus. Curatum iri, ne ullius artis professio desit; sed auditores quoque diligentes esse debere.

RECTOR ACA
demicus Studiosis omnibus.

Saepius fortasse quam gratum est, uideri possumus literas publicas uobis proponere, Studiosissimi atque optimi adolescentes, nec satis scimus quo tandem animo adhortationes nostrae toties repetitae, a plaerisque excipiantur. Sed euincit tamen nos sollicitudo de uobis, uestrorum commodorum cura, amorque uestri singularis efficit, ut malimus frequentiam quibusdam displicere, quam hac in re officium nostrum desiderarj. Speramus igitur vos simili affectu haec amplecti, quo nos uestram aetatem prosequentes proponimus. Praeterierunt iam feriae, et lectionum vacationes [1], ut et illud nos vsurpare possimus tritum sermone omnium, foras Cares, non amplius Anthisteria [2]. Cum igitur Domini Professores omnes ad suam legendi prouinciam redituri sint, uestri erit officij eos diligentissime audire. Et quoniam mutatio iam aliqua facta est, hunc ordinem etiam illis qui ignorare possent, indicamus [3].

[1] „Statutis" anno 1522 „renovatis" sancitum erat, ut superiorum facultatum scholae tempore paschali per 15 dies, „a Dominica Palmarum usque ad alteram post Dominicam Quasimodogeniti" (eo anno 22. Martii ad 6. Aprilis) interquiescerent. Vide „Statuta renovata" apud *Mederer* l. c. IV, 195.

[2] „*θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' ἀνθεστήρια.*" Quod proverbium etiam posuit et explicavit *Erasmus* in „Adagiis".

[3] De professoribus, quorum in his litteris fit mentio, haec sunt notanda: P. Nicolaus Goudanus praeter Epistulam ad Romanos „Ethica" quoque Aristotelis exponebat (v. supra p. 339. 344). Franciscus Zoanettus, Nicolaus Everhard „senior" sive Phrysius, Bartholomaeus Romuleus ius docebant (cf. supra p. 339 [1]). Wolfgangus Gothard „grammaticae latinae et Ciceronis professor ordinarius" erat (*Mederer* l. c. I, 224). Ioannes Lorichius, hadamarius, linguae graecae et artis dicendi professor, hoc ipso anno Ingolstadii universitatis hortatu in lucem emisit opus: „Grammatices Latinae

VI Hora.

In sacrosancta Theologia legetur hora Sexta quottidie, eamque operam profitendi Domini Theologi partientur. Ethicorum autem lectio in paucos dies differetur, dum exemplaria aduehantur; deinde et in ijs explicandis Dominus D. Nicolaus solitam suam diligentiam adhibebit. Eadem hora excellentissimus uir Dominus Franciscus Zoanetus, qui faeliciter ad nos et summa omnium expectatione redijt [1], suam lectionem prosequetur.

VIII Hora.

Hac hora, ut forte non ignotum est antea, Clariss. et Eximius vir Dominus D. Nicolaus Phrysius leget. Reliquas lectiones antemeridianas omnibus notas arbitramur.

II Hora

Clarissimus Dominus Bartholemaeus Romuleus perget, ut ex ipsius scriptis cognoscetis. Eadem hora et loco solito Johannes Lorichius Poeta Laureatus Sophoclem Poetam Tragicum, in suo genere praestantissimum, enarrabit, et vt ex ipso intellexi, Oedipum Colonaeum [*sic*] Tragoediam ubique memoratam et a doctissimis laudatam interpretabitur, quibusdam horis adiunget etiam Lucianicum aliquod opusculum, ut non minus solutam Orationem Graece eloquentiae quam ligatam Tyrones audire possint.

III Hora.

Hac hora M. Wolfganngus Gothardus Grammaticam latinam, que nuper a Domino Johanne Lorichio est conscripta in Collegio ueteri vt publice constitutum est, fide et diligentia consueta docebit. Tantum ea indicare voluimus que mutata nonnihil sunt hoc tempore. Jn his igitur et omnibus alijs uellemus omnes adolescentes assiduos esse, ut quilibet quod sibi vtile putarit assequatur. Curabitur autem a nobis, et breui futurum est, ut nulla cuiuscunque facultatis aut disciplinae professio desideretur, ne ullus sit calumnijs et inuidorum querelis locus. Vtinam non minus professores de ignauia auditorum, quam illi de lectionum copia et utilitate possent conqueri. Optamus praeterea et conamur omnes ne quis hic operam ludat, Sed omnes et singulj studiorum suorum uberrimos fructus reportent. Datae sub Sygillo nostro Nonis .Aprill. Anno salutis humanae LI.

Commentarij è Praestantissimis eius scientiae autoribus, et Coryphaeis, in usum Academiae Ingolstadianae, recens collecti . . . nunc autem publica autoritate editi" (*F. W. E. Roth*, Die Gelehrtenfamilie Lorichius aus Hadamar, in „Centralblatt für Bibliothekswesen", 11. Jahrg. [Leipzig 1894] p. 382).

[1] Romam ad Iulium III. pontificem ab Alberto V. duce missus erat (*Mederer* l. c. I, 224).

106.

CANISIUS

rector et senatus academicus

ADULESCENTIBUS STUDIOSIS UNIVERSITATIS INGOLSTADIENSIS.

Ingolstadio 15. Aprilis 1551.

Ex litteris archetypis (in 2° duplo, 1 p.), in quibus reliquiae sigilli academici comparent; scriptae esse videntur a notario universitatis eodem, qui et acta senatus conscripsit (v. infra monum. 50—62). Ex reliquiis cerae rubrae in quattuor angulis paginae posterioris apparentibus cognoscitur edictum hoc Ingolstadii tabulae academicae affixum fuisse. Quod Canisius postea Friburgum usque Helvetiorum secum asportavit. Exstat in cod. „Scripta B. P. Canisii X. U a" 2 ff. non sign. In parte paginae posterioris initium sermonis sacri a Canisio, ut videtur, habiti manu aliqua eiusdem temporis scriptum est.

Acriter reprehenditur studiosorum licentia, et maxime, quod magistratuum interdicta neglegentes, „bombardas emittant". Magno praemio proposito omnes invitantur ad indicandum studiosum illum, qui nuper „bombardae" strepitu quietem nocturnam turbarit.

Rector et Senatus Academiae huius Jngolstadiensis.

Quidam inter veteres eo in loco, vbi multas leges promulgari et noua subinde aedicta proponi audiebat, ibi esse magnam peccandi libidinem et deprauatos mores non absurde collegit [1], Hoc etiam de nostris tam frequentibus statutis aliquis dicere posset, si enim adolescentes nostri eam legibus et Magistratui suo reuerentiam praestarent, quam deberent, non opus esset toties nos decreta affigere, Sed cum grassentur vitia his tamquam remedijs obuiam ire cupimus, et nimium se efferentem petulantiam compescere. Jam ante multos annos magna seueritate interdictum est, ab Jllustrissimo primum Principe, deinde ad illius voluntatem et a nobis graui poena prohibitum est, ne subditi nostri Bombardis vtantur, ne ue eas vel in oppido vel extra muros in proximis locis emittant [2], Sed quam plerique a pietate, ab officijs honestatis et obedientiae sint alieni, res ipsa declarat, audimus quosdam immanitate Cyclopica et Barbarica turmatim in plateis vagari et Bombardas emittere, non solum diurno tempore, sed et nocturno, quo omnibus in terra viuentibus quietem Deus Opt: Max: esse voluit [3], Alij cornuum strepitu et furialibus Bachationibus insanientium more

---

[1] *Erasmus* in libro VII. „Apophthegmatum" (in editione Coloniae anno 1547 facta p. 617) scribit Arcesilaum philosophum graecum dicere solitum esse: „Ubi permultae leges essent, ibi plurimum esse vitiorum." Notum est et illud *Taciti:* „Corruptissima re publica plurimae leges" (Annales III, 27).

[2] Ex parte harum litterarum extrema intellegitur „bombardae emissionem" idem esse atque „ein Schufs aus einer Büchse" sive ictum bombarda missum.

[3] Confer, quae his de rebus ac de iis, quae sequuntur, acta sunt 13. Aprilis 1551 in senatu academico; infra, monum. 62.

ciues inquietant. His igitur literis ea omnia scandala seuerissime vetamus, Statutum de Bombardarum vsu vobis in memoriam reuocamus idque perpetuo valiturum decernimus.

Cum vero dominica Misericordiae[1] nocturno tempore auditus sit sonitus Bombardae in platea, Nosque autorem eius facinoris ignoremus, vt omnes cognoscant, nos in hominem tam nefarium animaduersuros esse, ei praemium decem florenorum proponimus et statim daturi sumus, qui illum publicae tranquillitatis perturbatorem indicarit et hec fecisse comprobarit, quemadmodum et leges ei qui famosi libelli scriptorem indicarit, praemium constituere iubent. cum ex hoc publica vtilitas emergat.

Zuwiſſen[2] sey Menigklich; Nach dem am Sonntag Misericordiae zu nach auff der gassen, ain schueſs aus ainer buxschen gehort ist worden, vnd der thätter vns vnbewist, auff das man aber sehen mög, das wir das nit vngestrafft lassen wollen, bitten wir Rector vnd Rat der vniuersitet, welcher vnns denselbigen warhafftig kan antzaigen, das er das vnuerzogenlich thue, Soll von vns ain guten lon, nemlich zehen gulden als pald emphangen.

Decretum in consilio nostro 14 die mensis Aprilis et emanatum sub Secreto vniuersitatis 15 die eiusdem mensis Anno domini etc. 51.

L. S.

107.

SEBASTIANUS PIGHINUS,

archiepiscopus sipontinus et nuntius apostolicus[3],

PP. PETRO CANISIO ET LEONARDO KESSEL, S. J.

Augusta Vindelicorum 19. Aprilis 1551.

Ex *Herm. Crombach* S. J., Vita et Martyrium S. Ursulae et Sociarum (Coloniae Agrippinae 1647) p. 700—701.

Canisio et Kesselio permittit, ut sacras reliquias sibi donatas vel donandas accipiant et quocunque transferant.

Sebastianus Pighinus Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Sipontinus, et Sacri Palatij Apostolici Rotae locum tenens, ad Inuictissimum Principem Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac vniuersam Germaniam S. D. N. Iulij diuina proui-

[1] Ea dominica tunc dies 12. Aprilis fuit.

[2] Quae hic germanice — civium et aliorum ineruditorum gratia — dicuntur, ea fere sunt, quae superiore capite („Cum vero dominica“ etc.) latine dicta erant.

[3] De Sebastiano Pighini vel Pighino († 1553), ad Carolum V. a Paulo III. et a Iulio III. legato et postea cum Marcello cardinali Crescentio et Aloysio Lipomano concilio tridentino (1551—1552) praefecto et in collegium cardinalium cooptato, vide *Ciaconium-Oldoinum* l. c. III, 776, et *Lor. Cardella,* Memorie storiche de' Cardinali IV (Roma 1793), 320—322.

dentia Papae 3. et Apostolicae Sedis Nuncius cum potestate Legati de latere.

Dilectis nobis in Christo Petro Canisio Nouiomago Theologo, et Leonardo Kessel. Coloniensis, et Leodiensis respectiue Dioecesis Clericis salutem in Domino sempiternam.

Sincerae deuotionis affectus, quem erga Sanctorum, et Sanctarum reliquias gerere comprobamini[a] nos inducit, vt vos specialibus fauoribus et gratijs prosequamur; Hinc est, quod nos per dictae Sedis literas, (ad quarum insertionem non tenemur) sufficienti facultate muniti vobis, et cuilibet vestrum, vt quascunque Sanctorum, et Sanctarum reliquias vobis, et vnicuique vestrum, vt asseritis, in istis Germaniae, et alijs inferioribus partibus donatas, et imposterum donandas recipere, et ad partes Hispaniarum, seu alias Regiones, Prouincias, Terras, Ciuitates, seu loca ad quae vos, seu quemlibet vestrum declinare contigerit, asportare, et in aliqua Ecclesia, seu Ecclesijs, Capella, vel Capellis, aut alio loco sacro, vel sacris oratorio, vel oratorijs, vbi debita cum reuerentia venerentur, reponere, et depositare, seu per quemcunque alium, vel alias, Personam, vel Personas, idoneam[b], vel idoneas vobis fideles ad hoc per vos eligendas[c] huiusmodi reliquias nomine vestro recipere, et recipi, et sicut praemittitur transportari, transferri, et reponi, ac repositari[d] facere, absque aliquo conscientiae scrupulo, et alicuius poenae Ecclesiasticae incursu libere, et licite possitis, et valeatis, ac illi possint, ac valeant licentiam, ac facultatem concedimus pariter, et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac Prouincialibus, et Synodalibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrarijs quibuscunque[1].

Datum Augustae An. a Natiuitate Domini, 1551 13 Kal. Maij, Pontificatus. S. D. N. Iulij, Papae 3. Anno 2.

S. Archiepiscopus Sipontinus Nuncius Apostolicus.

Loc. Sig.

Nicolaus Driel Secretarius.

Vidimus Canisium iam anno 1550 Lipomanum nuntium rogasse, ut sibi sociisque facultatem concederet sacras reliquias Colonia asportandi, ac mox videbimus Canisium exeunte anno 1551 a P. Leonardo Kessel reliquias colonienses petentem, „quoniam et Romae iussus sum promissam servare fidem, quam servare non possum, nisi donatis Florentiae Reliquiis“. Proxima tamen et praecipua harum litterarum dandarum occasio ea fuit, quae epistula vel regesto proxime (n. 108) subiungendo enarrabitur.

[a] *Vel* comprobabamini; *Cromb. perperam:* comprobabimini.
[b] idoneum *Cromb.* [c] eligendos *Cromb.*
[d] *Sic; sed malim legere* depositari, *sicut paulo ante* depositare *scriptum erat; „repositare“ non invenitur apud Du Cange.*

[1] Vide supra p. 294 [?].

108.

CAROLUS V.

imperator

PP. PETRO CANISIO ET LEONARDO KESSEL, S. J.

Augusta Vindelicorum[1] circiter 19. Aprilis 1551.

Ex *Herm. Crombach*, Vita et Martyrium S. Ursulae et Sociarum" (Coloniae Agrippinae 1647) p. 700.

Mandat iis, ut sacras reliquias in Hispaniam atque Indias mittant.

„Quam maxime," inquit Crombach, [Carolus V.] „cupiebat Hispanias et Indias recens partas Dei defensione, et DIVORVM tutela praesidioque communiri. . . Vnde ardor sacras Sanctorum reliquias in sua regna deducendi natus . . .; et quia Coloniam non ignorabat conditorium quoddam ditissimum esse tanti Thesauri, quo tamen potiri non nisi adminiculo Sedis Apostolicae posset[2], id obtinuit, et quos maxime illo in negotio fidos nouerat Petrum Canisium olim a Magistratu et Vniuersitate Coloniensi ad se legatum semel iterumque missum, et loci Rectorem primum Kesselium: Vtrique Breui Nuncij Apostolici curato in mandatis dedit, vt summa fide Sanctorum lipsana vndecunque accepta in Hispaniam, Indiamque transmitterent."

Crombach fatetur se nescire, quas reliquias et quo Canisius et Kessel miserint. Quaenam S. Ursulae et Sociarum eius reliquiae in Hispania asserventur et quibus locis, exponit l. c. p. 701—702. Ceterum Crombachii relatio confirmatur iis, quae Hermannus de Weinsberg, civis coloniensis Canisio aequalis, in suo „Gedenkboich" notavit: „A. 1556 den 22. sept. ungeferlich ist ein her uis Hispanien her zu Coln komen, genant Don Martin ab Arragonia, Comes in Ribacorso, und hat breif vom keiser an ein ersamen rait bracht, das man im forderlich wolt sin, das er etwas hiltumbs van den 11 dusent jonfern mocht erlangen." Quae et obtinuit[3]. Sub idem tempus Ludovicus de Avila, nobilis hispanus Caroloque familiaris, ab archiepiscopo coloniensi sex capita Sociarum S. Ursulae accepisse et Placentiae (Placencia) in templo S. Vincentii posuisse traditur[4].

109.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

PP. PETRO CANISIO ET NICOLAO GOUDANO, S. J.

Roma 22. Aprilis 1551.

Ex *„Monumentis historicis"* S. J. l. c. p. 261, adnot. 1.

„Polancus, ex commissione, Petro Canisio . . . et Nicolao Gaudano, ne publicum munus admittant, ut Rectoris, etc., 22 Aprilis" [1551].

---

[1] Carolus illic comitiis imperii praesidebat.
[2] Vide supra p. 294[5].
[3] *K. Höhlbaum,* Das Buch Weinsberg II, 85—86.
[4] *Am. Pichot,* Charles-Quint (Paris 1854) p. 252.

110.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 30. Aprilis 1551.

Ex apographo recenti, nuper collato cum epistula autographa, posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I." p. 319; Polancus in ea pauca quaedam mutavit[1]; quae infra suis locis proponentur.

Apographum antiquum, Roma ad Socios hispanos missum, exstat in „Varia Historia" t. 1, f. 208. 209, alterum a P. Bernardo Oliverio S. J. († 1556) scriptum in alio codice hispanico.

Ex hac epistula multa ad verbum descripserunt *Polancus*, Chronicon II, 264, et *Sacchinus*, Can. p. 56—59. Pars ea, quae P. Claudium Iaium spectat, edita est a *Boero*, Iaio p. 240—242. Particulas epistulae posuerunt etiam *K. Germanus*, Reformatorenbilder p. 306, et *Gothein* l. c. p. 687. Tota epistula primum edita est in „*Litteris quadrimestribus*" I, 280—286.

(Epistula „quadrimestris".) P. Claudius Iaius quanta in comitiis augustanis praestiterit, imprimis confessionibus peccatorum exceptis et Societate principibus commendata. Eius prudentiam et modestiam etiam Lutheranis placuisse, eumque in Saxoniam ab iisdem invitatum esse. Collegium viennense a Iaio incohari. Eodem auctore ac duce cardinalem augustanum exercitia spiritualia peregisse ac se suosque reformasse. Ingolstadii de duobus collegiis ex decumis ecclesiarum condendis agi; disputationes et scholam Ethicae florere; principes Sociis favere. In rectoris munere quae ipse fecerit ad libros haereticos moresque pravos abolendos; scholasticorum parentes monitos et delicta vindicata esse. Se eo defunctum munere salarium recusasse. Socios obsecrat, ut Germaniae afflictissimae opem ferant.

De rebus fratrum Societatis, qui apud Germanos degunt, ab initio anni 1551[a],

IHESVS

Redditurus[b] rationem superiorum huius anni mensium, hoc de me ipso praefari habeo, Reuerende Pater in CHRISTO Praeposite noster, vereri me scilicet, ac solicitum esse summo iure, quam ego rationem omnis uitae meae sim coram iudice Deo redditurus, qui nunc de paucis etiam mensibus nisi male collocatis respondere non possum. Praestat igitur de R. P. et Doct. Claudio Iaio, et D. Nicolao Goudano dicere primum, quod per illos divina bonitas efficiat, quae peccator ego, Deoque ingratus et inutilis plane haud consequor. Vellem interim magis mihi esse comperta, quae praecipue R. P. Claudius hoc anno gessit, prae-

[a] *Sequuntur verba:* praesertim Ingolstadii, *quae postea (ab ipso Canisio, ut videtur) deleta sunt.*

[b] *Polancus in autographo ante* Redditurus *posuit verba* Gratia et pax, etc., *„ut Canisianam narrationem ad epistulae vulgarem formam reduceret, sicque a librariis transcriberetur" (ita editor „Litterarum quadrimestrium" I, 280[3]). Eadem verba sunt in „Varia Historia".*

[1] Mutavit, ut ita mutata transcriberetur eiusque exempla in varia Societatis domicilia mitterentur. Cf. supra p. 336—337.

clara[a] sane, et ad CHRISTI gloriam illustrandam scriptu digna, si quis ea coram adspexisset. Illud satis constat, operam Patris huius in Comitiis proximis, ut alias perscripsimus, neque parum, neque paucis profuisse, siue confessionis Sacramentum spectemus, in quo administrando saepe multumque versatus est, praesertim ob concessum aulae Caesareae[b] Iubilaeum[1], sive familiaritatem illius cum Principibus habitam consideremus. Et pro nostra quidem ac IESV Societate in illo Principum atque Germanorum conuentu tantum praestitit, quantum nemo alius unquam in Germania: sic nomen, originem, successum, progressum Societatis explicuit, sic infixit germanis animis, ut authoritatem nostris et fidem inuenerit ad hanc vineam CHRISTo excolendam[c]. Magna in illo dexteritas, qua sese applicare[d] solet omnibus, tam summis quam infimis: magna in agendo prudentia, ut quorumvis animos tractare, sibique in domino conciliare norit, adeo ut mirum saepe multis visum sit, quo pacto simplicitas et modestia illa patris cum authoritate et laude publica coniungeretur, ut nihil non impetrare vel ridendo posse videatur[e]. Sed Spiritus Dei quem semel occuparit[f], eum multis ornat dotibus, praesertim ubi communis id exposcit utilitas et gloria CHRISTI. Unde non Catholicis modo pergratus, et ad confirmationem fidei commodus adhortator fuit, sed etiam praecipuis qui tunc aderant, Lutheranorum Consiliariis, qui illum de fide disserentem audiebant lubentissime satisfecit. Rogabant illum de maximis controuersiis in Religione; proferebant argumenta sua, praesertim de materia Iustificationis[2], etiam[g] praesentibus quibusdam Episcopis[3]. Ille, ut mirus est[h] artifex in perspiciendis et tractandis animis, summa cum modestia respondebat, aperiebat nodos, eximebat scrupulos, veritatis causam illustrabat, ut mirari tum Catholici tum haeretici possent. Quare qui partes agebant Saxoniae Ducis, illius uerbis rationibusque permoti

---

[a] *Ita Litt. quadr.;* perclara *apogr. nostr.* [b] in aula Caesarea *V. H. et Bo.*

[c] *Polancus haec sic immutavit:* et fidem quae ad hanc vineam Christo excolendam erat pernecessaria. *Ita et V. H.*

[d] attemperare *Pol. (sic mutavit autogr.), V. H., Bo.*

[e] *A Canisio ipso correctum ex:* videretur. [f] occupavit *Bo.* [g] et *V. H.*

[h] et praesentibus quibusdam Episcopis ille, ut mirus est *etc. Bo.*

---

[1] De iubilaeo anno 1550 Romae habito vide supra p. 314[2]. Caroli V. rogatu Iulius III. litteris Roma 29. Novembris 1550 datis concesserat, ut Carolus et Philippus eius filius cum „familiaribus continuis Commensalibus ac caeteris Curialibus“ suis indulgentias iubilaei assequi possent, etiamsi Romam non venirent; inter condiciones a pontifice positas etiam peccatorum confessio erat (Iulii litteras edidit *Raynaldus,* Annales Ecclesiastici tom. XXI, P. 2 ad a. 1550, n. 48).

[2] Vide, quae epistulae Canisii, 7. Augusti 1552 ad Polancum datae, subiecta sunt.

[3] Aderant cardinales Otto Truchsess augustanus et Christophorus Madrucci tridentinus episcopi, Sebastianus de Heusenstamm moguntinus et Ioannes de Isenburg treverensis archiepiscopi et imperii electores, Robertus de Croy cameracensis, Melchior Zobel herbipolensis, Mauritius de Hutten eystettensis, Christophorus Mezler constantiensis, Michael Helding merseburgensis episcopi (*Sleidanus* l. c. l. 22, p. 402).

ad concordiam de Religione ineundam conuertebant sese, adibant summos Principes, commendabant P. Claudium, id maxime rogantes, liceret Patri in Saxoniam proficisci, ac de rebus fidei cum Philippo Melanchthone[a] [1] aliisque sectae magistris conferre: plus effecturam apud illos eruditam modestiam, et modestam eruditionem illam, qua ipsi iam fuissent adiuti, quam profecissent acres aliorum disputationes [2]. Neque abhorrebat Patris animus ab ea profectione in Saxoniam, nisi quod optabat adiungi sibi R. P. Iacobum Laynez, cuius etiam praesentiam, si dominus cooperaretur [3], ad emolliendam haereticorum duritiem, sibi et Ecclesiae prodesse posse non dubitaret [4]. Faxit clementiss. Deus, ut ad Saxoniam quoque, ubi uelut sentina haereticorum est, Societas nostra penetret [5], lucemque inferre aliquam possit sedentibus in regione umbrae mortis [6]. Nunc profectionem illam praepeditam aut potius dilatam cernimus, quod ad Collegium Viennense pater sit destinatus, iubente sic Pontifice Max. et postulante Romanorum Rege Serenissimo. Estque hoc primum in Germania Collegium Societatis, ad quod multi e nostris aut iam peruenerunt, aut brevi admodum peruenturi sunt CHRISTO duce, quos tum e Sicilia, tum ex Italia missos audiuimus. Mirum uero dictu, quanto cum moerore dimissus sit pater a Reuerendissimo et Illustrissimo Cardinale Augustano, qui abeuntem ad navim usque non sine lachrimis[b] est prosecutus [7], quique per quadragesimae tempus [8] in spiritualibus exercitiis nostris sub

[a] *A Can. ipso correctum ex:* Melanchtone.

[b] *In autogr. sequitur:* puto, *quod tamen delendum esse significatur linea a Canisio ipso, ut videtur, supposita. V. H. et Bo. omittunt* puto.

[1] Melanchthon doctoris partes in universitate vitembergensi agebat, quae in potestate Mauritii ducis erat.

[2] Legatorum a Mauritio Saxoniae duce et imperii electore (Ioannes Fridericus I. Saxoniae dux aderat ipse) ad comitia missorum signifer certe Christophorus de Carlowitz erat, vir a catholica religione haud ita alienus, cui cum Christophoro cardinali Madrutio aliqua consuetudo erat (*Fr. Alb. v. Langenn*, Christoph von Carlowitz [Leipzig 1854] p. 181. 185. 186). Carlowitzium a Mauritio tunc Augustam missum fuisse cognoscitur etiam ex *Druffel*, Briefe und Akten I, 600. 623. „Recessui“ comitiorum 14. Februarii 1551 Mauritii nomine subscripserunt Melchior de Ossa, Dr. iur., Asmus de Koenretz, regionis lipsiensis summus praefectus, Ioachim de Kneutlingen, Dr. iur., Mag. Franciscus Kramm (*I. Christ. Lünig*, Des Teutschen Reichs-Archivs Partis Generalis Continuatio I [Leipzig 1713], 885). [3] Marc. 16, 20.

[4] Mauritii ducis legati asserebant certum sibi esse dominum suum haud aliter sentire, ac Iaius contionaretur. Romam scriptum est de saxonico illo Iaii itinere; quod tamen Iulio III. non probabatur. Haec ab Ottone cardinali augustano referuntur in commentario 1. Februarii 1554 scripto, quem edidit *M. Ch. Weiss* (Papiers d'état du cardinal de Granvelle IV [Paris 1843], 381—382).

[5] Mauritius paulo post contra caesarem rebellavit et anno 1552 Ferdinandum Romanorum regem coegit, ut Pactione passaviensi Lutheranis liberum religionis exercitium ad tempus concederet. [6] Is. 9, 2. Matth. 4, 16.

[7] Dilingae igitur, quae urbs Danuvio apposita est, Iaius navem conscendit, qua secundo flumine Ingolstadium et inde Viennam veheretur. Ingolstadii autem Socios invisit. [8] Id tunc erat 11. Februarii ad 28. Martii.

eodem patre non parum profecit, digressus idcirco ex Episcopatu suo [1] in Monasterium quoddam, ubi semotus ab aulae strepitu de rebus piis commodius meditaretur [2]. Nam et hac de causa Regem exorauit, ut Patris opera illo tempore posset uti, quemadmodum saepe antea desiderarat. Sed et Cappellanus Reuerendissimi suo fructu non est defraudatus, acceptis hebdomadae primae exercitiis [3], quae ducunt [a] ad generalem confessionem. Omitto multiplicem fructum, quem hoc toto superiore anno collectum Dominus voluit in aula dicti Cardinalis dum is et sese et aulae disciplinam usque ad multorum admirationem reformat, non secus obseruans, quam si pater, praeceptorque ipsi fuisset, Patrem Claudium. Is Viennam, uti speramus in Domino, peruenerit una cum charissimo fratre M. Petro Schorichio, qui et ipse magna cum aedificatione vixit nobiscum hactenus, et hinc aegre dimitti potuit, quod in professorem publicum iamdiu ac multum esset expetitus [4].

Ut propius ad nostra veniam, haud opus fore puto multis hic repetere studia solita, praelectiones item atque contiones nostras, in quibus eodem duce progredimur, quo primum authore coepimus, CHRISTO IESV Domino Nostro [5]. Cui gratias etiam agimus ob auctum iam auditorum numerum. Nec maior fuit unquam aut melior Theologiae hic instaurandae spes, praesertim quum multa tractentur de duplici collegio extruendo: alterum Societati nostrae destinatum atque promissum est: alterum scholasticis Theologiae constituetur iis, qui aliquando ministri Ecclesiarum in Germania esse velint ac possint. Posterius hoc nostro adiungi collegio volunt, ut haud procul absint, quos regi et institui a nobis desiderant [6]: existimantes, hoc pacto

[a] *In autogr. sequitur:* facile*; quod tamen delendum esse significatur eodem modo quo supra* puto. *Om. V. H. et Bo.*

[1] Episcopatus hic = domus episcopalis.

[2] Otto exercitiis per octo dies vacabat in abbatia benedictina Ottobeuren, qui nunc prioratus est congregationis bavaricae eiusdem ordinis (*Maur. Feyerabend* O. S. B., Des ehemaligen Reichsstiftes Ottenbeuren sämmtliche Jahrbücher III [Ottenbeuren 1815], 189). Primum autem exercitia peregerat Dilingae anno 1544 duce Iaio (*Polancus*, Chronicon I, 133). — Polancus monasterium ottoburanum haud recte „otubergense" appellat (l. c. II, 266). [3] Vide supra p. 346 [6].

[4] Cum eo anno Erasmus Wolf, parochiam ingolstadiensem S. Mauritii suscepturus, praefectura collegii georgiani cederet, Schorichius „ad hoc munus vocatus" est; „quod tamen juxta consilium P. Claudii [Iaii] merito recusatum est" (*Polancus* l. c. II, 70).

[5] Sub id tempus Ingolstadii „philologicis et historicis studiis" operam dabat *Samuel de Quickeberg* (Quichelbergus) antverpiensis, qui postea medicum agebat, rerum antiquarum scientia excellebat, Alberto V. in thesauro rerum antiquitate et raritate notabilium colligendo praecipuus adiutor erat. Hic in opere suo „Apophthegmata biblica, tum et responsiones aliae piae et salutares" etc., quod anno 1571 Coloniae edidit, gloriatur, quod olim Ingolstadii Petrum Canisium „summo Latini sermonis splendore frequenter concionantem" audierit (in epistula dedicatoria f. A 2[b]).

[6] Albertus V. dux hoc collegium anno 1572 incohatum anno 1576 plene constituit et Societati gubernandum tradidit; quod „collegium Albertinum", „con-

quam optime collocari sumptus, quos nunc maximos recipit haec Academia, cui a Pontifice Max. concessum est daemum, ut ex vicinorum ecclesiasticorum prouentibus decimas integras semel atque iterum colligere possit [1]. Precandus est certe Dominus misericordiarum [2], ut nullo interturbante procedat hoc duplex Collegium, quaemadmodum [*sic*] Ducis Illustrissimi consiliario [3], quum hic esset per Dei gratiam persuasimus [a], et qui hoc institutum se modis omnibus approbare, atque promouere velle dixit, eoque misurum [*sic*] se literas [b] tum ad Pont. Max. [4] tum ad R. T. Haberet non paulo melius Germania, si studiosi tum ad pietatem, a qua fere abhorrent, tum ad Theologiam, quae illis odiosa facta est, adsuefieri possent, ac presertim (ut mihi videtur) si a nostris instituerentur. Curamus nunc, ut ad disputandum in aedes nostras venire pergant hebdomadatim; ita multis horis in Dialectica et Phisica exercent sese: nos praesides adsumus, et ad disputandi usum, qui hic interiit pene, reuocamus delectos aliquot bonaeque spei adolescentes. Faxit Dominus ut sicut in literis, sic in spiritu proficere pergant, nostraeque expectationi, quae ipsorum est salus, faciant satis.

Optime procedit Aethica lectio, quam in huius scholae gratiam praeter morem veterem [5] profitetur Pater Nicolaus [6], publicam propterea laudem promeritus, ut etiam Iuris doctores mittant ad illum suos auditores.

Plus honoris et fauoris offertur nobis quam fateri debeamus. Utinam minor existimatio [c] maiorque prouentus animarum accederet;

[a] *Polancus verba* per Dei gratiam persuasimus, et *mutavit in* visum est; *atque ita etiam in V. H. scriptum est.*

[b] *Polancus verba* misurum se literas *mutavit in* curaturum se mitti litteras Ducis sui. *Ita et V. H.* [c] nostri *additum est a Polanco.*

victus S. Ignatii martyris", „der catholischen Priesterschaft Seminarium" dicebatur (*Mederer* l. c. IV, 353—354. *Prantl* l. c. I, 262).

[1] Paulus III. anno 1548 Guilielmo IV. duci decumas omnium Bavariae ecclesiarum, paucis exceptis, pro universitate ingolstadiensi ter accipiendas concessit. Quae cum primum anno 1549 a Mauritio episcopo eystettensi pontificis mandatu exigerentur, 22 000 floren. percepta et Monachium in aerarium ducis illata sunt. Exactiones decumarum alteram et tertiam Iulius III. litteris mense Februario a. 1551 ad Albertum V. datis iterum concessit vel confirmavit; ex secunda 25 000 floren. accepta; tertia facta non est (*Mederer* l. c. IV, 270—282. *Prantl* l. c. I, 182—186; II, 187 ad 193). *Paul. Drews* contra *Druffel:* „Doch ist es unwahrscheinlich, dass die Berufung der Jesuiten mit der Zehntenbewilligung in Zusammenhang gestanden habe" (Petrus Canisius p. 143 [15]). Equidem censeo Leonardum ab Eck anno 1548 Romae non solum decumas simul et homines Societatis petiisse, sed etiam alteram rem altera fulsisse et sustinuisse. Vide infra, monum. 32.

[2] Sap. 9, 1.

[3] Georgio Stockhammer? Cf. supra p. 323.

[4] Litteras Alberti V. 9. Iulii 1550 ad Iulium III. datas dicere videtur; de quibus infra, monum. 47.

[5] Aristotelis „Ethica" non a theologo, sed ab aliquo ex philosophiae professoribus exponi solebant. [6] Goudanus.

utinam in animis[a] id efficere, quod in ingeniis, valeremus. Declarauit suam erga nos beneuolentiam princeps, cum nuper adesset: nec minori fauore nos prosequitur Cancellarius Academiae, idemque Eistettensis Episcopus[1], qui suis nos literis amanter consolatur, qui Societatem hanc omnem paterno certe[b] affectu complectitur, qui aureos mille iam offert ad nostri structuram Collegii. Idem consiliis suis magnum permouit Archiepiscopum Germanum[2], ut Collegium et ipse promiserit nostris constituere.

CHRISTI gratia sum ego iam defunctus munere, quem Rectoratum vocant[3], in quo etsi laborum et molestiarum bona pars insit, quae non valde conducat ad fructum spiritualem, attamen nonnihil datum est, cur bonorum authori et fonti non ingrati esse debeamus. Fatentur aperte multi studiosos in hoc magistratu egisse quam soleant modestius: communis fuit tranquillitas, etiam tum, quum tumultuari et debachari cum venia posse videntur, feriis scilicet Bachanalibus[4]. Notandos haereticorum, qui extabant, libros curavimus, ne venderentur, prohibitum est, neue ex mercatu huc amplius inferrentur suspecti authores, qui Grammaticis etiam, et Dialecticis et Rhetoricis libris atque praeceptis venena praesentia commiscuerunt[5]. Grauiores abusus, qui subito leuiterque tolli non posse videbantur, quod alte radices iecissent[c], collegimus in scriptum unum; collectos misimus ad ipsa totius Academiae capita, quorum id proprium est, communi scholae utilitati et reformationi providere[6]. Haec res minorem conflavit nobis inuidiam apud studiosos, qui neque a nobis adversus tot morbos medicinam recepturi facile videbantur, et liberauit etiam a periculo conscientiam, si quod vellemus, praestare satis non potuimus. Nec fuit ingrata isthaec nostra opera iis, quorum authoritati ac offitio sananda illa vulnera committebamus[7]. Et cum non desint bonis parentibus

[a] *A Polanco mutatum in:* animorum affectibus. *Ita et V. H.*
[b] *Ita Litt. quadr.;* vere *V. H.;* recte *apogr. nostrum.*
[c] *Ita apogr. nostrum;* egissent *Litt. quadr.* et *V. H., idque forte rectius.*

[1] Mauritius de Hutten.
[2] Ioannem de Isenburg, archiepiscopum treverensem; cf. supra p. 344. 350.
[3] In *matricula secunda universitatis refertur e more die S. Georgio martyri sacra omnium suffragiis in locum Canisii suffectum esse rectorem academiae Bartholomaeum Romuleum, patritium florentinum et iuris professorem. Festum S. Georgii, quod in plerisque dioecesibus 23. Aprilis fit, in eystettensi, ad quam Ingolstadium pertinet, e vetere memoria 24. Aprilis agitur (*H. Grotefend*, Zeitrechnung des deutschen Mittelalters und der Neuzeit 1 [Hannover 1891], 73).
[4] Vide infra, monum. 51—62.
[5] Ea de re actum est etiam in senatu academico 11. Decembris 1550 habito; vide infra, monum 53.
[6] Vide supra p. 342. 345.
[7] Hac Sociorum opera „reformationes" illae universitatis ex parte effectae esse videntur, quae anno 1552 a senatu et annis 1555 et 1556 ab Alberto duce promulgatae sunt. Vide infra, monum. 63, et epistulam Canisii ad Wiguleum Hundt etc. datam Ingolstadio circa initium m. Decembris 1555.

filii mali, quos utinam academiae nullos haberent, nos parentes etsi procul disiunctos, per literas admonuimus in tempore sibi filiisque consulerent bene, coercerent aetatis illius et indolis petulantiam, viderent ut filii honestius et rectius instituerentur. Iam quia puniendi erant nonnulli, vel ob peccati magnitudinem, uel in aliorum exemplum, uel ob retinendam veterem disciplinam, alii, quia insanabiles et desperati viderentur, in exilium acti, alii graviter reprehensi, neque sermonibus tantum, sed etiam carcere castigati, quod melius curari non posse existimarentur: alii chyrographum dare iussi et sistere fidejussores, admoniti de vitae suae seria correctione. In condonanda noxa conditiones praescriptae certae, nonnullis quidem, ut in dies aliquot, aliis, ut in hebdomadam et amplius abstinerent prorsus a vino, cuius usu fuissent abusi, quibusdam, ut arma nulla deferrent, aliis ut ad certam horam vesperi essent domi, non egressuri ante lucem, praeterea ut redirent singulis mensibus, et probatum adferrent Rectori testimonium de vitae suae institutione [1]. Breuiter non charitatis modo, sed etiam iustitiae exercendae locus multiplex datus est, admirante me, quo pacto fieret, ut non diuersae tantum, sed etiam contrariae functiones in una hac essent societate, dum alii captivos redimerent, ego mitterem in carcerem, alii demulcerent iratos, reconciliarent offensos, ego plecterem, et obiurgarem, et terrerem, et castigarem improbos. Faxit piissimus Dominus IESVS, ut perinde ac periti medici solent, ad omnes omnium infirmitates nos accommodemus, omnia facti omnibus, ut multos lucrifaciamus [2]. Postquam hoc munus deposui, quod certe invitus admodum suscepi, et indignus administraui, reddenda fuit accepti et dati ratio [3]. Pecuniam numerarunt, quam pro more solvunt Rectori [4]; sed constanter negaui, me accepturum quicquam; non enim esse morem Societati nostrae, pro quoquam offitio vel munere administrato sperare aut recipere isthaec praemia: converterent ipsi, si vellent, quod mihi offerrent, in pios usus alios: sat esse si unde suppetat uitae necessitati in diem haberemus. Et vix persuasi tandem nec dubito quin tacite probarint Societatis exemplum. CHRISTO sit omnis honor et gloria, quem et maxime cuncti precari debemus, extrudat ut operarios [5] suos in vineam istam desertam super quam (ut Isaias inquit) ascendunt uepres et spinae,

[1] Cf. infra, monum. 51—62. [2] 1 Cor. 9, 19. 22.

[3] „Antiquus Rector . . . rationem quoque novo reddat Rectori de omnibus perceptis et expositis per eum nomine Studii in presentia ab Universitate deputatorum": Statuta universitatis ingolstadiensis anno 1522 renovata: De Rectoris electione (*Mederer* l. c. IV, 188).

[4] Rectori „tertiam partem Intitulatorum (pauperibus demptis) largimur, addimus et penarum medietatem, de Sigillis totam sortiatur pecuniam, sicut et arma ei ex integro cedere volumus, nisi per vigiles apportarentur; nam eis tunc . . . dabit pro quibus libet armis XXI. denarios": Statuta renovata: De Rectoris offitio (*Mederer* l. c. IV, 190).

[5] Ita Canisius saepe, idque ex versionibus Erasmi et Vatabli (Matth. 9, 38; cf. Luc. 10, 2). Vulgata nostra: „ut mittat operarios".

quia non putatur, non foditur[1]: diruitur eius maceria, ut sit haereticis in direptionem et conculcationem[a][2]. Sed nostris verbis commendare, immo deplorare ter miseram Germaniam non attinet[b]; res ipsa testatur, quo deuenerimus, relicti a bonis, oppressi a malis, pleni scandalis, dediti sectis, obcoecati erroribus, corrupti studiis omnis impietatis. Ut nullum misericordiae, charitatis, compassionis offitium collocari posse iustius videatur, quam in sublevandam hanc unam nationem omnium afflictissimam, miserrimam, depravatissimamque. Excitet quaeso Deus totius consolationis[3], excitet spiritum suum principalem[4] in fratrum nostrorum cordibus, ut Germaniae nostrae, cuius inutiles plane serui sumus[5], germani illi cultores adesse velint et possint, effusuri etiam (uti decet) sanguinem saepe pro Ecclesia Christi. Oret pro nobis Reuerenda P. T., cui Germaniam magis quam nos ipsos in CHRISTO commendatam esse velimus, si loqui ex animo debemus, quamquam non ignari, prae caeteris omnibus, qui in hac Societate uersantur, egere nos plurimum sanctis tuis precibus sacrifitiisque.

Ingolstadii, postremo Aprilis die post Christum natum anno 1551.

Indignissimus filius et seruus in CHRISTO
Petrus Canisius.

Ihesus. Reuerendo patri nostro in CHRISTO, domino praeposito Societatis IESV.

S. Ignatius per Polancum rescripsit 30. Iunii 1551.

111.

CANISIUS
GEORGIO [CASSANDRO?],

artium magistro Coloniae degenti[6].

Ingolstadio 30. Aprilis 1551.

Ex autographo (2°; 2 pp.); inscriptio deest; Canisii nomen subscriptum erat, sed postea exsectum est. Cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 64.

Theologiam scholasticam, opera S. Thomae Aquinatis, disputandi usum Georgio commendat. Ostendit, quam perversum et iniustum sit, perfectionem evangelicam despicere et eos, qui eandem sequi velint, a proposito remorere.

[a] *Quae de universitate ingolstadiensi scripta sunt, a* Christi gratia sum ego iam defunctus *usque ad* conculcationem, *Polancus lineis inclusit significans a librariis ea omittenda esse; quae tamen exstant in tribus apographis supra memoratis.*

[b] *Ita apogr. nostrum;* necessum est *Litt. quadr.;* necesse est *V. II.*

[1] Is. 5, 6. [2] Is. 5, 5. [3] 2 Cor. 1, 3. [4] Ps. 50, 14. [5] Luc. 17, 10.

[6] Georgius Cassander (1513—1566), prope Brugas natus (qui postea, quamquam laicus erat, multa de rebus theologicis conscripsit et a Ferdinando I. et Ma-

IESVS.

Gratia domini nostri JESV CHRISTI nobiscum aeterna.

Nisi ego misere fallor, concedes hoc amori in te meo Magister chariss., vt in bonam accipias partem, quod ad te scribam et primum haud prouocatus, et libere citra omnem dissimulationem. Quippe dotes ingenij tui a CHRISTO datas mecum repeto, quae singularem beneuolentiam facile promerentur, vt si possim aliquid (parum autem potest imbecillis) tuo quidem nomine id vltro suscipere ac perferre uelim, etsi non cuncta maximaque debere, non mihi, sed alijs forte viderer. Deinde magna inter nos necessitudo intercedit, si eundem amicum et fratrem in CHRISTO esse statuimus M. Schorichium nobis: de quo tu bene mereri non ratione vna curasti, et quem ego amanter complecti non desinam, quia redamari a me pro sua dignitate non satis posse vnquam iure videatur.

Sed missas facias scribendi causas: de te candida mihi polliceor omnia, praebebis eum hisce legendis affectum, quem alijs uel ignotis uel immerentibus, si noui quid adferant, tribuere subinde soles. Primum igitur abs te illud peto maxime, vt sacris in studijs, quod te facere iam audio, versari sedulo pergas, non omissa etiam illa Theologiae parte, quam scholasticam appellamus, et hoc tempore necessariam ducimus, ne alioquin haereticorum sophismata quae passim occurrunt, non satis a nobis discerni, repellique possint. D. Thomae libros, et si per se probatos eruditis et Catholicis omnibus, idcirco tamen commendare tibi non dubitabo, quod certo sciam hisce studijs tuis quam maxime profuturos esse. Nam de Patrum lectione tuam admonere diligentiam nihil attinet: vsumque crebro disputandi comprobare nolim illi, quem in promptu habere puto, quam uaria certaque sit vtilitas, ne dicam necessitas ad studia promouenda sacra, si res sacrae saepe ac multum, non frigide tamen et imperite, inter multos disputentur. Haec de studijs breuiter: alia enim quae ad hoc argumentum desiderantur, quotidie ni fallor, suggerit vobis humaniss. hospes, et peritiss. idem Dominus Licentiatus, cui uel ob aetatis et experientiae longissimae certum testimonium crederem, si probitatem quoque cum illa eruditione sua non coniunxisset. Mihi gratissimum feceris, si uenerandum senem[1] salutaris ex me, familiamque suam vniuersam, cui non possum in Christo non precari optima: quia suis me benefitijs fouit in multos annos. Audio tecum isthic commorari M. Godefridum, de quo permulta cognoui[2]: et vana quaedam esse,

ximiliano II. imperatoribus de controversiis religionis componendis consulebatur), cum a. 1532 Lovanii artium magister creatus et a. 1544 in matriculam universitatis coloniensis relatus esset, aestate a. 1549, relicta prorsus patria, in qua iam de fide suspectus esse coeperat, Coloniae sedem fixerat, theologiae privatim operam daturus. Ceterum vide, quae post ipsam epistulam dicentur. [1] Andream Herll?

[2] In historia collegii coloniensis, qua P. *Iacobus Kritzradt* usus est, notatum erat anno 1549 „Godefridum Barner Zutphaniensem" et „Arnoldum Hezium" „fer-

non vera omnia desidero, quia salus ipsius etsi mihi non probe cogniti, spectanda sit potius, quam aliorum nescio quae de illo ipso existimatio. Vtinam vtinam, mi Georgi, clausis saepe oculis mundo, recta illum intueremur, qui nobis crucem optimi, aureique libri loco proposuit[1], qui paruulis sese aperit[2] et ostendit, qui ad veram Euangelij sui normam errantes reuocat[3], laborantes inuitat[4]: qui totum se communicare nobis et uult et potest, vt in paupertate diuites, in afflictionibus foelices, in contemptu alacres, in morte inuicti, securique viuamus. Quod si ad perfectiora vocantem illum sequi non libeat, amemus tamen et probemus alios, qui meliora et excellentiora charismata[5] consectantur[6]: Christiana voce cohortemur omnes, vt qui potest capere capiat[7]: nec respiciat retro, qui semel manum miserit ad aratrum[8]. Recte dixit Sapiens ut nosti: Non contendas aduersus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit[9]. Et eodem capite: Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales, et ipse benefac[10]. Igitur satis non est suae conscientiae curam habere, vt Deum testem eundem et amatorem facias tibi: sed etiam fratrum saluti et profectui consulendum est: quum nihil sit aeque detestandum, ac offendiculum illi praebere, qui tuo exemplo et sermone magis magisque fuerat confirmandus, si recte ad CHRISTVM tendere in animum induxisset[11]. Vellem ego si possem,

ventes litteras" ad S. Ignatium dedisse, „cum voto Societatis ineundae". (* Cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 22ª). Godefridum Wilich anno 1552 „Regentem domus Cucanae fuisse" *Kritzradt* ex „libro Quaestorum Facultatis Artium" excerpsit (in folio separato, quod incipit: „Pro informatione Gymnasii noui"); atque in eadem illa historia collegii coloniensis relatum est anno 1553 regentem cucanum Societati nomen dare et gymnasium suum in Ioannem Rethium S. J. transferre voluisse (* Cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 23ᵇ). Godefridus ille Barnes (sic enim ipsum nomen suum scripsisse asseritur in *„Litteris quadrimestribus"* I, 146) a S. Ignatio litteris Roma 8. Iulii 1549 datis in Societatem admissus est una cum Arnoldo Hezio (van Hees?) ex Lummen, dioecesis leodiensis vico, orto, et Erardo Avantiano (Dawant?) leodiensi, ac Martino illo, qui Stevordianus vocari solet a vico Stevoort, dioecesis leodiensis, ex quo ortus est; quem in tabulis universitatis viennensis „Gotfridium" appellari infra videbimus; ipse scribit familiae suae nomen esse „Gewarts" (Govert in Hollandia = Gottfried, Godéfroi) (cf. *„Litteras quadrimestres"* l. c.).

[1] Cf. Matth. 16, 24. Luc. 9, 23 etc. [2] Cf. Luc. 10, 21. Marc. 10, 15 etc.
[3] Cf. Matth. 9, 36. Luc. 15, 3—7. [4] Cf. Matth. 11, 28. [5] 1 Cor. 12, 30.
[6] Eos dicit, qui perfectionem evangelicam in ordine aliquo religioso sequantur, ac proxime Societatem Iesu significare videtur. [7] Matth. 19, 12.
[8] Luc. 9, 62. [9] Prov. 3, 30. [10] Prov. 3, 27.
[11] P. Leonardus Kessel vitae exemplo et morum suavitate ita adulescentium flectebat animos, ut multi, perfectioris vitae desiderio incensi, Societatem ingrederentur. Aliqui autem „retro respiciebant", atque anno 1552 Societatem vel eius tirocinium reliquerunt: Ioannes Merbeyus [Marbaies? Marbatius?] gennepiensis, Ioannes Huberti marchiensis, Gualterus Scotus remigniensis [remagniensis?], Aegidius [?] Gennepiensis (*Reiffenberg* l. c. p. 37. * Cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 23ᵇ). Alios etiam quattuor vel quinque Kesselius simul domo dimisit (*Polancus* l. c. II, 584). Cassander fortasse aliquos ex iis, qui Societatem ingressi erant aut ingredi volebant, a proposito removere conabatur.

errorem excusare complurium, qui tam futiliter quam pestilenter nonnunquam disserunt de statu perfectionis uitae: hunc neque ipsi profiteri statuunt, quamquam eo forte vocentur, neque profitentes alios iuuant: irrident credo alios citius quam promouent, si qui praecurrere in sancto uitae proposito videantur. Hic grauis et turpis est error, castigandus haud dubie ab eo, qui iustitias etiam iudicabit[1], quique declinantes in obligationes adducet cum operantibus iniquitatem[2]. Nec ullo pacto mirabor, si Dominus Leonardus noster[3], quem Coloniae tibi non esse incognitum scio, a quibusdam idcirco non maximi fiat, quandoquidem perfectionis Euangelicae amator et comprobator esse studet. Atqui non omnes capiunt uerbum hoc[4], et qui capere coeperunt, astu volucrum coeli deperdunt semen acceptum, uel spinis facile suffocant[5], nisi magna cura sibi prospiciant in via, quae laqueis, et periculis, et tentationibus et latronibus hic occupatur. Fit igitur, vt quam ipsi gratiam non habemus, aut inuideamus alijs, aut amissam illam, cum habere potuissemus, maiore etiam ingratitudine contaminemus: fit vt mundi probemus studia, spiritus uero commoda et remedia uel ignorantes, vel dissimulantes negligamus: fit vt grauis sit nobis ad videndum[6] et audiendum ille, qui non loquitur placentia[7], quique contrarius est operibus nostris[8], aut certe dissimilis. Ab hisce hominibus, quorum mire nostrum ferax est saeculum, etiam atque etiam caueas precor, in consilium illorum non intret anima tua[9], quia non solum peccant facientes ea, sed etiam consentientes[10] Paulo teste. Si non iuuat magnum iustitiae ac perfectionis alienae praeconem agere, saltem a calumnijs abstineamus, non iudicemus fratrem[11], non spernamus dei sacerdotem, parcamus nobis, parcamus alijs, ne spiritum quem dare non possumus, extinguamus[12]. Scriptum est enim: Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet[13]. Id quod de capite dictum, ad membra quoque ipsa referendum est, vt quae sunt aedificationis[14], in toto Ecclesiae corpore summa cura conseruentur. Haec simpliciter admonere volui, non quod nostris quidem praeceptis egeas, sed quod hic didicerim a quibusdam, non otiari prorsus Sathanam isthic, dum nonnullis apud uos ea suggerit, quae si vera sunt, dicenda tamen in alicuius hominis aut societatis nostrae iniuriam non erant: sin falsa, vti non dubito, nihil certe dicentibus prosunt, et audientibus grauiter obesse possunt, quia credit sequax adolescentis animus, quae sunt deteriora. Nec mihi succensebit spero M. Godefridus, quod ipsi valde metuam, ne falsa persuasione ductus, optimam partem

[1] Ps. 9, 5. [2] Ps. 124, 5. [3] P. Leonardus Kessel S. J.
[4] Matth. 19, 11.
[5] Cf. Matth. 13, 3—23. Marc. 4, 2—20. Luc. 8, 5—15.
[6] Sap. 2, 15. [7] Is. 30, 10. [8] Sap. 2, 12. [9] Gen. 49, 6.
[10] Rom. 1, 32. [11] Rom. 14, 10. [12] 1 Thess. 5, 19.
[13] Matth. 12, 20. [14] Rom. 14, 19.

quam elegit[1], deserat. Qui stat, videat ne cadat[2]: et qui cadit, curet vt non conteratur a lapide illo uiuo et pretioso[3], qui datus est non in ruinam, sed in resurrectionem[4], vt non simus substractionis filij in perditionem, sed fidei et virtutum in acquisitionem animae[5]. Dominus gratiam in nobis suam augeat, qua duce non reuertamur in Aegiptum[6], submergendi alioquin cum Pharaone et curribus eius in mari[7]: transeamus autem per desertum[8], per Amalechitas[9], per impedimenta quaelibet ad terram multis promissam, omnibus desideratam, sed vix paucis electam atque possessam, quia uiam angustam eo ducentem[10] relinquunt. Per CHRISTVM te rogo chariss. Georgi, vt hoc meum scribendi institutum, quod syncero suscepi animo, ab omni (quod quidem sciam) priuato odio liber, non perperam interpreteris. Testis haec est mihi conscientia, quod te vna cum Godefrido amem, etsi me redamari nesciam, nec omittam vtriusque nomine, quicquid offitij praestari potest a me diuina benignitate. Quod si dignum me scripto aliquo uel responso iudicabis, magnas CHRISTO gratias dicam, quia meam de te expectationem non fefelleris. Vale nostri memor tuis in precibus ad CHRISTVM fusis. Salutat te plurimum frater in Christo noster Schorichius. Ingolstadij pridie Kalend. Maij. anno Domini M. D. LI.

Ex ipsa hac epistula intellegitur, eam a Canisio datam esse ad „Magistrum“ „Georgium“, iuvenem, doctum, Coloniae theologiae operam dantem, veterum quidem monumentorum ecclesiae, non vero theologiae scholasticae nec Societatis Iesu amantem, de capitibus quibusdam religionis liberius sentientem, in periculo perversionis versantem. Quae omnia in Georgium Cassandrum conveniunt. Quoniam autem haec epistula inter eas invenitur, quae olim ad Socios colonienses datae sunt et in eorum collegio asservabantur, aut dicendum est, Cassandro Coloniae mortuo, eam ab eius haeredibus collegio illi datam esse, aut (quod magis probatur) Socios colonienses epistulam hanc, a Canisio ad se missam, Cassandro tradere noluisse vel non potuisse. Cassandri opera postea, cum ea, quae conciliari non poterant, conciliare vellet, ab ecclesia proscripta esse notum est. Ceterum, erroribus retractatis, in pace ecclesiae obiit.

112.

CANISIUS
IULIO DE PFLUG,

episcopo naumburgensi[11].

Ingolstadio mense Iunio 1551.

Ex *Druffel,* Briefe und Akten I, 672.

Iulius episcopus Ciza (Zeitz) 29. Iunii 1551 Balsmanno, „Magistro liberalium artium“, Ingolstadii degenti[12], *scribit se ad litteras Canisii et Bals-*

[1] Luc. 10, 42. [2] 1 Cor. 10, 12. [3] Matth. 21, 44. 1 Petr. 2, 4. 6. Is. 28, 16.
[4] Luc. 2, 34. [5] Hebr. 10, 39. [6] Num. 14, 4. [7] Ex. 15, 4.
[8] Num. 33, 8. [9] Ex. 17, 8—16. [10] Matth. 7, 14. [11] V. infra p. 384[3].
[12] Nathanael Balsmann (Paltzmann), torgensis, lutheranus fuerat et Vitembergae liberalibus studiis erat operatus. Ad catholicam fidem conversus et Ingol-

manni statim rescripturum fuisse, nisi tam multis negotiis premeretur; attamen Canisio et Balsmanno postea se scripturum; viginti florenos, quos Balsmannus petierit, iam a se mitti. Haec Druffel ex archetypo extraxit, quod nunc Dresdae in archivo regio asservatur. Qui ex eo, quod haec epistula exstet inter acta cancellariae episcopalis naumburgensis, colligit eam Balsmanno missam non esse. Iuvenis hic theologiae operam dedisse et a Canisio liberalitati Pflugii commendatus esse videtur. Praeterea ex litteris, quas Canisius 31. Augusti 1551 ad S. Ignatium et 19. Septembris 1551 ad Pflugium ipsum dedit, intellegitur Canisium de rationibus ecclesiae saxonicae iuvandae et imprimis de collegio Societatis illic constituendo ad Pflugium scripsisse.

113.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

PP. PETRO CANISIO ET NICOLAO GOUDANO, S. J.

Roma 30. Iunii 1551.

Ex „*Monumentis historicis*" S. J. l. c. p. 263, adnot. 1.

„*Polancus, ex com., Petro Canisio et Nicolao Gaudano, ne Collegii curam, quod scholasticorum Societatis non sit, assumant, 30 Junii. — Hac die ad ipsos missae sunt, Viennam, postquam eas legissent, ad Jaium transmittendae, historicae litterae*[1] *de rebus romanis et complutensibus et de iis quae a Sylvestro Landino gerebantur.*"[2]

Canisius ad has litteras respondit Ingolstadio 20. Iulii 1551.

114.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 20. Iulii 1551.

Ex apographo, a Boero scripto, quod postea collatum est cum epistula autographa, posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I." p. 382.

Particulam edidit *Boero*, Canisio p. 78. Eadem epistula usi sunt *Polancus* II, 256—263 et *Sacchinus*, Can. p. 52—53.

P. Goudanum laudat et dolet, quod is discessurus sit. An Socii omnes Ingolstadio avocandi sint? 1. Rationes contra avocationem: Spem esse collegii; ducem et academicos offensum iri; eos omnes vicecancellarii munus sibi obtulisse; ad contiones suas plurimos confluere; miseros a Sociis iuvari; scholasticos emendari, sacramenta frequentare, in declamationibus exerceri; aliquos Societatem petere. Pecunias ab

---

stadii artium magister factus aliquamdiu in aula Wolfgangi de Salm episcopi passaviensis pueros nobiles instituit et ab anno 1554 usque ad mortem († 1562) in universitate viennensi poeticam docuit (*W. Hartl und K. Schrauf*, Nachträge zum dritten Bande von Aschbachs Geschichte der Wiener Universität, 1. Abth. [Wien 1893], p. 32—43).

[1] Cf. *Litteras quadrimestres* I, 290—297. 309—312. 337—338.

[2] P. Sylvester Landinus (Landini) vir erat vere apostolicus, qui sacris expeditionibus Italiam lustravit et anno 1554 in insula Corsica religiosissime obiit.

episcopo eystettensi offerri et ex beneficiis suppetere. 2. Pro avocatione: Ducem frigere; condiciones imponi intolerabiles; Socios institutum suum sequi non posse; disciplinam universitatis omnium esse pessimam; Bavariam misere iacere.

Jesus

Reverendo in Christo padre mio Praeposito

La grazia et pace di Gesù CHristo sia sempre con tutti. Amen. L'ultima di V. R. P. scritta all'ultimo dì de giugno ci ha consolato nel Signore insieme con due lettere scritte dal R. P. Silvestro et dalli carissimi fratelli in Alcalà [1]. Sia sempre benedetto l'autor d'ogni bene, per la cui bontà speriamo d'esser participi di tanti gloriosi frutti et meriti di tutta la Compagnia!

Hor quanto alle cose nostre in Ingolstadt, non se altra disposizione, se non come innanzi è scritto tre volte de qua, et principalmente per l'ultima del R. P. Nicolao [2], il qual avendo la risposta de V. R. P., credo se partirà di qua circa il settembre, siccome la sua lettera mostra sufficientemente [3]. Et non dubito che Sua Riverenza guadagnerà con questa partenza, saltem alla quiete della mente et forse anchora secundo il corpo con la grazia celeste. Io certamente non perdo volenteri tanto buono Padre et dotto teologo, da cui son stato fin a qui molto aiutato et consolato spesse volte oltra che io posso giammai meritare. Pur con la medesima grazia, per la quale fin a qui son stato appresso tanti Riuerendi Padri et carissimi fratelli, io spero d'star contento et consolatissimo, anchora che per li miei peccati non

Iesus.

Reverende in Christo pater mi praeposite.

Gratia et pax Iesu Christi semper cum omnibus sint. Amen. Postremae reverendae paternitatis vestrae litterae, pridie Kalendas Iulias datae, in domino nos consolatae sunt simul cum duabus epistulis a R. P. Silvestro et a carissimis fratribus complutensibus scriptis [1]. Deo omnium bonorum auctori laudes semper agantur, cuius benignitate nos tantorum et tam gloriosorum fructuum et meritorum participes fore speramus, quae a tota Societate colliguntur.

Quod autem ad res nostras ingolstadienses attinet, eodem modo se habent, quo se habere ter a nobis ad vos scriptum est, et praecipue postremis litteris a R. P. Nicolao [2] datis; cui cum reverenda paternitas vestra rescripserit, hinc discessurum puto circa mensem Septembrem; quod eius epistula satis tibi patefactum est [3]. Neque dubito, quin reverendus ille pater profectione sua, Deo iuvante, maiorem saltem animi tranquillitatem assecuturus sit, ac forte meliore etiam valetudine utetur. Ego certe invitus tam bono patre tamque docto theologo privor, qui usque adhuc longe plus auxilii solatiique mihi attulit, quam ego umquam mereri queam. Attamen eadem Dei gratia iuvante, qua adhuc cum tot reverendis patribus carissimisque fratribus vixi, animo bono ac fidentissimo me fore spero, etiamsi propter peccata mea haud aliter quam solus in terra hac sterili et spinosissima mihi vi-

[1] Vide supra p. 370 [1]. Epistularum harum apographa Ingolstadium missa erant, ut earum lectione Socii delectarentur et adiuvarentur. [2] Goudano.

[3] Iam tunc igitur Goudanus a S. Ignatio ad collegium viennense destinatus fuisse videtur. Postea autem Ignatius consilium mutavit, et Goudanus usque ad mensem Martium anni 1552 Ingolstadii mansit.

avesse di vivere altramente, se non solo in questa terra sterile et spinosissima, perchè la santa obbedienza mi farà paradiso di ogni luogo, dove voglia V. R. P. che io ho de vivere o de morire in questa breve peregrinazione[1].

Solamente per esplicarmi meglio appresso di V. R., dirò con la grazia del Signore alcune ragioni pro et contra, intendendo di satisfare al mio obbligo, il qual rechiede che il superior sappia tutto, se vogliamo esser bene governati.

Prima dunche ragione, per la qual potria parere conveniente de non levarci tutti di qua, sia la buona speranza del futuro collegio et la promessa del Ducha et del Reuerendissimo d'Eystett, in quanto reuscino le decime[2], siccome tutti stanno in grande aspettatione. Et anchora ch'il patrono Stochamero abbia proposto la sua idea de dividere il collegio, pur non ostante quello concetto, se potria sperare et pratticare con il Reuerendissimo d'Eistatt, che fosse satisfatto alla buona e santa intenzione di V. R.[3]

2º la partenza di tutti due non se fara senza offendere il Ducha Illustrissimo et tutta la Università, avendo ora et mostrando loro ogni dì più et più la sua buona affezione inverso di noi, se risentirà

---

vendum sit; sancta enim oboedientia in paradisum mihi quemlibet locum convertet, quo reverenda paternitas vestra me vivere vel mori voluerit in brevi hac peregrinatione[1].

Tantum ut reverentiae vestrae accuratius res exponam, domino adiuvante rationes aliquas in utramque partem afferam, sicque officio satisfaciam; de omnibus enim rebus superiorem certiorem fieri oportet, si bene regi et gubernari volumus.

Prima igitur ratio, propter quam convenire non videatur nos hinc amoveri omnes, spes bona sit futuri collegii atque ducis et reverendissimi Eystettensis promissa, dummodo negotium decumarum prospere succedat[2], id quod omnes cupide exspectant. Et quod, quamquam Stockhammer patronus ille noster consilium duplicis collegii constituendi proposuit, tamen nos sperare possumus effectum iri, quae reverentia vestra bene et sancte intendit, eoque animo cum reverendissimo Eystettensi agere possumus[3].

2º Ambo discedere non poterimus sine illustrissimi ducis et academicorum omnium offensione, qui nunc nos diligunt idque in dies magis declarant; universitas aegerrime id feret ac theologis fere carebit, cum detrimento suo haud exiguo. R. V.

---

[1] Iaio iam 10. Martii 1551 a S. Ignatio potestas data erat Canisii Ingolstadio Viennam secum abducendi (*Monumenta historica* l. c. p. 265[1]).

[2] Cf. supra p. 362[1]. Iulius III. Roma 12. Iunii 1551 litteras misit ad Mauritium episcopum eystettensem, quibus potestatem ei dedit vel confirmavit, universitatis ingolstadiensis restaurandae gratia a clero Bavariae decumas exigendi iterum et tertium, neque tamen id fieri permisit prius, quam primae decumae iam exactae in usum illius universitatis forent conversae. Iulii epistulam edidit *Mederer* IV, 279.

[3] Cf. supra p. 370. Stockhammer alterum collegium Societatis esse volebat, alterum studiosorum theologiae, qui a Sociis ad parochias administrandas similiaque munera obeunda instituerentur. At Polancus iam 23. Februarii 1551 Ignatii nomine P. Claudio Iaio scripserat: „Non è conveniente che la Compagnia abbia goberno de scholari di fora di essa“ (Cartas de *San Ignacio* II, 454). Postea S. Ignatius in aliam ivit sententiam.

mirabilmente et quasi starà senza altri teologi non con poco detrimento. Vederà V. R. nelle copie aggiunte, quanta istanza faccia il Illustrissimo Ducha et il padrono Stochamero et insieme il Reuerendissimo d'Eistatt, acciò io volesse ricevere l'offizio del Vicecancellario [1], perchè il priore ora è partito [2]. In questi giorni essendo convocati tutti li professori per satisfar alla volontà del suo prencipe, pregarono che io volessi pigliar il detto ufficio, allegando molte ragioni et conveniencie [3].

Io risposi escusando la mia indegnità, et dicendo de nostro Instituto, il qual nè cerca, nè cura questi onori. Item che non volemo toccar denari per interesse proprio, siccome anche ho fatto nel passato Rettorato [4]. Vero è, ch'io non ho voluto toccare la ragione principal, cioè che V. R. mi avesse prohibito de non pigliare nessuno officio o degnità [5]. Se in questo ho mancato, prego perdonanza de V. R. umilmente. Ma la resoluzion et conclusion mia è stata così, ch'io in nessuno modo vorria intromettermi in questo offizio, se non io avesse prima il consentimento espresso di V. R. come da mio vero superiore. Piacque a tutti la risposta, et determinarono de rispon-

---

ex scriptis, quae huic epistulae subicio, intelleget, quam vehementer illustrissimus dux et patronus ille Stockhammer unaque cum iis reverendissimus Eystettensis postulent, ut officium vicecancellarii ego accipiam [1], eo, qui illud tenuerat, nuper hinc profecto [2]. Hisce diebus professores omnes, ut principis voluntati satisfacerent, convocati rogarunt, ut ego munus illud subirem, multas afferentes rationes, ob quas id necesse esset et conveniret [3].

Ego indignitatem meam iis obieci dixique instituti nostri homines honores illos nec quaerere nec curare; atque etiam dixi nos emolumenti nostri causa pecunias ne tangere quidem velle; quas nec tetigi, cum universitatis rector essem [4]. Neque tamen praecipuam rationem indicare nec significare volui reverentiam vestram mihi praedixisse, ne officium neve dignitatem ullam acciperem [5]. Qua in re si quid peccavi, veniam a reverentia vestra demisso animo peto. Ceterum quod tandem statui ac decrevi, hoc erat, nolle me ulla ratione in officium illud me ingerere, priusquam

---

[1] Cum Balthasar Fannemann O. Pr. (cf. supra p. 333 [2]) Moguntiam discessisset, ut eius ecclesiae episcopus suffraganeus esset, senatus academicus 13. Iulii 1551 Canisio vicecancellarii munus obtulit. Vide infra, monum. 64.

[2] False igitur *Prantl* (l. c. I, 187) affirmat Fannemannum anno 1550 Moguntiam profectum esse.

[3] Albertus V. dux S. Ignatio 25. Iulii 1551: „Quandoquidem" episcopus eystettensis, universitatis ingolstadiensis cancellarius, „apud Universitatem adesse non potest, habet qui vices suas apud eamdem gerat: hic Vicecancellarius nuncupatur: nec aliud, quod agat, habet, quam [ut] in collatione graduum Licentiae, Doctoratus et Magisterii, promovendi potestatem Candidatis impertiatur, ac oratione convenienti scholares ad studia et morum decentiam adhortetur. . . Uti dignum est, eo habetur in honore, quo Cancellarius ipse, cuius personam repraesentat" (Cartas de *San Ignacio* II, 565). [4] Vide supra p. 364.

[5] Cf. supra p. 357. „Sin su [i. e. praepositi generalis] licencia y aprobacion ninguno pueda admitir dignidad ninguna fuera de la Compañía; ni él dará licencia, ni aprobará, si la Obediencia de la Sede Apostólica no le compele": *Constitutiones S. J.* P. 9, c. 3, n. 13; cf. P. 10, n. 6 (Constitutiones latinae et hispanicae p. 265. 287).

dere all' Illustrissimo Prencipe, che Sua Excellentia mandasse una littera a V. R., acciò fusse impetrata questa licenzia[1]. Et così pensano de haver subito buona resposta de V. R. per farmi Vicecancellario.

3º Oltre il favore della Università, tanto è il concorso alle mie prediche che l' Ecclesia non po capir tutti, anchora ch' io gia ho mutato il luogo et pigliato una altra Echiesia più larga et commoda[2]. Ringraziato sia il Signor eterno, che mi dà un auditorio tanto benevolo, continuo et diligente, anchora che la lingua ex parte sia imperfetta[3]. Credo che nessuno prete in questa terra abbia più gente alla messa, et tanto devota gente, che contra ogni usanza restano usque ad finem, quando io predico. Et il Signor ci mostra et apre diverse vie per conversar con la gente et per cose pie appresso li malati, captivi et discordi, talmente che simil frutto fin a qui non se raccolto appresso li cittadini.

4º Hauvemo molto de ringraziare al Signore per parte degli scolari[4], li quali per alcune precedenti dominiche hanno comminciato de confessarse et communicarse con un insolito fervore. Alcuni di

---

reverentia vestra diserte id probasset, quippe quae vere mihi praeesset. Quod responsum omnes laudarunt et constituerunt illustrissimo principi proponere, ut litteris ad reverentiam vestram datis licentiam illam impetraret[1]. Censent itaque reverentiam vestram statim sibi responsuram ut vicecancellarius fieri possim.

3º Ad favorem universitatis frequentia accedit eorum, qui ad contiones meas audiendas concurrunt; quos ecclesia capere non potest, quamvis ego, mutato iam loco, in aliam ecclesiam transierim eamque ampliorem ac commodiorem[2]. Domino aeterno est gratia, qui auditorium mihi dat tam benevolum, assiduum, diligens, licet locutio mea aliqua ex parte vitiosa sit[3]. Neque hac in regione ullius sacerdotis sacrificio eucharistico plures interesse puto quam meo, tantaque est eorum pietas, ut me contionante praeter omnem consuetudinem usque ad finem in templo persistant. Ac dominus varias vias nobis monstrat aperitque, quibus cum hominibus hisce consuetudine coniungamur, et in aegrotos, captivos, discordes beneficia conferamus, eaque tanta, ut similes fructus ex his civibus usque adhuc percepti numquam sint.

4º Magnas domino gratias agere debemus scholasticorum nomine[4], qui abhinc nonnullos dies dominicos insolito cum fervore ad paenitentiae et eucharistiae sacramenta

---

[1] Albertus V. Monachio 25. Iulii 1551 S. Ignatio de hac aliisque rebus scripsit (vide infra, monum. 65).

[2] Contionum germanicarum Canisii „initium fuit in Sacello Leprosorum, progressus in agro dominico, ubi communis peregrinorum sepultura est; nonnunquam sed rarius in aede Beati Mauritij. Confluxit ad eum audiendum populus, ut alij quidem Concionatores quererentur iam pautiores ad ipsos audiendos uenire": Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2[a]. In illo autem „agro dominico" sacellum S. Crucis erat. Anno 1581 *Ioannes Engerd* professor ingolstadiensis haec scripsit: „Nostri quoque, si qui Schmalcaldicum recordantur bellum, Dominum Canisium in Templo D. Crucis extra portam, antequam deiiceretur, concionari meminerunt" (Almae Ingolstadiensis Academiae. Tomus primus. Inchoatus a Valentino Rotmaro, absolutus a Ioanne Engerdo [Ingolstadii 1581], f. 109[b]).

[3] Canisius locutioni inferioris Germaniae assuetus erat.

[4] Anno 1551 scholastici ingolstadienses dinumerati sunt, et inventi 660 (*Mederer* l. c. I, 224).

quelli dicono chiaramente, che vogliono essere della Compagnia nostra, et che staranno apparecchiati per partirsi a un collegio della Compagnia ovvero a Roma, quando vedessino buona compagnia[1]. Et per intertenir meglio questi buoni desiderii hauemo incominciato, sicome se fa in Colonia, che ogni domenica uno di loro abbia una declamazion latina de alcuna virtù; et poi s'offerisce buona occasione d'admonirli alle cose spirituali. Et quanto alli scolari communi, se viede bene, com'a poco poco se lassano vincere et danno più speranza.

5º Li mezzi per far il collegio, anchora che mancasse il Ducha, occorreno questi; 1º ch'il Reuerendissimo d'Eistett offerisce duoi o tre millia de fiorini, com'una persona grande mi ha detto, 2º che saria facilmente come pensano alcuni, d'impetrar dal Reuerendissimo d'Eistatt, che per sua volontà s'applicasse al collegio quella intrada d'uno beneficio, il qual si dà al Vicecancellero. Et con quella intrada se potriano nutrire quasi 6 scolari[2]. 3º sono molti benefici vacanti in questa terra et potriano ascendere ad mille fiorini ogni anno, siccom'io son informato; di modo che per la disposizione del Reuerendissimo d'Eistatt forse alcuna parte se potria applicar per effetto del collegio. Pur sappia V. R., ch'io non dico niente per fermo; imperochè desidero haver alcuna occasione di parlar al Reuerendissimo d'Eistatt, et penso farlo con la grazia del Signore, quando haverò la resposta di V. R. et principalmente cerca il Vicecancellariatu.

---

accedunt: e quibus aliqui aperte dicunt se Societatis nostrae esse cupere paratosque esse ad collegium aliquod Societatis vel Romam proficisci, cum idoneos itineris socios invenerint[1]. Ac quo melius bona haec desideria conserventur, id quod Coloniae fit, nos quoque instituimus, ut singulis diebus dominicis aliquis eorum de virtute aliqua sermonem latinum habeat: quo recitato occasionem habemus adhortandi eos ad pietatem. Vulgaris autem generis scholasticos pedetentim domari videmus et meliorem spem praebere.

5º Facultates, ex quibus collegium, etiam duce promissis non stante, condi possit, hae in mentem mihi veniunt: 1º Reverendissimum Eystettensem duo triave florenorum milia offerre homo quidam praestans mihi dixit. 2º Aliqui censent a reverendissimo Eystettensi facile impetrari posse, ut ipso probante et volente ad collegium illud fructus beneficii ecclesiastici applicentur, quod vicecancellario dari solet; ex quibus fructibus quasi sex scholastici ali possunt[2]. 3º Multa beneficia in hac regione vacant; ex quibus singulis annis mille fere florenos redire posse comperi: horum igitur aliqua pars fortasse ex reverendissimi Eystettensis praescripto in collegio constituendo consumi posset. Attamen R. V. sciat me nil tamquam certum

---

[1] Scholastici aliquot ingolstadienses reapse Societatem paulo post ingressi sunt. Vide epistulam Canisii ad episcopum eystettensem Vienna anno 1552 datam.

[2] Anno 1467 capitulum ecclesiae cathedralis eystettensis, Paulo II. approbante et Guilielmo episcopo assentiente, constituerat unum ex canonicatibus suis alicui theologiae magistro ingolstadiensi a Bavariae duce sibi „nominando" concedere, qui tamen „capitularis" non esset nec suffragii ius haberet. Diploma hac de re conscriptum edidit *Mederer* (l. c. IV, 25—31). Hic canonicatus vicecancellariis dabatur; ex quo Canisii tempore plus quam 200 floreni quotannis redire solebant (*Prantl* l. c. II, 239).

Volesse il Signore, che la partenza del R. P. Nicolao non ci desse alcun impedimento! Sia fatta pur la volontà del Signor eterno. Solamente adgiungerò questo, che mi basterebbe l'animo de nutrir quì 5 ó 6 scolari per ora, et che non mancherebbe tanto il favore del Reuerendissimo d'Eistatt, quanto dell'Illustrissimo Ducha et de tutta la Università.

Or in contrario per replicare che conveniente potria essere che nessuno restasse piu della Compagnia, prima è questo: che il Ducha se trova tanto freddo et involontario, come pare, a far la promessa del Collegio. 2º Che propongono certe condizioni intollerabili, non volendo anchora assegnar un collegio libero et de molte persone. 3º che non possiamo bene satisfar al nostro Istituto restando quì, perchè il frutto delle lezioni è pochissimo; la conversazione con questa gente rechiede troppa la familiarità [1] et condescendere in convitti etc. l'assistenzia delli professori per promuover il bene commune ci manca, nè sanno ben capir il nostro Istituto; tutti quasi dediti alla gula et carnalità. Et si criede tanto d'intra quanto de fuora che quasi non sia altra Università tanto licenziosa et senza manco disciplina [2], talmente che la corrozione et corruptela degli scolari è molto grande et li morbi tropo inveterati. 4º quanto ad [a] Vicecancellariatum, essendo

---

asserere: nam opportunitatem aliquam cum reverendissimo Eystettensi loquendi quaero, et Deo iuvante eum conveniam, cum reverentia vestra de his rebus et imprimis de vicecancellarii officio mihi rescripserit. Utinam ne R. P. Nicolai profectio impedimento nobis sit. Verumtamen domini aeterni fiat voluntas! Hoc tantum addam: Nunc quidem quinque vel sex scholasticos mihi videor hic alere posse; cui rei neque reverendissimi Eystettensis neque illustrissimi ducis totiusque academiae favor ac studium deessent.

Nunc pro contraria parte disseram, ostendens, cur non conveniat quemquam e Societate hic manere. Prima ratio haec est: Dux animo tam frigido tamque averso esse videtur a collegio, quod promisit, constituendo. 2º Condiciones quasdam intolerabiles nobis proponunt neque collegium condere volunt, quod liberum sit multorumque hominum. 3º Hic manentes instituti nostri rationem sequi haud facile poterimus; ex scholis enim fructus capiuntur admodum exigui, ac hominibus istis nimis familiariter uti [1] nimisque ad eorum mores nos accommodare oportet, in conviviis etc. Professores neque adiumento nobis sunt saluti publicae consulere volentibus, neque instituti nostri proprietatem bene assequi possunt, gulae et carni servientes paene cuncti. Ac tum intra imperium tum extra illud censent fere nullam aliam exstare academiam, cui tantum insit licentiae quamque tantopere disciplina deficiat [2]; quo fit, ut scholasticorum mores perditissimi et corruptissimi, morbi nimis inveterati sint. 4º Cum vicecancellarii officium perpetuum sit nec facile ab uno in alterum

---

[a] al *apogr.*

---

[1] „Erant in uicinis cubiculis studiosj, sed procul a spiritu societatis illj, breuiter, nec locus nec sotij, nec uictus, nec studia, uoluptates, sed angores et merores potius illis annis suggerebant": Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2[b].

[2] Vel: Ac censent nullam fere aliam exstare universitatem, sive apud nos, sive apud exteros, cui etc.

un officio perpetuo id est che non se muta facilmente d'una persona, et hauendo li sui denari in ogni promozione magistrale o dottorale, et poi perchè quasi tiene insieme un beneficio o canonicato in Eistatt, non so, com' io potria esser sufficiente a quella dignità, la qual è quasi principale in tutta la Università. Vero è, che mi hanno resposto, si come volessino liberarmi de tutto il proprio interesse, acciò io stessi fuora d'ogni pericolo. Ma V. R. giudicherà meglio. Uno mi dispiace in costoro, cioè che siano tanto affezionati alle nostre persone, et vogliano metterci addorso questi pesi d'honore; et pur non pensano de promuovere la Compagnia et fondarci una cosa certa et stabile per adiutar tanto la Università, quanto tutta Bauera per li nostri. Iddio sa, a che miseri termini Bauera sia redotta, et quanto guadagno habbia il inimico delle anime. Il Signore sempre guardi li consiglieri delli Principi. Et sappia V. R., che in questi mesi habbia scritto il Reuerendissimo et Illustrissimo Cardinale Maffeo[1], raccomendandoci al Doct. Zoanetto Bologneso [*sic*], professore quì in Iure[2]. Ma non è questa persona per promuoverci, nè in tanta riputazione appresso il Ducha, siccome alcuni forse pensano.

Per concludere non so dir altro, se non Domine, mitte me quo vis[3]; etiam ad Indos; et adiuva me in orationibus tuis[4]

---

transferatur, cumque in singulorum magistrorum vel doctorum creationibus certae pecuniae vicecancellario obveniant, ac cum idem quasi simul beneficium vel canonicatum habeat eystettensem, nescio quomodo ego dignitatis huius partes implere possem, quae in universa hac academia ferme summa est. Ac responderunt quidem mihi se omni proprii lucri ratione me exempturos, ut a periculo omnino abessem: sed R. V. id rectius diiudicabit. Atque hoc in hisce mihi displicet, quod licet in nos quidem tam propensis sint animis, tantaque honorum onera nobis iniungere velint, Societati nostrae nolunt prospicere, certum quid ac stabile nobis constituentes, quo constituto tum universitas haec tum Bavaria omnis nostra opera adiuventur. Deus scit, in quantam miseriam Bavaria redacta sit, quantasque praedas inimicus animarum fecerit. Dominus consiliarios principum semper custodiat! Et sciat R. V. his mensibus reverendissimum et illustrissimum cardinalem Maffaeum[1] doctori Zoanetto bononiensi, qui ius tradit in hac academia[2], per litteras nos commendasse. Sed Zoanettus is non est, qui rebus nostris consulere possit, neque tam gratiosus est apud ducem, quam aliquibus forte videtur.

Ut scribendi finem faciam, aliud dicere non possum nisi hoc: Domine, mitte me[3] quo vis; etiam ad Indos; et adiuva me in orationibus tuis[4] totamque

---

[1] Bernardinus Maffaeus (Maffei), nobilis Romanus (1514—1553), presbyter cardinalis tituli S. Cyriaci in Thermis, ob eruditionem et pietatem S. Ignatio carissimus erat et, cum Paulo III. ab epistulis esset, eidem egregia officia praestiterat (*Ciaconius-Oldoinus* l. c. p. 737—738. Cartas de *San Ignacio* I, 278. 290; etc.).

[2] Franciscus Zoanetto, legum doctor et ducis Bavariae consiliarius, Ingolstadii iuris professor primarius fuit ab a. 1549 usque ad a. 1564, quo Bononiam ad ius canonicum explicandum revocatus est. Anno 1550 decumarum impetrandarum gratia a duce Romam missus erat (*Mederer* l. c. I, 212. 213. 291—292; IV, 277. *Fr. X. Freninger*, Das Matrikelbuch der Universitaet Ingolstadt-Landshut-München [München 1872] p. 15). [3] Is. 6, 8. [4] Rom. 15, 30.

totamque simul Germaniam. Gratia Domini Iesu nobiscum aeterna! Ingolstadii, 20. iulii anno 1551.

De V. R. figliolo indegnissimo

Petrus Canisius.

Al molto Reverendo in Christo Padre Don Ignatio de Loyola Praeposito della Compagnia de IESV. padre mio singularisimo et osservandissimo. In Roma.

S. Ignatius per Polancum Canisio rescripsit Roma 16. Augusti 1551.

---

simul Germaniam. Gratia domini Iesu nobiscum aeterna! Ingolstadii 20. Iulii anni 1551.

Reverentiae vestrae filius indignissimus

Petrus Canisius.

Multum reverendo in Christo patri domino Ignatio de Loyola praeposito Societatis Iesu, patri meo maxime singulari summeque observando, Romae.

115.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 16. Augusti 1551.

Ex *„Monumentis historicis“* S. J. l. c. p. 263, adnot. 1.

„Polancus, ex com., Petro Canisio, ne Ingolstadio recedat, et ut videat an is in Collegio ibi instituendo teneri queat modus, quem tenuit Neapoli P. Salmeron[1]*; et tandem ne Vicecancellarii munus, nisi forte ad tres tantum menses, assumat, 16 Augusti“ [1551].*

116.

P. CLAUDIUS IAIUS S. J.

PP. PETRO CANISIO ET NICOLAO GOUDANO, S. J.

Vienna aestate vel autumno 1551.

Ex *Polanci* Chronico II, 563—564.

„Urgebat“, inquit Polancus, „suis litteris P. Claudius Ingolstadienses nostros ut inde Viennam migrarent, cum eam esse P. Ignatii mentem intellexisset, quia Regi romanorum Ferdinando promissum fuerat, Collegio Viennae stabilito, omnium facultatum praeceptores, quas quidem Societas nostra profiteri solet, esse mittendos.“

---

[1] Neapoli vere anni 1551 a patronis Societatis catalogi duo facti sunt, in quorum altero prorex et principes complures, in altero alii honesti viri civesque divites, quidquid ad collegium constituendum libuisset in commune conferre, suo quisque chirographo confirmabant (*Polancus* l. c. II, 167—171. *Orlandinus* l. c. l. 11, n. 15—17).

117.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 31. Augusti 1551.

Ex apographo recenti, postea collato cum epistula autographa, posita in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I." p. 386. 387.

In eodem codice proxime post autographum est eiusdem epistulae exemplum, quod — manu Canisii, ut videtur — inscriptum est: „De quadrimestri tempore ad Septembrem usque transacto Ingolstadii 1551."

Particulam edidit *Germanus* l. c. p. 304, et aliquas partes, italice versas, *Boero,* Can. p. 78—81. *Sacchinus* quoque epistula usus est et complura ad verbum ex ea descripsit, Can. p. 52—55. Usi sunt etiam *Polancus* l. c. II, 256—261 et *Janssen* l. c. IV, 400. Integra denique edita est in *„Litteris quadrimestribus"* I, 369—374.

(Epistula „quadrimestris".) De propria vilitate. P. Goudani quanta sit diligentia et prosperitas in docendo et sacramentorum frequentia commendanda. Homilias a scholasticis haberi; sacro multos cotidie interesse. Iuvenes duos nomen dedisse Societati; id quam difficile Germanis sit. In Germania religiosos ordines ruere, torpere omnia. Ad contiones suas plurimos confluere. De tempestate a contionatore quodam contra se excitata. Se vicecancellarii munus constanter recusare. Socios stipem pro scholasticis pauperibus collegisse, solacia carceribus intulisse, a Pflugio episcopo in auxilium ecclesiae saxonicae vocari.

Jesus.

Gratia domini nostri IESV CHRISTI et pax aeterna nobiscum.

Quoniam quidem ita iubet R. P. T., morem gerere studebimus, ut paucis complectamur ea, quae proximo quadrimestri non industria quidem aut dignitate nostra, sed summa clementiss. Patris Dei erga nos bonitate ac singulari gratia hic contigerunt[a]. Quod si alia mihi recensenda forent, quae uti res ipsa postulabat ad meam ipsius reprehensionem et accusationem iustissimam possent adferri, equidem longe copiosior et, ut vereor, plane ad fastidium usque lectoris prolixus esse deberem. Nunc quia Dei sola beneficia proponuntur, id absque dispendio fieri vix potest, quin de indignitate et vilitate nostra paulo rectius cogitent, qui bona dumtaxat in conspectu habent malaque mea licet innumera non sentiunt. Sed ut ut alii sentiant, mille testes isthaec conscientia[1], quae servo ignauo et indignissimo testimonium praebet hocque solo vel maxime consolatur, quod Patrum aliorum fratrumque subsidiis adiuvemur in hac IESV optima Societate.

[a] *Quae sequuntur, usque ad* R. P. Nicolaus Goudanus, *in autographo a Polanco lineis inclusa sunt, ut in apographis ad aliarum provinciarum Socios mittendis omitterentur.*

[1] Cf. supra p. 202[1].

R. P. Nicolaus Gaudanus quo tempore sunt alii feriati a lectionibus publicis, nunquam a profitendo cessavit, ne diebus quidem canicularibus[1]. Auditorium nobis duplo majus, quam prius, contigit[a]. De illo praeclare quidem iudicant omnes et utiliter audiunt, praesertim quum ex more suo sic Aethica[b] profiteatur, ut versari tamen in sacris videatur[2]. In convictu familiari multa effecit apud Germanos permouitque non paucos eo, ut, (quemadmodum antea visum non est), singulis pene festis diebus ad confessionem et communionem sacram accesserint. Tum homeliae quaedam haberi coeptae, quibus iidem studiosi, quos magis familiares habemus, domi nostri[c] exercerent sese et ad pietatem paulatim propius adducerentur[3]. Saepe lectiones etiam priuatas adhibuimus, quo efficacius eos conciliemus nobis, et in hoc bono instituto magis magisque in dies confirmentur. Duplicata certe nunc Dei munera, quae nostris in manibus adhuc crescunt, videntur; neque minorem nobis consolationem quam admirationem aliis adfert, sine exemplo et hoc loco tales et tam multos esse, qui quotidie ad sacra modo veniant, qui nos sibi patres ministrosque altaris exposcant. Vir bonus cum ad nos profectus esset, egregium filium obtulit et in potestate nostra manere iussit, etiamsi alio discederemus. Neque parum hucusque profecit puer, de quo bene speramus fore, ut cum in literis, tum in spiritu expectationi nostrae respondeat. Sunt alii adolescentes duo, et ipsi Germani, utcumque versati in literis, nunc plane nostri, in quibus digitum Dei[4] suspicere cogimur. Ajunt, se CHRISTO debere summas gratias, quia primi fere vocati fuerint e Germanis ad hanc IESV Societatem; nihil se dubitare, quin subsequuturi sint et alii, quos ad hoc ipsum CHRISTI iugum suscipiendum cupiunt pertrahere, ut et ipsi tam suauis spiritus[5] primitias hauriant. Testantur, non minus videri sibi, quod Germanus ad nos unus veniat, quam si uel Itali uel Hispani viginti offerrent sese Societati[6]. Novit profecto DEVS Opt. Max. et ipsa

[a] contingit *Litt. quadr.* [b] Aris. *(Aristotelis) hic a Polanco additum est.*
[c] *Sic et apogr. nostrum, et Litt. quadr.*

[1] Quattuor illorum mensium tempore, de quibus Canisius scribit, ex legibus academicis feriae agebantur praecipue 28. Mai — 4. Iunii („per octavas Corporis Christi“) et a medio fere Iulio usque ad ultimam septimanam Augusti („a festo Margarethe usque ad diem divi Bartholomei“) (Statuta, anno 1522 renovata [*Mederer* l. c. IV, 195]).

[2] In testimonio publico, quod facultas theologica ingolstadiensis Goudano vita functo in schola sua de more posuit, haec leguntur: „Vir fuit summae moderationis, et qui caeteris viuendi norma rectissima praeluxit. Hic, vt consuleret profectui iuuenum, Ethica Theologicis iunxit, et fontes actionum moralium, et politicarum ex sacris literis deprompsit“ (*Val. Rotmarus* l. c. f. 110[b]).

[3] Cf. supra p. 375. [4] Ex. 8, 19. Luc. 11, 20. [5] Sap. 12, 1.

[6] „Doctor Goudanus priuatim Adolescentes et Theologiae studiosos plaerosque instituebat, et in disputando etiam exercebat, quosdam etiam ad pietatem propius adducebat. Ex his duo illi Viennam fuere missi Carolus Grim et Lambertus Awer, ambo nati in Tyrolensi Comitatu, quos laetus accepit Viennae Doctor Claudius in

nimium nos docet experientia, quid quantumque difficultatis absumendum[a] sit, priusquam hoc institutum Germanorum animus intelligat, priusque[b] intellectum probet, probatum uero sectari velit et possit. Quam est operosum (heu me), Catholicos in religione veteri continere, quanto difficilius autem, sacerdotalem ordinem istis comprobare; at longe rarissimum et laboriosissimum isthuc religiosae vitae ordinem alicui persuadere posse[1]. Nil uident, nil audiunt miseri, quod ad vitam perfectiorem, ad consiliorum Euangelicorum observationem frigidos incitet. Iacent, proh dolor, ita corrupti animi, ut ad omnem fere medicinam nauseent; laetalis torpor ac tepor occupat omnia. Adeo ut nullum esse crediderim Religiosorum Ordinem, qui non ad internecionem hic sibi vergere videatur planeque desperet de instaurandis hic monasteriis. Verum has querimonias idcirco repetere visum est, ut alii lachrimabilem hunc statum et sane afflictissimum intelligant, intelligendo condoleant Germaniae, cui non intus modo pestes mille nocent, sed et foris vim summam adfert Turcica rabies, quae sic Hungariam conficere pergit[c][2]. Respiciat nos tandem clementiss. Deus, priusquam Lutheranismus et Mahumetismus pessumdet sacra omnia diuinumque cultum extinguat.

Ad praedictos adolescentes duos redeo, qui nobis de se magnifica in Christo pollicentur, quique nil optant ardentius, quam relictis semel omnibus pauperi Christo se mancipare ac spirituales in hac Societate opes conquirere. Iamque ut ad collegium fratrum Viennam mittantur, a nobis valde contendunt, et si CHRISTVS faueat, breui sunt impetraturi.

[a] *Polancus loco huius vocabuli posuit* deuorandum. [b] *Sic, vel:* priusquam.
[c] *Polancus haec duo verba mutavit in* hisce diebus vexavit.

nouo suo Collegio": Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2[b]. Ex eodem codice cognoscitur ambos eodem hoc anno 1551 Viennam missos esse. Cf. etiam *Fr. Sacchinum* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars secunda l. 5, n. 171 (Coloniae Agrippinae 1621, p. 270) et Pars quarta l. 1, n. 37 (Romae 1652, p. 8). Uterque egregius vir evasit et saepius per hoc opus nobis occurret. Ioannes quoque Dyrsius, iuvenis eystettensis, tunc Ingolstadii Societati se tradidit eique postea multum profuit; de quo infra plura scribentur.

[1] Inter materias theologicas, quas Canisius anno 1550 Ingolstadii colligere coepit (* cod. „Scripta B. P. Canisii X. B.") multae sunt, quas excerpsit adnotavitque ad vitam religiosam defendendam, v. g. ad probandas has positiones: „Non solum temporaria, sed etiam perpetua uota probanda" (f. 63[b]); „Castitas monastica deo placet" (f. 66[a]); „Obedientia praecipua pars monastices perficit hominem (f. 67[a]); „Monasticen profiteri consultum est uel inuitis parentibus" (f. 70[a]); „Non obligantur monachi ad labores manuum pro uictu comparando" (f. 70[b]—71[a]). Atque etiam in sua „Summa doctrinae Christianae" Canisius accuratissima quadam diligentia ex sacra Scriptura et veterum Patrum libris vitae religiosae pulchritudinem ac sublimitatem comprobavit (cap. 5, P. 2, n. 5: „Consilia Evangelica"; v. g. in editione Dilingae a. 1571 facta f. 175[b]—183[a]).

[2] Ea de re referunt *F. B. von Bucholtz,* Geschichte der Regierung Ferdinand des Ersten VII (Wien 1836), 258—284. *Ios. von Hammer,* Geschichte des Osmanischen Reiches II (2. Aufl., Pesth 1834), 212—218.

Auspicatus sum ego[a] munus contionandi, in eoque mensem nunc pene quartum ago, commutatis interim latinis contionibus in Germanicas[1]. Institutum hoc ita promouit divina bonitas, ut etiamsi difficillima sit linguae huius pronuntiatio, tamen intelligar nunc ab omnibus, qui ad audiendum certe plurimi confluunt. Nam et persaepe contingit, primum in angustiore, nunc in ampliore templo[2], ut referta illic praesentis populi turba excludat alios, qui pro foribus idcirco et ad fenestras foris auscultant. Exorta interim nubecula nescio quid mihi minari videbatur, dum a contionatore quodam non candide tractor, velut qui praeter morem et in loco insolito prodirem ad evangelizandum[3]. Hic statim collecti professores totius Academiae contionatorem illum arguunt, me studiose defendunt, uel non rogati[b] poenam proponunt multorum aureorum, si aduersus conatus meos ille mutiret quicquam in posterum. Accessit et Episcopi sententia, qui re comperta suis me literis admonet, ne supersederem ab hoc instituto; laturum se, si quidem opus esset, omnes mihi suppetias. In populo non defuere, qui uellent aedes alterius oppugnare et vim inferre ceu

[a] *Hic a Polanco in margine haec addita sunt verba, fortasse ex altera Canisii vel Goudani epistula summatim desumpta:* praeter theologicas lectiones, ad quas frequens accurrit auditorium, praesertim postquam suscepi Evangelium D. Ioannis explicandum. *Cf. infra, adnot. 1.*

[b] *Verba* uel non rogati *Polancus omitti voluit.*

[1] Nec tamen scholas Canisius omisit. „Ex quo P. Canisius pro scholastica lectione Evangelium D. Joannis explicandum suscepit, frequentius et constantius auditorium habere coepit, quamvis numerum eorum qui ethicam lectionem audiebant, non aequarent, quam non solum discipuli sed eorum magistri audire volebant. Licet autem, praeter lectiones D. Joannis ac D. Pauli publicas, reliquae domi praelegebantur, nulli tamen ad eas audiendas denegabatur accessus, et ea praelegebant inter caetera quae promovendis ad sacros ordines usui essent": *Polancus* l. c. II, 256—257. [2] Cf. supra p. 374[2].

[3] P. *Ioannes Dorigny* S. J. in vita Canisii haec scribit: „Il étoit quelquefois arrivé à Canisius de faire dans Ingolstad ce qu'il avait vû pratiquer à Rome . . .; c'étoit de rassembler le petit peuple en certains endroits de la Ville, pour lui faire quelque instruction familiere" (La Vie du Révérend Père Pierre Canisius [Paris 1707] p. 73—74). Idem referunt *Python* (a. 1710; „in plateis et compitis"), *Agricola* (1727), *Longaro degli Oddi* (1755), *Boero* (1864), *Daurignac* (1866), atque hi omnes ex Dorignio descripsisse videntur; nam qui saeculo XVII. Canisii vitam scripserunt: Raderus, Sacchinus, Nieremberg, Fuligatti, M. Tanner, ea de re nil habent, nec quicquam in „Antiquitatibus Ingolstadiensibus" neque in Polanci „Chronico" legitur; nisi quod *Sacchinus,* procellam illam ipsis huius epistulae verbis narrans, vocabula „et in loco insolito" mutavit in „nec loco solenni" (De vita Canisii p. 54). *Canisius* ipse in „Confessionibus" hoc solum scribit: „Licet concionandi mutarem locum, non tamen imminuebam auditorium" (supra p. 62). Neque tamen prorsus merum Dorignii commentum hoc fuerit; nam, qui Ingolstadium, quod nunc est, bene novit *Ioannes B. Reiser:* „Heute noch", inquit, „weiſs man die Plätze zu zeigen, wo er seine kleinen Zuhörer freudig — wie Xaverius in Indien es that — um sich versammelte, mit ihnen dann nach dem Unterrichte betend die Straſsen durchzog" (B. Petrus Canisius als Katechet [2. Aufl., Mainz 1882] p. 29).

calumniatori. Nos ob tranquillandas turbas[a], qui nobis etiam inuitis in illum concitabantur, excusare factum studuimus: iratos[b] placare animos uix potuimus. Agnouit hoc offitium ille, qui tragoediam hanc, dum mihi parum fauet, ipse sibi temere concitavit, iamque nos sibi quam antea pergit habere familiariores. Igitur nunc festis diebus pergo euangelizare, sed utinam tanto cum fructu animarum, quanto cum applausu et numero audientium. Libenter optimates accedunt: populus fructum praedicat; parochus[1] in dies majorem pollicetur; ego videre quam audire et expectare malim, ut rudes et miserae istorum conscientiae iuuarentur. Id nobiscum lubenter vident alii et admirandum censent, quod praeter morem non solum attente ac integre contionem audiant isti, sed etiam ad finem usque missae in templo mecum perseuerent. Nam id nimium hic alibique receptum videas, ut omnis morae impatientes plerique aut post euangelium cantatum, aut in medio contionis, aut statim ab eleuata in altum Eucharistia sacra e Templo perinde atque canes fugiant, parum memores scilicet de audienda integre missa[2].

Collegimus quasdam eleemosinas in pauperum sustentationem, praecipue vero in gratiam studiosorum Theologiae, quibus et uitae sumptus in multos annos Deo duce procuravimus[3]. Verum eo ventum est apud Germanos, ut ne propositis quidem stipendiis ad sacra haec studia permoueantur[c] adolescentes. Tam alieni sunt ab ea professione, quae nunc vel maxime fit necessaria, ubi sacris de rebus vel infimi et indoctissimi quique passim disceptant ac sine fine nugantur.

Reuerendissimus Episcopus Eystettensis, Illustrissimus Bavariae Dux et haec tota simul Academia contenderunt neque desistunt adhuc instare, quo munus obeam Cancellarii. Sed hunc honorem ut instituto nostro alienum refutavi hactenus meamque indignitatem tum per literas, tum viua voce coactus sum exponere. Excusando autem ac detrectando nihil impetraui aliud, quam quod Princeps ipse iam scripserit R. P. T., ut authoritate tua compulsus ego id susciperem, a quo certe abhorret animus[4]. Maiores idcirco gratias debemus huic Principi,

---

[a] *Polancus haec elegantius dici voluit corrigens:* Nos ut tranquilliores reddeemus turbas. [b] et iratos *Litt. quadr.* [c] promoveantur *Litt. quadr.*

---

[1] Parochus ecclesiae S. Mauritii, ut videtur; cf. supra p. 374[2]. Is tunc erat Erasmus Wolf (*Mederer* l. c. I, 219).

[2] Friburgi quoque Helvetiorum ex missa sollemni post „elevationem" discedere solebant; propterea „scholarchae" anno 1577 legem tulerunt, qua scholastici usque ad „benedictionem" sacerdotis in templo manere iubebantur (*Fontaine,* Notice historique sur la chambre des Scolarques de la ville de Fribourg, éd. par Berchtold [Fribourg en Suisse 1850] p. 20).

[3] Erasmus etiam Wolf († 1553), Canisii amicus, in collegio georgiano „stipendium fundavit" (*Mederer* l. c. I, 235).

[4] Vide supra p. 373. Ignatius munus illud „diserte reiecit, id solum Duci largitus, vt (si qui forte casus vrgeret) ad tres, quatuorue menses, citra honorum

quod ad iacienda demum fundamenta huius Collegii sese conuertat, eoque iam scripsit ad R. P. T., ut ex Urbe quidam e nostris huc destinarentur, promisso illis ipsis viatico. Qua de re iam responsum expectamus quotidie, nihil sane lubentius accepturi, quam ut tamdiu desiderati fratres demum accedant et hanc Bavariae vineam colant illustrentque CHRISTI benignitate[1].

In carceribus non defuerunt, quos et verbis et laboribus nostris consolari Dominus voluerit. Eorum unum post decollationem et cum CHRISTO putamus regnare et orare simul pro nobis confidimus, quemadmodum ille bona fide paulo ante quam moreretur, mihi pollicitus fuit.

Scripsit iam semel atque iterum ad nos episcopus insignis Saxoniae proponitque statům vere miserabilem ecclesiae suae, ad quam instaurandam nostrorum adhibere conatus exoptat[2]. Commendatum utcumque habet nostrum hoc institutum et coram agere nobiscum cupit, quo pacto afflictis Ecclesiae suae rebus subuenire possit. Speramus, non inutile futurum istud colloquium[a], ex quo fortasse reperiri aliquod ostium[b] queat Societati, ut ad fontem harum omnium haeresum ac parentem, hoc est ad ipsam usque Saxoniam, penetret suumque figat illic tabernaculum in nomine IESV, ubi Sathanae regnum et haereticorum asylum ac domicilium proprium esse solet. Aperiat dominus oculos nostrae mentis, quo nos videre ipsi et contemnere cuncta possimus, quae ad sanctam obedientiae disciplinam non conferunt. Dein spiritum verae charitatis in nobis augeat, ut[c] quae aliorum sunt, et quae IESV CHRISTI[3], sedulo usque procuremus.

Ingolstadii, pridie Kal. Septembris anno Christi 1551.

Petrus Canisius.

[a] collegium *apogr. nostr.*; colloquium *Litt. quadr.*; un tale colloquio *Bo.*
[b] hostium *apogr. nostr.* [c] *Polancus inseruit:* non quae nostra sed.

insignia, et stipendia, Canisius eas partes suppleret" (*Sacchinus*, Can. p. 60). Vide infra, monum. 65.

[1] Quae Ignatius Roma 22. Septembris 1551 Alberto V. responderit, vide apud *Genelli* l. c. p. 500—502 et in Cartas de *San Ignacio* II, 466—469. 378—381.

[2] Iulius Pflugius (1499—1564) nobili genere Pegaviae ortus, a Beato Petro Fabro S. J. circiter annum 1543 spiritualibus S. Ignatii exercitiis excultus, in naumburgensem dioecesim suam, Ioanne Friderico Saxoniae electore lutherano obsistente, introire non potuit nisi compluribus post electionem annis. Cum maior dioecesis illius pars ad protestantismum iam transiisset et maximae difficultates undique irruerent, catholicae rei cladem impedire non potuit, atque ultimus eius sedis catholicus episcopus fuit. *Henrico Heppe*, theologiae protestantium professori marburgensi, Pflugius est „der milde und treue Bischof von Naumburg" (Geschichte des deutschen Protestantismus in den Jahren 1555—1581 I [Marburg 1852], 158). Neque negari potest Pflugium „nimio pacis amore et obsequentia cryptolutheranismi incurrisse suspicionem" (*H. Hurter* S. J., Nomenclator literarius recentioris theologiae catholicae I [ed. 2, Oeniponte 1892], x). Cf. supra p. 77[1].

[3] Cf. 1 Cor. 13, 4. 5. Phil. 2, 21.

118.

CANISIUS
IULIO DE PFLUG,

episcopo naumburgensi.

Ingolstadio 19. Septembris 1551.

Ex libro „Epistolae Petri Mosellani, Casp. Borneri, Iani Cornarii . . . pleramque partem ad Iulium Pflugium, ipsiusque Iulii Pflugii nondum editae. . . In lucem protulit M. *Chr. Gottfr. Müller*" (Lipsiae 1802) p. 138—139. Qui epistulam descripsit ex autographo, Cizae in „bibliotheca episcopali" exstante (praef. p. IX.).

Pflugio operam suam offert. Se de tota quidem Germania, maxime vero de Saxonia bene mereri velle. Ab episcopo eystettensi se urgeri, ut Tridentum proficiscatur. Optat, ut multi episcopi concilio intersint. De theologis lovaniensibus.

Ihs

Reuerendissime in Christo pater

Gratia domini nostri Iesu Christi et pax aeterna nobiscum. Amen.

Fefellit expectationem meam Nathanael[1], per quem litteras istuc meas destinandas esse ducebam, cum primum ad tuas, et primo quidem die, respondissem. Nunc exacto mense tandem redit ad me, culpamque transfert in tabellarium, quem hucusque quaesitum haud inuenire potuerit, vt idcirco iam secundo rescribam. Habeo sane gratiam, quod boni consuluerit, qualia qualia fuere, scripta mea Tua praestantia[2], cui, si quid ego possim in Christo, in hoc praesertim rerum statu, id prorsus offero, et si superiorum intercedat autoritas, me quoque praestiturum esse confido. Lubens legi de colloquio, quod inter nos aliquando futurum auguraris: expediremus forte nonnulla quae rebus ecclesiae tuae tam afflictis commodare, ac nostram in talem Episcopum obseruantiam declarare possent. Cum enim Germaniae multis nominibus multa debemus, et nostras, si quae sunt, operas studemus impendere, tum vel maxime Saxoniam amamus, Christum orantes, vt de illa bene mereri nobis liceat, quam tot haeresium primam esse parentem volunt[3]. Rogas, num Tridentum proficiscar, nec habeo, quod certe pronuntiem, etsi probabile sit, eo me discessurum. Sic enim rogat ac vrget Praesul Eychstet. At primum a Duce Bauariensi impetranda est venia, neque hinc me dimouebo, nisi certiora quaedam cognouero: breui autem cognoscam[4]. Vtinam

[1] Nathanael Balsmann, de quo supra p. 369.

[2] Canisius ad Pflugium de ratione scripserat, qua ecclesia catholica in Saxonia iuvari posset. Vide supra p. 370. 384.

[3] De Lutheranismo loquitur in Saxonia orto.

[4] Mauritius de Hutten, episcopus eystettensis, Canisium vel Goudanum suo loco Tridentum mittere vel secum adducere volebat. Sed Ignatius, Goudanum concedere paratus, Canisium ei negabat, quippe qui Germaniae necessarius esset. Albertus autem Bavariae dux neutrum abire passus est (*Monumenta historica* l. c. p. 261. 262[1]). Plura vide infra p. 395—396.

successum Synodi promoueat Episcoporum frequentia, quae multum adderet autoritatis et fidei, vellent nollent aduersarii. Louanienses theologi, et sane percelebres, paucis retro diebus discesserunt, iamque Tridentum opinor peruenerint[1]. Dominus Iesus Ecclesiam suam tueatur, et C. T. conseruet. Ingolstadii 1551. 19 Sept.

REVEREND. CELSIT. T.

Seruus in Christo
Petrvs Canisivs.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO MEO, EPISCOPO NVMBVRGENSI.

119.

P. IOANNES DE POLANCO

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 17. Novembris 1551.

Ex *„Monumentis historicis"* S. J. l. c. p. 261, adnot. 2.

„Polancus, ex commissione, Nicolao Gaudano, non posse Argentorati Capitulo morem geri in iis quae circa Canisium postulat[2]*, nisi habeatur Ignatii consensus et Pontificis venia; scribat igitur Capitulum tum Pontifici et Cardinali Maffeo, tum Ignatio, 20 Octobris [1551]. Idem scriptum est Canisio, 17 Novembris*[3]*" [1551].*

Vide supra p. 281.

---

[1] Concilio tridentino a. 1551 et 1552 interfuerunt Leonardus Ioannes Hasselinus, Iodocus Tiletanus, Ruardus Tapperus, Franciscus Sonnius.

[2] Argentorati (Strafsburg), quae urbs Alsatiae est principalis et tunc „imperialis" sive libera erat, anno 1529 senatus in urbe eiusque agro missae sacrificium offerri vetuit; in ecclesia cathedrali Gaspar Hedio, ecclesiae romanae infensissimus, sacrum suggestum occupabat. At Carolus V. bello smalcaldico feliciter gesto Argentinenses coëgit, ut anno 1549 promitterent cultum catholicum in aliquot ecclesiis restitutum iri. Erasmus de Limburg, episcopus argentinensis, urbem ingressus ecclesiarum illarum possessionem recuperavit Kalendis Februariis 1550. Protasius Gebweiler ecclesiae cathedralis constitutus est parochus in eaque singulis dominicis et festis diebus mane et vespere sermones sacros habebat, cum Hedio suggestum suum ex cathedrali ecclesia in eam transtulisset, quae Dominicanorum fuerat. Sub mensem Septembrem a. 1551 canonici summi templi ad Canisium scripserunt, ut — verba sunt ipsius Canisii 2. Ianuarii 1552 Ignatio scribentis — „ecclesiastem acturus illuc veniret, aut certe quidem tot modis afflictae ecclesiae suae statum semel inspiceret: curaturos se modis omnibus, ut susceptae peregrinationis eum nunquam poeniteret" (*M. Th. de Bussierre*, Histoire du développement du Protestantisme à Strasbourg et en Alsace [Strasbourg 1859] I, 293—301; II, 5—14. *L. G. Glöckler*, Geschichte des Bisthums Strafsburg I [Strafsburg 1879], 366. 377—400. *Polancus*, Chronicon II, 261).

[3] Canisius capitulo satisfacere non potuit nisi ineunte anno 1558; 17. Ianuarii 1558 Argentorati in ecclesia cathedrali sermonem sacrum habuit.

120.

CANISIUS
P. LEONARDO KESSEL,
Sociorum coloniensium praefecto.

Ingolstadio 14. Decembris 1551.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4. inscr. et part. sig.).

A capitulo ecclesiae cathedralis argentoratensis se expeti contionatorem. Enixe rogat, ut Kesselius, Carthusiani, amici alii negotium illud S. Ursulae aliisque coloniensibus sanctis diligenter commendent. Reliquias sacras petit. Kesselium hortatur, ut se suosque in lingua germanica exerceat. Ingolstadii sacramenta frequentari et Lutheranos converti. Lainium et Salmeronem concilio tridentino egregiam operam navare. Societati multa constitui collegia. Franciscum de Borgia, in Societatem liberalissimum, ducatu cessisse, Societatis alumnum se profiteri, ad animi demissionem et paupertatis studium omnes et contionibus et exemplis impellere.

IESVS

Reuerende pater Leonarde,

Gratia Domini nostri JESV CHRISTI et pax in nostris usque cordibus augeatur. Scriptae sunt huc Argentina literae, quibus testatum est satis, parari illic scripta nomine Cathedralis Ecclesiae, eaque propediem esse mittenda Romam tum ad Pontif. Max. tum ad Cardinalem societati nostrae amicissimum Maphaeum [1], tum ad Praepositum nostrum et Reuerendum in Christo P. Jgnatium. Summatim hoc agitur, me vt Romae impetrent Ecclesiasten sibi, aiuntque nullam fore sumptuum magnitudinem, aut esse posse, qua deterreantur, modo isthuc [*sic*] efficiant [2]. Jgitur quia consensurum video Reuerendum Praepositum, vt ex ipsius ad me literis est cognoscere, grauem hanc suscipere prouinciam cogar, et ni fallor, ante quadragesimam [3] hinc Argentinam concedam [4]. Qua in re si quid meam consolari imbecillitatem potest, id certe ad communes Patrum, fratrum et amicorum preces refero, his ego praesidijs nitor, meis plane diffisus viribus, quas multis nominibus debeo negligere uilique pendere, dum et ciuium illorum corruptissimos intueor animos, et praeteritam quae illic cum Bucero regnauit, haereticorum et haeresiarcharum turbam animaduerto. Tuam uero pietatem imprimis oro frater, vt rem hanc minime vulgarem tecum expendas, meque tuis posthac precibus et sacrifitijs ita commendes Deo, vt antea nunquam, diligenter. Tria certe sacra, quae Sanctissimae Vrsulae in aurea fient camera [5], sanctae Trinitati

---

[1] De Bernardino cardinali Maffaeo vide supra p. 377 [1].

[2] Vide supra p. 386.

[3] Anno 1552 initium quadragesimae fuit 2. Martii.

[4] Confer, quae *Canisius* hac de re in „Confessionibus" scripsit, supra p. 65.

[5] „Aurea camera" sacellum dicitur ecclesiae S. Ursulae contiguum multoque auro fulgens, in quo etiamnunc corpus S. Ursulae, capita multarum sociarum eius, aliae reliquiae et monumenta pretiosa asservantur. B. Petrus Faber, cum Coloniae

offeres, deinde sanctis Magis totius Germaniae Patronis et Regibus [1], post D. Gereoni [2] et B. Seuerino Episcopo meo [3] negotium hoc omne, et quidem saepe, si me amas et audis, commendabis. Nec fides me mea fallet spero, quam de te, alijsque filijs et fratribus tuis maximam concipio, fore scilicet, vt Canisium quamuis indignum ad onus hoc ingens extrusum fauore et pietate vestra prosequamini. Haec ipsa D. et fratri chariss. Arnoldo [4] scripta et dicta sint, necnon Reuerendis in Christo Patribus meis Carthusiensibus, quorum pro me continuata sacrificia saltem uicibus aliquot, supplex peto et obsecro. Tum Reuerendo Patri Priori [5] velim hoc meo nomine dicas, vt quemadmodum ipse, cum magni momenti causa incidit, ad spetialium amicorum preces confugere solet, ita semel pro me dignetur facere, siue tacito, siue expresso in literis nomine meo. Nullum sane maius in me benefitium conferre potest, nullam ego rem mihi et Argentinae magis necessariam reor, quam si hoc tempore et principio quidem causa ista Deum fauentem habeat, et sic animos vulgi conciliare possim, vt tantum se tractandos et sanabiles utcunque praebeant audiendo. Vides quam agam tecum prolixe et solicite, hoc vnum admonens, summeque rogans, vt plurimis plurimorum precibus iuuer, quia contionandum est Argentinae. Charitatis tuae fuerit, meam expectationem hic non fallere, sed quod Deo duce sum seminaturus, quotidiano et efficaci precum vestrarum succo irrigare, laboranti quamuis imperito agricolae assistere, fauorem Sanctorum omnibus modis accommodare.

Vestras quidem non accepimus, postquam hinc duo quos Romam nuper misistis, discessere [6]. nos interea scripsimus ad uos, et sacras huc mitti reliquias, valde rogauimus, iterumque rogamus. Nam etsi discedam ego, priusquam alios mittatis in Vrbem (ut in quadragesima fore auguror) tamen illi R. D. Nicolaum Goudanum hic reperient, qui depositum apud se munus vestrum uel seruabit in meum vsque reditum ex Argentina (si quidem res procedent Jngolstadiensis collegij) vel pro mea voluntate mittet alio, etiamsi Argentinae morer diutius. Jtaque sacrarum reliquiarum, vt saepe oraui, participes omnino nos

---

esset, „auream cameram" summo in honore habebat in eaque saepe sacrum faciebat (*Nic. Orlandinus,* Forma sacerdotis apostolici [Dilingae 1647] p. 67).

[1] Cf. supra p. 173. [2] Cf. supra p. 37 [2].

[3] Vide supra p. 265 [7]. S. Severinum antistitem coloniensem „suum" dicit episcopum Canisius, quia in archidioecesi coloniensi natus, studiis excultus, sacerdos factus erat. Neomagum anno demum 1559 ab ea dioecesi separatum est (*Binterim* und *Mooren,* Die Erzdiöcese Köln im Mittelalter. Neu bearbeitet von *Alb. Mooren* [Düsseldorf 1892] p. 168—170).

[4] „1551 Pater Arnoldus Hezius anni huius Neomysta, praeest studiorum nostrorum disputationibus domesticis, terque in hebdomade ijsdem graeca praelegit": Ita ex „Historia Collegii Coloniensis" *cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 22[b]. Cf. etiam *„Litteras quadrimestres"* I, 401—402. 463. [5] Gerardo Hammontano.

[6] Hi qui fuerint, nescio.

reddas, quoniam et Romae iussus sum promissam seruare fidem. quam liberare non possum, nisi donatis Florentiae Reliquiis[a] — —

Nuper vt puto significauimus, datos esse nobis adolescentes duos, qui se Viennae iam dedidere Societati, magnamque de se spem praebent omnibus, uere Germani[1]. Hos ueluti primitias CHRISTVS assumpsit, qui potens est et de alijs petris filios Abrahae sanctos excitare[2]. Progredior ego in contionando, et superaui vtcunque difficultates linguae Germanicae, in qua uos etiam et discipulos vestros exerceri cupio, sicut et apud nos festis diebus aliquando Latine, aliquando Germanice declamant studiosi, atque ita priuatim ad Contionandum instruunt sese. Magnam vero consolationem nobis augent, qui generatim confiteri peccata sua[3], et saepius communionem et confessionem sacram adhibere non cessant, atque uel tota uita cum in Lutheranismo vixerint, ad mentem hic redeunt, et per nos Ecclesiae reconciliantur, Christo gratia. Mirum dictu, quam foeliciter cadant conatus Reuerendorum P. Laynez et D. Alphonsi in Concilio Tridentino[4], vbi primum tenent locum inter omnes Theologos, quia Pontificis nomine sunt illuc destinati. Nihil dubito, quin rara ipsorum quam coram expertus sum, doctrina summam omnibus adferat consolationem et admirationem. Orandum autem pro R. P. Laynez, quod misere vexetur quartanis febribus, eoque deflectere coactus in villam propinquam, vt afflictam instauret valetudinem[5].

De Societate, quam succedant cuncta foeliciter, ex Vrbe, ni fallor, intellexistis. Vere, nimiumque sumus ingrati, si dexteram dei pro nobis pugnantem et triumphantem non agnoscimus atque laudamus. Nam ut tot annorum fructus immensos praeteream, quos operari per nostros dignatur bonorum author omnium, non parum id mihi sane videtur, quod hoc vno anno qui est a Christi ortu 1551, tot tantaque ex fratribus collegia sint constituta, vt Eborae apud Portugalenses, Medinae[6], Burgae[7], Ognatae[8], Viennae[9], Ferrariae, Neapoli, vt alia

---

[a] *In autographo quattuor versus, qui sequuntur, atramento superposito ita obscurati sunt, ut legi non possint; neque tamen ab ipso Canisio id factum esse videtur, sed illius manu, qui etiam alia quaedam signa in margine apposuit.*

---

[1] Lambertus Auer, Carolus Grim, Ioannes Dyrsius eodem fere tempore Societati nomen dederunt; vide supra p. 380[6]. [2] Luc. 3, 8.

[3] Confessionem „generalem“ sive de peccatis totius vitae factam significat.

[4] Concilium tridentinum Kalendis Maiis 1551 resumptum erat. Iacobus Lainius et Alphonsus Salmeron 27. Iulii Tridentum venerunt (*Gius. Boero* S. J., Vita del Servo di Dio P. Giacomo Lainez [Firenze 1880] p. 121).

[5] Lainius exeunte Octobri et ineunte Novembri in praedio Christophori cardinalis Madrutii morabatur, quod lacui salensi (Lago di Salò) appositum erat (*Boero* l. c. p. 125—126).

[6] Metimna Campensis (Medina del Campo) urbs est Hispaniae centralis.

[7] Burgos, in Hispauia septentrionali.

[8] Oñate, item in Hispania septentrionali.

[9] Viennam Austriae (Wien) dicit.

adhuc duo taceantur. Et haec partim iam inchoata, partim prouentibus annuis dotata sunt ita, vt immortale quoddam seminarium seruorum dei (si CHRISTVS fauere pergat) ex illis locis colligi conseruarique posse speremus. Prodibunt inde non solum docti, Philosophi, Theologi, literisque omnibus et linguis exculti, verum etiam pij sacerdotes, periti et efficaces Contionatores et piscatores hominum[1], futuri (quod breui Christus faxit) tum auxilio, tum ornamento Ecclesiae, ad cuius vtilitatem nostri spectare sudores et labores vnice debent. Repeterem vobis quid boni odoris reliquerit jllustrissimus Gandiae Dux et maximus Princeps idem Hispaniae, sed notam arbitror esse historiam[2]. Anno quidem superiore cum Religionis ergo venisset in Vrbem atque jubilei gratiam illic promereretur, eleemozinas addidit liberalissime, collatis in pios vsus multis millibus ducatorum. Collegium nostris non vnum extruxit atque instituit[3], et oblectatus amplissimo animarum prouentu, quem e nostrorum opera CHRISTO reportari cernebat, coepit et ipse ad Regium Contionandi munus applicare animum, neglectis principum curis et studijs, in quibus plus esse pompae et fastus, quam aedificationis ac spiritus arbitrabatur. Filijs igitur quos pie quidem instituendos curauit, Principatus reliquit gloriam, et omnem aulae suae strepitum et quaecunque ad Ducalis dignitatis administrationem faciunt, vltro libenterque cessit. Post multas uero et serias preces, cum nostri multis illum annis in hoc proposito retardassent, impetravit tandem, vt pro Duce seruus in hac IESV Societate sit assumptus. Florebat antea princeps, nunc mutato prorsus habitu de sua etiam paupertate nobiscum gloriatur, Orbatus it frequenti illo satellitio, Qui multis imperabat, pauperibus et Christi seruulis obtemperat, qui bonis mundi huius affluebat, etiam egenus videri, et paupertatem non praedicare solum, sed etiam obseruare studet accurate. Mirum quam plerique admirentur hanc dei potentiam, et mutatas rerum vices. Alios reos iudicare et pro tribunali sedere qui solebat, nunc vult ipse iudicari, nunc audiri non iudex quidem, sed ut medicus animarum concupiscit. Stat in medio sui populi, e suggestu contionatur, ad mundi contemptum inuitat seculi filios[4], amorem crucis nescio an verbo magis quam exemplo declarat,

[1] Matth. 4, 19. Marc. 1, 17.

[2] Sanctus Franciscus de Borgia, Gandiae dux, a. 1548 Societatis Iesu vota privatim professus est, facta sibi a summo pontifice potestate ad certum tempus res et privatas et publicas administrandi; a. 1551 a Carolo V. ducatus in filium transferendi facultatem obtinuit; 24. Maii 1551 sacerdotio initiatus, totum se evangelicis mancipavit ministeriis (Vita Francisci Borgiae, a P. *Ribadeneira* Hispanice scripta; Latine vero ab *And. Schotto* [Moguntiae 1603] p. 80—151. *Alv. Cienfuegos* S. J., La heroyica vida, virtudes, y milagros del grande S. Francisco de Borja [Madrid 1702] p. 149—228).

[3] Gandiae, in ducatus sui urbe principe, Societatis Iesu collegium condidit; alterum Caesaraugustae instituendum curavit; de collegiis etiam complutensi et romano optime meritus est.

[4] Luc. 16, 8; 20, 34.

vtraque ratione, vt audio, magnopere mouet auditores. Nam zelus domus Dei[1] tantus in illo visitur, vt non in aulis nutritus, et terrenis rebus praefectus fuisse videatur, sed uelut in spiritus sancti schola, sub obedientia magistra uitam priorem exegerit, ardens charitate, plenus humilitate, et spiritualibus iam bonis abundans, vt non prioris hominis vestigia, sed ne principis quidem vmbram retinere videatur. At benedictus Deus qui humilia respicit in coelo et in terra[2], quique nobilissimorum hominum filios magis ac magis indies nobis adiungit, vt velit nolit mundus, non contempta, sed gloriosa esse paupertas incipiat, et in cruce gloriatio[3] queat superbis obijci, diuitibusque persuaderi, si solum sui ordinis exempla velint imitari. Sed non licet prolixius agere: vobis esse commendati ex animo cupimus, vobisque Doct. et frater meus D. Nicolaus accurate salutem impertit. Precor dominum JESVM, vt foeliciter nouum inchoemus annum, in quo pacem Ecclesiae restitui vtinam videamus tandem, sopitis semel his tantis bellosis[a] motibus qui nunc passim inualescunt[4]. Quamquam cladem accepit Turca in Vngaria, et magno dei munere Victor esse coepit Rex Romanorum, vt etiam Viennae nostri significarunt[5]. Pro successu autem Concilij praecipue implorandus ille sponsus Ecclesiae, qui tot errorum tenebris et scandalorum sordibus obscuratur, vt a multis ignoretur, et a paucis digne colatur. Inter amicos quos meo salutabis nomine, cumprimis habeo Reuerendum P. Priorem cum Carthusia sua, nec dubito, quin vt ante rogaui, me suis precibus et sacrifitijs sint adiuturi. Dominos autem Licentiatos saepe nominaui, quos a me salutari solere nostis, praecipue autem R. D. Bardwick vna cum familia sua. Commendabis me itidem sororibus D. Ignatij[6], et deinde in Nazareth[7]: cum et istarum et amicorum pro me omnium preces uehementer exoptem. Saepe cogito de fratre meo Theoderico et de M. Henrico Nouiomagensi Canonico. Det illis dominus intellectum[8], vt in viam pacis[9] ambo perueniant: mundique laqueis eripiantur[10]. Datum Jngolstadij 14 Decembris anno Christi Domini 1551.

Tuus in Christo seruus et frater
Petrus Canisius.

[a] *Corrigendum certe aut sic est aut:* bellicosis. *Autographum:* bellocibus.

[1] Ps. 68, 10. Io. 2, 17. [2] Ps. 112, 6. [3] Gal. 6, 14.

[4] In Germania tunc iamiam seditiones illae atque bella incipiebant, quibus anno 1552 Albertus marchio brandenburgensis et Mauritius Saxoniae elector Carolum V. et catholicos, immo et protestantes vexabant (cf. *Janssen* l. c. III, 682—691).

[5] Turcae Temeswariam obsidentes pedem rettulerant; possessio Lippae a Christianis vi recuperata erat (*Bucholtz* l. c. VII, 262—263. *Hammer* l. c. II, 214—215).

[6] Vide supra p. 290[4]. [7] Vide supra p. 45. 209[4].

[8] Ps. 118, 34. 73. 125. 2 Tim. 2, 7. [9] Luc. 1, 79.

[10] De Theodorico Canisio et Henrico Dionysio vide supra p. 116[2]. 290. 251[1]. 268; uterque Societatem postea ingressus est.

Literas adiunctas Louanium mitti, nec leui de causa, vt cito curetis oro.

† Honorando Domino Leonardo Louaniensi de Societate IESV sacerdoti Coloniae.

121.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 2. Ianuarii 1552.

Ex „*Litteris quadrimestribus*" I, 480—485. Editor, apographo antiquo usus, adnotat: „Autographas Canisii litteras nullibi adhuc reperire valuimus; quare quid in eis Polancus, ut ejus moris erat, immutarit seu emendarit, quid addiderit, quidve suppresserit [1], indicare nequimus."

Epistula usi sunt: *Polancus*, Chronicon II, 256—263. *Orlandinus* l. 10, n. 99 ad 101. *Sacchinus*, Can. 52—54. 60—61.

(„Epistula quadrimestris".) Canisius et Goudanus soli in universitate theologiam docent, crescente auditorio. Philosophiae moralis lectio etiam professoribus mire probatur. Socii etiam privatim docent, disputandi morem induxerunt, scholas habent in gratiam eorum, qui ordinibus sacris initiandi sunt. In Germania omnes indiscriminatim ad sacerdotium admittuntur. Ad confessionis sacramentum multi accedunt, etiam qui a pueritia in lutheranismo instituti erant. Parochus quidam et iuvenes litterarum studiosi sacris exercitiis exculti; ille parochianos ad sacramentorum frequentiam adducturus est. Adulescentes litterarum studiosi ad contiones germanicas habendas et ad preces pie faciendas instituuntur. In templis orare iam fere ignominiosum videtur. Professores cum discipulis natali Christi ad eucharisticam mensam accesserunt. Impetratum, ut in omni contione preces pro salute communi cum populo recitarentur. Canisio contionanti frequens est auditorium. Populi magna pietas. Canisius vicecancellarii munus umeris excutere non potest. Canonici argentinenses vehementer instant, ut Canisium contionatorem accipiant. Argentoratum „sectarum sentinam collegit". Praesules moguntinus, treverensis, constantiensis, eystettensis de collegiis Societatis condendis cogitant.

JESUS

Gratia et pax Domini Nostri Jesu Christi in nobis et per nos in dies augeatur. Amen.

Scribam ad te de quatuor mensibus, ut voluntati tuae paream, Reverende Pater, narraturus ea succincte quae magno Dei nostri munere inde a septembri concessa sunt nobis, ut lucrum quidem aliquod videri queat spirituale; sed omnino exiguum illud, si cum aliorum Patrum et Fratrum scriptis conferatur.

Initio lectiones sacrae, quas in hac academia soli profitemur Doctor Nicolaus Goudanus et ego [2], praeterquam quod consuetum habuere successum, quia Christus adspirare dignatur, etiam frequentiori et constantiori quam prius bonorum auditorum numero decoratae

[1] Cf. supra p. 379 [a].

[2] Solos igitur hos duos professores facultas theologica tunc habebat.

fuerunt. Aethicam vero lectionem[1] commendant cum studiosi atque magistri, quorum ingens accedit numerus, cum ipsi quoque professores atque doctores, qui nobiscum agere coeperunt non semel ut horam profitendi commodiorem, quae ipsis deberetur, ad praelegendam aethicam vendicemus.

Jam ut omittam lectiones ordinarias, praesertim in evangelicis et apostolicis[2], privatim quoque docemus, sed ita ut nulli denegetur ad haec audienda locus, quae maxime ad explicandas in romanis difficultates spectant[3]. Dedimus insuper operam ut persaepe disputaretur, jamque vicimus utcumque difficultatem, quae hactenus abhorrentes istorum animos tenuit ab hoc, licet utilissimo, tamen hic rarissimo instituto, cuius nunc fructum et sentiunt et amant theologiae studiosi. Neque sine singulari multorum profectu factum quod lectiones aliquot in gratiam illorum institueremus, qui sacris erant ordinibus paulo post initiandi. Nam apud Germanos, dum ad sacerdotalem adspirant ordinem, nulli non admittuntur, qualis qualis aetas et gravitas sit in ordinandis. Excusant autem neglectum hunc canonum sacrorum, quod summa ministrorum ecclesiae visatur ubique penuria: quasi propterea praestet qualescumque demum quam nullos habere presbyteros ad functiones obeundas in templis.

Quod ad sacramentum attinet confessionis, nec pauci nec vulgares hic juvantur a nobis; et jam mulieres audire coepimus, cum antea linguae nos deterreret difficultas. Accesserunt praeterea qui nunquam antea fuerant confessi, et ab ipsa quidem sua pueritia in lutheranismo instituti, sub utraque semper specie communicaverant, quos Christi gratia singulari lucrifecimus ut jam ad Ecclesiae doctrinam atque disciplinam se rite componant, saepe confiteantur, seriam ostendant resipiscentiam, et de se magna nobis polliceantur.

Parochus quidam qui, relictis omnibus, hic degere voluit, postquam spiritualiter est exercitatus a nobis, admirabilem collegit fructum ex meditationibus, quas solemus proponere. Fructum hunc fusis poenitentiae lacrymis et optimae vitae concepto desiderio non parum ardenti declaravit. Cum ad suas redire oves pararet, fidem nobis dedit curaturum se, tum apud amicos, tum apud suas oves, enixe ut sacrae confessionis et communionis usus, qui Germanis est omnino rarissimus, frequens introduceretur: tum in singulos menses scripturum se nobis recepit quis ecclesiae status, quis fructus in suorum animis esset. Adjuti sunt et alii studiosi, dum per nos priorem meditationum no-

---

[1] Goudanus hanc scholam habebat; cf. supra p. 362. 380.

[2] Canisius in universitate evangelium S. Ioannis interpretabatur; epistulas S. Pauli aut ipse, aut Goudanus; cf. supra p. 382[1].

[3] Notum est inter libros sacrae Scripturae, e quibus Lutherus doctrinam suam confirmare conabatur, epistulam ad Romanos eminere. Ideo primi in Germania Societatis homines hanc Scripturae partem praeter ceteras sibi sumebant exponendam.

strarum partem absolvunt[1], in quibus majorem quam antea unquam de pietate profectum sensere, ut ad generalem peccatorum confessionem instituendam essent instructiores.

Dominicis ac festis diebus, quando a meridie studiosi ad nos multi veniunt, paratum ex illis ipsis declamatorem habemus, et sicut latine hactenus, ita nunc germanice, ut concionentur effecimus; qua quidem exercitatione an sibi magis ipsi profecerint quam nobis satisfaciant haud facile dixerim. Certe ad concionandi munus hac ratione praeparari videntur, ut si pergant in hoc instituto, juvari fortasse per hosce ministros germanicae possint ecclesiae, in quibus boni et fidi concionatores quam maxime desiderantur. Absoluta porro declamatione, quam dixi, flectunt cuncti genua, qui convenere, Christum precaturi. Tum praelegi curamus pias aliquot precationes, ad quas respondent illi vicissim. Sunt hae precationes pro successu Concilii Tridentini, pro pace Ecclesiae, pro haeresum exstirpatione; succedit demum letania. Mirantur jure nonnulli qui fiat ut Germani adolescentes, atque etiam artium Magistri, ad hoc pietatis exercitium vel ultro accedant, quando in templis orare nunc fere pudendum videtur. Sed et in ecclesia, ubi vespertinas decantant laudes studiosi, morem eumdem precandi sequuntur, praeeunte uno nostrorum ac praesente totius collegii Rectore[2]. Neque istud solum apud studiosos impetravimus, verum etiam omnibus concionatoribus ut ad precandum exhortentur populum, Deo duce persuasimus. Igitur receptis verbis utuntur, flexisque genibus, Domini precationem recitat concionator. Deum quisque rogat et nominatim quidem pro Concilio, Episcopis, Imperatore, Principibus et pro pace etiam[3]. Nullus adeo est festus dies, concio nulla, quin precatio isthaec iteretur publice. Numquam hic esse conspectum affirmant ut sacratissimae Eucharistiae sacramentum plures quam hoc Natalis Christi festo peterent, praesertim professores una cum studiosis, qui nostris e manibus panem illum vere coelestem[4] accepere. Sic enim, quam antea declaravere, comprobatam voluere suam erga nos benevolentiam, fidem et amorem singularem. Unde nihil mirabimur si nostrum discessum aliquando ferant aegerrime, quod retinere nos ex animo cupiant universi.

---

[1] „Prima hebdomada" in exercitiorum libello haec dicitur, et „continet Considerationem peccatorum, ut eorum foeditatem cognoscamus vereque detestemur, cum dolore et satisfactione convenienti" (*Directorium exercitiorum spiritualium* c. 11, n. 2 in „Instituto Societatis Iesu". Vol. II [Romae 1870], 438).

[2] Regens „novi collegii" sive seminarii georgiani significari videtur; id munus tunc tenebat M. Ioannes Spreterus (*Mederer* l. c. I, 224).

[3] Consuetudinem hanc Canisius etiam, postquam Ingolstadio discessit, commendavit et pervulgavit. Qua ratione ipse dicendus sit auctor precum illarum „communium" („allgemeines Gebet", „Gebet für die allgemeinen Anliegen der Christenheit") in Germania quam maxime usitatarum, in secundo huius operis volumine videbimus.

[4] Io. 6, 32. 41. 50 etc.

Germanicae conciones meae, quas festis diebus continenter prosequor, non solum nunc intelliguntur magis, verum etiam et probantur eo studiosius, quod numeroso semper auditorio decorentur, ut plenum videre templum liceat, etsi in extrema civitatis parte situm [1], et quod adeatur hoc frigidissimo tempore, quod eis non parum incommodum videtur, praesertim cum die vixdum illucescente mihi sit auspicandum. Bonam spem esse audio de quibusdam haereticis, quorum utinam minor esset hic proventus, quique cum lubenter ad nos audiendos venire dicantur, suas etiam opiniones paulatim emendare censentur, ad meliorem, ut confidimus, frugem redituri, ut abjectis errorum tenebris in luce versentur Ecclesiae sanctae. De populo satis constat miram illius religionem esse coepisse, postquam in hoc templo a me coeptum est concionari. Non solum aures ad audiendum avide verbum Dei praebet, sed etiam ad precandi rationem tam pie quam studiose componit sese, ut nusquam alibi praeter omnem sane morem in Bavaria precantur. Sacrificanti ad finem usque Missae assistunt [2]. Cum Eucharistia sumenda est, singulari cultu eo sese convertunt, fusis humi corporibus, id quod in Germania videre sit rarissimum.

Munus Procancellariatus, quod hucusque quamvis invitus retineo, conor equidem ab humeris excutere; at me satis extricare vix possum, etiam si tua me defendat authoritas, Reverende Pater; sic urget Episcopus, Princeps et Academia. Sed modis omnibus ut hoc onere liberer procurabo.

Novum nobis ostium se aperit Argentorati (vulgo Argentinam vocant). Est ea civitatum germanicarum una praenobilis, raris admodum instructa dotibus, mundique ornamentis referta. Scripserunt illinc ad me canonici cathedralis ecclesiae, nobilissimi quidem illi, quum inter hos et duces et comites plurimi numerentur [3]; sed propter lutheranismum coacti excedere, nunc demum suis restituti sedibus, curant res afflictae ecclesiae suae [4]. Scripserunt, inquam, ad me illi ut ecclesiastem acturus illuc veniam, aut certe quidem tot modis afflictae ecclesiae suae statum semel inspiciam; curaturos se modis omnibus ut susceptae peregrinationis me nunquam poeniteat. Rescripsi igitur me de mutando loco nihil posse statuere, quando ipse mei esse juris desiissem; in me porro nullam futuram moram si missus ad illos gratificandum [*sic*] quicquam possem efficere. Nunc parum abesse [?] [a] autem quin Episcopo Eystettensi [5] me comitem ad synodum adjungerem, sic annuente scilicet praeposito meo, nisi primores Ba-

[a] *Sic. Legendumne* abfuisse?

[1] Canisius tunc contionari solebat in templo S. Crucis, quod postea destructum est; cf. supra p. 374 [2]. [2] Cf. supra p. 383.

[3] Capitulum argentinense inter nobilia Germaniae capitula fere nobilissimum erat; omnes enim capitulares (qui 24 erant) principes vel comites vel liberi barones imperii esse debebant. [4] Cf. supra p. 386 [2]. [5] Mauritio de Hutten.

variae obstitissent quominus ea in Concilium profectio succederet [1]. At boni canonici illi, ne quicquam intentatum relinquerent, non modo secundas ad me litteras dedere, quibus ut iter mature ingrediar contendunt maxime, sed etiam ad Pontificem Maximum, ad Cardinalem Mapheum [2], et ad P. T. scripserunt ut jussus Argentinam amander agamque concionatorem. Nunc ea concepta est exspectatio fore ut ad proximam illis quadragesimam adsim. Novit autem Dominus quantopere sit opus, cum in aliis Germaniae oppidis, tum in hac praeclarissima civitate, opus, inquam, fidissimis Dei servis et operariis. Nam Argentina velut haeresum sectarumque sentinam collegit, postquam illic velut in arce regnarunt illi pestilentes, nec minus eloquentes, Bucerus, Capito, Sturmius, Hedion [3], similesque pestes. Quo magis Christum precari par est ut ad messem illam vel meliores quam ego sum ac esse possim mittat operarios, vel si obedientiae jus tale quid a me postulet sua ipse gratia, qui dominus est messis [4], suppleat quod ad provinciam eam rite obeundam in me omni quidem ex parte desideratur. Atque his [?] [a] sane Patrum et Fratrum non defuturas mihi preces puto, quas ardenter quidem numquam non expeto. E quibus saepe ita pendere videor mihi ut firmius in terris praesidium non requiram.

Nunc priusquam absolvam omnia, Christo gratias agendas primum arbitror quod, sicut in aliis christiani orbis provinciis factum est, sic etiam de Germania nostra brevi fore promittat; nimirum ut variis in locis exstructa hic collegia videamus, ubi contra fidei hostes invictum Jesu nomen ejusque sodalitium longe lateque resplendeat.

De Viennensi Collegio dicere supersedeo quod iam optimis quoque proventibus dotatum est [5]. Praecessit Rex Romanorum. Hunc sequi ducem volunt Electores duo imperii, Archiepiscopus Moguntinus [6] et Trevirensis [7]. Accedunt dein duo Germani et ipsi Episcopi, Constantiensis [8] et Eystettensis, qui cum regium intuentur exemplum, et suis

[a] *Sic Litt. quadr.;* hic?

[1] Vide supra p. 385. *Polancus:* „Sed et suffraganeus Episcopus, et deinde Eistetensis, suo loco ad Concilium mittere, vel deducere ipsi, P. Canisium aut P. Gaudanum nitebantur; cum vero princeps Bavariae timeret ne alio postea hi Patres mitterentur, si Ingolstadio recederent, nunquam suum ad id consensum, qui tamen erat necessarius, praestitit" (Chronicon II, 261). Eadem similibus verbis refert *Sacchinus,* Can. p. 61; qui tamen, ubi Polancus de „suffraganeo Episcopo" scribit, „Frisingensem" episcopum ponit, idque recte, ut videtur. Ecclesiae frisingensi ab a. 1541 usque ad 31. Decembris 1551 praeerat Henricus palatinus ad Rhenum.

[2] Vide supra p. 377 [1].

[3] „Hedio" (Heyd, Heid) ille vocari solebat.

[4] Matth. 9, 38. Luc. 10, 2.

[5] De hac re postea plura dicentur.

[6] Sebastianus de Heusenstamm; at collegium moguntinum anno demum 1561 institutum est.

[7] Ioannes de Isenburg. Collegium treverense a. 1560/61 conditum est.

[8] Christophorus Mezler. Constantiense collegium institutum est anno 1592.

prospectum eatenus volunt, de collegiis Societatis instituendis tractare coeperunt. Qua de re ut conatus illorum rite succedant, illicque[a] major exerceatur nostra charitas, ubi procul dubio major sese offert necessitas, Christum merito precabimur ut Societatis nova veluti luce densas pellat tenebras, quae Germaniam omnem, ut nullam provinciam christianam aliam, obscuravere.

Lux vera[1] Christus nos respiciat illustretque semper gratia sua. Amen.

Ingolstadii, postridie Circumcisionis Christi, anno Nativitatis ejusdem 1552.

Filius et servus infimus,

Petrus Canisius.

122.

SANCTUS IGNATIUS

PP. PETRO CANISIO, CLAUDIO IAIO, NICOLAO GOUDANO, S. J.

Roma 12. Ianuarii 1552.

Ex „*Monumentis historicis*“ S. J. l. c. p. 565, adnot. 1.

De Canisio et Goudano Ingolstadio ad tempus Viennam mittendis 12. Ianuarii 1552 „scriptum fuse fuit[2] *Patribus Claudio Juio et Petro Canisio, missaeque sunt patentes seu obedientiae litterae Patribus Canisio et Gaudano, quibus eis injungebatur ut, cum bona Ducis, Aistetensis Episcopi, Universitatis et populi venia, quamprimum Ingolstadio Viennam se conferrent*“ [3].

[a] illisque *Litt. quadr.*

[1] Io. 1, 9.

[2] Quia res collegii Ingolstadii condendi in longum trahebatur, Ignatius suos inde avocare statuit et effecit, ut Ferdinandus rex eos a summo pontifice quasi commodato obtineret, donec collegii ingolstadiensis adesset maturitas. Vide infra, monum. 80—83.

[3] Haud recte igitur *Crétineau-Joly* scribit Canisium Viennam ad collegium instituendum venisse anno 1551 (Histoire de la Compagnie de Jésus tom. I, chap. 6 [Tournai 1846], p. 109). Collegii viennensis initia copiose enarrata sunt ab *Antonio Sochero* S. J., Historia Provinciae Austriae Societatis Jesu. Pars prima (Viennae Austriae 1740) p. 20—27. Notandum autem est Socherum in libro suo conscribendo usum esse historia manu scripta collegii viennensis, a P. Laurentio Magio, qui collegii eiusdem rector et provinciae Societatis austriacae praepositus provincialis fuit, „circa A. C. 1570. concinnata“ (l. c. p. 16[1]. 36. 55. 60—61 etc.). Summi etiam momenti sunt, quae ipsi primi Socii viennenses Romam scripserunt (in *Litteris quadrimestribus* I, 405—409. 456—461 etc.).

123.

SANCTUS IGNATIUS

PP. PETRO CANISIO ET NICOLAO GOUDANO, S. J.

Roma 28. Ianuarii 1552.

Ex *Polanci* „Chronico" II, 564.

Ignatius, inquit Polancus, „28 Januarii [1552] nomine Summi Pontificis, cui obedientiam peculiari voto in missionibus debet Societas, ut inde [i. e. Ingolstadio] Viennam se conferrent, nostris Ingolstadiensibus scripsit, et quidem intra decem dies postquam litteras accepissent" [1].

124.

CANISIUS

MAURITIO DE HUTTEN,

episcopo eystettensi.

Vienna Austriae inter mensem Martium et Novembrem 1552.

Ex cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2ª. Etiam apud *Verdière* l. c. I, 449.

P. Nicolaus Goudanus Ingolstadii adulescentes quosdam „ad pietatem propius adducebat". Inter hos „Joannes Dyrsius Eystettensis fuit, alumnus ille primum Episcopi atque canonicus, sed quj utrumque Doctorem ex Bauaria discedentem Viennam est usque comitatus et Collegio simul illic adscriptus [2],

---

[1] Canisius 24. Februarii Albertum V. adiit, ut gratias ei ageret et abeundi veniam obtineret. Is „multis modis immo et precibus agebat ut aliquandiu subsisterent, donec ad socerum suum Ferdinandum ipse scriberet; sed cum praescriptum decem dierum tempus moram non ferret, hoc decrevit tandem, misso Romam secretario revocationem eorum curare juxta spem, quam P. Ignatius ei faciebat, cum Collegium Ingolstadiense inchoaretur". 28. Februarii, quae dies dominica erat, „cum post concionem populo valediceret P. Canisius, multi cum planctu et lacrymis quantum de recessu eorum dolerent testati sunt. Eumdem affectum professores Universitatis, cum eis valedicerent, ostenderunt, et pene tota Universitas". Episcopum etiam eystettensem salutarunt. „Primores civitatis" eos usque ad navem comitati sunt, qua secundo Danuvio vehebantur, immo et aliqui cum eis aliquamdiu navigaverunt. Haec a *Polanco* referuntur (Chronicon II, 564—566). Atque etiam *Wiguleus Hundt,* qui Alberti V. ducis consiliarius et per complures annos universitatis ingolstadiensis curator fuit, in magno illo suo libro „Metropolis Salisburgensis", Ingolstadii anno 1582 primum vulgato, testatur: Canisium et, qui a. 1549—1552 Ingolstadii cum eo erant, Socios „bonam sibi gratiam in eo Gymnasio conciliasse suique desiderium illic reliquisse" (Metropolis Salisburgensis, ed. *Christ. Gewoldus,* II [Ratisponae 1719], 277).

[2] „Duo germani novitii cum eis venerunt, quorum alter fuit Joannes Dirsius": *Polancus* l. c. II, 565; alter Lambertus Auer vel Carolus Grim fuit; cf. supra p. 380[6]. *Mederer* (l. c. I, 229) affirmat tunc a Canisio et Goudano in itineris atque etiam vitae societatem assumptum esse Iodocum Castner, qui postea collegii ingolstadiensis minister et a. 1577 collegii halensis rector fuit. Societatem vero hic ingressus est multo post; nam eum demum 24. Februarii 1571 Romae prima Societatis vota fecisse constat

etsi Episcopus aegre ferret clancularium uelut abitum alumni, eoque succenseret nonnihil Doctori Canisio, sed literis ab eodem acceptis de tota causa rescripsit amanter, et paulo ante mortem [1] *ostendit se Dyrsij factum comprobare"* [2].

125.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL

ceterisque Sociis coloniensibus.

Vienna 8. Aprilis 1552.

Ex apographo (2°; $3^1/_3$ pp.), quod mense Maio vel Iunio eiusdem anni Ioannes „Cospaeanus", montanus, „Societatis Iesu alumnus" [3], Coloniae ex archetypo descripsit et Ludovico Blosio (de Blois) ordinis sancti Benedicti, abbati monasterii laetiensis (Laetiae, Liessis, in Gallia) destinavit; at Blosio missum esse non videtur; nam hodie quoque Coloniae est, in Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I." ff. 2 non sign. Vide, quae infra post ipsam epistulam scribentur.

In eodem codice (post f. 61) alterum apographum est, quod saeculo XVII. scriptum esse videtur.

Se Ingolstadio revocatum esse. Fratres ex Colonia advenisse. Vexationes cum gaudio perferendas esse. Sociorum coloniensium alumnos vehementer exhortatur, ut magistris perfecte oboediant, atque immo evangelicam perfectionem in Societate Iesu sectari et ipsi statuant. Quantopere desideret, ut Theodoricus frater suus idem statuat. Se Argentoratum missum iri. Iis, qui in carcere sint viennensi, se parochum sese praestare. De Turcarum crudelitate. In vulnera Christi confugiendum esse.

Jesus.

Charissimi fratres in Christo Jesu.

Gratia Domini nostri Jesu Christi et eius pax sempiterna nobiscum. Benedictus pater ille misericordiarum ac Deus totius consolationis [4], qui nos tanta locorum intercapedine disiunctos, abunde consolatur, et absentes cum in literis, tum in fratribus quos mittitis, iucunde [a] praesentes facit. Hoc nondum ad vos per-

[a] iucundae *Cospaean.*

ex „*Libro professionum et votorum" collegii ingolstadiensis f. 31ᵃ (nunc cod. 270 bibliothecae universitatis monacensis). [1] Obiit 6. Decembris 1552.

[2] Ioannes Dyrsius (Thyrsius, Dirsius, Dirschius), cum in collegio viennensi philosophiae et in romano theologiae operam dedisset, a. 1563—1566 collegium oenipontanum gubernavit. Magdalenae, Ferdinandi I. caesaris filiae piissimae et erga Societatem Iesu liberalissimae, a sacris confessionibus fuit (*Cod. „Germ. Sup. Cat. 1566. 1599" [qui apud nos est] f. 359ᵃ. *Cod. „Initium et Progressus Collegii Soc. Iesu Oenipontani" P. 1, p. 4 [Oeniponte, in musaeo Ferdinandeo, Bibl. Tirol. tom. CCXXXII, n. 596]).

[3] Nescio num hic idem sit ac „Iohannes de Montibus, publicus Urbis [coloniensis] Professor", de quo *Reiffenberg* ad a. 1553: „Animo, nuncupatisque votis dudum noster, privatas . . incolebat aedes, suoque in lycaeo artes tradebat" (l. c. p. 42). De Ioanne „Conspeano" Lovanio Coloniam misso v. *Polancum* l. c. II, 270. 284.

[4] 2 Cor. 1, 3.

latum arbitror, venerabilem P. Doctorem Gaudanum[a] et me Ingolstadio reuocatos esse, et postulante ita Serenissimo rege Ferdinando Viennam missos peruenisse[1]. Quo fit vt in Bauaria nos frustra quaesierint fratres, quos vna cum libris non parum grauatos misistis Ingolstadium[2]. De nostris autem occupationibus ac de successu viennensis collegij vt ad vos scribant alij, curabo: Cristo libet gratias agere, quo duce augetur isthic fratrum numerus, et magis magisque splendescit fructus, quem cum patientia colligitis, cum securitate conseruatis, quamdiu tribulationum sale condiuntur cibi vestri, quos alijs pascendis in Christo largimini. foelices qui vobiscum agunt studiosos dixerim, quod clarissime videant, exemploque vestro discant, quid sit pugnare cum mundo, quid oppugnari a Sathana eiusque denso satellitio. illi sub vestris alis tueri se facile possunt quantumuis frendeant ac fremant hostes, quorum furor vester honor est. Curent tantum vestro parere imperio, si maxime se saluos volunt[b], curent gallinas amare, si se pullos arbitrantur[c], curent citra metum, citra solicitudinem omnem se primum Christo. Deinde vobis omnia concredere: Curent simpliciter excipere, Reuerenter auscultare, constanter explere quicquid non iniunctum modo, sed etiam consultum a vobis fuerit. Vtinam apertis viderent oculis, quantum adferant gaudium[d] suis angelis quoties obedientiae satisfaciunt et suo relicto sensu se totos[e] permittunt ijs quos Christus non secus ac seipsum iubet audiri[3]. Quam facile peruenirent ad summa, si quae infima vilissimaque sunt ex animo spernerent abijicerentque. Nempe vt aurum amittamus, terram et plumbum et ferrum sectamur? vt summas animi voluptates negligamus, momentaneam falsamque in creaturis dulcedinem requirimus? Non sapit nobis manna, quia aegyptiorum ollis infectum retinemus palatum[4],

---

[a] Gandavum *apogr. alterum.* [b] velint *ap. alt.* [c] arbitrentur *ap. alt.* [d] gaudij *ap. alt.* [e] solos *ap. alt.*

---

[1] *Boero* affirmat eos 9. Martii Viennam venisse (Canisio p. 88; Iaio p. 208).

[2] In matricula universitatis viennensis inter eos, qui exeunte a. 1551 et ineunte 1552 e „natione Rhenensi" inscripti sunt, comparent „Jacobus Tsanntele flandrus Jesuita" et proxime post eum „Otto Briamont laodinensis Jesuita" (Cod. „Matricula Universitatis Viennensis IV." f. 85[a]. Viennae, in archivo universitatis). Hi duo iuvenes ex academia lovaniensi, ut Societatis Iesu institutum sequi possent, Coloniam ad P. Leonardum Kessel fugerant, ab eoque statim ad Socios ingolstadienses atque ab his ilico ad viennenses ablegati erant. Iacobus „Tsanntele" (quod nomen fortasse accurate scriptum non est) a P. Nicolao Lanoio in litteris 24. Aprilis 1552 Vienna Romam missis „Iacobus Aldenardensis" vocatur. Tertius novicius cum iis venit „Rogerius Pepingensis" (cf. supra p. 334[3]), qui et ipse Lovanii Sociis se iunxerat (*Litterae quadrimestres* I, 507. 576. *Polancus* l. c. II, 563—569. *Reiffenberg* l. c. p. 36—37. *Socher* l. c. p. 27—28). Ex verbis autem Canisii supra scriptis intellegitur, post tres illos Colonia alios quoque Societatis scholasticos vel novicios Ingolstadium missos esse; quorum nomina ignoro.

[3] „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit" (Luc. 10, 16).

[4] Cf. Ex. 16, 3. Num. 21, 4. 5.

destituimur pane vinoque coelesti, quia nulla est vasis munditia, quo Ambrosiam et nectar excipiamus. Per tot ambages erramus, qui breuissima semita perduci poteramus ad regnum, et omnib. tum copijs tum voluptatibus affluere. Ah cur nondum placet opulenta in Christo paupertas? Cur detrectamus suavissimum [a] obedientiae iugum? [1] Cur Christo vocanti, assistenti, et collaboranti diffidimus? Nihilne nos mouent tot aliorum exempla, qui multis nos parasangis praecurrunt et anteuertunt, siue spectemus nobilitatem generis, siue fortunarum rationem, siue doctrinae magnitudinem, siue vitae ornamenta consideremus? Proposita sunt ob oculos Christi verba, promissa, exempla, consilia, quibus admoneamur, et incitemur ad perfectissimam viuendi normam, parata offeruntur ad pugnandum arma, et ad currendum [b] et laborandum nihil deest, si tantum quae iacent ante pedes accommodemus. Vtinam, Vtinam aliquando sapiant, qui tot modis auidam nostrae salutis [c] charitatem illam immensam audiunt ac vident, sed audiunt ac vident tantum, proh dolor, ac pudor, tempusque diuinae visitationis pulcherrimum negligunt [2], et vel improbe, vel frigide vel praepostere transigunt praetermittuntue hanc ipsis oblatam, et agnitam bene beateque viuendi occasionem. Videmus omnes vitae huius miserias maximas plurimasque, temporum experimur difficultates asperrimas, et vicissitudines rerum pene omnium sentimus horribiles, perinde ac si suum extremum agat mundus delirium, statim in nihilum collapsurus. Quanto feliciores vos, qui extra turbas quiete, si vultis, et perfecte si sapitis, vitam agitis, quique supra communem vulgi captum intelligitis, quae ad voluntatem Dei bonam, beneplacentem atque perfectam [3] requiruntur. Potestne igitur, vos omnes obsecro. potestne inquam suam in vobis partem vendicare mundus tam immundus quam malignus, vanus et caducus, in quo nihil perpetuum beatumque [d] comperiatis? Valeant hoc ipso nomine parentes, si quae [e] mundi sunt quaerant in vobis, et non vosipsos ad summam summi creatoris gloriam promouere contendant. Relinquite sarcinas, si cursum vultis expeditum, et iucundum ad immortalitatem; spes fallaces expuite, si coelestes opes expetitis, diuitias relinquite mortuis qui Christo foetent [4]: Thesauros autem qui locupletant puras, et sanctas animas, per mare per terras per tot discrimina rerum [5] quaerite, sectamini, desiderate. Christus etiam suos habet negociatores et institores, in his vos recenseri velim. Nostis accepta concreditaque vobis talenta: liberaliter erogate, sed in salutem vestram et proximi: vestra studia

[a] sanctissimum *ap. alt.* [b] concurrendum *ap. alt.*
[c] salutis nostrorum *ap. alt.* [d] beatumve *ap. alt.* [e] qui *Cosp.*

[1] Cf. Matth. 11. 30. [2] Cf. Luc. 19, 44.
[3] Rom. 12, 2. [4] Cf. Matth. 8, 21. 22.
[5] „Per varios casus, per tot discrimina rerum Tendimus in Latium" (*Vergilius*, Aeneidos l. 1, v. 204. 205).

sint lucra spiritualia, quibus ecclesiam ornetis, et locupletetis. Haec mihi suggerit animus, dum vos cum[a] venerabili P. Leonardo ob oculos mihi propono, vobisque non secus ac fratribus seu germanis seu spiritualib. consultum optime cupio. Nam tametsi mea non egeatis adhortatione, vt quae domi suppetit quotidie, tamen et locus et tempus admonebant[b] ne vos meo negligere silentio vellem, scribo interim (vt fit) tumultuarie, scriptique fructum[c] hunc quamuis indignus postulo, vt Canisium ex animo vestrum Christo quam maxime, et soepiss. commendetis. Tantum ad crucem praeparemus animos: obedientiae iugo premamus superbam ceruicem, in humilitate magis magisque proficiamus. Dominus Jesus gratiam suam addat, qua duce et mundum et nosipsos contemnamus penitus, vt regnum Dei perfecte in nobis[d] aduenniat[1], et summa Dei voluntas per nos compleatur. Ex literis nouercae lubens intelligo, venturum isthuc fratrem meum M. Theodoricum Canisium vt Domino Barduick[2] adiungat sese, sic Dei prouidentia ac sapientia (vt spero) disposuit vt is quem tam diu desideraui tot suspirijs, tot gemitibus cupiui societati nostrae adiungi vt is inquam propius accedat ad vos quem effuso meo sanguine in societate optarem et viuere et mori. Tum de altero fratre Ottone Canisio scribit vt quiduis de illo statuam, et si velim ad me iuuenem euocem Ingolstadium. Non rescribo tamen hoc tempore cum ex vrbe literas expectem, quibus Argentinam, seu (vt alij volunt[e]) Argentoratum pestilentissimorum[f] haeresiarcharum sedem, Vienna mittar, vt venerabilis Patriarcha[3] iam, opinor, statuit[4]. Quare R. Prioris Carthusiensis preces quas indigno et immerenti mihi tam[g] fide communicavit nequaquam irritas esse ducatis. Ego singularem Dei prouidentiam considero, quum ad Argentinensem Academiam[5] profectionem meam ad tempus dilatam intueor, et praesertim quamdiu saeuissimi tumultus

[a] *Sic recte ap. alt.; Cosp.:* qui.
[b] apponebant *ap. alt.* [c] finem *ap. alt.* [d] perfecte nobis *ap. alt.*
[e] vocant *ap. alt.* [f] perditissimorum *ap. alt.*
[g] cum *ap. alt.*

[1] Cf. Matth. 6, 10. Luc. 11, 2.
[2] Andreae Herll, canonico S. Gereonis. [3] S. Ignatius.
[4] Canisius, inquit *Polancus,* Argentoratum „post Pascha mittendus credebatur"; sed „id fieri non poterat, ne compendium" theologicum „tamdiu differendum esset, quod tam avide admodum exspectabatur, et, ex quo Viennam pervenerant" Canisius et Goudanus, „inter alias occupationes hanc vel primo loco habebant" (Chronicon II, 567—569). Ac P. Nicolaus Lanoius Vienna 24. Aprilis 1552 S. Ignatio scripsit: „Doctor Canisius propediem [in universitate] expositurus est compendium quoddam theologiae, seu christianae doctrinae, quod opus jussu Serenissimi Regis nostri P. Claudius [Iaius] concinnat in usum potissimum studiosorum et pastorum, qui in ditionibus regiis deguut, quibus non conceditur diversas ob necessitates in academiis diutius permanere" (*Litterae quadrimestres* I, 575).
[5] Academia illa sive schola altior a Ioanne Sturmio regebatur et propugnaculum quoddam erat protestantismi.

in Germania non sunt consopiti[1], Non enim leges tantum, sed etiam conciones inter arma silent[2]. De meis Viennae conatibus quos Reuerendus p. prior, licet absens, promouet, vestraque pro me sacrificia confirmant ex fratrum literis audietis. Hodie aditum parauimus nobis ad vinctos, qui bis miseri vinctique censendi sunt, quod spiritualiter non minus quam corporaliter vinculis impliciti, carcere concludantur. Illis ego parochum (vt superbe loquar) praestare conabor, absoluam a peccatorum vinculis animas Christo assistente, pascam longa confectas pene inedia vt verbo Dei reficiant sese[a]. Multi sunt et miseriam augeri sibi verentur magis, quam sperent liberationem. Christus qui pro illis quoque mortuus est consoletur miseros, et si non in hac vita, saltem in futuro saeculo vere liberos saluosque reddat. Eos vestris commendo precibus fratres, eoque magis quod Apostolica iubeat sententia Mementote vinctorum tanquam simul vincti, et laborantium tanquam et ipsi in corpore morantes[3]. Ad quam rem nos praesentia permouere[b] possunt exempla, quum[c] hic de vicinis audimus Hungaris, quanta in eos crudelitate grassetur Turca, saepeque multa Christianorum millia plusquam tyrannice iugulat, nostroque vel certe nostrorum sanguine pasci potest, exsaturari non potest non solum homicida ille, sed etiam (vt sic dicam) animicida[4]. ecquis tantorum qui nunc coepisse tantum[d] videntur, tumultuum aut modus aut finis existet? Vndique premimur atque concutimur, domi, foris, clam, palam, mille fraudibus, et artibus malis, At nullus quietis pacisque solidae locus praeterquam in Crucifixi Domini vulneribus, huc ingrediamur fratres quamuis indigni: fontes hi nostras abluant sordes sanguine, qui vel Adamantina[e] frangat, emolliat, et sanctificet pectora. Haec requies nostra, hic portus, hoc asilum, nusquam aut tutiores erimus, quocunque curramus: aut viuemus suauius quantascunque sectemur voluptates. Mundus igitur suis exagitetur furijs, conficiat sese, durare non potest, transit vt vmbra[5], vergit ad senium[f], et aetatem opinor decrepitam agit. Submersi nos in Christi vulneribus non est cur conturbemur[g], gloriabimur potius in cruce

---

[a] et verbo Dei reficiam hosce miseros *ap. alt.* [b] movere *ap. alt.*
[c] quoniam *ap. alt.* [d] *Hoc vocabulum in ap. alt. deest.*
[e] adamantem *ap. alt.* [f] somnum *ap. alt.*
[g] *Librarius alter suum* conturbemur *postea in* contristemur *mutavit.*

---

[1] Tumultus ac latrocinia dicit, quae Albertus Brandenburgensis, Mauritius Saxo, Guilielmus Hassus eorumque socii faciebant. Cf. supra p. 360[4].

[2] „Silent enim leges inter arma": *Cicero,* Pro Milone § 10.

[3] Hebr. 13, 3. Quae Canisius in carceribus viennensibus praestiterit, vide infra, monum. 92.

[4] Segedino (Szegedin) mense Februario a. 1552 a Turcis recuperato, Christianorum vexilla 40 et aurium amputatarum 5000 Constantinopolim missa sunt. Paulo post Vesprimium (Wessprim) a Turcis occupatum multique ex militibus praesidiariis trucidati sunt (*Bucholtz* l. c. VII, 303—304. *I. v. Hammer* l. c. II, 219—220).

[5] Eccl. 7, 1. Sap. 5, 9.

domini[1], spem vere beatam exspectantes[2]: commoriemur vt cito conglorificemur capiti[3], sub quo crucifixo haud decet membra esse delicata, sed excurro iterum, et a scopo videor aberrare, vos mei vt in precibus memineritis etiam atque etiam precor. Dominus Jesus Christus in sanctiss. vulneribus suis nos absorptos, ac mortuos mundo faciat Amen[a]. Viennae Austriae 8 [Aprilis 1552.]

frater in Christo minimus Petrus Canisius.

Reuerendo Domino ac P. Leonardo Kesselio professo Societatis Jesu[4], et reliquis cum eo commorantibus siue fratribus siue non Coloniae agrippinae.

Epistulam hanc anno 1552 datam esse haec eius verba patefaciunt: „Hoc nondum ad vos perlatum arbitror, . . . Gaudanum et me Ingolstadio reuocatos esse.“ Haec enim Canisius scribere non potuit nisi brevi post adventum fratrum, quos Colonia Viennam venisse Kesselio refert; neque enim hi diu cunctari poterant, Kesselium de adventu suo certiorem facere simulque nuntium de Goudano et Canisio Ingolstadio revocatis ad Colonienses „perferendum“ curare. Ex epistula autem ab Erardo Avantiano (Dawant, „Erardo Leodiensi“) S. J. Vienna 8. Aprilis 1552 ad Socios colonienses data constat eosdem 2. Aprilis Viennam advenisse[5]. Cum igitur ex apographo Cospaeani intellegatur Canisium die 8. alicuius mensis scripsisse, dubium esse non potest, quin 8. Aprilis 1552 scripserit, eiusque epistula una cum litteris ab Erardo datis Coloniam missa sit.

Cospaeanus in pagina quarta apographi sui praeter inscriptionem, quae iam supra proposita est, hanc etiam alteram posuit: „Quaeso deferatur haec epistola Venerabilis P. M. Petri Canisij Neomagi sacrae paginae doctoris ad Reuerendum Dominum ac P. Abbatem laetiensem agentem laetijs.“ Exstat etiam epistula a Cospaeano ad eundem abbatem — praeclarissimus *Ludovicus Blosius*, „alter Bernardus“, is erat — Colonia 11. Iunii [1552] data, in cuius extrema parte haec verba sunt: „Mitto tibi literas aliquot fratrum, vt eorundem exercitia in studijs et pietate cognoscas, et non verearis ad hoc sanctum institutum impellere quos putas idoneos.“[6] Societati Iesu Blosius certe se praestitit amicissimum; ad quod probandum epistula sufficit, quam de eadem anno 1554 ad Viglium de Zwichem consilii flandrici praesidem dedit[7]. *Iacobus Dogius* S. J. Lovanio 7. Iulii 1553 Cospaeano scripsit: Eo ipso tempore a P. Adriano Adriani S. J. Blosium abbatem ac D. Ursmarum eius procuratorem spiritualibus S. Ignatii exercitiis excoli; post eos autem priorem

[a] *Omittitur in ap. alt.*

[1] Gal. 6. 14. [2] Tit. 2, 13. [3] 2 Tim. 2, 11. 12. Rom. 8, 17.

[4] Statutum quidem erat, ut Kessel anno 1552 sollemnem votorum professionem faceret; sed propter tempestates, quas supra scripsimus, in 27. Ianuarii 1553 ea reiecta est (*Reiffenberg* l. c. p. 37. 39. Cf. *Litteras quadrimestres* 1, 462).

[5] *Cod. colon.: „Epistt. ad Kessel. I“ f. 79[b].

[6] Cospaeanus in iisdem litteris „Rev. Procuratorem D. Vrsmarum“, „D. Paschasium“, „D. Julianum des Marliers“ salutat.

[7] Gallice, prout a Blosio scripta est, primum est edita a *L. Delplace* S. J., L'établissement etc. p. 5*—7*. In qua Blosius, praeter alia, scribit: „Il est plus que manifest que ladicte Societé est mise sus de la volunte divine. . . Quant est des privileges que Nostre sainct Père leurs a donne, ils sont entierement necessaires pour leur vocation.“ Cf. etiam *I. M. Prat* S. J., Leben und Wirken des R. P. Peter de Ribadeneyra, übersetzt von P. *M. Gruber* S. J. (Regensburg 1885), p. 83—90, et *Polanci* Chronicon III, 277—278.

monasterii laetiensis easdem meditationes esse instituturum. „Intantum afficitur abbas ad Societatem quod (sicut dixit mihj) iungeret se sine dilatione eidem nisj obstaret monasticus ordo.“ [1] In Societate autem Iesu inter libros, quorum lectio magistro noviciorum commendatur, „ut deceptiones, quae in spirituali vita accidunt, non tantum experimento, sed etiam lectione intelligat“, „Ludovici Blosii opera“ laudantur [2].

126.

CANISIUS
P. IOANNI DE POLANCO,
secretario Societatis Iesu.

Vienna 7. Augusti 1552.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4. inscr. et pars. sig.).

Partem epistulae („Il Reverendo Padre nostro Don Claudio“ — „Patrono de tutti li Catholici“), ad nostram scribendi rationem accommodatam edidit *Boero*, Canisio p. 89—91 et Iaio p. 55. 213—216; ex Boero transcripsit *Prat*, Le Iay p. 484—486. Altera particula est in *editoris* „Katechismen des sel. Petrus Canisius“ p. 18.

Ad vitam P. Claudii Iaii describendam hanc epistulam adhibuit P. *Eus. Nieremberg* S. J., Varones ilustres de la Compañía de Jesus VI (2. ed., Bilbao 1890), 27—28.

P. Claudium Iaium pridie febri exstinctum esse. Quam diligenter is apud haereticos Germaniae laboraverit, et quam perspicue et suaviter theologiam docuerit. De argumentis quibusdam theologicis a Iaio „in scriptis“ explicatis. Quam carus idem auditoribus ac proceribus Germaniae fuerit. Episcopatum tergestinum ab eo recusatum esse. De eius paupertate, pietate in Christi passionem et in rosarium B. M. V. De Martino Olacio Societatem ingressuro et Nicolao Lanoio collegio viennensi praeficiendo. Se totum esse in catechismo conscribendo. A Turcis summa timenda; sanguinem iam pro nomine Iesu fundendum esse.

IESVS

Molto Reuerendo in Christo Padre mio.

La gratia et pace del Signore JESV CHRISTO sia sempre con noi, et cresca ne i cuori nostri continuamente Amen. Non posso scusarme giustamente io, hauendo receputo tanti beni da V. R. P. et lassando per tanto tempo de scrieuere et dimostrar la debita gratitudine. Per la qual cosa io me rendo debitore de pena et de culpa,

---

Iesus. Multum reverende in Christo pater. Gratia et pax domini Iesu Christi semper nobiscum sint et in cordibus nostris continuo augeantur. Amen. Non possum iuste me excusare, quod, cum tanta a reverenda paternitate tua beneficia acceperim, tam diu tibi non scribo neque gratum, quo me esse decet, animum declaro. Hac

---

[1] Epistula Dogii autographa est in codice colon.: „Litt. Epistt. var.“, in f. non sign. In litteris, quae de rebus collegii S. J. coloniensis ad praepositum generalem datae sunt Colonia 29. Septembris 1559, haec sunt: „Adfuit nobis R. D. Abbas Laetiensis D. Ludouicus Blosius et D. Nicolaus Eschius“ (Ex *apographo litterarum illarum antiquo, quod est in codice „Annvae literae Collegii Soc.^is Iesu Coloniae ab — 1553. vsq. ad annum 1660 inclusive Liber 2.“ Coloniae, in archivo studiorum fundatorum). [2] Regulae magistri noviciorum c. 1, n. 8.

et prego humilmente V. R. P. che mi perdoni questa grandissima negligentia, et non lassi de raccomendarme al Signor benedetto nelli suoi santi sacrifitij et pregeri.

Il Reuerendo Padre nostro Don Claudio [1] poi che fusse recidiuato nella febre, et hauesse il 4° paroxismo della tertiana, et non fusse niente desperato delli duoi medici piu valenti in questa citta, li quali ogni di veneuano [a] duoe volte per visitarlo, et poi che s' usasse ogni cura et diligentia d' adgiutarlo (come è debito) nientedimeno non ostante tutto questo, perch' il Signor e sopra tutto, et vol mostrar la sua prouidentia et bonta sopranaturale inuerso alli suoi, ecco ha reso la santa anima al suo eterno et sempre benedetto creatore, et in presentia de tutti li Padri et fratelli hauendo gia il santo oleo pigliato, se partette da noi suoi figlioli a quello altro mondo, sicome il Santo Martino [2] lassando a tutti grandissimo desiderio di retenirlo si fusse stato piaciuto al Signor omnipotente, et mostrandoci la via diretta per andar a Christo tanto nella vita, quanto nella morte, la qual e li stato tanto piu deletteuole, quanto maggiori traualli, pericoli et miserie hora qui se rappresentano 1ª per li Turchi appresso, 2ª per le heresie [3], 3ª per le guerre crudelissime, sicome per tutta alemannia forze mai inanzi sono state [4]. Et cosi al santo giorno quando se celebra la festa della Transfiguratione di JESV Christo S. N. [5] il Reuerendo

igitur de causa et poenae et culpae me reum profiteor demissoque animo R. P. V. rogo, ut summam hanc neglegentiam mihi ignoscat neve omittat Deo optimo maximo in sanctis sacrificiis precibusque suis me commendare.

Reverendus pater noster dominus Claudius [1], cum in febrim recidisset et quartam tertianae febris accessionem passus esset, neque ulla ratione a duobus medicis, qui in hac civitate peritissimi sunt quique singulis diebus bis eum invisebant, esset desperatus, cumque curam debitam diligentissime ei impendissemus; haec omnia quamvis praestita essent, tamen, quia dominus imperio tenet omnia ac providentiam suam benignitatemque supernaturalem suis exhibere vult: en sanctam animam aeterno ac semper laudando creatori suo reddidit, et, sacro munitus oleo, patribus et fratribus omnibus adstantibus, a nobis filiis suis in alterum illum abiit mundum, sicut sanctus ille Martinus [2], omnibus maximum relinquens desiderium Claudii secum retinendi, si domino omnipotenti placuisset, et rectam nobis, qua ad Christum accedamus, viam tum in vita, tum in morte demonstrans; quae quidem mors eo iucundior ei fuit, quo maiores labores, pericula, calamitates oculis nostris nunc proponuntur, quae oriuntur 1° ex Turcis nobis vicinis, 2° ex haeresibus [3], 3° ex bellis, quibus atrociora in Germania fortasse antea fuere nunquam [4]. Sacro igitur die, quo festum fit transfigurationis Iesu Christi domini nostri [5], reverendus ille pater ex hac valle miseriis plena elatus in montem sanctum ascendit, ut Christum perfecte

[a] veneuenano *autogr.*

[1] P. Claudius Iaius.

[2] Canisius mortem sancti Martini turonensis episcopi significat, quam describit Sulpicius Severus in epistula tertia, ad Bassulam data.

[3] Quantopere tunc Austria haeresibus perturbata et corrupta fuerit, ostendit *Janssen* l. c. IV, 95—105. [4] Cf. supra p. 403 [1]. [5] 6. Augusti.

Padre se leuo de questa valle piena de miseria, et ascese nel monte santo per veder Christo perfettamente et godere con Sant Piedro della bellezza della diuina natura [1], sicome per tanti anni egli hebbe sempre desiderato. Adunche sia benedetto il Signor eterno, il qual puo et vuole dar tanta gratia alli suoi fedeli seruitori, che loro commincino bene, et meglio procedeno sempre inanzi, et finiscono il santo curso perfettamente nel seruitio della sua diuina Maiesta, non obstante tutta la malitia del mondo et del inimico infernale.

Non me voglio stendere per dimostrar la vita eccellente et piena de edificatione de questo benedetto Padre. Per che sicome sa V. R. P. nessuno della compagnia fin a qui ha laborato piu, et patito tanto appresso li heretici in Alemania, et sempre ha lassato in tutti li luogi doue e stato, buonissimo odore et tanta edificatione, che quasi tutti lo hanno voluto ritinir appresso di se. Et benche era vecchio [2] non mancaua nelle lettioni continue, con grandissima satisfattione et con vna gratia et suauita mirabile, talmente che quasi nessuno poteua esser offeso da sua Riuerenza [3]. Et per quanto al modo de leggere, era tutto chiaro espedito, methodico, dechiarando con buona perspicuita et facilita quelle difficili materie de iustificatione, de predestinatione, de fide et operibus et de altre simili controversie, dando anchora in scriptis queste materie non sensa pocha faticha [4]. Perche essendo

---

videret et cum sancto Petro divinae naturae pulchritudine delectaretur [1], id quod per tot annos semper desideraverat. Grates itaque domino aeterno agantur, qui fidelibus servis suis tantam gratiam dare et potest et vult, ut bene incipiant et melius in dies progrediantur ac sanctum cursum perfecte absolvant in servitio divinae maiestatis, quantumvis ab hominibus et a satana oppugnentur.

Nolo prolixe demonstrare, quam praeclare beatus ille pater vixerit quantaque virtutis exempla nobis praebuerit. Scis enim, reverende pater, usque adhuc neminem e Societate apud haereticos Germaniae plus laborasse quam ipsum tantaque passum esse; et semper omnibusque locis, in quibus moratus est, optimum odorem reliquit atque animos ad pietatem adeo excitavit, ut fere omnes eum secum retinere vellent. Et licet aetate gravis esset [2], assidue docere non omittebat, idque cum maxima auditorum satisfactione, ac mira quadam gratia et suavitate, ita ut fere nemo a reverendo illo patre offendi posset [3]. Quod autem ad docendi modum attinet, omnino clare, expedite, ratione et via docebat, bona cum perspicuitate et facilitate difficilia illa argumenta exponens, quae sunt „de iustificatione", „de praedestinatione", „de fide et operibus", de aliis eius generis controversiis. Quae argumenta etiam scripto haud sine parvo labore exposita tradidit [4]. Nam cum serenissimo Romanorum regi

---

[1] Canisius epistulam et evangelium tangit, quae in missa illius festi leguntur: 2 Petr. 1, 16—19. Matth. 17, 1—9.

[2] Natus erat 1500—1504 (*Boero*, Iaio p. 9).

[3] Iaius in universitate viennensi Pauli epistulam ad Romanos datam explicabat (*Litterae quadrimestres* I, 407. 458. 575. *Polancus* l. c. II, 269. 567. *Orlandinus* l. c. l. 11, n. 41. *Ios. Ritter von Aschbach*, Geschichte der Wiener Universität III [Wien 1888], 95).

[4] Vide, quae huic epistulae subicientur, in n. 2.

tanto grato al Serenissimo Re delli Romani (il qual per respetto de sua Riuerenza se mosse prima a far qui il Collegio per la Compagnia) et essendo dico tanto visitato delli aulici, et prelati, et professori, et hauendo anche la superintendentia della casa[a] et cura de tutti li fratelli[1], non pocho staua impedito, et pur andaue[b] inanzi con grand diligentia nella lettione quotidiana et ordinaria, et oltra il solito teneua vn buon numero de auditori, fra li quali si trouorono[c] molti preti et prelati. Ma sicome io dissi inanti, non intendo de splicar la vita de questo Reuerendo Padre, il qual fra li primi nostri Padri e stato eletto da Dio, et pareua poi vn' Apostolo de Germania (dicam enim quod sentio) et e stato fauoritissimo et amatissimo delli prencipi et Veschoui in Alemania, facendo anche non pocho frutto appresso di quelli nelle diete Imperiali[2]. Et se sa bene, con quanta gratia sia stato nel Concilio tanto in Bolongia quanto in Triento[3], doue li e stato offerto il Veschouato Trigestino, et benche li fusse fatta grandissima instantia etiam ex parte del Serenissimo Re delli Romani, tamen mai se ha voluto inclinar a pigliar quella o altra prelatura[4]. Nella pouerta se eccercitaua grandemente, caminando

---

tam gratus esset (qui huius reverendi patris auctoritate primum motus est ad collegium Societatis constituendum), cumque tam saepe ab aulicis, praelatis, professoribus inviseretur, atque etiam domui nostrae praeesset et omnium fratrum curam gerere deberet[1], a docendo multum impediebatur; attamen magna cum diligentia scholam cotidianam et ordinariam habere pergebat, ac solito plures habebat auditores, inter quos multi sacerdotes et praelati erant. Sed, sicut ante dixi, nolo ego vitam enarrare reverendi huius patris, qui inter primos patres nostros a Deo electus est et postea apostolus quidam Germaniae esse videbatur (dicam enim quod sentio); qui Germaniae principibus et episcopis gratissimus et carissimus fuit atque etiam multum iisdem profuit in comitiis imperii[2]. Ac notum est, quanta cum gratia concilio interfuerit tum Bononiae tum Tridenti[3]; ubi episcopatus tergestinus ei oblatus est: et licet maxime ei instarent, etiam verbis ac nomine serenissimi Romanorum regis, numquam tamen induci potuit, ut hanc aliamve dignitatem ecclesiasticam acciperet[4]. In paupertate diligenter se exercebat, in veste trita et obsoleta per aulas principum

---

[a] *Correxi; Canisius:* cosa. [b] *Sic; sed legendum esse videtur:* andaua.
[c] *Sic; sed legendum (ni fallor):* trouarono.

---

[1] Iaius primus collegii viennensis rector erat (*Socher* l. c. p. 25).

[2] Iaius comitiis imperii interfuit, quae habita sunt Spirae a. 1542, Vormatiae a. 1545, Augustae a. 1550.

[3] Hieronymus Seripandus, ordinis Eremitarum S. Augustini magister generalis, ex concilio tridentino 8. Februarii 1547 Ioanni Hoffmeister, eiusdem ordinis per Germaniam vicario generali, de Iaio haec scripsit: „Amari te a bonis omnibus qui hic sunt scito et praecipue a Claudio viro et doctissimo et piissimo, quem quoties videmus, videmus autem saepe, exclamare cogimur: Utinam multos Claudios haberemus!" Integram epistulam primus edidit *Nic. Paulus* (Der Augustinermönch Johannes Hoffmeister [Freiburg i. Br. 1891] p. 419—420).

[4] *Fr. Krones* perperam affirmat Ferdinandum episcopatum tergestinum ad Canisium deferre voluisse (Handbuch der Geschichte Oesterreichs III [Berlin 1879], 252.

per le corte[a] con vna veste detrita et vecchia et facendo resistentia [a] quelli Signori, liquali a sua R. offeriuano piu che bisogniaua. Hebbe ordine mirabile nella vita sua, sicome qualche volte mi ha detto, ogni di scercitandose in vn' articolo della passione de Christo, et hauendo molti belli discorsi sopra il Rosario della vita de Christo, et pigliando molta devotione nella Corona, et sequitando li misterij del Verbo incarnato et conformandose alli mysterij secondo che l' Ecclesia li rappresenta, sicome della Resurrectione, della Natiuita del Signor etcc. Non dubbito niente, che il suo transito sarra dolorosissimo[b] a molti, et volesse Il Signor eterno, che noi li suoi figlioli poi che siemo priui de tal buon padre, il qual ha procurato et gouernato prima questo Collegio, che noi dico retenessimo la heredita delli singulari doni, con li quali tutta la sua vita e stata ornata et risplendente per la gratia diuina. Grandissimamente se resentano tutti de questa morte et chiamano il padre vn angelo de dio et il padre et Patrono de tutti li Catholici[1].

Quanto al Reuerendo Don dottore Olaue[2], il predetto Padre (uiua in gloria) se rallegrò inanzi la morte per vna lettera del Signor Dottor, et rigratiò al Signor eterno per vna tanto buona determinatione, cio è che lui se facesse della Compagnia sequitando il trattu diuino et lassando lo humano spiritu. Ma il seruitor del Dottor, non ha mostrato l' affettione alla Compagnia, ne ha voluto far alcuna

incedens, iisque proceribus resistens, qui plus, quam ei necesse esset, offerebant. Egregium in vita sua ordinem adhibebat: singulis diebus — id ipse nonuumquam mihi dixit — in parte aliqua passionis Christi se exercebat, ac multos pulchrosque sermones de rosario vitae Christi habebat, et eam precandi rationem, quam coronam dicimus, magna pietate studioque prosequebatur, et mysteria Verbi incarnati ordine perlustrabat ad eaque se accommodabat ea ratione, qua ab ecclesia repraesentantur, verbi gratia ad resurrectionem domini, ad eiusdem nativitatem etc. Neque ullo modo dubito, quin eius obitus multis acerbissimus futurus sit; et utinam nos filii eius, postquam tam bono patre orbati sumus, qui primam collegii huius procurationem et gubernationem habuit, utinam, inquam, singularium illorum donorum hereditatem teneamus, quibus tota eius vita per divinam gratiam ornabatur et resplendebat. Omnes eam mortem acerbissime ferunt, ac patrem illum angelum Dei et patrem ac patronum catholicorum omnium appellant[1].

Quod ad reverendum dominum doctorem Olavium[2] attinet, pater Claudius (vivat in gloria) ante mortem epistula domini illius doctoris recreatus est et pro optimo consilio, quod is cepit, domino aeterno gratias egit; Societati enim nostrae nomen dare decrevit, divinum sequens ductum et humanam neglegens sapientiam. Famulus autem doctoris in Societatem propensum se non ostendit neque ullo modo statuit apud nos

[a] *Sic; fortasse legendum:* la *aut:* corti. [b] dolorissimo *autogr.*

[1] „Academia . . . ad eius cohonestandas exequias vniuersa conuenit. . . Amplissime Franciscanos apud Patres, a quibus plurimum diligebatur, in templum S. Nicolai . . . elatus est": *Orlandinus* l. c. l. 12, n. 35—36. Cf. *Socher* l. c. p. 37 et *Polancum* l. c. II, 572—574. Canisium in illis exsequiis de mortui laude dixisse alii referunt. Cf. *Riess* l. c. p. 112. *Boero,* Iaio p. 217.

[2] De Martino Olavio vide supra p. 298.

determinatione per star con noi altri, et così e tornato (sicome disse) al Reuerendo P. Confessore del Imperatore[1], et non ha satisfatto alla buona speranza et intentione del suo Patrono Dottor Olaue.

Io me sento molto obligato alla sua Reuerentia et humilmente me raccomendo nelle sue sancte orazioni, et rigratio infinitamente alla S. R. perche ha mandato la Biblia a questo collegio, et nella litera sua dimostra la charita piu che meritiamo[2]. Quod coepit in eo et in nobis Dominus vsque conseruet et augeat idem[3], perpetuetque, vt e magnis paruuli, e paruulis magni[4] fortes et ardentes in Christo efficiamur. Amen.

Quanto alla superintendentia di casa. sappia V. R. P. che secondo il parere del Reuerendo P. Goudano[5]. del P. Victoria[6] et de M. Schorichio[7] et anche secondo il mio giuditio — delli altri non mi dubbito — non se nessuno qui tanto a proposito per esser superior, com' e il R. P. Don Nicolao Lanoy[8] et questo 1° per la sua grand prudentia, discretion et sperientia in gouernare si come sa meglio V. R. 2° perche

---

manere, ideoque (sicut dixit) ad reverendum patrem confessarium imperatoris[1] rediit neque bonae spei et voluntati doctoris Olavii patroni sui satisfecit.

Ego reverendum illum virum valde amo atque sanctis eius precibus demisse me commendo et immensas ei gratias ago, quod exemplum illud sacrae Scripturae collegio huic miserit quodque in litteris suis maiorem quam mereamur charitatem exhibeat[2]. Quod coepit in eo et in nobis dominus, usque conservet et augeat idem[3] perpetuetque, ut e magnis parvuli, e parvulis magni[4], fortes et ardentes in Christo efficiamur. Amen.

Quod ad domus nostrae praefecturam attinet, sciat reverenda paternitas vestra, ex sententia reverendi patris Goudani[5], P. Victoriae[6], M. Schorichii[7] atque etiam meo iudicio — nec dubito, quin ceteri idem sentiant —, neminem e nostris ad munus superioris tam idoneum esse quam R. P. dominum Nicolaum Lanoy[8], idque 1°, quia valde prudens, modestus, in gubernando exercitatus est, quod R. V. melius novit quam nos; 2° quia usque adhuc officium illud administravit; nam R. P. Clau-

---

[1] Petrus de Soto O. Pr. Dilingae theologiam docebat.

[2] „Ex pecunia, quae de viatico non exiguo superfuerat," anno 1551 a Sociis libri multi empti erant; „cum enim nullo in pretio essent D. Thomas ac S. Bonaventura et alii huiusmodi Patres, opportune admodum nostri eorum opera coëmerunt, antequam pharmacopolis, ut coeperant, venderentur": *Polancus* l. c. II, 275.

[3] Cf. Phil. 1, 6.

[4] Cf. Matth. 18, 2—4. Marc. 10, 15. Luc. 10, 21. 1 Cor. 13, 11. Gal. 4, 3—5.

[5] Hic, ubi Viennam advenit, in universitate Genesim exponendam suscepit. Iaio mortuo epistulas Pauli interpretatus est (*Litterae quadrimestres* I, 575. *Polancus* l. c. II, 567. 573).

[6] Ioannes Vittoria, hispanus, domi grammaticam graecam Clenardi et Ciceronis librum de amicitia praelegebat (*Litterae quadrimestres* I, 408). Idem hoc ipso anno 1552 sacerdos factus, in templo S. Ioannis Baptistae militum ordinis eiusdem S. Ioannis „ordinarias conciones" italice habebat (*Polancus* l. c. II, 270. 571).

[7] Fr. Petrus Schorich „Isocratem graecum" domi explicabat, et inde a festo paschali in monasterio quodam „ordinarias conciones" germanice habebat (*Polancus* l. c. II, 270. 571. *Litterae quadrimestres* I, 408).

[8] De hoc vide supra p. 140[1]. 268[3]. 288[2].

fin aqui ha fatto questo uffitio poi che il R. P. Claudio (sia in gloria) stette tanto impedito nel leggere et pratticare con li forestieri. 3° perche non hauendo questo Padre assai talento per satisfar a questi auditori nelle sue lettioni, le quali sono visitato da pochissimi[1], para che sarria per maggior frutto, se sua R. s' occupasse solamente con la casa[2], doue non se troua nessuno, che sia conueniente per hauer tal faticha se non con grand danno delle lettioni et prediche et altre occupationi spirituali oltre la composition della dottrina Christiana[3]. Et questa opera fin a qui a me da tanta faticha (perche pocho adgiuto danno li altri Padri) che a pena mi basta tutto il tempo. Altramente sicome io spesso detto [*sic*] al R. P. Claudio, io hauerei caro d' eccercitarme nelli monasterij de moniche, nella pregione, nelli hospitali etcc., se non me retenesse questa opera. Et cossi mi respose sempre il predetto Padre, che io lassasse tutto il resto et me desse con tutto il tempo a componer questa Opera. Et tamen post tot menses he-

---

dius (qui sit in gloria) docendo et transigendo cum extraneis a gubernatione domus multum impediebatur; 3° quia hic pater eam docendi non habet facultatem, qua hisce auditoribus satisfacere possit, et paucissimi eum audiunt[1], commodius fore videtur eum soli domui nostrae curam impendere[2]; neque enim in ea quisquam alius eum laborem sustinere posset nisi cum magno detrimento scholarum et contionum atque aliarum occupationum sacrarum, ut nihil dicam de doctrinae christianae compositione[3]. Atque hic labor adhuc usque tanto mihi est oneri (ceteri enim patres haud multum in eo me adiuvant), ut tempus omne vix mihi sufficiat. Ceterum quod R. P. Claudio saepe dixi, ego monasteriis virginum sacrarum, custodiis, nosocomiis etc. libenter operam dicarem, nisi hoc labore cohiberer. Atque hoc semper pater ille mihi respondebat me omnibus aliis rebus neglectis integrum tempus in hunc librum conscribendum impendere debere. Et tamen post tot menses haeremus adhuc in

---

[1] Lanoius in universitate viennensi librum quartum Sententiarum Petri Lombardi explicabat, domi dialecticam Sociis exponebat (*Litterae quadrimestres* I, 407 ad 408. *Polancus* l. c. II, 269. 270).

[2] „Convenerunt Sacerdotes cum Magistro Petro Schorichio, quod ex antiquioribus is esset, et in Superiorem elegerunt P. Nicolaum Lanoyum, donec P. Ignatius aliquid statueret; qui tamen postea eumdem Rectorem vel confirmavit vel instituit": *Polancus* l. c. II, 572. Falso affirmat *Philippson* Canisium a. 1552 collegii viennensis rectorem fuisse (Westeuropa p. 47). Canisius numquam hoc officium tenuit.

[3] Ferdinandus I. universitatem viennensem restaurare vehementer cupiens, anno 1551 ab eadem postulavit, ut enchiridia quaedam in usum scholasticorum componenda curaret: grammaticae, rhetorices, dialectices atque etiam catechismum („ein gemeinen christlichen Catechismum") et „Methodum doctrinae catholicae". Academia regi proposuit, ut doctrina illa christiana a Iaio conscriberetur; quod regi maxime placuit. At Iaius 9. Octobris 1551 Ignatio scripsit se opus illud nec recusare voluisse, inconsultu Ignatii, nec in se suscipere, cum nec tempus nec materia sibi suppeteret; rogare se igitur, ut aliquis mitteretur, qui rei operam dare posset (*Polancus,* Chronicon II, 275—276. *Sebast. Mitterdorffer* S. J., Conspectus Historiae Universitatis Viennensis ab Anno M.CCCC.LXV. usque ad Annum M.D.LXV. [Viennae 1724] p. 181—182. *Rud. Kink*, Geschichte der kaiserlichen Universität zu Wien I[b] [Wien 1854], 161—162. *Boero*, Iaio p. 202—205. *Editoris* „Katechismen des sel. Petrus Canisius" p. 11—16. Vide etiam, quae infra adnotabuntur ad epistulam Canisii 12. Octobris 1553 Polanco missam).

remus adhuc in principijs, nec video quem breui progressum facere possim [1]. Per la qual cosa desidero spetialmente hauer buon auiso de V. R. P. perche non sto contento et quieto con tutta questa faticha hauendo paura che per molti anni non si potrebbe finir, se io continuarò cosi con le lettioni [2], de sequitar questa impressa. Dominus ad gloriam suam uertat omnia. O si fusse qui vn Laynez o vn Sal-

principiis, nec video, quem breui progressum facere possim [1]. Quare reverendae paternitatis vestrae consiliis adiuvari vehementer cupio; licet enim tantum laboraverim, nec contentus nec tranquillus sum; nam vereor, ne per multos annos opus hoc imperfectum maneat, si ita pergam docere simul et scribere [2]. Dominus ad gloriam suam vertat omnia! O si Lainii vel Salmerones vel Olavii hic essent, quanto facilius totum hoc opus absolveretur! Sed reverentiam vestram fidele consilium

[1] Cum his Canisii verbis (se a ceteris patribus haud multum adiuvari, post tot menses in principiis haerere) fortasse haud ita facile componi possunt, quae *Polancus* scribit: „Compendium quoddam theologiae vel doctrinae christianae, quod jussu Regis P. Claudio commendatum fuerat, . . simul a nostris illis doctoribus" Iaio, Goudano, Canisio anno 1552 „concinnabatur. . . . Quamvis quod ad ordinem attinet et res dicendas a P. Claudio ac P. Gaudano ex bona parte formaretur, P. tamen Canisius, praeter inventionem, stylum addebat" et operi „formam ultimam imponebat", atque ideo „fieri non potuit", ut post Pascha anni 1552 „argentinensibus eum expetentibus" mitteretur (Chronicon II, 567—569). Certe Canisius non profecerat tantum, quantum dicit Polancus. Ac 29. Novembris 1552 idem *Polancus* P. Nicolao Lanoio Ignatii nomine scripsit compendii theologici „conficiendi curam praecipuam committendam aut Patri Laynez aut Patri Olave" (Chronico [II, 569] adnotatum ab eiusdem editore). Quibus litteris acceptis Canisius consilium suum ita mutasse videtur, ut opus, quod antea theologiae studiosis instituendis destinatum erat, iuventuti omni docendae destinaret et pro „Summa theologica" catechismum substitueret. Nisi quis dicere maluerit Canisium duobus libris conscribendis simul dedisse operam, compendio theologico et catechismo, donec autumno a. 1552 compendii compositio aliis committeretur. Sive autem unum sive alterum quis dixerit, hoc certum est nec Iaium nec Goudanum catechismi auctorem dici posse. Nam Canisius, summae vir modestiae, cum ter de catechismi sui ortu publicum redderet testimonium, neutrius umquam fecit mentionem (Summa [Coloniae 1566] ep. dedic. f. 2ᵃ—4ᵇ. Opus catechisticum ed. *P. Busaeus* [ed. 2., Coloniae 1577] ep. dedic. f. a 2ᵃ—bᵃ. Summa [Dilingae 1571] ep. dedic. f. A 2ᵃ—A 8ᵇ. Canisii verba posita sunt in *editoris* „Katechismen" etc. p. 15 [4]). Atque etiam in autobiographia simpliciter affirmat catechismum illum a se „conscriptum" esse; vide supra p. 63. Nec tamen dubitari potest, quin Canisius in catechismo conscribendo rebus illis usus sit, quas Iaius et Goudanus in compendium illud theologicum contulerant. Commentaria quaedam theologica a Iaio relicta, quae Canisius in labore suo adhibuisse videtur, etiam nunc supersunt; vide quae post hanc ipsam epistulam ponentur. Tandem fateri oportet etiam Canisii „Summam" aliqua ratione compendium theologiae esse; quo nomine appellata est in „Instructione", quam S. Ignatius a. 1556 collegio pragensi dedit (Cartas de *San Ignacio* VI, 456. Cf. „Instructionem" collegio ingolstadiensi datam l. c. p. 506).

[2] Canisius „sub aestatem" a. 1552 in universitate compendium illud theologicum „enarrare simul et dictare coepit"; quod, „antequam absolveretur, immo ipso in initio, prout concinnatum erat, praelegi et citari incipiebat" (*Polancus* l. c. II, 567. 569). Haec usque adhuc ignota erant. *Sacchinus* refert Canisium „bis in hebdomada" scholas in academia habuisse (De vita Canisii p. 65). Domi inferiorum classium praefecturam gerebat; vide infra, monum. 92.

meron, o Olaue, quanto piu facilmente s' espederia tutto il negotio. Ma V. R. spero hauera buon consiglio tanto in questo, quanto in tutte l' altre cose a me conuenienti. Dominus Iesus nos doceat suam implere voluntatem et obedientiae satisfacere.

Viennae 7 Augusti 1552

Qui se tieme l' obsidione dalli Turchi, essendoli tanto vicini et guadagnando ogni di piu et piu in Vngaria. Doncha V. R. P. ci adgiuti con li communi sacrifitij delli R. Padri accio senza ogni repugnantia siamo sempre apparacchiati tanto per morire quanto per viuere nella sancta obedientia. Certo non se potria dire in quanto pericolo stia l' Imperio et tutta Alemangia. Vtinam non impleta essent iniquitates Amorrheorum[1]. Spargiamo il sangue per il dolce nome de IESV. non adgiuta piu confessarlo solamente con la bucca, lauemus stolas nostras in sanguine agni[2] qui sanguinem requirit pro sanguine[3], et saepius morte potius quam vita placatur. Il Signor ci conserui in sua sancta gratia.

Figliolo de V. R. in Christo
Piedro Canisio.

† Al Reuerendo Padre mio in Christo Don Ioan Polanco della Compagnia de IESV in Roma.

---

mihi daturam esse spero tum in hac re tum in ceteris omnibus mihi convenientibus. Dominus Iesus nos doceat suam implere voluntatem et oboedientiae satisfacere.

Viennae 7. Augusti 1552.

Hic timent, ne Turcae obsidionem urbi inferant; vicinissimi enim sunt et singulis diebus in Hungaria occupanda proficiunt. Adiuvet nos igitur, quaeso, reverenda paternitas vestra communibus reverendorum patrum sacrificiis, ut semper, nihil repugnantes, parati simus et ad moriendum et ad vivendum in sancta oboedientia. Oratione certe exprimi non potest, quanto in discrimine imperium et Germania tota versentur. Utinam ne impletae essent iniquitates Amorrhaeorum![1] Sanguinem fundamus pro dulci nomine Iesu; neque enim modo refert solo illud ore profiteri; lavemus stolas nostras in sanguine agni[2], qui sanguinem requirit pro sanguine[3], et saepius morte potius quam vita placatur! Dominus in sancta gratia sua nos conservet.

Reverentiae vestrae filius in Christo
Petrus Canisius.

Reverendo patri meo in Christo domino Ioanni Polanco Societatis Iesu, Romae.

Appendix ad ep. 126.

Aliqua hic addere placet, licet per se infra, in „monumentis viennensibus", collocanda sint; commodissime enim hic ponuntur, quia ad litteras hasce viennenses, maxime eas, quae proxime sequentur, intellegendas multum iuvant.

1. *De Canisio eiusque Sociis in universitatem viennensem assumptis.*

31. Maii 1551 undecim Socii, a S. Ignatio ex Italia missi, Viennam ad collegium incohandum advenerunt; quorum numerum paucis diebus post auxerunt Iaius

---

[1] Gen. 15, 16. [2] Apoc. 22, 14.
[3] Gen. 9, 6. Cf. *S. Hieronymi* epistulam XXII, n. 39 (*Migne*, PP. LL. XXII, 423).

et Schorichius ex Bavaria advecti; quibus „quinque novitii" accesserunt, eodem anno Viennae admissi [1].

In matricula universitatis viennensis hi inscripti sunt [2], quos de Societate Iesu fuisse aut omnino certum aut veri simillimum est:

a) *Anno 1551, semestri spatio, quod aestivum dicitur:*

„Claudius Jaius Sabaldus [a] S. Theolog. Doctor et professor.
Nicolaus De Laniaj [b] Flander S. Theo: Doctor. et professor.
Joannes Alfonsus a Victoria Hispanus.
Angelus Proscotius Venetus [3].
Erhardus Aphontianus [c] Leodiensis.
Gulielmus Stephordianus [4] Leodiensis.
Briccius Viuonetus Tullensis.
Dominicus Mognensis [d] Lotaringus.
Ioannes Schrader ex Ducatu Braunswizensi."

Hi omnes in „natione Rhenensi" et „gratis" inscripti sunt.

b) *Anno 1551/52, semestri hiemali:*

„Martinus leibenstain ex obernndorf algey".
„Jacobus Tsanntele flandrus Jesuita".
„Otto Briamont laodinensis [e] Jesuita".

In natione rhenensi gratis inscripti.

c) *Anno 1553/54, hieme:*

In natione austriaca:

„Lampertus Auer Ratenbergensis ex comitatu Tirollensi Jesuita.
Carolus Grim Tyrollensis Jesuita."

In natione rhenensi:

„Rogerius Schoter [f] Flander Jesuita.
Joachimus Vdamus [g] Holandus Jesuita [5].
Franciscus Hemerulus Buscoducensis Iesuita.
Petrus Haupt Coloniensis Jesuita."

De his omnibus adnotatum est: „Hi pauperes dederunt 0."

Eodem tempore in natione hungarica inscriptus:

„Stephanus Demitreus Dalmata, et Jesuita."

[a] *Scribendum erat:* Sabaudus. [b] *Scribendum fuit:* De Lanoy.
[c] *Scribendum erat:* Avantianus. [d] *Lege:* Menginus. [e] *Sic;* leodiensis?
[f] *Legendum fortasse:* Scotter; *cf. supra p. 334* [3]. [g] *Alias:* Audanus.

[1] *Litterae quadrimestres* I, 458. *Socher* l. c. p. 22—29. *Boero,* Iaio p. 193. *Polancus* l. c. II, 270. Cum Canisius Viennam adveheretur, Socii, additis noviciis, iam aderant 25 (*Polancus* l. c. II, 566).

[2] *Cod.: „Matricula Universitatis Viennensis IV." f. 83a. 85a. 94a. 95. Viennae, in archivo universitatis.

[3] Hunc ingenii celeritate, eloquii ubertate, oboediendi promptitudine praestitisse testatur *Magius* in historia collegii viennensis (*Socher* l. c. p. 23).

[4] Is „Guilielmum Elderen de Steuordia" ipse se vocat.

[5] Viennae 1. Iulii 1556 mortuus. *Magius* in historia collegii apud *Socherum* l. c. p. 61.

Tandem: „Sequentes in nationem Rhenensem pertinent.

Doc. Petrus Canisius Sacrae theologiae ordinarius professor
Doc. Nicolaus Florentij Gaudanus Sac. Theologiae ordinarius professor
Joannes Tursius Achstetensis“ [a] } Fraternitatis Jesu.

Annales collegii S. J. viennensis, quae adhuc apud nos sunt, haec habent: Anno 1552 „in Societatem . . assumpti sunt Christophorus·Brixiensis quidam studiosus Rupertus [*sic*], Hermes Halpauur, Ionas Adlerus et Stephanus Slauus“; anno 1553 „Joachimus Hollandus, Aegidius quidam et Philippus Hispanus“ [1].

Ottonem Briamontium et Iacobum Aldenardum, qui „cursum philosophiae“ Lovanii iam absolverant, P. Claudius Iaius „obtulit Universitati examinandos et promovendos in quadragesima“ anni 1552, ac Iacobus primum locum, Otto tertium obtinuit [2].

Etsi autem Societatis iuvenes in album universitatis referebantur, illic, initio saltem, „a lectionibus externorum abstinebant“. In universitate igitur solum scholas theologicas, quae a Societatis viris habebantur, frequentabant; cetera domi docebantur. Attamen „nonnulli fratrum publicas studiosorum philosophicas disputationes, ipsi quoque disputaturi“, in universitate adibant [3]. Acta facultatis artium viennensis haec habent in 24. Decembris 1553: „Duo etiam comparuerunt Iesuitae petentes cum his [ceteris scholaribus ad baccalariatum artium] admitti: Rogerius Scotus Flander, Ioachimus Audanus Holandus. Doctor Canisius et Nicolaus Gaudanus uterque pro suis intercessit; verum quia diu hic fuerant et nostrum nullum audivissent, reiecti sunt in aliud tempus.“ 18. Februarii 1554 iterum reiecti sunt, „ut diligentius audirent magistros et professores nostros, ne appareat contemptus; verum benigna mater eos tandem propter multas et certas causas et maxime nova data reformatione regia admisit“ [4]. Cum autem exeunte anno 1554 vel ineunte 1555 „licentiam“ in artibus petiissent, rursus, quod scholas universitatis non frequentassent, reiecti sunt, donec cancellarius eam potestatem iis tribueret. Anno 1573 facultas artium in libello rectori universitatis dato scribit: „Canisius, Lanoius et Guodanus superiores olim hic Viennae eius Societatis saepenumero rogarunt D. Dadium [5], ut fratres de Societate Organum Aristotelis privatim doceret; iidem et Doctorem Waltherum [6] orarunt, qui in suo cubiculo Iohannem de Sacrobusto [7] iis professus est.“ [8] Sociis nempe ipsis tunc nondum licebat has disciplinas publice docere.

2. *De opusculis quibusdam a P. Claudio Iaio conscriptis, quae Canisius Viennae accepit et in usum suum convertit.*

Canisius in epistula 30. Aprilis 1551 ad S. Ignatium data refert P. Claudium Iaium in comitiis augustanis optime satisfecisse lutheranis quibusdam consiliariis

[a] *Lege:* Dyrsius Aichstettensis.

[1] *Cod. „Annal. Vienn.“ f. 2. [2] *Polancus* l. c. II, 569.

[3] Fr. Petrus Schorichius S. Ignatio, Vienna 29. Decembris 1551 (in *Litteris quadrimestribus* I, 458. Cf. *Polancum* l. c. II, 270).

[4] Ex ipsis actis facultatis haec typis exscripta sunt a *K. Schrauf* in Hartl-Schrauf, Nachträge I, 139—140.

[5] Andreas Dadius (Kyenboom) „Barlanus Flander“ († 1583) philosophiam primum, dein medicinam in universitate viennensi tradidit (*Aschbach* l. c. III, 162 ad 166).

[6] Georgius Walter in universitate viennensi primum philosophiam, dein medicinam tradidit (*Aschbach* l. c. III, 54. 78. 113).

[7] „Sphaeram materialem,“ a Ioanne Halifax de Sacro Bosco († 1256) conscriptam.

[8] Ex matricula nationis austriacae typis exscripta a *Schrauf* (l. c. p. 140).

de iustificatione secum disputantibus [1]. In his autem, quae modo positae sunt litteris, Canisius scribit Iaium in universitate viennensi ecclesiae dogmata, quae sunt „de iustificatione, de praedestinatione, de fide et operibus" et similia non solum optime exposuisse, sed etiam „in scriptis" tradidisse auditoribus. Huius operis pars aliqua superesse videtur. Nam codex quidam („Scripta B. Canisii X. B." 4°) apud nos est, in quem B. Petrus Canisius varias sententias et tractatus theologicos partim sua manu transcripsit, partim ab aliis transcribendos curavit ex S. Thoma, Ioanne Pico Mirandula, Alphonso Tostato, Clichtovaeo, Eccio, Groppero, Lindano, Navarro etc.; inter haec autem excerpta libellus de iustificatione exstat, diversis manibus descriptus (Canisius ipse non scripsit) et per 15 capita distinctus, cui primus librarius titulum inscripsit „Sed factores legis iustificabuntur. De iustificatione. Claudij" (f. 120ᵇ—131ᵃ). Atque idem tractatus eodem modo inscriptus [2] atque sex aliis capitibus adauctus [3] exstat in codice quodam regiae bibliothecae dilinganae („VIII. 1125"; 4°), quo Canisius olim utebatur [4], quique diversos fasciculos complectitur diversis temporibus (etsi eadem manu) scriptos et inter eos quaedam, quae inter ipsum concilium tridentinum composita esse videntur [5]. Illum igitur libellum „de iustificatione" a P. Claudio Le Iay conscriptum esse censeo, quamquam historici et bibliographi nullam eius rei faciunt mentionem. Iaius concilio tridentino intererat, cum ea res excuteretur et definiretur. Iaio mortuo Canisius hunc libellum accepisse et in theologia tradenda usurpasse videtur.

Praeterea apud nos codex est („Ser. X, Fasc. Ob" 4°; ff. 342), in cuius prima pagina haec leguntur, manu Canisii scripta: „NOTET Lector, hunc librum conscriptum esse manu R. P. Claudij Jaij, qui unus ex decem primis Societatis nostrae Patribus Viennense Collegium inchoauit sub Caesare Ferdinando, et ibidem diem clausit extremum. Qui liber penes primum Austriae Prouintialem Pet. Canisium diu mansit, ac deinde domui professae superioris Germaniae donatus et adscriptus fuit ex authoritate R. P. Pauli Hoffaei uisitatoris, anno 1595." Continet autem hic codex quam plurimas sententias extractas ex sacra Scriptura, sanctis patribus, conciliis, iure canonico, theologis (Alexandro de Hales, Thoma, Bonaventura, Cochlaeo, Driedone, Alberto Pighio, Erasmo, Iacobo de Valentia, Eccio, Gasparo Schatzgero, Ioanne Fabro viennensi episcopo etc.). Multa in formam thesium, quibus Lutherus, Calvinus etc. refutentur, immo et libellorum redacta sunt, qui sunt de ecclesia, caelibatu, votis, sacramentis, missa, purgatorio (f. 72 sqq.), de peccato originis (f. 123ᵇ—133ᵇ), de fide et operibus (f. 135ᵃ—137ᵇ), de certitudine salutis (f. 137ᵇ—148ᵃ). Praecipuus tractatus de sacra Scriptura est (f. 21—71; introductio in Scripturam et hermeneutica). F. 221 quaedam notata sunt, quae „D. giacomo Laynez" de ecclesia et de lege docuerit. B. Canisius ipse indicem alphabeticum rerum in codice scriptarum conscripsit (f. 334—340). F. 228 Iaius scripsit: „: 27 Augusti : 1543. Jngolstadii." Eo tempore Iaium primum Ingolstadii theologiam tradidisse aliunde etiam constat [6]. Dubitari vix potest, quin Canisius hoc quoque codice Viennae non solum in schola habenda, sed etiam in catechismo componendo usus sit.

[1] Cf. supra p. 359.

[2] „Sed factores legis justificabuntur. De iustificatione, Claudij" f. 57ᵃ—66ᵇ.

[3] Etiam in capite XV. sententiae aliquot additae sunt.

[4] Canisius sua manu aliquot verba in marginibus scripsit; v. g. f. 102ᵇ. 178ᵃ. 182ᵃ. Theodoricus Canisius, Petri frater ex patre et rector collegii dilingensis, in folio primo scripsit: „Societatis Jesu professae."

[5] F. 10ᵃ: „Die iouis hora 20ᵃ in Concil: Tridentino." Argumenta in codice dilingano tractantur fere ea, quae in concilio tridentino annis 1546 et 1547 theologis explicanda et conferenda proposita erant: de iustificatione, de paenitentia, ordine, purgatorio, indulgentiis. V. g. cod. diling. f. 113: „Responsio ad articulos de Purgatorio Theologis ad examinandum propositos: Articulus primus. Esse purgatorium, an habeatur in scriptura, et si habetur, quibus in locis." Cf. *Raynaldi* Annales Ecclesiastici tom. XXI, P. 1 ad a. 1547, n. 67.

[6] Cf. v. g. *Polancum* l. c. I, 113.

127.

FERDINANDUS I.,

Romanorum rex,

CANISIO.

Graecio initio anni 1553.

Ex *„Catalogo diplomatum, quae sunt in Collegio Viennensi facto in mense Martio anni .1567." et Romam ad praepositum generalem misso.

Exstabant anno 1567 in collegio viennensi praeter alia diplomata „literae Caesareae Latinae pro uisitandis Pagis in Austria ad P. Canisium in pergameno cum sigillo appenso". Quae perisse quidem videntur; sed quid Ferdinandus scripserit, intellegi potest ex Sacchino (Can. p. 71), qui: „Inuitauit", inquit, „Ferdinandus Patres per literas Graecio datas ineunte anno 1553. vt orbos greges vellent inuisere, sacramentorumque, et verbi diuini pabulo recreare. Canisius eam sibi maxime prouinciam depoposcit."

In eodem *Catalogo recensentur „Literae Caesareae Germanicae .4. ad uisitationes Austriae instituendas a nostris in papyro cum sigillis impressis, simul ligatae cum quodam saluo conductu, in papyro habente sigilla quinque impressa" [1]. Quid autem Canisius in apostolica hac peregrinatione praestiterit, vide infra, monum. 92. Cf. etiam infra p. 421.

128.

THEODORICUS CANISIUS,

canonicus xantensis [2],

CANISIO.

Noviomago 9. Martii 1553.

Ex autographo (2°; 1 p.).

Litteras flagitat. Se Societatem Iesu summi facere et Petro tamquam patri oboedire velle. Quem rogat, ut exercitia pietatis sibi praescribat, quibus ad virtutem perducatur. Ottonem fratrem commendat.

---

[1] Episcopo passaviensi (Wolfgango de Salm), cuius dioecesis Viennam usque tunc extendebatur, et Socii viennenses et rex scripserant; atque „ille", inquit *Polancus* (l. c. III, 250), „per suas litteras patentes facultatem nostris et praedicandi et sacramenta ministrandi dederat". *Martinus* autem *Stevordianus* S. J. Vienna 1. Maii 1553 S. Ignatio scripsit: „Rex ad nostrum collegium misit ex Graecio (ubi tota hieme se continuit) exemplaria quatuor aut quinque literarum cum facultate concionandi et administrandi sacramenta, praesertim in iis locis ubi oves Christi pastoribus omnino sunt destitutae" (*Litterae quadrimestres* II, 250).

[2] Theodoricus Canisius (1532—1606) Coloniae 9. Martii 1554 in Societatem Iesu admissus est; in qua tribus collegiis cum rectoris auctoritate praefuit annos triginta: monacensi aliquot, dilingano ipsos viginti, reliquos ingolstadiensi. Postea Lucernam Helvetiorum missus, operam suam tum Sociis domi, tum exteris in templo utilem locavit. De quo *Matthaeus Raderus*, qui ipsum noverat, haec scripsit: „Meo

Gratia nobis et pax a Deo patre et Domino nostro Jesu Christo[1].

Scripseram ad te frater charissime anno superiori Nouiomagij ob valetudinem prolixiorem agens apud matrem[2]. Sed quantum ex coniecturis verisimilibus colligo, tabellariorum incuria literae illae cum aliquot alijs interciderunt. In mentem enim meam neutiquam inducere possum, te qui me intimo amore complecti soles, feruoremque calentis illius cordis tui frequenti literarum missitatione subinde prodere, te inquam veteris illius amicitiae ita iura omnia recidisse, ac germani fratris obliuionem coepisse [*sic*] vt post longissima silentia vel breuissima eum non dignareris responsione. Equidem, vt verum fatear, fluctuans illa mens mea supraque modum anxia, multiplices sibi saepenumero tui illius silentij causas effinxit, modo quas nescio offensas literis meis vtpote barbaris, et spiritalis omnis condimenti expertibus, partas, meditabatur, alia et alia modo phantasmata ingerebat. Verum omnia haec persuasionem illam meam de syncero tuo erga me amore semel adeptam euertere minime valuerunt. Et recte quidem, nam vt ex nouissimis tuis ad matrem literis intellexisse videor meae illae ad te necdum fuerant perlatae. Vtvt est, perquam graue mihi et iniucundum est, tanto tempore a suauissimo charissimi fratris alienum esse consortio, non corporali modo sed et eo, quod per literas haberi solet. An non . .[a] res foret molestissima filio pauperi, languido, desolato, incredibilique miseria laboranti, nulla a patre percipere subsidia, quem foelicissimum nosset, diuitijs insuper bonisque omnibus affluentissimum? Et certe inops ego bonique omnis indigus, miser plane et infoelix, nullum praeter te patrem agnosco, cui et naturae me vincula proxime connectant, cuiusque imperio tanquam filius obsequentissimus subiacere fui et sum vsque paratus. Quapropter suauissime colendissimeque pater per Christi te amorem obsecro et obtestor ne patiare vlterius hunc tuum filium, tam dira premi egestate, dulcissimoque illo tuo vltra carere solatio. Sed panem famelico subinde praestare memento. Quodsi non panem vel miculas cadentes de mensa dominorum[3], Dominos illos voco qui continuo progressu ad perfectionis fastigium contendentes quotidianis e delicatissimo illo cordis tui promptuario depromptis fouentur alimentis, in quorum quidem albo recenseri

[a] *Sequitur vocabulum, quod legi non potest.*

quidem animo" haud „multum Petro" Canisio „in religionis studio concessit, quamuis virtutem omnibus modis tegere solitus sit" (De vita Canisii p. 283). Cf. *eiusdem* „Bavariam piam" (Monachii 1628) p. 147—151, et Vitam P. Theodorici a P. *Eus. Nieremberg* S. J. enarratam in opere „Varones ilustres de la Compañía de Jesus" VI (2. ed., Bilbao 1890), 37—42. [1] Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 3. Eph. 1, 2 etc.

[2] Cf. quae de Theodorico ad S. Ignatium scripsit P. *Leonardus Kessel* litteris Colonia 1. Septembris 1551 datis (Litterae quadrimestres I, 403).

[3] Matth. 15, 27.

me iudico indignissimum, vt quem propria nimium adhuc voluntas debilitet, quique lacte potius quam solido sim cibo[1] nutriendus, et scio te eum qui pro cuiusque conditione pabulum attemperare noris, et qui neminem salutis subsidia postulantem ob ipsius indignitatem repellas adeo vt quantumuis rudis sim et in virtutibus paruulus, de profusa tamen illa tua liberalitate nihil non mihi pollicear. Humiliter itaque per charitatem Dei et paternam illam pietatem tuam oratum te cupio quatenus filioli succurrere necessitatibus, nouellique tyronis votis fauere non dedigneris, spiritualia aliquot ei exercitia praescribendo, facillimumque illud et certissimum ad virtutem iter demonstrando, particularius aetiam securum aliquem et expeditum, semitam istam foeliciter primum ingrediendi, modum insinuando, vt eo habito suaue mox istud diuque exoptatum iter fiducialiter arripiam, fixa enim per Dei gratiam apud me stat sententia, toto vitae meae tempore virtutibus acquirendis operam dare, annisque peregrinationis huius meae dies in perscrutatione mandatorum[2] et beneplaciti creatoris mei insumere, Arctam quoque illam et asperam salutis viam pro meo modulo viriliter perambulare, faxit omnipotens vt te duce foeliciter eam ingrediar, foelicius percurram, foelicissimeque tandem absoluam[3]. Sed mirabere forsan haec legens, cur ita tardus ad scribendum hactenus fuerim si tua ita anxie expectarem solatia. Dicam re ipsa, Barbaries jam inde a puero imbibita, a scribendo ita animum meum absterruit vt puderet, etiam vel paucissimis te tuique similes subinde salutare. Accessit huic languor prolixior supra biennium interiora etiamnum occupans. Qui et altera iam vice intermissis ad tempus studijs patriam me adire compulit. Dedit tamen et hic ipse scribendi iam occasionem. Cum enim apud matrem pro recuperanda sanitate agerem, allatae sunt a te literae, fratris Ottonis praesentiam mirum in modum expetentes. Quem vbi isthuc mittendum didici, optimam iam nactus occasionem putaui diutius non esse silendum, ruptisque pudoris omnibus repagulis, tumultuarie quaedam conglomerata transmittere fratri non erubui, bene confidens te pro tua humanitate et beneuolentia boni omnia consulturum. Accingitur itineri frater, ita vt pluribus non liceat. Superuacaneum puto fratrem Ottonem multum hic tibi commendare, qui sciam eum tibi commendatissimum, eiusque teneram indolem abunde a matercula tibi expositam. Concedat pater misericordiarum vt incolumis ad te perueniat, et ita isthic agens in virtutibus proficiat et scientijs vt reipublicae Christianae lumen et decus egregium, suae

[1] Hebr. 5, 12. [2] Cf. Eccles. 7, 1. Ps. 118, 54. 69. 115.

[3] P. *Matthaeus Raderus* testis auritus haec de Theodorico Canisio scribit: „Vbi coepit cogitare, quod genus vitae sequeretur, ingentibus curarum aestibus iactatus, nullam animo quietis partem capiebat, quoad decreuit suum inter Socios nomen se professurum; extemploque vt ipse mihi coram fassus est, cogitationum fluctus sedere, omnesque turbinum ac turbarum procellae posuere, vti tanquam in sereno tranquilloque mari, portum sibi secundis ventis subisse videretur“ (De vita Canisii p. 284).

doctrinae morumque perspicuitate aliquando reddatur[1]. Meminerit frater otto saepius ad matrem scribere. Intelligo frequenter inter ferdinandum et curiam bruxellensem discurrere postas; per istos facile disponi possent literae ad matrem. Bruxellis enim aut louanij relictae, a M. Vernero aut alio quopiam fideli absque difficultate huc transmitterentur. Vale frater in Christo charissime, et tuis tuorumque orationibus vnice fac sim commendatus. Raptim Nouiomagij 9ª martij 1553.

Theodoricus Canisius tuus.

Eximiae pietatis viro M. Petro Canisio S. Theologiae professori eruditissimo, et fratri quam charissimo. Viennae in Austria.

129.

CANISIUS

ANDREAE HERLL,

canonico coloniensis ecclesiae S. Gereonis, et bursae montanae magistro[2].

Vienna 27. Aprilis 1553.

Ex apographo saeculo XVII. scripto, quod est in cod. „Hist. gymn. tr. cor.", inter ff. 24 et 25. Hoc apographum eodem saeculo Coloniae a P. Iacobo Kritzradt S. J. suppletum et correctum est ex altero exemplo, quod ipse P. Leonardus Kessel ex epistula archetypa transcripserat, quodque tunc „in lib. P. Kesselij Rectoris ab 1550 ad 1553. sub finem" erat et nunc quoque Coloniae superesse videtur in archivo studiorum fundatorum.

Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 725.

Se sacram Scripturam exponere, contionari, quadragesimae tempore Austriae parochias obiisse. 300 vacare parochias. De peste dire grassata, collegiis viennensi et germanico, Turcis, Germaniae calamitatibus. Quantum Societatis alumni in germanica aliisque linguis se exerceant. De puerorum schola Viennae a Sociis instituta. Vehementer commendat, ut iisdem facultas fiat similis ludi Coloniae aperiendi. Suam in sanctos colonienses pietatem et amicorum patronorumque gratam memoriam declarat.

IESVS.

Reverende Domine praeceptor et Patrone singularis.

Gratia et pax domini IESV, qui morte sua mortuos viuificat et viuos laetificat ad verae aeternaeque vitae gloriam nos adducat. Amen[3].

Etsi iam diu nihil scripsi ad dignitatem tuam, cui multis ego modis multa debeo, meque debere lubens agnosco, tamen veteris illius,

---

[1] „Otto Canisius frater Doc. Petri Canisij" anno 1553/54 in album universitatis viennensis relatus est (*Cod. „Matricula Universitatis Viennensis IV." f. 95ª; cf. supra p. 414). „Otto Canis, geboren omstreeks 1530, was in 1572 burgemeester te Arnhem, doch ‚van wege die van Arem ten respecte van de Roms Catholicke religie uitgewesen' ging hij zich te Huissen vestigen, waar hij overleed 12 october 1586 en begraven werd in de parochiale kerk voor het choor": *Bongaerts* l. c. p. 7[14].

[2] De hoc vide supra p. 12[4]. 17[3] etc. Scripsit de eo *Hansen*, Die erste Niederlassung der Jesuiten etc. p. 185—186.

[3] Canisius his verbis tempus paschale significat, quo hanc epistulam scripsit.

et benignitatis et hospitalitatis in me tuae suauis facit memoria, vt vltro ad scribendum accingar, quamuis negotijs alijs, neque paucis neque vulgaribus sic satis impeditus, nam et priorem ad Corinthios epistolam profiteri[a] caepi in hac Academia[1] vbi pro liberalitate[b] sua nostros fouet Maiestas regia et cupit triginta e nostris alere continenter, et sacris apud populum concionibus ut possum inseruio Dei spiritu aspirante qui verbum et virtutem praestat ad perfecte euangelizandum[2]. magna Dei bonitate[3] qui suos vel in medio fornacis ardentis conseruat[4], nos in media quasi flamma pestis vndique grassantis salui et incolumes durauimus, et si multa hominum millia Viennae perierint neque raro afflictis et laborantibus adstiterimus, adeo nullus quidem nostrum ex tam foeda atque seua lue sensit incommodum[5]; moriendi autem desiderium opinor multi, tantoque iustius quod si unquam alias, nunc in lucro deputandum sit maximo e tanta malorum omnium colluuie ad coetum illum beatorum vocante Christo proficisci[6]. Ego per quadragesimam[7] vt me non nihil exercerem in vinea Domini, sum in Austriam nostram peregrinatus[8]. Ecclesias misere tractatas si non absque Pastore desertas inuisi, et quibus Dei gratia potui rationibus, concionibus, admonitionibus oues passim iacentes[9], messemque neglectam adiuuare studui, praesertim quod audirem vltra 300 esse vacuas pastoribus Ecclesias[10], et in his multos sine sacerdotum ministerijs perire infeliciter. Et dictu quidem difficile foret quantum vbique calamitatum, scandalorum et periculorum in illis senserim.

---

[a] perficere *apogr.* [b] libertate *apogr.*

---

[1] Iaio mortuo, Novi Testamenti explicandi provincia Canisio commissa est (*Aschbach* l. c. III, 97. *Ant. Wappler*, Geschichte der Theologischen Facultät der K. K. Universität zu Wien [Wien 1884] p. 376). [2] Ps. 67, 12.

[3] „1552 coepit Canisius concionari primo in aede D. Iacobi, deinde in templo S. Hieronimi et postmodum per tres menses apud Praedicatores, ubi vix octo aut decem auditores aliquando habuit“: Historia collegii viennensis, apud *Theod. Wiedemann,* Geschichte der Reformation und Gegenreformation im Lande unter der Enns I (Prag 1879), 103[1]. Cf. *Socherum* l. c. p. 29; qui ibidem etiam refert Canisium primum Viennae suggestum ascendisse 25. Martii 1553 in templo S. Iacobi. Atque in ecclesia dominicana Canisius „dicebat ad populum“, inquit *Sacchinus,* „tanta constantia, vt quamuis per autumnum pestilentia desaeuire coepisset, tamen nunquam intermiserit, sed potius frequentarit conciones“. Postea „Senatus ipse Consule misso, rogauit vt in Templo Sanctae Mariae ad ripam, quod secundum Episcopale Ciuitati commodissimum erat, concionari placeret“ (De vita Canisii p. 65—66). Cf. *Polanci* Chronicon II, 571. Hoc quidem certum est Canisium mense Aprili a. 1553 „in templo B. Virginis“ contionatum esse. V. infra, monum. 92. 93. Cf. etiam *Polancum* l. c. III, 243).

[4] Dan. 3, 19—50. [5] Cf. *Litteras quadrimestres* II, 114.

[6] „Mihi . . . mori lucrum“ (Phil. 1, 21).

[7] Anno 1553 initium Quadragesimae 15. Februarii et Pascha 2. Aprilis fuit.

[8] Haec Canisii „peregrinatio“ vere apostolica accuratius enarratur a *Martino Stevordiano* S. J. in litteris 1. Maii 1553 Romam missis; quas vide infra, monum. 92.

[9] Num. 27, 17. Matth. 9, 36. [10] Cf. *Litteras quadrimestres* II, 19.

vt summam profecto commiserationem oues Christi afflictissimae promereantur. Confido autem fore vt multi ex nostris egressi in Pagos vicinos magnam Austriae opem adferant, praesertim cum Sacerdotum hic penuria sit ingens, et in hoc Collegio egregij alantur Adolescentes[1] qui Germanicae Patriae possint ac velint suas operas dare bona fide, faxit Dominus messis[2], vt huiusmodi operarios paulatim plures non Austriae modo sed Germaniae toti instituamus. quemadmodum et Pont: Max: Romae suis expensis Collegium germanicum docte ac pie instituendum curat[3]. Habemus inter nostros (gloria Christo) qui quotidie[a] domi hic sese exerceant concionando, non germanice tantum, sed et hungarice, Slavonice, Italice, Hispanice, gallice, tum idiomate Flandrico et Leodiensi. omitto de lingua latina et graeca dicere, nam omnis lingua vt confiteatur Domino[4] et seruiat Ecclesiae par est. De Turcico Exercitu nihil habemus, et incertum an se paret Rex noster ad Hungariam recuperandam, inter spem metumque viuunt hic ancipites, sed satis res ipsa probat, DEVm nobis iratum a flagellando Populo non facile cessaturum quamdiu tanta passim regnat impietas, et haec cum omni vitae licentia ac improbitate coniuncta. Haeretici cum aduersus Catholicos prius arma mouissent, nunc etiam inter se conflictare videntur[5], vt bis misera sit Germania, siue pacis siue belli rationem aspicias, neque satis apud Catholicos tueri sese, neque haereticis confidere possit: ita poenas damus non solum mutatae fidei et violatae[b] obedientiae, sed etiam grauis oscitantiae ac vanae Conuersationis nostrae, quod praedicamus quidem, sed non praestamus fructus dignos poenitentiae[c][6], neque superaedificamus fundamento[7] quod est in Christo et in Ecclesia adhaerentes viti, sed veluti aridi palmites[8] quorum finis est in combustione[9], formam habentes pietatis, sed certe virtutem eius[10] neutiquam ostendentes. Christi fauore schola, quam hic instituimus pueris pie ac docte instituendis, procedit feliciter[11], magnumque ex ea lucrum

[a] quitidie *apogr.* [b] violentae *apogr.*
[c] *Hoc vocabulum, quod librarius legere non potuit, Kritzradt suppleverit.*

[1] Novicii et scholastici S. J.; cf. supra p. 414—415. [2] Matth. 9, 38.

[3] De institutione collegii germanici vide „Collegii Germanici et Hungarici Historiam“, auctore *Iul. Cordara* S. J. (Romae 1770) p. 1—15, et *Polancum,* Chronicon II, 421—424, maxime vero opus bipartitum, quo nuper eminentissimus cardinalis *Andreas Steinhuber* S. J., huius collegii olim alumnus et postea rector, totam eius historiam ex ipsis fontibus depromptam insigniter complexus est (Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom I [Freiburg i. Br. 1895], 1—36).

[4] Phil. 2, 11. Cf. Ps. 7, 18; 91, 2 etc.

[5] Non multo post (9. Iulii 1553) Albertus marchio brandenburgensis et Mauritius Saxoniae elector apud Sievershausen acie inter se concurrerunt. Cf. *Janssen* l. c. III, 731. [6] Luc. 3, 8. [7] 1 Cor. 3, 12. Eph. 2, 20. 1 Petr. 2, 5.

[8] Cf. Io. 15, 1—7. [9] Hebr. 6, 8. [10] 2 Tim. 3, 5.

[11] Quae de huius scholae initiis, anno 1552 factis, refert collegii viennensis historia manu scripta (quae nunc Viennae in bibliotheca aulica [Cod. 8367] asser-

nobis pollicemur, non lucrum quidem temporarium, quia docemus gratis, neque locum muneribus, quae alioqui satis obtruduntur, vllum facimus: sed spirituale lucrum inquam, quod locupletandis puerorum animis et augendae Christi Patris gloriae possit inseruire. Habetis, sat scio bene institutas Coloniae scholas non paucas, vbi probe curetur juuentus, ut sane nunc necesse est, confirmandis in Pietate pueris operam vel maximam dare: vellem interim ego vt libere dicam amans vestrae et meae Ecclesiae Coloniensis, vellem inquam re ipsa comperissent in vrbe vestra siue Ciues siue Canonici quae ratio, quantaque sit vtilitas scholarum quibus nostri praeesse ac prouidere solent. experirentur[a] credo Adolescentulorum animos et in pietate in primis, et in literatura progressus non poenitendos facere, viderent paternam in praeceptoribus fidem, atque curam erga discipulos qui et si religioni se nulli consecrarent, tum[b] in timore Dei firmiora, vt vsus rerum docet fundamenta iacerent atque conseruarent, multoque aliter quam vulgo est cernere, et citius quidem lubentiusque tractarent studia simul et absoluerent. Haec mihi suggerit affectus quidam, at communem specto, non priuatam vllam vtilitatem: non commendo nostros, non improbo scholas aliorum, verum quid commodius fieri possit et vt per occasionem iuuetur isthaec vinea Christi, id vero mihi cordi est, eoque conniti maxime vellem. Quamquam tam diues et opulenta est Respublica vestra, vt etiam si e nostris pauci alerentur frugaliter necessitate ipsa contenti, non solum dispendij nihil, sed etiam commodi ac honoris plurimum inde ad auctores redire posse animaduertam.

Monasterium constituere nihil est opus, et altior est monasticae vitae professio quam vt nostris debeat proprie accommodari[1], qui simplices velut sacerdotes laborandi occasionem, non quiescendi commoditatem sectamur et quaerimus pro Christo et Ecclesia, tantum vtinam digni simus, qui sancta in Dioecesi vestra praestemus aliquid, quod siue ad juuentutem Christo educandam[c] siue ad confirmandum in pietate Clerum et Populum conducere possit[2]. Huc nos animant sanctis-

[a] *Eadem de causa, de qua supra, a Kritzradt suppletum.*
[b] *Sic; sed fortasse corrigendum:* tamen. [c] educendam *apogr.*

vatur), typis exscripta sunt apud *Hartl-Schrauf,* Nachträge I, 28[1]. De iisdem initiis scripsit *Polancus* l. c. II, 574; III, 241—242. 246. *Idem:* „Prima“, inquit, „dominica [quadragesimae sive 19. Februarii 1553], post concionem, populum P. Canisius admonuerat quod lectiones ad institutionem juventutis nostris in scholis erant praelegendae, aliquid de ratione instituendae juventutis, qua Societas utitur, disserendo“ (Chronicon III, 240). Cf. *Litteras quadrimestres* II, 249. 374.

[1] Veram quidem religionem sive ordinem religiosum Ignatius instituit et ecclesia approbavit, vota habentem sollemnia; neque tamen is ordo chorum habet nec vestitum peculiarem nec alia quaedam, quae a monachis pie ac sancte observantur; nam monachorum religio non est, sed „religio clericorum“ a concilio tridentino vocatur (Sess. XXV. De regul. c. 16).

[2] S. Ignatius iam anno 1551 paratus erat Canisium ad Socios colonienses

simi Magi Reges, Thebei, Mauri, Machabei, virgines martyres, totaque illa deo grata vere Societas, quae suas delegit sedes in Agrippina Colonia, neque cessat vel exteros in amorem sui rapere, quasi magnetis instar trahere velint et ferrum, id est indignos amplecti. Sed plura certe quam statueram, et me fere pudet[a] extemporaneum hoc scriptum ita mittere, nisi quod humanitate tua fretus, agam nunc familiariter perinde, ac cum amicissimo Patre[b]. Dominus IESVS in gloriam suam conuertat studia nostra, vt non quaeramus ea quae super terram[1], vbi vanitas vanitatum et omnia vanitas[2]. De Nepote tuo scire aueo vbi sacerdotem agat, et quousque progressus sit in studijs Theologicis, vt cum recte illum habere percepero, maiores Christo gratias agam, quod tua cura, in bonum doctumque Theologum euaserit. Si auderem, R. D. Praepositum Bonnensem[3] ex me vt salutares orarem, quod illi ac Patri Prouinciali Carmelitarum[4] ex animo precor zelum pro Ecclesia indefessum, nec obliuiscar D. Licentiatorum quos in Christo semper colam[c]. M. Matthiae Regentis[5], Voisij[6], Philippi[7] etc. quibus omnem adscribi salutem quae in Christo est percuperem[d]. Praeterea R. P. [?][e] Carthusiae ac Praedicatorum, quibus multum sane debeo[8] velim meo nomine salutatum iri cum amicis omnibus. raptim 27 april. Anno 1553[f].

Reuerendo in Christo Domino meo M. Andreae Barduick S. Theologiae Licentiato et Canonico D. Gereonis Coloniae[g].

Nomen epistulae olim subscriptum non superest; sed Canisii epistulam esse et Kritzradt testatur, et res ipsae demonstrant.

[a] *A Kritzradt suppletum.*

[b] *Vocabula:* quod, fretus, agam, Patre, *quae librarius legere non potuit, a Kritzradt suppleta sunt.*

[c] semper colam *eodem modo a Kritzr. suppleta.*

[d] *A Kritzr. suppletum.*

[e] *Sic; sed corrigendum esse videtur:* RR. PP. Priores.

[f] Raptim *et, quae sequuntur, a Kritzr. sunt suppleta.*

[g] *Inscriptionem hanc Kritzradt addidit ex apographo Kesselii descriptam.*

auxilii causa mittere. Nam *Ioannes de Polanco* „de mandato patris nostri d. ignatii" P. Leonardo Kessel Roma die 17. Novembris 1551 scripsit: „Charissime pater d. Leonarde, de ecclesia 11 millium Virginum quod respondeamus non est. sat scimus t. R. et patri Canisio curae id fore, et si ipsi videbitur tantum itineris suscipiendum, vt a senatu domum vel ecclesiam obtinere curet, patri nostro non displicebit. dirigat vos eterna sapientia in omnibus" (*Integra epistula Polanci eaque autographa est in Cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I" f. 67). Ecclesiam illam abbatissa collegii S. Ursulae Societati resignare volebat (*Polancus* l. c. II, 282).

[1] Col. 3, 1. 2. [2] Eccles. 1, 2. [3] Ioannem Gropper.

[4] Everardo Billick. [5] Matthias Cremers bursam montanam regebat.

[6] Cf. supra p. 126 [4]. [7] Cf. supra p. 126.

[8] Gerardum Kalckbrenner et Tilmannum Smeling, carthusianorum et dominicanorum coloniensium priores, significari puto.

130.

CANISIUS

WIGULEO HUNDT,

consiliario Alberti V. Bavariae ducis [1].

Vienna 27. Iunii 1553.

Ex autographo (2°; p. 1), quod est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I." f. 1. 2. Apographum saeculo XVII. vel XVIII. factum est in cod. monac. „Lat. 1606" f. 4. Edidit *Manfr. Mayer*, Leben, kleinere Werke und Briefwechsel des Dr. Wiguleus Hundt (Innsbruck 1892) p. 304—305. Partem epistulae germanice versam edidit *Riess* l. c. p. 142—143, et ex eo *Drews*, Canisius p. 53.

Hundio gratias agit, quod causam collegii Societatis Ingolstadii constituendi serio agat, atque eum amicosque in eo studio confirmat.

IESVS

Gratia domini nostri JESV CHRISTI nobiscum aeterna.

Gratias ago praestantiae tuae Patrone dignissime [2], et excellentiss. Domine Doctor, quod nostram, hoc est, Theologici collegij causam cum fidei prudentiaeque tuae commendatam, tum Jllustrissimo et Clementiss. Duci nostro comprobatam efficias, promoueasque [3]. Dominus JESVS pium hoc institutum ita prosperet, vt sempiternus inde honos ad Superos, maxima vtilitas ad Bauariam, et immortale decus ad Maecenatem ipsum redeat, totique Jngolstadianae scholae fructus accedat vberrimus. De me vero, caeterisque nostris quid

[1] Wiguleus Hundt (1514—1588), nobili genere ortus, Ingolstadii ius aliquamdiu tradidit. Inde ad reipublicae administrationem avocatus, a Carolo V. supremi iudicii spirensis (Reichskammergericht) „assessor", ab Alberto V. eiusque filio Guilielmo V. consiliarius, curator universitatis, consilii aulici praeses nominatus est. Qui etiam scriptis historiam et profanam et sacram illustravit („Bayrisches Stammen-Buch", „Metropolis Salisburgensis" etc. (*M. Mayer* l. c. p. 89—114).

[2] Georgius Stockhammer, universitatis ingolstadiensis patronus, anno 1552 gravi ac diutino morbo laboravit atque anno 1555 exstinctus est; ideo munus eius academicum ab anno 1552 Hundt administravit; quod hic ipse asserit in autobiographia, edita a *M. v. Freyberg*, Sammlung historischer Schriften und Urkunden III (Stuttgart und Tübingen 1830), 183.

[3] Canisio et Goudano Ingolstadio profectis „Princeps de reuocandis nostris. postea cogitauit, et auxit nostri desiderium absentia, praesertim cum Theologos quos substituerent non facile reperirent. Et maturius forte reuocassent", nisi tumultus bellici omnia perturbassent. Albertus V. „misso interim Legato Viennam Doctore Wigulio Hondio, renouauit amanter Collegij fundandj memoriam, et ostendit nunc plurimum nostros Jngolstadij desyderarj, se curaturum Romae, ut ad Exemplum Viennensis Collegij, sequeretur Jngolstadiense" (Cod. „Antiqu. Ingolst." f. 2ᵇ—3ᵃ). „Persuasit autem", inquit *Polancus* (l. c. III, 261), Hundio „Canisius ne nominatim hunc aut illum Dux peteret quamvis peculiari affectu ad ipsos [PP. Canisium et Goudanum], quos cognitos habebat, ferri facile animadverteret. Videbatur etiam" Hundius „professores graecae et latinae linguae a Societate expetere; sed id ne faceret dissuasit idem Canisius, ne viderentur alios professores loco suo expellere velle, quamvis suo tempore nostrorum opera non erat illis defutura".

expectare habeatis, non repetam: CHRISTo duce res ipsa comprobabit, me vanum in ijs quae dixi coram, fuisse minime. Si quid alij contra sentiunt, id nostri erit muneris, sedulitate et uerae pietatis omni offitio nos defendere aduersus calumniatores. Mali saepe placari nullis possunt rationibus, ne a CHRISTo quidem vti Pharisaei: Quare bonis vt placeamus, sat esse nobis debet, praesertim in hac nostri saeculi malignitate, vbi pessima fere placent pluribus, et optima quaeque contempnuntur [*sic*] pessime. Nec est quod vllo pacto metuatis tum de Pont. Maximi[1], tum de Praepositi nostri[2] prompta erga vos beneuolentia, quemadmodum fusius hic exposui. Quod in me fuit, literas ad Praepositum scriptas adiunxi, causamque illi omnem, vti par erat, sedulo commendaui. Hoc ego superesse vnum puto, vt qua fide et cura coepistis, eadem quoque pergatis non vestram aut nostram, sed fidei et Religionis Catholicae, sed Ecclesiae Orthodoxae, sed JESV Christi Opt. Max. causam prouehere. Qua ex re nomini quidem vestro laudem et gloriam ingentem, Academiae uero Ingolstadiensi multiplicem commoditatem, et Clarissimo Duci doemum, posterisque suis praestantem[a] honorem et decus memorabile adijcietis. Valeat in Christo semper excellentia tua, nosque sibi commendatos manere curet oramus. Viennae 27 Junij Anno Christi 1553

Magnificentiae Tuae

Seruus in Christo

Petrus Canisius Nouiomagus.

† Excellentissimo Domino Viguleo Hundt V. J. Doctori[3], et a Consilijs Jllustrissimi Ducis Bauariae, Patrono summe obseruando. Monachij.

Inscriptioni epistulae ab ipso Hundio (ut videtur) adnotatum est: „praesentatum Sussmerhausen [nunc „Zusmarshausen" in Suebia bavarica] 11. Julij anno 53."

131.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Vienna mense Iunio vel Iulio 1553.

Ex *Sacchino*, De vita Canisii p. 74—80. Cf. *Polanci* Chronicon III, 254. 255 et *Boero*, Canisio p. 106—108.

Se nolle episcopum viennensem constitui.

Christophoro Wertwein, episcopo neostadiensi, qui post mortem Friderici Nauseae etiam dioecesim viennensem administrabat, 20. Maii 1553 mortuo[4],

[a] *Hoc vocabulum a Canisio in margine ascriptum est.*

[1] Iulii III. [2] S. Ignatii.

[3] *Mayer* affirmat Hundium imperialis tantum iuris doctorem fuisse (l. c. p. 12. 307[1]). [4] *Wiedemann* l. c. II (Prag 1880), 65.

Burchardum van den Bergh, novercae Canisii fratrem et canonicum cathedralis ecclesiae (S. Stephani) viennensis, „subiit cogitatio“, inquit Sacchinus, „posse Canisium in vacuam sedem imponi. Quod cum Hieronymo Martinengo Apostolico Nuntio indicasset, et Caroli Caesaris legato Guilielmo a Pictauia, et Martino Gusmano Camerario Regio, omnes tamquam diuinitus iniectum consilium . . . suscepere.“ Cum autem nec Martinengus nec ipse Ferdinandus rex Canisium ad episcopatum accipiendum movere possent, Martinengus „literas ad beatum Ignatium exarat, per viscera misericordiae Christi Iesu obsecrans, et obtestans, Canisium ipse compelleret. . . Nihilo acriter minus pro se scripsit Canisius“.

Ignatius Canisio rescripsit 9. Augusti 1553. Ex qua re concludi potest Canisii litteras mense Iunio vel Iulio datas esse.

Narrat *Polancus* (l. c.): Cum Ferdinandus timeret, ne Canisius episcopatum recusaret, inter regem et nuntium convenisse, ut hic per litteras secreto a pontifice peteret, ut „in virtute obedientiae . . . P. Canisio jugum hoc imponeret“. Lanoium vero aliosque Socios, cum haec cognovissent, nuntium adiisse et rogasse, „ne inconsulto P. Ignatio hoc negotium urgeret“, explicata ei constitutione, qua Socii episcopatus admittere vetantur. Nuntius eos „ad prandium postridie ut venirent invitavit, ea de re fusius acturi. Voluit ergo rationes P. Canisii tunc audire, quas ille tam validas adduxit ut, prorsus mutata sententia, Nuncius non ipsi Pontifici sed P. Ignatio scribendum duxerit ea de re, quod et diligenter fecit.“ Acriorem illam disputationem, quae tunc inter Martinengum nuntium et Canisium orta est, ex Lanoii litteris exscripsit *Sacchinus* l. c. p. 76—79. Alia vide infra, monum. 101.

132.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Vienna sub medium annum 1553.

Ex *Polanci* Chronico III, 252.
Eadem fere narrant *Orlandinus* l. c. l. 13, n. 25, et *Sacchinus*, Can. p. 87.

A tota Societate sacrificia et preces pro Germania vult offerri.

„Visus est autem“, inquit Polancus, „tanta commiseratione dignus Germaniae status eidem Patri [Canisio], ut cum in Dei praesidio spem totam constitueret, rogaverit obnixe P. Ignatium ut singulis sacerdotibus Societatis injungeret Missae sacrificium pro Germania Deo offerre quo, placata ipsius ira propter Christi sanguinem, illis regionibus subvenire dignaretur; et ut alii fratres nostri semel singulis mensibus idem sacrificium[1] *cum eadem intentione Deo offerrent; et facile hoc a P. Ignatio impetravit.“*

Ignatius Canisio per Polancum rescripsit 25. Iulii 1553. Haud recte igitur *Sacchinus* affirmat hanc Canisii epistulam anno 1554 datam esse.

---

[1] Sic quidem Polancus; sed rectius Sacchinus: „certas preces“. Cf. infra p. 429.

133.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 27. Iunii 1553.

Ex adnotationibus, quas Polanci Chronico addidit eiusdem *editor* (Chronicon III, 257, adnot. 2, et 261, adnot. 2).

De compendio theologiae componendo et collegio Ingolstadii instituendo.

— — Sopra il compendio di theologia ho scritto al P. Laynez[1] et so che non ha bisogno di sperone, ma come è dotto et essatto, fa opera più lunga, della quale poi si habbia a cavare il compendio. Spero sarà opera utile al bene universale non solamente in Germania[2]. — —

Circa le cose d'Ingolstadio, staremo a vedere quello che faranno. Vostra Riverenza potrà mostrarli molto buona volontà et in Nostro Padre inclinatione a compiacerli; però intanto che finiscono alcuni li suoi studii et si mettono in ordine le persone, che potriano loro metter in ordine il collegio, etc. Sapienti pauca. — —

— — De compendio theologico ad P. Lainium scripsi[1], quem scio calcaribus non egere; sed cum hic doctus sit et subtilis, copiosius quoddam opus componit, ex quo deinde compendium illud excerpatur. Spero opus illud ad bonum universale utile fore non solum in Germania[2]. — —

Quod ad res ingolstadienses attinet, exspectabimus, quid illi agant. V. R. iis dicat et se promptae esse voluntatis et patris nostri animum propensum esse ad gratificandum iis; attamen, dum aliqui e nostris studia absolvant et homines isthuc mittendi seligantur, ipsos collegium parare posse etc. Sapienti pauca. — —

134.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

iussu S. Ignatii

CANISIO.

Roma 25. Iulii 1553.

Ex *adnotationibus,* de quibus supra dictum est (Chronicon III, 252, adnot. 2, et 263, adnot. 1).

Epistula usus est *Polancus* in Chronico III, 263.

Ignatium Canisii rogatu totam Societatem pro regionibus septentrionalibus sacrificia et preces in omne tempus offerre iussisse. De collegiis Ingolstadii, Romae, in Polonia, Leodii condendis.

---

[1] Cf. supra p. 411. 412. Lainius, quem S. Ignatius anno superiore Societatis praepositum per Italiam constituerat, Florentiae tunc agebat (*Boero,* Lainez p. 132).

[2] De hoc Lainii libro in secundo huius operis volumine plura dicentur.

— — Circa la gratia che di Nostro Padre voleva ottener la R. V. di far che ogni mese si dicesse una messa per li sacerdoti et li non sacerdoti facessino oratione per l' ajuto spirituale della Germania et altre regioni settentrionali, io ho parlato a Nostro Padre et li parse petitione molto giusta; et così m' ha ordinato ch' io lo scriva a tutte le bande, o vero alli Provinciali, et questo senza limitatione di tempo ma continuamente insin' a tanto che cessi la necessità, il che Dio N. S. ci lasci presto vedere. Amen [1].

— — et quanto al Collegio d' Ingolstadt mi rimetto a quello che si scrive per altra, et il simile dico se accadesse far Collegio in Polonia, che saria necessario trattener le cose qualche tempo, se le persone si hanno a mandar di Roma; perche questo Collegio, che adesso si comincia, come è per agiutar passato qualche tempo tutte le nationi con la divina gratia, così per adesso pare sia necessario le spoglii, per haver bisogno non solamente di mastri, ma etiam di optimi instituti [?] [a] [2]. Sicche di là è necessario si proveda alle cose di Alemagna per adesso. Questo ho detto perche V. R. in tal modo procuri la fundatione che per un poco di tempo faccia conto che non possono passar le montagne quelli che si trovano di qua. Il disponere però è bene, et anche il dar principio, se si può senza gente di qua mandata per adesso.

— — Quod R. V. a patre nostro petierat, ut singulis mensibus sacerdotes sacrificium et, qui sacerdotes non essent, preces offerre iuberet ad calamitates spirituales Germaniae et aliarum regionum septentrionalium sublevandas, eidem patri nostro, cum a me propositum esset, admodum iuste peti visum est; quare mihi mandavit, ut in omnes regiones vel ad praepositos provinciales litteras mitterem, quibus id praescriberetur non ad certum tempus, sed in omne tempus, donec necessitas ista cessaret; quod quidem Deus brevi nobis videre concedat. Amen [1].

— — et de collegio ingolstadiensi R. V. videat, quae aliis litteris scribuntur, atque idem dico, si quod forte collegium in Polonia condendum sit: oportere vos res ad aliquod tempus extrahere, siquidem Roma homines isthuc mittendi sint; nam collegium hoc, quod nunc incohatur, sicut post aliquod tempus omnes nationes, Deo propitio, adiuturum est, ita nunc eas spoliare debere videtur, cum non solum praeceptoribus, sed et scholasticis [?] [a] optime institutis indigeat [2]. Ipsi vos igitur isthic in praesens rebus Germaniae consulere debetis. Atque haec dixi, ut R. V. collegium istud fundandum curaret ita, ut simul brevi tempore ob oculos sibi poneret, montes transcendere non posse eos, qui hic sunt. Iuvat tamen res praeparare atque etiam incohare, si non requirantur homines hinc ad vos mittendi.

[a] *Sic; sed legendum videtur:* scholari optime instituti. *Cf. infra, adnot. 2.*

[1] Polanci litterae, hac de re 25. Iulii 1553 Ignatii nomine ad omnes Socios datae, proponuntur in „Cartas de *San Ignacio*“ III, 410—411, et a: *R. Menchaca,* Epistolae S. Ignatii Loiolae (Bononiae 1837) p. 496—497; *Genelli* l. c. p. 360—361; *Dan. Bartoli* S. J., Vita di S. Ignazio IV, 21 (Opere vol. 2 [Torino 1825] II, 93—94).

[2] „Collegium Romanum . . . eo tempore quo, non solum praeceptoribus indigeret, sed et scholasticis bene institutis, potius spoliare (ut ejus [i. e. Ignatii] verbo utar) alias provincias quam novos operarios ad eas mittere debebat“ (*Polancus,* Chronicon III, 263).

In Leodio sarebbe più facile provedere di qualche persona per dar principio, massime rimandandosi adesso verso quelle bande il P. Maestro Quintino[1]. Con questo ho gran confidenza in Dio che presto habbia a suscitar operarii molti et fedeli la divina sapientia.

Leodiensibus facilius dare possemus, qui collegium incoharet, praesertim cum P. Magister Quintinus[1] nunc in eam provinciam remittatur. Ego multum in Deo confido divinam sapientiam brevi multos fidelesque operarios excitaturam esse.

135.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma 27. [25.?] Iulii 1553.

Ex *Gothein* l. c. p. 398—399; qui p. 789 n. 140 asserit se ea ex „München I. S." hausisse.

„Nach Wien", inquit ille, „schrieb" Ignatius am 27. Juli 1553 „an Canisius einen scharfen Tadel: ‚Weder das Wiener Dominikanerkloster noch das anderer Mönche dürfe ohne Zustimmung derselben, d. h. der geordneten Vorgesetzten, übernommen werden, damit sie nicht sofort mit ihren Klagen nach Rom liefen; denn in Rom seien derartige Zwistigkeiten mit Mönchen nicht eben erwünscht.'"

Fortasse haec epistula eadem est atque ea, quae eam proxime antecedit, 25. Iulii 1553 data.

Plura hac de re ex Polanco atque etiam ex ipso Canisio audiemus infra.

136.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 9. Augusti 1553.

Prior epistulae huius italice scriptae particula deprompta est ex versione vel summario latino, quod Monachii (ut videtur) repertum posuit *A. v. Druffel*, Ignatius von Loyola an der Römischen Curie (München 1879) p. 41[58]; posterior, quae harum „litterarum postrema verba" sunt, ex *adnotationibus* ad Polanci Chronicon III, 264, adnot. 3.

Eiusdem epistulae summaria posuerunt *Polancus*, Chronicon III, 264, et *Sacchinus*, Can. p. 81—82, atque ex Sacchino *Riess* l. c. p. 118.

Quid Canisio, si pontifex episcopatum viennensem ei imposuerit, agendum sit.

[1] Charlat; de quo vide supra p. 108[4]. Guilielmus de Pictavia, „archidiaconus ecclesiae leodiensis", a Carolo V. Viennam ad negotia quaedam transigenda missus, ibidem anno 1553 „de Collegio Leodii instituendo, serio agebat; prius tamen ad se mitti duos operarios exoptabat ut, cum de populo bene mereri cernerentur, collegii hujus fundationem faciliorem redderent" (*Polancus* l. c. III, 262—263).

V. R. bono animo et forti perseveret in non acceptando episcopatum. Et licet in virtute obedientiae per Breve aliquod aut literas papa iniungeret, poterit nihilominus R. V. sese excusare, Breve illud capiti imponendo in signum obedientiae, dicendo tamen, informare prius velle S. Sanctitatem de defectibus suis. Poterit etiam extendere se [?][a] constitutionibus nostris teneri[1], nec posse absque superioris licentia acceptare eum, qui obligatus non sit ab eo, qui sub peccato mortali obligare potest, et cum effectu uti hic decisum est, discussa studiose hac materia. V. Reverentia absque ullo peccato, imo cum merito dilationem interponere potest post papae imperium, donec ipsemet papa informatus sit per nostrum superiorem. — —

Più presto facciano [Vescovo di Vienna] qualch' uno da bene, qual si voglia, et si offerisca la R. V. alle fatiche del Vescovo, senza il nome nè entrata etc.[2]

137.

CANISIUS

WENDELINAE CANIS,

novercae suae.

Vienna 20. Augusti 1553.

Ex versione gallica archetypi vlamici, ab anonymo facta et edita in „*Collection de Précis historiques*" XXV (Bruxelles 1876), 28—29; cf. supra p. 72.

Novercam rogat, ut filium Ottonem Viennam venire permittat; se Ottoni patrem futurum. Eandem hortatur, ut Annae evangelicae exemplum sequens curas humanas omnes abiciat et Deo soli vacet.

Jésus.

Chère Mère, que la grâce de Dieu vous conserve!

J'ai résolu avec notre cher docteur M. Burchard[3], qu'il amènerait mon frère Othon à Vienne[4], si vous vouliez le laisser voyager et me le remettre comme à son père et tuteur. C'est pourquoi, je vous

Iesus. Carissima mater, gratia Dei te conservet. Cum caro doctore nostro M. Burchardo[3] constitui, ut ipse Othonem fratrem meum Viennam adduceret[4], si tu abeundi licentiam Othoni dare eundemque mihi tamquam patri ac tutori committere velles. Hac de causa te, carissima mater, rogo, ut iuvenem illum Deo omni-

[a] *Sic Druffel; sed legendum esse videtur:* exponere, se.

[1] Cf. supra p. 373[5].

[2] Id est: Creetur potius vir probus qualiscumque [episcopus viennensis], et R. V. se offerat ad munera officii episcopalis obeunda ita, ut nec nomen episcopi habeat nec reditum etc.

[3] Burchardum van den Bergh, novercae fratrem et canonicum viennensem, dicit; de quo supra p. 116[2]. 427.

[4] Vide supra p. 420[1].

prie, Chère Mère, de vouloir bien confier entièrement ce jeune homme à Dieu tout-puissant et à ma fidélité. Si vous pensez que je ne me conduirai pas bien envers mon cher frère, ou que je lui imposerai [de] trop [lourdes charges] en jeûnes, vœux, etc., tenez et considérez cela comme une tentation, née vite et facilement dans le cœur d'une mère. Mais, n'en doutez pas, je ne veux pas vous tromper; je veux tenir et garder mon frère de manière qu'il n'ait jamais à se plaindre de moi. Et que ceci soit dit et écrit une fois [pour toutes] en réponse [générale] à mes amis, qui ne pourraient équitablement prendre cette affaire à cœur sans penser à mon occasion ce que dictent le droit et le Christ, comme je l'ai montré dans d'autres lettres et comme M. Burchard l'expliquera davantage de vive voix.

Très-Chère Mère, conservez la patience et la mansuétude sous la croix, et pensez à la parole du Seigneur: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium[1]. Plus vous aurez de souffrances et de tribulations, plus vous serez disposée par le Seigneur à laisser le rôle de Marthe pour prendre celui de Madeleine. Vous serez donc diligente et vous vous exercerez dans la prière et dans la piété aux pieds du Seigneur[2]. Pourquoi donc voulez-vous tant vous occuper d'affaires commerciales et.... Toutes choses cependant doivent rester ici et redevenir terre[3]. Le temps est court, la mort certaine et l'âme vit éternellement ou dans la joie céleste ou dans la peine de l'enfer. Laissez le monde être le monde, et imitez la veuve évangélique Anna qui restait jour et nuit dans le temple, jeûnant et priant, servait ainsi Dieu[4] avec un cœur libre de tous soucis et se préparait de

potenti ac fidei meae plena fiducia demandes. Si tibi in mentem veniet me carissimum fratrem haud liberaliter habiturum vel nimia ei onera iniuncturum ieiuniorum, votorum etc., hanc malam censeto esse tentationem, quae cito facileque in materno animo oriatur. Certum autem tibi sit nolle me tibi imponere; fratrem ita habebo et custodiam, ut numquam me incusare possit. Et haec respondere et rescribere volui semel, ut semper ante oculos posita essent amicorum, qui in hac causa administranda certe iniuriam mihi inferrent, nisi secum reputarent, quid ius postulet, quid Christus ipse. Quod et aliis epistulis exposui et M. Burchardus coram explicabit uberius.

Patientiam, carissima mater, et mansuetudinem in calamitatibus serva, et memor esto verborum domini: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium[1]. Quanto plures aerumnas et miserias accipies, tanto magis a domino paraberis ad Magdalenae partes suscipiendas, relictis partibus Marthae. Domini igitur pedibus advoluta in precationem et pietatis studia diligenter incumbas[2]. Cur nam tantae tibi curae est mercatura et . . ., cum omnia isthic relinqui et in terram suam reverti[3] oporteat? Tempus breve est, mors autem certa, et anima in aeternum vivet, aut deliciis abundans in caelo, aut tormenta sustinens in locis infernis. Res humanas sine esse humanas, et evangelicam illam viduam imitare Annam, quae non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die[4], curis omnibus abiectis, sicque ad

[1] Luc. 10, 41. 42. [2] Cf. Luc. 10, 39. [3] Eccles. 12, 7. Gen. 3, 19 etc. [4] Luc. 2, 37.

la sorte à une sainte mort. Jusqu'ici vous avez donné et consacré au monde et à vos enfants tant d'années de travail et de fatigue. Ce sera chose très-équitable si Dieu devient maintenant votre très-cher [époux], si vous vous appliquez vous et votre cœur à le servir, à faire sa volonté et à suivre ses avertissements, et si vous laissez les morts enterrer les morts[1]. Ah! puissiez-vous bien considérer comment la pauvre âme se sépare du corps et paraît devant le Juge sévère pour recevoir sa récompense! En vérité, vous vous débarrasseriez des soucis et des affaires et vous vous laisseriez aller. Dieu veuille vous éclairer de l'Esprit-Saint ainsi que vos amis, pour l'amendement de votre vie! Amen. A Vienne, le 20 août 1553.

Votre obéissant fils dans le Christ,
Pierre Canisius De Nimègue.

A ma Chère Mère Veuve de M. Jacques Kanijss, à Nimègue.

---

mortem sancte obeundam se praeparabat. Usque adhuc in res humanas atque in liberorum salutem tot annis laborem operamque impendisti. Aequissime proinde facies, si nunc Deum habebis sponsum et in id incumbes, ut ei servias ad eiusque voluntatem et praecepta te fingas, ac dimittes mortuos sepelire mortuos suos[1]. Utinam bene consideres, quomodo misera anima nostra a corpore separetur et severo illi iudici ad mercedem accipiendam sistatur! Ab omnibus certe curis et negotiis te abduceres ac tui iuris esse velles. Deus per Spiritum sanctum a tuo tuorumque animis caliginem depellat, ut ad meliorem in dies frugem vos recipiatis. Amen. Viennae 20. Augusti 1553.

Filius tibi oboediens in Christo
Petrus Canisius Noviomagus.

Carissimae matri meae, viduae M. Iacobi Canisii, Neomagi.

138.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Vienna 24. Augusti 1553.

Periisse quidem videtur haec epistula; quid vero continuerit, partim cognosci potest ex nn. 564 et 586 tomi tertii Chronici a *Polanco* conscripti (Matriti 1895) p. 251—252. 263; ubi Chronici editor (l. c. p. 252, adnot. 1 et p. 263, adnot. 1) haec adnotat: „De iis [n. 564] scripsit Canisius Ignatio 24 Augusti [1553], cui respondit, ex com., Polancus 19 Sept. ejus animum erigens“ etc., et: „De iis [n. 586] Canisius certiorem fecit Ignatium per litteras ad eum datas 24 Aug. [1553], ut ex Ignatii responsione 19 Sept. missa constat.“

Cf. *Polancum* l. c. III, 256 et *Orlandinum* l. c. l. 13, n. 24.

Canisius cum aliis universitatem viennensem „visitat“. Dolet haereticos in ea professores tolerari. Collegium lovaniense.

---

[1] Matth. 8, 22.

Anno 1553 „occupatio quaedam", inquit Polancus, „P. Canisio Regis nomine injuncta est, simul cum Episcopo Trigestino[1] *hispano (ad Calaritanum Episcopatum is deinde translatus est), et quibusdam consiliariis, ut scilicet Universitatem ad aliquam reformationis formam in quavis facultate et collegio adducerent*[2]. *Sed non magnopere sibi P. Canisius id, in quod per tres hebdomadas incubuit, satisfecit*[a]; *ea enim erat quorumdam dexteritas ex ejus sociis in visitandi munere, ut sine scrupulo haereticos etiam professores publicos, si docti essent, in quavis facultate vellent admittere, dummodo quisque intra limites suae professionis se contineret, et ita hic litteras graecas, ille jus civile, et alia hujusmodi, interpretarentur, ut nihil contra fidem catholicam attingerent. Sed hoc parum P. Canisio probabatur, cum negotio fidei ac religionis male admodum ea ratione consuleretur; et quamvis in corpus facultatis theologicae admissi nostri essent, et officium Decanatus et alia hujusmodi obire possent, non tamen impedire omnia mala, quae ipsis displicerent, ea ratione poterant; licet multa sane impedierunt et in dies impediunt."*[3] — —

„Curatum est a nostris [viennensibus] ut Regia Majestas oratori jam dicto [Guilielmo] de Pictavia commendaret ut facultatem ad erigendum Collegium Lovaniense obtineret."[4]

S. Ignatius Canisio per Polancum rescripsit 19. Septembris 1553.

139.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 19. Septembris 1553.

Ex adnotationibus Chronico Polanci ab eiusdem *editore* additis (Chronicon III, p. 252, adnot. 1; p. 255, adnot. 3; p. 262, adnot. 3).

De universitate et nobilium contubernio viennensi; quomodo cura habenda sit valetudinis P. Lanoii.

Cum Canisius litteris 24. Augusti 1553 ad S. Ignatium datis questus esset, quod in universitate viennensi tam multa adversus reli-

[a] *Sic; fortasse legendum:* P. Canisius per id, in quod *etc.*

[1] Episcopatui huic (Tergeste, Trieste) tunc praeerat Antonius Perragues et Castillejo O. S. B., vir doctissimus.

[2] De opera, quam Canisius universitati viennensi reformandae navavit, plura dicentur infra, monum. 87—89.

[3] Polancum circa annum 1573 haec scripsisse patet ex eius Chronico III, 250.

[4] Cf. supra p. 430. A Maria regina Hungariae, quae tunc Belgium gubernabat, hanc facultatem sive „privilegium manus mortuae" impetrare conabantur. Cf. *Delplace,* L'établissement etc. p. 10.

gionem catholicam patrarentur neque a Sociis impediri possent, ei „respondit, ex com., Polancus 19. Sept. ejus animum erigens et in spem adducens fore ut, si in bono proposito perseveret, non inutilis ejus labor evadat."

— — Circa il P. Dottore Lanoy [1] ordina Nostro Padre che si faccia congregatione delli nostri et in quella si faccia elettione d' una persona quale habbia tutta l' authorità di Nostro Padre, quanto al governo del corpo suo sopra il P. Rettor; et la tal persona eletta [2] procuri ben intendere quello [che] conviene alla sanità del P. Rettor et quello li farà esseguire — —

— — De P. doctore Lanoio [1] pater noster constituit, ut nostri in unum collecti eligant, qui in iis, quae ad corporis curam spectant, omnem patris nostri auctoritatem in P. rectorem habeat; inquirat ille [2] diligenter, quaenam P. Rectoris valetudini conveniant, eaque ab ipso adhibenda curet — —

„De convictorio Viennae instituendo saepius toto hoc anno [1553] scripsit, ex com., Polancus Patribus Canisio et Launoyo, praesertim vero 19 Sept." [3]

Canisius Polanco rescripsit 12. Octobris 1553.

140.

CANISIUS

P. IOANNI DE POLANCO,

Societatis Iesu secretario.

Vienna 12. Octobris 1553.

Ex archetypo (2°; pp. $1^1/_2$; in p. 4. inscr. et particulae sig.); Canisius sua manu subscripsit tantum atque inscripsit.

Particulam epistulae edidit *Boero*, Can. p. 98—99, alteram, germanice versam, Card. *Steinhuber* l. c. I, 16.

Epistula usus est *Polancus*, Chronicon III, 262.

Sancto Ignatio gratias agit, quod se ab episcopatu viennensi tueatur. De collegii germanici initiis; se litteras exhortativas pro eodem conscripturum; Germanos ab eo alieniores esse. Viennae domum aperiendam esse, in qua pueri nobiles a Sociis educentur. Iuventutem misere corrumpi. De contionibus et scholis suis, compendio theologico a Lainio componendo, amicis. Preces et alia petit.

---

[1] „Erat alioqui P. Lanoyus tam laboriosus, et tam parum sibi parcebat, quo exemplo aliis praeiret, ut etiam P. ipse Canisius commonefaciendum illum serio existimaret": *Polancus*, Chronicon III, 255.

[2] „Ad hoc officium electus fuit magister Erardus Avantianus": *Polancus*, Chronicon III, 255.

[3] „Placuit P. Ignatio, ut hujusmodi collegium externorum [iuvenum nobilium] inchoaretur": *Polancus* l. c. III, 262. Plura infra p. 437—438.

—: Ihesus :—

Molto Reuerendo in Christo .P. mio

La gratia et pace di Nostro Signore IHESV Christo, sia con noi sempre. Amen. Ho receuuto duoe[a] copie da parte del nostro R. P. preposito, et l'ultima con la sua lettera principale era scritta alli .19. di Settembre. Ringratio alla summa bonta infinitamente circa il Vescouato di Vienna, per che il R. P. preposito piglia quella cura et diligenza, per defendermi contra quella tentatione et tempesta pericolosissima, si fusse successa. Nunc in portu nauigo sub optimo et fidissimo Gubernatore.

Quanto al Collegio Germanico, per che fin' a qui son stato vn poco infermo, no ho ben possuto scriuere quella lettera eshortatoria, pur farro presto, poi che mi truouo meglio con la gratia del omnipotente [1]. Et accio V. R. non marauiglia per che non hauemo procurato qualche suppositj di Austria per il detto Collegio. Sappia che la dispositione de tal gente per mandar in Roma, sia qui molto difficile, et che sia cibo troppo difficile a digerire alli Tudeschi, sottometterse alli conditioni fatti nel Collegio, principalmente quando sentino la obligation', la qual si ha de far alla sua sanctita [2]. Et vero, e, che non sapemo fin a quj chiaramente, con che conditione li Scholari ci hanno lla da receuere, et, come intendemo, il numero fin, a, qui, e, poco, et il

Iesus. Valde reverende in Christo pater. Gratia et pax Iesu Christi domini nostri semper nobiscum sint. Amen. Duo litterarum exempla mandatu R. P. praepositi nostri missa accepi, quorum posterius una cum epistula eiusdem principali datum erat 19. Septembris. Quod ad episcopatum viennensem attinet, summae bonitati immensas gratias ago, quod R. P. Praepositus tanta cura et diligentia contra tentationem hanc atque incursionem me tueatur, quae, si prospere successisset, in summum certe discrimen nos vocasset. Nunc in portu navigo sub optimo et fidissimo gubernatore.

Ad collegium germanicum quod attinet, cum adhuc usque leviter aegrotarem, exhortativas illas litteras scribere haud facile potui; scribam autem proxime; omnipotenti enim Deo iuvante melius valeo [1]. Ne autem R. V. miretur, quod collegio illi Austrios nondum subministraverimus, haec sciat: Huius regionis homines ad suos Romam mittendos difficillime adducuntur, ac condiciones in collegio illo latas accipere, cibus est difficilior, quam ut a Germanis concoqui possit, praesertim cum audient collegii alumnos summo pontifici se obstringere debere [2]. Quamquam nondum clare cognovimus, qua lege scholastici isthic recipiendi sint; eosque adhuc paucos

[a] *Corrigere quicquid in hac et similibus epistulis contra grammaticam et orthographiam italicam peccatum est, infinitum foret.*

[1] Litterae significari videntur, quibus Ferdinandus rex vel etiam alii principes, episcopi, nobiles etc. invitarentur ad collegium illud dotandum vel saltem pecunia adiuvandum; cf. Card. *Steinhuber* l. c. I, 12—13.

[2] Iusiurandum, quo tunc fidem suam sedi apostolicae obligare debebant, ponunt: *Cordara* l. c. p. 14; *Aug. Theiner*, Geschichte der geistlichen Bildungsanstalten (Mainz 1835) p. 88—89; *Pachtler*, Ratio Studiorum I, 382. Primas collegii constitutiones ab ipso S. Ignatio conscriptas proponunt: *Cordara* l. c. p. 49—52; *Theiner* l. c. p. 409—415; *Pachtler* l. c. I, 375—382. Cf. *Steinhuber* l. c. I, 19—22.

successo in molti Tudeschi senza frutto. Vnde desideramo sopra di cio magior declaration di .V. R.

Circa il Reuerendo P. nostro Rectore farro metter in essecutione della persona, la qual habia Gouerno circa la sanita sua.

Scrisse al ultimo di una casa per nutrir et instituir la Juuentu [1], con tal' intentione, accio V. R. piu chiaramente mi intenda, volessimo delli piu ricchi et nobilj Giouanj li quali facilmente si troueranno, pigliare alcuno numero et metter li insieme in vna casa vicina quanto fusse possibile, et nutrir li alli spesj loro, et darli vn Rectore delli nostri, il quale li tenesse in buono gouerno del anima et del cuorpo, et stesse con loro presente poi che non fusseno occupati nelle classe. Questo (come e da sperare nel Signore) darebbe bon odore et essempio a molti, e forzi adiutara li altrj Collegij doue tanto male si nutrisce la Juuentu nelli Heresie et mali costumj. Talmente, che e, gran cosa et degna di pianger, sentire et veder ogni dj come la misera Juuentu per la malitia, o, miseria di preceptorj si corrumpino et vanno di mal in pegio, non sapendo che sia altro et meglior modo di insegnar la nobilita catolicamente. Vero, e, che questo assumpto non si piglia con fine et proposito di augmentar la Compagnia nostra, la qual in questi tempi, troua qui, et in altri logi di Almania moltj impedimenti, tanto nelli grandi, quanto nelli picolj, sicome sa V. R. Pur per il ben commune, e per guadagnar le anime delli parenti et

---

esse audimus, atque in multis Germanis vos frustra operam consumere. Hac igitur de re copiosius a R. V. instrui cupimus.

Ad effectum adducam, quae nobis praescripta sunt de eo, qui reverendum patrem rectorem nostrum gubernet in rebus valetudinem ipsius spectantibus.

Postremis litteris de domo scripsi, in qua iuventus ali atque institui posset [1]. Quod quo melius R. V. intellegat, haec addo: Ex opulentissimis et nobilissimis pueris (qui quidem reperiri facile poterunt) selectos aliquos in domo aliqua, quantum fieri possit, vicina collocare et suis ipsorum pecuniis alere atque aliquem e nostris iis praeficere velimus, qui eorum et animis et corporibus bene consulat atque una cum iis sit, cum in scholis non occupentur. Ac spes est in domino hac re bonum odorem bonumque exemplum multis praebitum iri ac fortasse cetera collegia adiutum iri, in quibus adulescentes in haeresibus vitiisque pessime enutriuntur. Grave certe est et luctuosum, cotidie audire et videre miseros adulescentes praeceptorum malitia vel improbitate pessum euntes ac de malo in peius ruentes neque scientes aliam eamque meliorem exstare rationem nobilium catholice instituendorum. Verum quidem est hos conatus non ea mente fieri, ut Societas nostra augeatur, quam hocce tempore et hic et aliis Germaniae locis multum impediri tum in magnis tum in parvis R. V. novit. At si bono publico servire et parentum procerumque

---

[1] Iam in domo Sociis vicina 50 fere adulescentes erant, regis iussu ex eius provinciis Viennam missi et theologicis studiis destinati; qui ut ad pietatem a suis praeceptoribus rite instituerentur, P. Claudio Iaio cordi erat (*Litterae quadrimestres* I, 456—457; II, 19—20). Affirmat vero *Polancus* horum iuvenum, e quibus multi „male instituti“ accessissent, „rectores“ non fuisse eos, „a quibus emendari possent“. „Dicebant eorum quidam: quid vultis audire conciones magistri Canisii? papista est. Et haec erat ratio cur aliqui cum nollent audire“ (Chronicon II, 271. 580).

Signorj, et per adiutar nostri classj, e per conseruar la juuentu, et per confermarla nella fede, credo et spero nel Signor, che questo modo predetto saria non poco utile, e, conueniente. Altramente si vede chiaramente, che noi non siamo bastanti per questa via delli classi de conseruar et nutrir, la Juuentu nella fede, et religione Catolica, Tanta corruttione si troua nelli parentj, amicj, et compagnj. Ma per che la diuisione della Casa nostra non si ha possuto fare fin a qui [1], non si troua dispositione di cominciare questa opera inanzi li Inuerno, et cossi staremo espettando la resposta, del nostro Reuerendo P., et forse con la gratia di Christo, lo cominciaremo con il nouo anno.

Prego V. R. specialmente, che habia recommandato nelli soi sancti orationi, il mio Fratello Ottone, il qual ogni di qui si espetta per star con meco. Idio li dia gratia, che sia sanctemente ingannato et messo cattiuo in quel Giardino della sancta obedienza. Io anche non meno desidero, li sancti sacrificij et orationj di V. R. principalmente, accio li mei pochi fatige nel predicar inanzi la sua Magesta [2], per leger ordinariamente in Theologia, siano grate, alla sua diuina Magesta, et utili per li Tudeschi. li qual anche prego che stiano sempre nelli orationi di casa, con tutta la Germania.

Item molto raccomendo alla V. R. il Compendio del Reuerendo

---

animas lucrari, si scholas nostras iuvare et iuventutem in fide conservare et confirmare volumus, credo et spero in domino eam, quam scripsi, agendi rationem nobis valde utilem et convenientem fore. Alioqui patet solis hisce scholis nos non satis effecturos esse, ut adulescentes in fide et religione catholica conserventur et nutriantur: adeo eorum parentes, amici, socii perditi sunt et corrupti. Sed quia usque adhuc in separatam domum migrare non potuimus [1], hoc opus ante hiemem incipere non libet, ideoque reverendi patris nostri rescriptum exspectabimus, ac fortasse, Christo iuvante, initio novi anni rem aggrediemur.

R. V. speciatim rogo, ut sanctis suis precibus Ottonem fratrem meum commendatum habeat, qui singulis diebus hic exspectatur mecum futurus. Deus ei concedat, ut pia quadam suasione missus in reticulum in hoc horto sanctae oboedientiae captus detineatur. Nec minus ego ipse R. V. sancta sacrificia precesque expeto, imprimis, ut exigui labores, quos contionando coram regia maiestate [2] et ordinariam theologiae scholam habendo sustineo, maiestati divinae grati et Germanis hisce utiles sint; pro quibus atque etiam pro Germania universa domi vestrae semper, quaeso, precationes fiant.

Item R. V. compendium a reverendo patre M. Lainio conscribendum valde

---

[1] Socii partem monasterii Dominicanorum tenebant. „Quia tamen ad juventutem instituendam procul a frequentia urbis illud monasterium Sancti Dominici erat, Regi Ferdinando ut de loco commodiori prospiceret suggesserunt“: *Polancus* l. c. II, 570.

[2] Episcopo viennensi, contionatore suo ordinario, defuncto „secundo festo Pentecostes“ (qui dies 22. Maii erat) anni 1553 Canisium „audire Rex voluit; et, ut Nuncius Apostolicus et Venetorum orator [Michael Surianus] referebat, Regi valde placuerat; et, cum die sequenti etiam concionatus esset, futurus ordinarius concionator Regis videbatur“ (*Polancus* l. c. III, 244—245). *Erardus* autem *Avantianus* S. J. Vienna 1. Septembris 1553 S. Ignatio scripsit: „P. Canisio tamquam ordinario concionatore a festo Pentecostes hactenus usa est Regia Majestas, dominicis ac festis diebus“ (Litterae quadrimestres II, 376).

P. M. Laynez. Et stamo molto desiderosi al pigliar gosto della opera. Oltro di questo V. R. per amor de dio si racordi delli gratie per alcuni Neouiomagiensi per che, per li altrj soi lettere V. R. promisse la diligenza sua, benche (come credo) sia difficile di obtinere questa faculta. Io mi rimetto in tutto, et da cuore desidero li orationi di V. R. per me et per l'almania et cossi anchora delli Reuerendi P. M. Miona [1], P. Pontio [2], P. Natali, P. Ollaue, P. Scorrichio, P. Victoria [3], P. Benedetto [4], al quale hora non ho potuto responder, con tutti altri Padri et fratelli charissimi di casa. Il Signore ci conseruj et augmenti sempre nella sua sancta gratia! Viennae .12. di, de Octobre 1553: Di V. Reuerenda Pat.

Figliolo indegno
Pet. Canisio.

† Al Reuerendo Padre mio in Christo M. Giouan Polanco della Compagnia de IESV, Jn Roma.

S. Ignatius Canisio rescripsit 29. Novembris 1553.

---

commendo; quo libro frui vehementer cupimus. Praeterea R. V. per Dei amorem rogo, ut gratiarum meminerit, quas pro Noviomagis quibusdam petii; prioribus enim litteris operam tuam promisisti; quamquam eam facultatem difficulter impetrari existimo. Ego arbitrio tuo totum me permitto atque ex animo desidero, ut R. V. pro me et pro Germania Deum precetur utque idem faciant reverendi patres M. Miona [1], P. Pontius [2], P. Natalis, P. Olavius, P. Schorichius, P. Victoria [3], P. Benedictus [4], cui nunc non potui rescribere, cum ceteris omnibus, qui tecum sunt, patribus et fratribus carissimis. Dominus sanctam suam gratiam semper in nobis conservet et augeat. Viennae 12. Octobris 1553. Reverendae paternitatis vestrae

Filius indignus
Pet. Canisius.

Reverendo patri meo in Christo M. Ioanni Polanco, Societatis Iesu, Romae.

141.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 23. Novembris 1553.

Ex *adnotationibus* additis Polanci Chronico III, 244, adnot. 1. („Polancus, *ex com.,* Patri Canisio, 23 Nov.")

---

[1] Emmanuel Miona Compluti et Parisiis S. Ignatio a sacris confessionibus fuerat; a quo postea in Societatem admissus est (*Orlandinus* l. c. l. 1, n. 123).

[2] P. Pontius Gogordanus anno 1549 Romae rem domesticam Societatis administrare coeperat (*Orlandinus* l. c. l. 9, n. 4).

[3] Petrus Schorichius et Ioannes de Victoria Vienna Romam missi erant. Cf. Cartas de *San Ignacio* III, 404—405 et *Polanci* Chronicon II, 581; III, 253.

[4] Benedictus Palmius a. 1548 cum Canisio magister fuerat Messanae et a. 1553 Romae sermones sacros habebat (*Orlandinus* l. c. l. 8, n. 13; l. 13, n. 6).

— — Quì si manda un Giubileo[1], cui tenore vederanno le RR. VV. et lo potranno publicare come si giudicherà conveniente. — — —

— — His litteris iubilaeum[1] adiungo, quod RR. VV. perlectum promulgare poterunt ea ratione, quae videbitur esse aptissima. — — —

142.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma 29. Novembris 1553.

Ex apographo recenti, quod nuper a P. *Theodoro Granderath* S. J. collatum est cum apographo sub medium saeculum XVII. scripto, quod exstat in historia manu scripta collegii germanici et hungarici Urbis, a P. *Guilielmo Fusban* S. J. a. 1655—1662 in ipso illo collegio composita (I, 4); quae in archivo eiusdem collegii superest.

Epistulam hanc seu potius hoc epistulae fragmentum germanice vertit et integrum primus typis exscripsit Card. *Steinhuber* l. c. I, 17—18. Maior fragmenti pars ex codice patris Fusban typis descripta est a *Cordara* l. c. p. 20 et ex Cordarae libro transcripta in „Epistolas S. Ignatii" editas a *Menchaca* l. c. p. 197—198, et in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 439. 87—88.

Collegii germanici iuvenes liberaliter tractari et bene proficere. Aliquot in illud iuvenes mittendos esse.

— — Collegium Germanicum, quod attinet, minus prosperum illius successum (si non est inimicus ille homo[2]) quis spargat nescio. Secundum sane cursum, aspirante Deo, ex sententia tenet. Iniquissimis hisce temporibus omnino nihil Alumni desiderant, quod ad vitae necessitatem, uel morum, litterarumque profectum faciat[3], qui praesentes in Collegio sunt triceni, suas in classes pro doctrinae varietate distributi, spem de se praebent futurum esse[a], ut praeclari ad Dei gloriam evadant. Etiam atque etiam numerum augere cuperemus bonorum. Insolens quispiam, inter meliores admissus, iterum demissus[b] est. V. R. in id incumbat, vt adolescentes aliquot frugi seligat, ad nos mittendos. Tam paucis hic[c] adstringuntur, opinione nostra, ut miremur aequo grauiorem disciplinam et obligationem uideri. Quot[d] hebdomadis ad suburbanos agros, animi causa bis concedunt. Nulla tractantur asperitate, imo maxima potius liberalitate, modo ut cum aedificatione vitam instituere velint[e]. Quanta uero

[a] *Cord. om.* esse.
[b] *Sic apogr. antiquum; sed cum Cord. legendum videtur:* dimissus.
[c] hi *Cord.* [d] Singulis *Cord.*
[e] *Quae sequuntur, a Cordara posita non sunt.*

[1] De hoc vide infra p. 442[1]. [2] Matth. 13, 28. 39.
[3] Collegium maxime de pecunia laborabat: ex Germania enim nil sperari poterat; ac Iulii III. pontificis aerarium bello parmensi exhaustum erat (*Steinhuber* l. c. I, 7).

fruantur opportunitate studiorum in Collegio nostro, cui contigui sunt, adiunctus hic catalogus docebit[1]: credo hic unius anni spatio plus, quam alibi duorum profecturos. — —

Cordara existimare videtur epistulam hanc circiter finem a. 1555 datam esse; quod tempus etiam Menchacae et editori operis „Cartas" etc. probatur. Sed in codice Fusbani dies 29. Novembris 1553 ei adscriptus est; atque hoc tempus rebus, quae de collegio germanico hic scribuntur, melius congruit quam illud, et etiam ab emin. Cardinali Steinhuber, historiae eiusdem collegii peritissimo, ponitur.

Quae hic de alumnorum profectu, rusticationibus etc. scribuntur, iis valde similia sunt, quae Ignatius Roma 2. Ianuarii 1554 de collegio illo ad omnes Societatis praepositos et rectores scripsit[2]. Ceterum cf. infra p. 505.

143.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Annis 1553 et sequentibus.

Ex *Polanci* Chronico III, 258—259.

De modo, quo collegium viennense certo reditu stabiliendum sit. Aliorum ordinum monasteria non admittenda nisi ipsis consentientibus. De universitate.

Quae in Polanci Chronico „n. 578 dicuntur", inquit Chronici editor (l. c. p. 259, adn. 2), „reperire est iterata saepius ab Ignatio aut ex Ignatii commissione a Polanco litteris ad Launoyum et Canisium toto hoc anno et sequentibus datis". Polancus autem illo loco haec refert: „Pater quidem Ignatius probavit quod nostri [Viennenses] serio de collegii dotatione ac fundatione agerent; et, quamvis certum locum non haberent, suggessit applicationem redituum fieri posse collegio erecto, vel erigendo, si cito obtineri proprius locus non potuisset; nec improbabat divisionem monasterii [alicuius ex iis, quae mendicantium ordines Viennae habebant, a capitulo generali ordinis vel summo pontifice impetrandam[3]], dummodo ad tempus id fieret, donec locum commodum, ac omnino suum, collegium haberet; quem si aliqua occasio obtulisset, eam esse amplectendam [censebat]. Utcumque autem res esset cum Pontifice transigenda, non per nostros, quia res odiosa videbatur, tractandam esse sentiebat, sed a Rege ipso et per ipsius ministros hoc tractari oportere; et si locus religiosorum obtinendus erat, ne sine ipsorum consensu admitteretur, admonuit. Quod si ex reditibus ecclesiasticis, qui ad Regis manum devenerant, et non ex patrimonio Archiducali Austriae dotatio facienda erat, curandum esse ut eo in loco bona assignarentur, ubi facile exigi reditus possent; et largius censebat ex talibus reditibus usurpatis do-

---

[1] „Catalogum lectionum" collegii romani significat; cuius nescio num ullum supersit exemplum. [2] Cartas de *San Ignacio* IV, 409—411.

[3] Hoc modo „divisionem" hanc obtinendam fuisse intellegitur ex Chronici n. 577 (l. c. p. 258).

tationem esse faciendam, quam si ex patrimonio jam dicto fieret; nam sexaginta, vel quinquaginta saltem collegiales, Viennense illud Collegium opportune sustentaturum dicebat, ad regionum illarum auxilium, et ut Universitas illa, quae theologiae auditoribus destituebatur, ex nostris celebrior ac frequentior redderetur."

144.

CANISIUS

P. IOANNI DE POLANCO S. J.

Vienna 5. Ianuarii 1554.

Ex autographo (2°; pp. 3; in p. 4. inscr. et particulae sig.).

Particulam epistulae, germanice versam, proposuit *I. Janssen* l. c. IV, 98. Usus est hac epistula etiam Card. *Steinhuber* l. c. I, 18.

Iubilaeo promulgando quosdam obsistere. Religionem misere decrescere. Communionem „sub utraque" posci, maxime ab Hungaris. Non reperiri, qui ad episcopatus similiaque officia idonei sint. Paucissimos sacerdotium suscipere. Cuiusmodi doctrinae catholicae compendium conscribendum sit. Cur parentes in collegium germanicum filios non mittant. Regem imperiosius mandare, ut Socii in monasterium carmelitanum immigrent. Num officia divina in eo templo a Sociis cantanda sint? Dominicanos monasterio suo timere. Guilielmum Postellum Viennae linguae arabicae docendae munus captare. Widmanstadium alphabetum iaponicum petere. Societatis fratres scholasticos Viennae in litteris parum proficere.

IESUS

Reuerendo molto in Christo Padre mio pax Christi nobiscum.

L' ultima di V. R. scritta al 23 de Nouembre e stata a me gratissima con il Giubileo. Pur fin a qui non e publicata questa gratia, perche alcuni impedimenti se trouano appresso de costoro, liquali anche haueriano bizogni, come quelli d' Engelterra dell' adgiuto spirituale [1].

Iesus. Multum reverende in Christo pater mi, pax Christi nobiscum.

Postremae reverentiae vestrae litterae 23. Novembris missae simul cum iubilaeo mihi fuere gratissimae. At usque adhuc haec gratia promulgata non est, impedimenta aliqua afferentibus iis, qui non minus quam Angli spiritualibus subsidiis egent [1].

---

[1] Cum mense Iulio anni 1553 Eduardus VI. Angliae rex mortuus esset et Maria soror, nomine et professione catholica, ei successisset, Iulius III. non solum Reginaldum cardinalem Polum cum „legati" potestate eo mittere statuit, sed etiam gratuitam poenarum noxis debitarum condonationem sive indulgentiam „in forma iubilaei" iis concessit, qui sacramentis se munirent certaque opera pia praestantes Deum precarentur, ut „reductioni Angliae optatum successum tribueret" et Christianorum calamitates miseratus christianos principes ad firmam concordiam componeret (*Raynaldus*, Annales ecclesiastici ad a. 1553 n. 1—34). Ac *Polancus* quidem asserit aestate a. 1553 Roma iubilaeum perlatum esse ad Mariam Bohemiae reginam, quae Caroli V. filia et Maximiliani, Ferdinandi I. filii primogeniti, uxor erat (l. c. III, 244). Sed id eadem de causa concessum esse puto ac generale illud, etsi fortasse condicionibus lenioribus.

Iddio mandi molti operarij a queste bande per la sua somma gratia. Altramente diuenteranno non dico heretici, ma come li bruti animanti, tanta e la abondantia delle malitie et corruttioni in queste prouintie. Io me marauiglio che fin a qui non sequita il martyrio delli buoni, in somma ogni dì se va piu et piu per mancar nella Religione, et anche li Catholici dicono che sarria buono communicar sub vtraque, et che la Sua Santità haueria prouedere a tante milliaria de genti, li quali con tal dispensatione potrebbono ex parte esser adgiutati. Et cosi se murmurano li Vngari per tutto con queste altre prouintie, et per la sua impazientia non possono espettare in fino che se cercasse la via della dispensa. Et perche li prelati anche in questo dubbitano ex parte, perche la gente non vol lassare questo modo de communicare, prego V. R. P. ci dia alcuni buoni auizi per dar succorso tanto alli Catholici, li quali ogni di diuentano piu et piu fredi nelle cose della Ecchezia, quanto alli perzi et schismatici, li quali senza fine se qui multiplicano, ne sono mai puniti per tal defectione etc.[1]

Il Re se troua in questi termini che volendo dare beneficij, prelatura et Veschouati a persone vn pocho disposte, non puo trouare nessuno dapoi tanti mezi[2].

Et cossi anche la Ecchieza Cathedrale qui non puo trouar ministri, e Officiati[3], et restano le parochie o vacue, ouero occupate delli

---

Deus pro summa sua clementia multos operarios in has regiones mittat; alioquin evadent non dico haeretici, sed quasi bruta animalia; tantopere hae provinciae abundant malitia et pravitate. Equidem miror bonis adhuc non esse subeundum martyrium; ne multa, religio in dies decrescit, atque etiam catholici asserunt communionem „sub utraque" utilem fore, ac sanctitatem suam tot hominum milibus consulere debere, qui ea dispensatione ex parte sublevari possint. Atque cum ceteris hisce provinciis etiam Hungari murmurant, neque pro sua morarum impatientia exspectare possunt, donec dispensatio petatur. Et quia praelati quoque hac in re ex parte dubitant, populo hoc communionis ritu desistere nolente, R. P. V. aliqua, quaeso, consilia nobis det, ut et catholicos iuvare possimus, in quibus ecclesiae studium magis magisque in dies languescit, et perditos ac schismaticos homines, qui continuo augentur neque huius defectionis poenas umquam pendunt etc.[1]

Rex ad hanc condicionem redactus est, ut beneficia, praelaturas, episcopatus hominibus aliquo modo idoneis dare volens, idoneum multis mensibus invenire non possit[2].

Ideoque etiam ecclesia nostra cathedralis ministris et officialibus caret[3], et parochiae aut vacant aut ab apostatis et hominibus infamibus occupantur. Ac iuvenes

---

[1] Cf. infra, monum. 98.

[2] Hungariae reges ex ipsius S. Stephani tempore episcopos „nominabant". Postea „nominandi" vel „praesentandi" ius sive „indultum" a summis pontificibus, praeter alios principes et respublicas, etiam Bohemiae reges et Austriae archiduces acceperunt (*G. Phillips*, Kirchenrecht V [Regensburg 1854], § 224, p. 403—409. *J. Fr. Schulte*, System des allgemeinen katholischen Kirchenrechts [Giessen 1856] § 32, p. 225—226).

[3] Anno 1544 senatus viennensis cum „visitatoribus" dioecesis viennensis conquestus est: In ecclesia cathedrali S. Stephani antea 18 sacerdotes contionibus,

apostate et persone infami. ne li giouani se curono del sacerdotio, talmente che de questa Vniuersita (come dicono) in 20 anni quasi non sono fatti 20[a] preti etc.[1] Onde per l' amor de Dio crucifisso dateci alcuni amaestramenti, che possiamo far vtile al prossimo tanto desperato etc.

Quanto al compendio, tutti desiderassimo veder alcuna parte de esso et molto piu che fusse finito et redutto a vna epitome, se pareranno quelli 7 libri tropo longi et essacti[2]. Certo per satisfar a costoro besogniara lassar la subtilita, la longezza et obscurita. tutti vorriano che se facesse per li Catholici vn Compendio, sicome Philippo Melanchtone ha scritto Locos communes per li suoi in Saxonia[3]. Pur tutto questo dico, non preiudicando alla opera del Reuerendo P. Laijnes, il qual non puo (credo io) seruare mal ordine et modo nella sua compositione. Solamente prego V. R. che l' opera vada vn

---

sacerdotium adeo neglegunt, ut ex hac universitate (uti ferunt) 20 fere annis 20[a] sacerdotes non prodierint etc.[1] Quare per Deum cruci affixum rogamus: aliqua nobis tradite praecepta, ut proximos adeo desperatos adiuvare possimus etc.

Quod ad compendium attinet, aliquam eius partem videre omnes cupimus multoque magis optamus, ut absolvatur et in epitomen redigatur, siquidem septem illi libri prolixiores et accuratiores esse videantur[2]. Certe qui hisce hominibus satisfacere vult, cavendum ei est a subtilitate, prolixitate, obscuritate. Omnes compendium pro catholicis conscribi optant, sicut Philippus Melanchthon „locos communes" pro Saxonibus suis conscripsit[3]. Nec tamen haec scribens ullum detrimentum inferre velim operi reverendi patris Lainii; neque enim fieri posse existimo, ut male res disponat maleve proponat. Hoc tantum a R. V. peto, ut opus

---

[a] *Sic autographum. Apographum a Boero scriptum habet:* due; *huius ergo viri oculos zero fugisse videtur; atque ex eo apographo idem error irrepsit in Ioannis Janssen „Geschichte des deutschen Volkes" (IV [14. ed. 1891], 98).*

---

sacramentorum administrationi, aliis sacris ministeriis operam dedisse; iam autem 6 tantum sacerdotes atque inter eos duos tantum contionatores superesse (*Wiedemann* l. c. II, 39—40). Ferdinandus rex 1. Ianuarii 1554 et 24. Iulii 1556 ecclesiae illi „reformationes" dedit; quae typis exscriptae sunt ab *Herm. Zschokke*, Geschichte des Metropolitan-Capitels zum heiligen Stephan in Wien (Wien 1895) p. 121—130. Canisii operam in ea re intercessisse sat verisimile est.

[1] „Obseruauerat Vrbanus Labacensis Antistes totis annis viginti Ciuium Viennensium neminem sacerdotem factum" (*Sacchinus*, Can. p. 96). Ac *Fridericus Nausea* episcopus viennensis haud multo ante conquestus erat: „Paucissimi enim, vix unus aut alter e scholis Viennensibus interdum prodeunt Clerici, et tamen in Ciuitate Viennensi plus minus sexcentos constat esse Scholares et studiosos" (Episcopatus Viennensis Austriae Gravamina ed. *Seb. Brunner* in „Studien und Mittheilungen aus dem Benediktiner- und Cisterzienser-Orden" 4. Jahrg., II [Würzburg-Wien 1883], 162—164).

[2] Vide supra p. 411. 412. 428 et infra p. 473.

[3] Philippus Melanchthon anno 1521 primum edidit „Locos communes rerum theologicarum seu hypotyposes theologicas", in quibus disponendis Petrum Lombardum imitatus est. Hic liber primum doctrinae lutheranae enchiridion vel compendium fuit et ante annum 1526 iam septies decies prelum subierat.

pocho piu inanzi, et che quello [che] e composto sia limato et esscritto in sua perfettione, si come ha d' essere.

Se partira presto de qua il Reuerendissimo Nuntio della sua Santita[1] et andara con esso vn buon giouane (se dice nobile de Stiria) per star nel Collegio germanico[2]; et speramo de mandar piu gente, se non fusse questo impedimento, che li parenti pensasseno non rehauere li suoi alla sua volontà, ma che per l' obligatione questi siano sforzati o de restar per molti anni in Roma, ouero d' andar in altri luogi di Germania, doue hauessino li suoi beneficij[3]. Pur se restasse quella liberta a loro, sicome al Reuerendissimo Labbaccense, al qual e promesso dal nostro R. Padre, che potra li suoi a qual se voglia tempo rehauere[4], non dubito qui se trouarebbono molti con il tempo,

---

illud paulo magis procedat et, quae conscripta sunt, limentur, ut par est, ac perpoliantur.

Reverendissimus sanctitatis suae nuntius[1] mox hinc discedet; quocum bonus quidam adulescens (nobilem Styrum esse dicunt) proficiscetur, ut in collegium germanicum recipiatur[2]; et spes esset plures a nobis mitti posse, nisi hoc unum obstaret: Parentes censent se filios e collegio pro arbitrio revocare non posse; hos enim fide data obstringi, ut aut per multos annos Romae maneant aut in alias Germaniae partes migrent, ubi beneficia ecclesiastica teneant[3]. Attamen si, quam reverendus pater noster reverendissimo Labacensi promisit, illis quoque fieret potestas, suos quandocumque libuerit revocandi[4], sine dubio multi paulatim in-

---

[1] Hieronymus Martinengus, qui erat abbas, protonotarius apostolicus, praelatus domesticus Iulii III. (* Breve Iulii III., 25. Aprilis 1550 ad Ferdinandum I. datum; Viennae in archivo aulae caesareae, Romana 1550, Fasc. 2, n. 25).

[2] Ex * catalogo alumnorum collegii germanici, ibidem anno 1608 ex litteris archetypis exscripto, intellegitur anno 1554 duos „Styros" receptos esse: Sebastianum Molitor et Stephanum Fasthang; uterque 5. Aprilis collegium ingressus est (Cod. rom. „All. coll. germ." p. 9) et dioecesis neostadiensis (Wiener-Neustadt) fuit. Cf. *Steinhuber* l. c. I, 42.

[3] Inter leges collegii germanici (cf. supra p. 436) haec erat: Cardinalibus „Protectoribus incumbat, . . . providere, ut Ecclesiastica Beneficia ipsis Scholasticis, juxta rationem talenti et dignitatis cuiusque, conferantur; et prospicere ad quem potissimum populum quemque mitti conveniat, spectato tantum augmento divinae gloriae, et ipsorum populorum necessitate. Considerabunt etiam illi, an expediat aliquos in universam Germaniam mitti," etc. (*Cordara* l. c. p. 52. *Theiner* l. c. p. 414—415. *Pachtler* l. c. p. 381).

[4] Urbanus Textor (Weber), 1544—1558 episcopus labacensis (Laibach, Carniolae caput), anno 1550 Ferdinando regi, cui a confessionibus erat et largitionibus, praecipuus auctor fuerat, ut Societatis collegium Viennae conderet, et eidem collegio summum patronum se praestabat (*Polancus* l. c. II, 75. 267—268. 272—273. 277. *Litterae quadrimestres* I, 459—460). Hic cum litteris 30. Maii 1553 datis petiisset, ut duo alumni sui ex collegio germanico ad se remitterentur, S. Ignatius 27. Iunii 1553 rescripsit: „Ad nutum Dominationis tuae Reverendissimae redire eos in Austriam curabo; si tamen eruditiores, et in virtutum studio provectiores recipere velit, eos paulo diutius Romae relinqui oportere plane sentio" (Cartas de *San Ignacio* III, 405. 224). Iidem ab Ignatio in epistulis 27. Februarii et 25. Iunii 1554 ad eundem datis „Bartholomaeus" et „Iohannes" vocantur (l. c. IV, 436. 462); ideo dubium esse vix potest quin ii sint, qui in * catalogo collegii germanici anti-

li quali anche con tal conditione mandarebbono li suoi. V. R. de gratia ci mandi una resposta sopra ciò.

Per li Nouiomagensi hauer le gratie sicome sempre a me è parzo, sara molto difficile, et però non voglio piu in questo molestare V. R., ma cercar alcuna honesta escuza quando io scriuero alli predetti [1].

Che scriue V. R. circa il successo del collegio, rigratiamo al Signor eterno per tanto frutto, et spero che assai se adiutaranno li nostri, et qua poi tornaranno con grand edificatione il P. Schorichio, Jonas et Hermas [2] con piu altrj fratellj.

Circa il luogo del nostro Collegio sappia V. R. che la sua Maestà con li suoi vogliono in ogni modo, et anche par bene a noi altri, che se firmiamo nel monasterio delli Carmelite, si come per altre littere (nisi fallor) e stato scritto dal nostro R. P. Rettore. Dirò solamente vna difficoltà o duoe, le quali s' offeriscono in questa migratione. La vna è, che la sua Maiesta vedendo questo grande monasterio, come è desolato delli suoi frati Carmelitani, procede contra li superiori de questo ordine con alcuno imperio, et li scrive quasi authoritatem habens, che vole mitter noi altri in luogo de quelli detti frati [3], talmente che quell' ordine (sicome pare a me) potria pigliar

---

venirentur, qui hac cum condicione suos Romam mitterent. R. V. hac de re, quaeso, nobis rescribat.

Gratias illas pro Noviomagis obtinere semper mihi visum est difficillimum; quare hac in re R. V. haud amplius volo esse molestus; honestam aliquam excusationem quaeram, cum iis scribam [1].

Quae R. V. de collegii prospero successu scribit, nos ad gratias domino aeterno agendas movere debent, quod tam secundum proventum largitur; ac spero nostros multum istic profecturos et pietatem vehementer apud nos excitatum iri, cum istinc ad nos redierint P. Schorichius et Jonas et Hermas [2] aliique fratres complures.

Quod ad sedem collegii nostri attinet, R. V. hoc sciat: Maiestas regia cum suis omnino vult — et nobis quoque probatur — in monasterio Carmelitarum nos considere; quod aliis etiam litteris (nisi fallor) a R. P. rectore nostro vobis relatum est. Unam tantum difficultatem vel duas proponam, quibus haec migratio obstruitur. Una haec est: Maiestas regia amplum illud monasterium a fratribus suis Carmelitanis desertum videns, eius religionis praefectos quasi imperiose tractat ad eosque quasi auctoritatem habens scribit se nos in vicem fratrum illorum mittere velle [3]. Quare religiosi illi (ut mihi videtur) graviter contra Societatem nostram irritari ac

---

quissimo 19. Iulii 1553 collegium ingressi esse his verbis traduntur: „Bartholomaeus Philiuslaufer [sic; filius Lauferi?] Obernburgensis Labacensis Dioecesis", „Joannes Kobenzl Aquileiensis Dioecesis" (Cod. rom. „All. coll. germ." p. 4; cf. *Steinhuber* l. c. I, 41).

[1] Cf. supra p. 439.

[2] Ionas Adler et Hermes Halbpaur; cf. supra p. 415.

[3] In monasterio carmelitano Beatae Mariae Virginis „am Hof" anno 1544 prior et 4 fratres degebant, anno 1554 unus supererat prior, isque, si *Polanco* (l. c. III, 260) credimus, senex et habitu utens saeculari [?] ac Sociis cedere paratus. Ferdinandus anno 1551 ordinis moderatores de novis monachis mittendis admonuerat; sed horum piae voluntati temporis iniquitas obstabat (*Bucholtz* l. c. VIII, 187. *Wiedemann* l. c. II, 33; *Kink*, Universität zu Wien I[a], 305. *Socher* l. c. 47—48).

vna grand' indignatione contra la compagnia, lamentandose, che alla nostra instantia il Re li habbia catziato via, et che semo cosi stato intrusi etc. Certo qui se dice, che nel vltimo Capittulo de Roma fatto delli predicatori di S. Dominicho, anche siano proposte simili querele contra noi altri, quasi volessemo occupar tutto il suo monasterio in Vienna [1]. Onde determinarono li predetti Padri, che alcuni Dottori valenti delli suoi fussino mandati qua de Italia con altri frati studenti per retinir questo monasterio [2]. Ma la pouerta qui e tanto grande che adesso se dubbita, se quelli Dottori con li suoi habbiano de venire [3], massime perche per le suoe soppliche date alla sua Maiesta pocho possono ottinire. Et cossi dico questi altri fratelli Carmelitani

conqueri possent se nobis urgentibus a rege expulsos esse, sicque nos esse intrusos etc. Hic certe dicunt ad postremum capitulum a praedicatoribus S. Dominici Romae habitum similes contra nos querimonias delatas esse, quasi Viennae totum eorum monasterium occupare vellemus [1]. Quare patres illi decreverunt, ut probi aliquot doctores sui cum fratribus scholasticis ex Italia huc mitterentur ad monasterium illud retinendum [2]. Sed tanta hic est paupertas, ut nunc dubitetur, an doctores illi cum suis venturi sint [3], praesertim cum libellis supplicibus, quos regi dederunt, haud multum possint impetrare. Eadem ratione dico fratres illos Carmelitanos,

---

[1] Ferdinandus rex, cum de collegio Societatis Viennae condendo ageretur, Urbano Textori episcopo labacensi et Ioanni Alberto Widmanstadio universitatis superintendenti atque aliis quibusdam consiliariis mandaverat, ut collegio locum idoneum quaererent. Qui multis locis inspectis, nullum meliorem esse censuerunt quam monasterii dominicani, universitati vicini, partem illam, quae olim pro hospitibus exstructa erat et postea artificibus locabatur. At P. Claudius Iaius nefas esse existimabat absque consensu ordinis praedicatorum sedem illam sibi assumere; ordinis autem vicarius id sibi suisque gratum fore negavit. Inita igitur haec ratio est, ut Societatis homines ad tempus et tamquam hospites in illa parte considerent; pretium locationis a rege solvebatur. Attamen Ferdinandus locum illum a summo pontifice collegio impetrare conabatur; quod Socii „non probabant, tum ne offenderentur animi illius religionis, tum quia locus erat angustus, et ubi templum construi non poterat“ (ita quidem *Polancus* in „Chronico“ II, 267). *Hieronymus* autem *Martinengus* nuntius apostolicus Vienna 24. Maii 1551 ad Hieronymum Dandinum episcopum Fori Cornelii et Iulii III. secretarium scripsit: „Volendo questo Ré fondare 'l Collegio, per conto de 'l quale .N. Signore gli consentì don Claudio, et compagni, ne hauendo per la fondatione luoco più commodo d' un' monastiero de frati Domenicani, m' hà imposto, che pregassi sua santità, che le piacesse dargli licentia, ch' essendo cosa sacra, et non prophana se ne potesse seruire d' una parte per tal' uso . . . 'l detto monasterio è molto amplo, et capace, et quasi dessolato, che doue molti, et molti frati ui soleano stare, addesso ui ne sono appena sei . . . non se gli fà ingiuria alcuna concorrendoci anchor' essi di uoluntà (ex * epistula Martinengi archetypa, quae est in archivo vaticano, cod. „Nunz. di Germ. 60“ f. 9—10).

[2] Etiam nunc filii S. Dominici amplum hoc et venerandum monasterium incolunt. De quo vide *Seb. Brunner*, Der Predigerorden in Wien und Oesterreich (Wien 1867) p. 39. 85—89.

[3] *Martinengus* nuntius apostolicus in * litteris supra scriptis: Il monasterio è „tutto rouinoso, et minaccia maggior rouina“; atque etiam in aere alieno erat; nam anno 1529 Turcae in monasterium illud acriter saevierant (*Wiedemann* l. c. II, 34).

benche non siano de tanta authorita sicome li Dominicani, tamen ci potriano spargere vn mal' odore per Germania, et vindicar in Jesuitis quello che non possono far contra il Re et li suoi mandati. La 2ª difficulta è, che essendo fin a qui in quello tempio delli Carmelitari[1] la vsanza de cantar ogni di missa, et sonar spesso l' organj, et seruire a diuerse compagnie delli cittadini, sarà non senza murmuratione della gente, se in tutto se lassassino questi offitij della Ecchieza[2]. Et hora il Cancellario[3] ha detto a vn amico nostro che non deuessimo recedere de queste fondationi della dicta Ecchezia, la qual e bellissima et tiene grand concurso della gente. Dice anche, che saria espediente per le nostre classi, de far cantare questi giouani et discepoli, ne manche farria frutto per accostumarli nelle cose et cerimonie della Sancta Ecclesia. Dunche V. R. P. viede in quanto sia spediente questa migratione con quella probabile mormuratione et obligatione, si come e predetto. Hora s [*sic*] è concluso, che tutti li laici, li quali nel monasterio anche con le sue donne restono, vadino via inanti la Quaresima et che subbito noi occupassimo tutto. Cossi dico e stato concluso della sua Maiesta, pur mi dice il Reuerendissimo Labbaccense che circa queste obligationi del tempio se potesse trouar alcuno mezo benche lui vorria anche che almeno ogni di se cantasse vna missa. Item dice che se potrebbe impetrar vna litera della sua Maesta al

licet eadem qua Dominicani non polleant auctoritate, tamen malum nominis nostri odorem per Germaniam spargere et a Iesuitis vindicare posse, quae contra regem eiusque mandata efficere nequeant. Altera difficultas haec est: Cum adhuc in templo illo Carmelitarum[1] cotidie missam cantare soleant saepeque organa pulsare et variis civium sodalitatibus operam dare, non sine hominum murmuratione sacris his officiis omnino supersedere possemus[2]. Ac modo cancellarius[3] amico cuidam nostro dixit nos officiis divinis in ecclesia illa institutis desistere non debere; quae quidem pulcherrima est et maxime frequentatur. Idem cancellarius asserit scholis nostris expediturum, si adulescentes illos et discipulos ad canendum instituamus, eaque re effectum iri, ut rebus et ritibus sanctae ecclesiae iidem assuescant. Vides ergo, reverende pater, quantum migratio haec nobis conveniat, quam murmuratio et obligatio, quas scripsi, secuturae esse videantur. Nunc placuit laicos omnes, qui in eo monasterio una cum uxoribus suis habitant, ante quadragesimam egredi et nos sine mora omnia occupare. Ita dico regiae maiestati placuisse; reverendissimus tamen Labacensis mihi dicit ex illis ecclesiae obligationibus nos aliqua ratione extricari posse, quamquam ipse quoque optet, ut saltem singulis diebus

[1] Nunc templum hoc est parochiae „novem chororum angelicorum". De eo cf. *Ios. Kurz*, Gedenkbuch der l.-f. Stadtpfarre zu den neun Chören der Engel am Hof (Wien 1891) p. 8—13.

[2] „Porque las ocupaciones que para ayuda de las ánimas se toman, son de mucho momento y proprias de nuestro Instituto, y muy frecuentes, y por otra parte siendo tanto incierta nuestra residencia en un lugar y en otro, no usarán los Nuestros tener coro de horas Canónicas, ni decir las Misas, y oficios cantados: pues no faltará á quien tuviese devocion de oirlos donde pueda satisfacerse": *S. Ignatius* in Constitutionibus P. 6, c. 3, n. 4 (Constitutiones latinae et hispanicae p. 197. 199).

[3] Ioannes Albertus Widmanstadius; vide infra p. 450[3].

Generale dell' ordine Carmelitano, per la nostra escusa. Pur se hauemo d' intrare a quello monasterio non come hospiti, ma come veri possessori secondo la mente de questi Consilieri, non so in che modo seruirebbe [?] quell' escusa. V. Reuerentia mi perdoni della longezza.

Il Reuerendo nostro Padre Lanoij non scrieue adesso, perche è andato in Vngeria per confessar vna gentildonna Italiana, laqual sta quasi per morire. Et cossi hoggie sono 8 di che sia sua Reuerentia stato fuora. Pur come speramo, tornarà presto, et dara piu auizi delle cose nostre nelle sue litere.

E venuto qua il S. Postello [1] et ha offerto il suo seruitio alla sua Maiesta per stampar et leger publicamente la lingua Arabica, sicome vsano li Turchi [2] et lui troua alcuni fautori a questa imprezza [3]. La sua Maiesta ha dommandato da me, se Postello fusse stato delli nostri, et se sia apostata etc. si come li era ditto. Io resposi che non quanto alla apostasia, ma che per le sue certe phantasie fusse abondanato et lassato fuora della Compagnia [4], et che anche molti se non edificasseno da lui, vedendo certe opinioni et persuasioni non buone de questo Postello, sicome anche mostra nelli suoi scritti. Et tamen questo buon huomo pensa hauer adgiuto per me appresso la sua Maiesta per impetrar questa lettura. Io non posso pur veder la vtilita

---

una missa cantetur. Item dicit a rege impetrari posse, ut litteris ad summum praesidem religionis carmelitanae datis nos excuset. At si in monasterium illud immigrare debebimus non hospites, sed veri possessores futuri, nescio, ad quid excusatio haec iuvaret. V. R. prolixitatem hanc mihi ignoscat.

Reverendus pater noster Lanoius nunc vobis non scribit, quia in Hungariam profectus est ad confessionem nobilis cuiusdam mulieris italae excipiendam, quae fere animam agit, ideoque octo iam diebus reverendus ille pater extra domum nostram moratur. Sed mox rediturum speramus vobisque de rebus nostris accuratius scripturum.

Dominus Postellus [1] huc venit ac regiae maiestati operam suam obtulit, ad praecepta linguae arabicae, qua Turcae utuntur [2], publice tradenda librosque arabicos typis exscribendos; quorum conatuum aliquos hic habet fautores [3]. Rex me interrogavit, num Postellus antea noster fuisset, numque apostata esset, etc.; haec enim ei relata erant. Respondi ego Postellum non propter apostasiam, sed propter absurdas quasdam opiniones a Societate relictum neque in eam admissum esse [4]; addidi multos in eo offensum esse, cum opiniones quasdam et persuasiones haud bonas Postelli istius cognovissent, quas etiam in libris suis ille enuntiat. Et tamen bonus ille homo putat regem a me rogatum iri, ut docendi munus illud sibi committat. Ego autem arabicae huius linguae utilitatem perspicere non possum, cum

---

[1] De Guilielmo Postello vide supra p. 192.

[2] Lingua osmanica litteras quidem plerasque ab arabica mutuata est; sed certe ab hac differt. Postellus utramque sciebat (*Aschbach* l. c. III, 244) et certe etiam ad utramque docendam regi se obtulit.

[3] Horum unus ac fortasse praecipuus erat Ioannes Widmanstadius (Widmannstadt, Widmanstetter), vir linguarum orientalium peritissimus et eo tempore universitatis viennensis „superintendens" (*Aschbach* l. c. p. 53. 300).

[4] Falso igitur *Aschbach* affirmat Postellum, postquam Viennae moratus esset, Societatem Iesu ingredi statuisse (l. c. III, 248).

de questa lingua Arabica, vedendo in questa terra che non sè [*sic*] apparenza de obtinere gente, laqual volesse andar poi alli Turchi per conuertirli per questo mezo della lingua. Et cossi io ho concluso de non impiacarme niente con le facende de Doctor Postello, o se lui resta, o non, benche mostra buona sera [*sic*] inverso di me [1].

Il Signor Cancellero della sua Maiesta prega V. R. che possi hauer l' alphabeto della lingua Giapponense, se hauetelo dell' India [2], ouero simila [*sic*] cosa pertinente alle lingua Indica [3].

Io mandaro presto denarij, cioe vn Angellotto [4] per pagar alcuni essempiari del Direttorio delli Confessori [5]. Onde quando V. R. vorra,

---

videam in hac terra spem non esse inveniendi eos, qui postea ad Turcas se conferre velint, hac lingua eos ad fidem conversuri. Doctoris itaque Postelli rebus nihil me immiscere statui, sive hic mansurus esset, sive non mansurus; quamquam me quidem comiter ille habet [1].

Regiae maiestatis cancellarius R. V. rogat, ut iaponici sermonis alphabetum sibi mittat, siquidem ex India id acceperitis [2], vel simile quid ad indicam linguam pertinens [3].

A me pecuniam mox accipietis; angelottum [4] mittam, quem pro aliquot exemplis „Directorii confessariorum" solvam [5]. Cum igitur R. V. placuerit, aliquot, quaeso,

---

[1] In decreto, quod Ferdinandus 17. Ianuarii 1554 fecit, haec sunt: „Secundus Graecus, qui et idem linguae Arabicae Professor sit, et quotidie bis legat D. Guil. Postellus ducentos Florenos" [singulis annis accipiat]. Mense Februario eiusdem anni Viennae a Michaele Zimmermann typis exscripta est Postelli „De Linguae Phoenicis siue Hebraicae excellentia et de necessario illius et Arabicae penes Latinos vsu, Praefatio, aut potius loquutionis humanaeue perfectionis Panegyris". In qua nos patriamque nostram non „Germanos", „Germaniam", sed „Gemranos", „Gemraniam" vocat, Ferdinandum non Romanorum, sed Antipolitanum regem appellari cupit, alia insulsa profert. At ipsis anni 1554 Kalendis Maiis Postellus Vienna clam discessit neque umquam eo rediit. Typographia arabica, quam Ferdinandus Postello auctore Viennae constituerat, quamque eius generis primam in Germania fuisse asserunt, post eius discessum intermortua est (*Aschbach* l. c. p. 245—247. *Denis*, Wiens Buchdruckergeschicht p. 518—521).

[2] Societas Iesu a. 1549 per S. Franciscum Xaverium in Iaponiam introducta erat.

[3] Ioannes Albertus Widmanstadius (1506—1575), ex Nellingen, Suebiae pago ortus, cum Italiam et Orientem adiisset, anno 1553 Austriae inferioris cancellarius factus est et anno 1555 Viennae ex typographia Michaelis Zimmermann syriacam evangeliorum versionem in lucem emisit, quem librum primum omnino fuisse ferunt, qui in Europa syriace syriacisque typis editus sit. Coniuge mortua sacerdos et canonicus ratisbonensis factus est (*Aschbach* l. c. III, 299—303. *Ant. Schlossar*, Grazer Buchdruck u. s. w. in „Archiv für Geschichte des deutschen Buchhandels" IV [Leipzig 1879], 78. *C. R. Gregory*, Prolegomena in Tischendorfii Novum Testamentum III [Lipsiae 1894], 815—818).

[4] Nummus argenteus vel aureus, forma angeli signatus, Gallis „Angelot"; qui diversis temporibus locisque diversi valoris erat. Angelottum hunc Canisii duos ducatos exaequasse ex eiusdem litteris 7. Iulii 1554 ad Polancum datis conici potest.

[5] S. Ignatii iussu P. Ioannes de Polanco aliique Societatis viri Romae degentes conscripserunt „Directorium breve ad confessarii ac confitentis munus recte obeundum"; quod sub Polanci nomine primum anno 1553 Romae ac dein aliis quoque locis typis exscriptum et in varias linguas translatum est (Cartas de *San Ignacio* IV, 411—412. 24—25. *Sommervogel*, Bibliothèque VI, 939—944).

di gratia ci mandi alcuni libri de questi, et anche il despauterio reformato in Roma [1], si come V. R. inanti molti mezi ci hebbe promessa [*sic*]. Et perche li nostri Logici non se promoueno in questo anno, vorria anche che V. R. ci adgiutasse, accio le sue dispute et li studij andasseno piu inanzi con vn nouo fervore. Perche il Reuerendo P. Lanoy fin a qui li legge in casa, et sta tanto impedito fuora et d' intro, che basteria se solamente attendesse alla casa non leggendo duoe volte nel giorno. Martino et Erardo sono assai impediti, collui con la classe et colui con la culina [2], talmente che io ho detto spesso al R. Padre che il studio qui andasse con magior successo etc. Et cosi anche intendo de Brittio [3], Dominico [4], Suetonio [5] etc. li quali per questi anni certo non hanno fatto grand frutto nelli suoi studij demendicandose dal Greco, et restando in vna classe despauteriana. Vero e che il Reuerendo Padre tiene buona cura dello spirito, ma io vorria anche veder maggior frutto del studio, accio piu presto et melius instrutti vscessino fuora della philosophia per venir alla Theologia et alla messe tanto desolata. Sed ne sutor vltra crepidam. Sapienti [a] occasio danda vt rectius consulat collegio.

---

eius libri exempla nobis mittat, atque etiam Despauterium Romae reformatum [1]; id enim R. V. multos abhinc menses nobis promisit. Et quia logici nostri hoc anno haud multum proficiunt, etiam cupio nos a R. V. adiuvari, ut disputationes eorum et studia melius novoque cum fervore procedant. Reverendus enim P. Lanoius adhuc domi eos docet; qui et foris et domi adeo impeditur, ut satis futurum videatur eum soli domui nostrae providere neque binas cotidie scholas habere. Martinus et Erardus aliquantum impediuntur, alter schola, alter culina [2], ideoque saepe reverendo patri nostro dixi litterarum studia hic melius procedere debere etc. Idemque sentio de Brictio [3], Dominico [4], Suetonio [5] etc., qui certe hisce annis in studiis haud multum profecerunt; graeci enim sermonis obliti et in una classe despauteriana relicti sunt. Verum quidem est reverendum patrem nostrum magnam in pietatem adhibere diligentiam; sed ego studiorum quoque meliorem processum cernere cupio, quo citius et melius instituti e philosophia ad theologiam et ad messem adeo destitutam progrediantur. Sed ne sutor ultra crepidam. Sapienti [a] occasio danda, ut rectius consulat collegio.

---

[a] *Fortasse legendum:* Superintendenti; *qua appellatione tunc domuum et collegiorum S. J. praesides vel eorum adiutores nonnumquam nominabantur.*

---

[1] Hanc editionem non novi. Ioannis van Pauteren sive Despauterii, humanistae flandri († circiter a. 1520), commentarii grammatici etc. eo tempore in frequenti usu erant.

[2] Magister Erardus Avantianus anno 1551 Viennae rhetorices praecepta tradere coepit (*Polancus* l. c. II, 270. *Orlandinus* l. c. l. 11, n. 41). De Martino Gotfridio Stevordiano cf. supra p. 366[2]; quem constat quidem per biennium grammaticam docuisse (*catalogus collegii monacensis in a. 1566, in cod. „Germ. Sup. Cat. 1566. 1599“ f. 409[a]); sed eum anno 1554 docuisse mihi quidem certum non est.

[3] Brictius Vivonetus; cf. supra p. 414.

[4] Dominicus Menginus; cf. supra p. 414.

[5] Italus is erat et cum primis Sociis Viennam venerat; paulo post cum duobus Sociis in Italiam remissus est (*Socher* l. c. p. 23. *Aschbach* l. c. III, 96).

Al fine prego V. R. che voglia dar buona resposta quanto a quello breue Catechismo, sicome scrissi all' vltimo [1], et che pregi anche per me indegnissimo, accio la somma bonta mi dia d' intendere et eseguire la sua santa volunta. Il Signor dio sia con tutti.

M. Petronio [2] mi scriue come il suo Reuerendissimo uolesse hauerme appresso di se, ma non so se sia vero, et anche io sempre me conformarò alla semplice obedientia.

Da Vienna 5 Januarij 1554

D. V. R. P.

Seruo et figliolo Pedro Canisio.

† Reuerendo domino et patri meo in Christo, D. Joanni Polanco de Iesu Societate, Romae.

Epistulam hanc Romam attulisse videntur iuvenes styri Sebastianus Molitor et Stephanus Fasthang [3].

Quod reliquum est, R. V. rogo, ut de brevi illo catechismo, de quo proxime scripsi [1], ex sententia nostra rescribat, utque etiam pro me indignissimo Deum precetur, quo summa illa bonitas mihi concedat, ut sanctam suam voluntatem cognoscam et exsequar. Dominus Deus cum omnibus sit.

M. Petronius [2] mihi scribit reverendissimum suum me secum habere cupere; sed nescio num res ita se habeat, atque ego semper simplicem sequar oboedientiam.

Vienna 5. Januarii 1554.

R. P. V.

Servus et filius Petrus Canisius.

Reverendo domino et patri meo in Christo D. Ioanni Polanco de Iesu Societate, Romae.

145.

: HENRICUS SCHWEICKER,

Alberti V. Bavariae ducis secretarius,

CANISIO.

Monachio [?] 7. Martii 1554.

Ex apographo, a P. *Ios. Boero* S. J. post medium saec. XIX. scripto; qui archetypum vel apographum antiquum in archivo S. J. romano (postea disperso) invenisse videtur.

Socios Ingolstadium revocatum iri. Ducem, vere catholicum, Lutheranismi professionem suis denegasse.

---

[1] Haec epistula periisse videtur.

[2] P. Claudio Iaio Dilinga per Danuvium Viennam proficiscenti Otto cardinalis augustanus vere anni 1551 „Dominum Petronium Zanelum" comitem adiunxerat (*Polancus* l. c. II, 266). *Canisius* in *litteris Bononia 7. Iulii 1557 ad Polancum datis: „Petronio cameriere del reverendissimo Augustano." Atque *Otto ipse* in litteris Bolzano 13. Novembris 1563 ad Hosium missis: „Petronius, domesticus noster" (Iulii Poggiani Sunensis Epistolae et Orationes ed. *Hier. Lagomarsini* S. J. Vol. III [Romae 1757], 265). [3] Vide supra p. 445.

— — Princeps noster a piis atque catholicis consiliariis persuasus est, vos[a] Ingolstadium, si id a superiore vestro impetrare poterit, revocare[1]. Quod autem negligentius hoc negotium promovetur, impedimento sunt motus Germaniae. Multi sunt in armis, nescitur contra quos; nemo sibi pacem polliceri potest; omnia ardent intestinis odiis, bellorum civilium seminariis[2].

Ego in proxima dieta provinciali Landehutae habita concitavi mihi magnum odium apud nobiles hujus provinciae. Cum enim ipsi apud principem, quem sciebant inopia nummorum laborare, serio efflagitassent liberam Lutheranismi professionem, princeps una cum doctore Hundt etiam me adhibuit in consilium et impiam petitionem protinus explosit[3]. Culpam rejiciunt in Canem atque me[4]. Verum nos parum[b] facimus.

Princeps ipse tam firmus atque constans est in religione orthodoxa atque catholica, ut nihil supra. Nostri est officii, ut Deum precemur, quod in ea sententia perseveret — — 7. Martii 1554.

146.

FERDINANDUS I.,

Romanorum rex,

CANISIO.

Posonio[5] 16. Martii 1554.

Ex apographo eiusdem temporis (2°; p. 1); in margine manu antiqua scriptum est: „Copia literarum Regis Romanorum ad patrem Canisium.“

Epistulam germanice versam vulgavit *editor* in „Katechismen des seligen Petrus Canisius“ p. 19.

[a] ut *Bo.* [b] *Fortasse legendum:* parui [parvi].

[1] Societatis Iesu in Bavaria radices capientis praecipui patroni, praeter Christophorum comitem de Schwarzenberg, fuisse feruntur Leonardus ab Eck, Wiguleus Hundt, Augustinus Loesch, Franciscus Burckard; quos „quatuorviros“ Canisius „gloriae, non tam Bojcae quam Divinae, quadrigam haud absque dulci mentis voluptate solebat appellare“ (*Agricola* l. c. Dec. 1, n. 100—103, p. 12).

[2] Rebellionis ab Alberto Brandenburgensi concitatae tunc ultimae fere fiebant tragoediae. Cf. supra p. 402—403.

[3] Comitia haec habita sunt anno 1553 a die 3. usque ad 22. Decembris (*M. v. Freyberg*, Geschichte der bayerischen Landstände und ihrer Verhandlungen II [Sulzbach 1829], 313—321).

[4] *Sacchinus* (De vita Canisii p. 93) hunc locum haud recte interpretari videtur, cum scribit: „Causam repulsae in Cancellarium Bauariae, et in Canisium contulere.“ Quamquam enim Canisio nomen „canis“ vel „canis austriaci“ ab adversariis imponi solebat, hic tamen Wiguleum Hundt eo nomine significari epistula ipsa ostendit. Ignorabat fortasse Sacchinus germanicum vocabulum „Hund“ idem significare atque latinum „canis“.

[5] Posonium = Pozsony, Pressburg, Hungariae urbs.

Canisium monet, ut catechismum, quippe qui plurimis profuturus sit, celeriter absolvat. Eum librum germanice quoque vertendum et in tota Austria inferiore unice adhibendum esse. Canisio praescribit, ut in margine libros capitaque indicet, ex quibus Scripturae et Patrum testimonia desumpserit.

Ferdinandus Diuina fauente clementia Romanorum Hungariae, Bohemiae etc. Rex.

Honorabilis, religiose Deuote nobis dilecte. Vidimus et discussimus priorem illam partem catechisis tuae[1], quam videndam nobis dedisti, et de ea ita sentimus atque speramus, quod sj in lucem aedatur, ad salutem fidelium subditorum nostrorum, Deo propitio, plurimum sit profutura. Eamque ob rem abs te clementer petimus, ut reliquam etiam partem citra moram absoluas, adeoque totum et perfectum Cathechismum ad nos quam primum fierj poterit, transmittas. Deliberatum namque et constitutum est nobis, vt Cathechismus ille tuus in nostram quoque Germanicam linguam transferatur, ac in vtraque lingua typis excusus, quinque inferioribus prouintijs nostris Austriacis[2] et Comitatuj nostro Goritiae publice per omnes Latinas atque Germanicas scholas Juuentuti proponatur et praelegatur, neque ullus alius sub grauissima poena et indignatione nostra doceatur. Jd autem quo commodius fiat, remittimus nunc tibj priorem illam partem, iubentes, vt ante omnia in margine vbique expresse annotes loca et capita, in quibus reperiendae erunt scripturae tum sacrorum bibliorum, tum Diuorum Patrum Doctorum Canonumque Sanctorum, quae in Catechisj ista abs te docte, apposite, et pie allegantur, vt etiam a Ludimagistris imperitioribus, alijsque minus exactae et profundae scientiae viris, allegationes istae quaerj et viderj possint, quia non exiguam spem concepimus, hoc modo multos, quj per ignorantiam lapsj sunt, in sinum et salutare gremium Sanctae Catholicae Matris nostrae Ecclesiae reductum irj, et scripturarum illarum sensuj ac monitionibus longe plures quam hactenus, videntes nimirum originem, vnde ab te fuerint deductae, obtemperaturos esse. Quamprimum igitur annotationes seu allegationes istas confeceris, fac, ut priorem illam partem ad nos statim remittas, quia interea temporis, donec in Germanicam linguam ista uertatur, poteris ac debebis etiam residuum conficere, et ad nos

[1] Canisius „Summam doctrinae christianae" ita disposuit, ut in priore parte „sapientia", in altera „iustitia" christiana proponerentur; illa 4 capita complectitur: 1. De fide et symbolo fidei. 2. De spe et oratione dominica, cum salutatione angelica. 3. De caritate et praeceptis decalogi atque ecclesiae. 4. De sacramentis. Iustitia christiana uno capite absolvitur, quod totius libri quintum est docetque, quae mala fugere oporteat (peccata universe spectata, capitalia, aliena etc.), quae bona facere vel consectari (ieiunium, preces, misericordiae opera, virtutes cardinales, dona et fructus Spiritus sancti, beatitudines, consilia evangelica); „quatuor hominis novissimis" rebus opus terminatur. Vide *editoris* „Katechismen" etc. p. 34—36.

[2] „Quinque inferiores provinciae Austriacae" erant: Austria infra Anisum (unter der Enns), Austria supra Anisum (ob der Enns), Styria, Carinthia, Carniola; qui etiam „quinque ducatus" tunc dicebantur.

transmittere[1]. Vbj equidem non possumus committere, quin te benigne hortemur ac moneamus, ne pium istum laborem perferre graueris aut differas, consules enim multis millibus animabus, et a Deo Opt: Max: centuplam mercedem consequere[2]. Nos uero, vt Rex Christianus, qui saluti et vitae aeternae fidelium subditorum nostrorum prospectum magnopere et syncero corde vellemus, hoc operis tibj et religiosissimae isti Societatj tuae omni benignitate nostra Regia rependere curabimus. Datum in Ciuitate nostra Posonij. Die XVI mensis Martij. Anno Dominj M. D. LIIIJ. Regnorum nostrorum Romani, vigesimo quarto. aliorum vero XXVIIJ.

Ad mandatum sacrae
Regiae Maiestatis proprium.

Haec verba extrema ostendunt Ferdinandum ipsum has litteras non scripsisse; quod etiam magis patefit conferenti eas cum epistulis Ferdinandi autographis, quas ex archivo vaticano in lucem emisit *J. Schlecht*[3].

147.

CANISIUS

CHRISTOPHORO HILLINGER,

episcopi passaviensis officiali[4].

Vienna mense Martio vel Aprili 1554[5].

Ex apographo eiusdem temporis (2°; p. 1), quod est Viennae in archivo consistorii archiepiscopalis, „Episcopi Vienn.“, Fasc. „Canisius“.

Ex eodem apographo epistulam primus edidit *Wiedemann* l. c. III, 13—14.

Frustra laboratum esse, ut Andreas Cupicius a Lutheranismo ad fidem catholicam converteretur[6].

---

[1] De germanica „Summae“ versione infra disseretur.

[2] Canisius in prima „Summae“ editione plus quam 1100 sacrae Scripturae locos, et Patrum testimonia plus quam 400, ac praeterea multa synodorum decreta, posteriorum theologorum dicta, iuris canonici capita affert; ac nonnumquam ipsis, quae scripta sunt, verbis utitur; plerumque autem libros tantum et capita, in quibus verba ipsa reperiri possint, in margine indicat. Postquam autem Canisius opus suum recognovit et quasi renovatum et instauratum primum edidit Coloniae anno 1566, numerus locorum Scripturae paene 2000 attigit, testimonia Patrum circiter 1200 comparuerunt. Atque hos locos omnes Petrus Busaeus (Buys) S. J. ex ipsis fontibus accurate descriptos in „Opere catechetico“, Coloniae 1569—1570 primum edito, ad verbum proposuit. Vide *editoris* „Katechismen“ p. 38—39. 85. 136—148.

[3] Historisches Jahrbuch XIV (München 1893), 25—35.

[4] Ad episcopatum passaviensem (Passau, nunc Bavariae urbs) magna Austriae pars pertinebat, atque in ipsa urbe viennensi apud ecclesiam „S. Mariae ad ripam“ officialis episcopi passaviensis sedem habebat. Eo munere a mense Februario a. 1554 usque ad Novembrem a. 1556 et a Februario a. 1560 usque ad a. 1565 Christophorus Hillinger fungebatur; qui etiam factus est canonicus passaviensis, decanus kirnbergensis, consiliarius caesareus et salisburgensis etc. (*Wiedemann* l. c. V, 508—510. *Ign. Fr. Keiblinger* O. S. B., Geschichte des Benediktiner-Stiftes Melk I [Wien 1851], 770[1]. 804[3]). [5] Vide adnotationem 6.

[6] Andreas Cupicz anno 1553 parochiam catholicam weissenkirchensem (Weissen-

Reuerende domine Officialis gratia Christi nobiscum.

Audiuit nuper humanitas tua, quam modeste ac sinceriter egerimus cum D. Andrea Cupicz, ut errantem in viam reduceremus. Sic enim[a] a nobis postulare uisus est Reuerendissimus D. Patauiensis[1] una cum Magnificis dominis Regij Senatus[2]. Verum in eo colloquio cum loquaciter et imprudenter ille multa effutiret, in quibusdam respondere non posset, consultius fore putauimus, si prioris quam aedidit confessionis incommoda illi per scriptum proponeremus, et ut ad eadem responderet per scriptum inuitaremus. Igitur paucas illj quaestiones ex sua ipsius confessione collectas misimus rogantes ut simpliciter et breviter in respondendo ageret. Ille uero librum resolutionum, ut ipse uocat, prolixum et molestum lectorj parauit et praeter expectationem nostram errores addit erroribus ut causam suam faciat longe quam antea deteriorem. Omitto quam mordaciter ac petulanter insectetur Ecclesiae capita et Summos Magistratus, quam aperte defendat haereticos et euertat ipsa religionis nostrae fundamenta, quibus semel sublatis frustra omnis de fide tractatio et disputatio suscipitur. Neque cum admonitio nostra neque errorum illa commonstratio per quaestiones a nobis facta quicquam[b] apud illum profecerit haud intelligo quid in ea causa sit agendum nobis amplius, praesertim cum uoluntati et authoritati dominorum de Regimine factum a nobis esse satis arbitremur[3]. Dominus Jesus errantium corda conuertat Amen.

Petrus Canisius facultatis
Theologicae Decanus[4].

Reuerendo Domino Officialj patauiensi.

---

[a] *Sic resolvendum est siglum* .n., *quod in apographo nostro est. Wiedemann haud recte:* non.

[b] *Haud recte Wied.:* quicquid.

---

kirchen, vicus Austriae inferioris, prope Krems situs) administrabat eoque officio ad Lutheranismum propagandum abutebatur. Ineunte autem Martio anni 1554, iubente Austriae inferioris senatu sive „regimine", Viennam abductus et 7. Martii ibidem in carcerem officialis passaviensis inclusus est (*Wiedemann* l. c. III, 12—13). Austriae senatum ad Cupicium capiendum incitatum esse a Canisio ex litteris Polanci, Roma 21. Iulii 1554 ad comitem de Mélito datis, conici fortasse potest, in quibus de Canisio scribitur: „A su instigacion, se han echado en prision algunos predicadores de herética doctrina" (Cartas de *San Ignacio* IV, 235).

[1] Wolfgangus comes de Salm.

[2] „Regentes" erant Domini de Schönkirchen et de Losenstein (*Wiedemann* l. c. III, 12).

[3] Cupicius post decem fere menses in Hungariam aufugit (*B. Raupach,* Presbyterologia Austriaca [Hamburg 1741] p. 23—24).

[4] Canisius Viennae decanatum facultatis theologicae suscepit mense Octobri a. 1553 (*Wappler* l. c. p. 475).

148.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Vienna 16. Aprilis 1554.

Ex autographo (2°; pp. 2).

De iuvenibus in collegium germanicum a se missis ac de Paulo Scalichio alteroque episcopi labacensis alumno. Societatem a Martino Cromero episcopis Poloniae commendatam esse. Stanislaum Hosium episcopum varmiensem collegium Societatis expetere. Qui sit earum rerum status. Poloniae reginam aliquem e Societate sibi contionatorem quaerere. Tatarorum condicionem moresque describit eosque ad fidem converti cupit.

IESVS

Reuerendo in Christo padre mio Preposito

La gratia di Christo sia con tutti amen.

Quanto a questi scholari Tudeschi noui [1], perche il R. P. Polanco me ha stimulato tanteuolte che io li mandasse, non adiungendo le conditioni et qualitadi di loro, cossi li ho mandato con il consentimento delli altri RR. Padri, benche non mi è parso che tutti fussino equali. Ma spero tutta via, che almanco de questi se farà vna bona raccolta al tempo suo, pur prometto a V. R. non mandar altri facilmente, secondo che me ha auisato il R. P. Polanco [2]. Prego la perdonanza umilmente, che in questo principio non ho fatto il debito mio secondo che io adesso intendo [3].

Iesus. Reverende in Christo pater praeposite. Gratia Christi cum omnibus sit. Amen.

Quod ad novos istos scholasticos germanos [1] attinet, quia ad eos mittendos R. P. Polancus tam saepe me exstimulavit neque indicavit, quales et quibuscum condicionibus mitti oporteret, ego ceteris RR. patribus consentientibus eosdem Romam misi, licet cuncti pares esse non mihi viderentur. Attamen spero ex iis saltem tempore suo bonam messem factum iri; promitto tamen R. V. me alios haud facile missurum, sicut R. P. Polancus mihi praecepit [2]. Veniam autem demisso precor animo, quod officio meo, ut nunc illud intellego, functus non sum [3].

---

[1] Alumnos collegii germanici dicit; cf. supra p. 436—437.

[2] Cf. litteras ea de re a S. Ignatio ad praepositos et rectores domorum et collegiorum S. J. datas Roma 2. Ianuarii 1554 et „Informazione per parlare alla Maestà Cesarea sopra il Collegio Germanico", in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 409 ad 411. 4—7; 414—417. 35—39. Vide etiam *Steinhuber* l. c. I, 12—13. 18.

[3] Dubium esse vix potest, quin a Canisio in collegium germanicum missi sint hi adulescentes (aut omnes, aut maior pars), quos *catalogus antiquissimus eius collegii 5. Aprilis 1554 admissos esse refert (fortasse antea per aliquod tempus Romae in alia domo, probationis causa, tamquam hospites excepti et habiti erant): „Martinus Eckl Budbitianus Pragensis Dioecesis", „Gasparus Lutuuitz Silesius" [„Lutwitz de Rauderm", dioecesis vratislaviensis]; „Wolphaugus Spätt Furtnensis Bauarus" [dioecesis ratisbonensis]; „Stephanus List Austriacus" [dioec. passaviensis]; „Dionys. Feirabent Austriacus" [„ex Rabbs", dioec. passaviensis]; „Stephanus Carolus Spirensis"; „Joannes Forster Perchtolsdorfensis Austriacus" [dioec. viennensis]; „Colo-

Quanto al Reuerendissimo Labbaccense, credo che sarria ad propositum auisar la sua Reuerendissima Signoria de' questi suoi Maestri et alunni secondo che mi è scritto de nouo. Ma perche sua R. S. sta adesso in Labbaco, et forze tiene appresso di se quelli duoi Maestri, non ho voluto mandarli questi auizi. Spero che tornara per qua, et alhora pigliaremo l' occasione de auisar la sua signoria, con dire quanta humanita qui se habbia fatta alli soi. Iddio voglia, che sia al frutto delle anime sue[1].

Quanto a Polonia, sappia V. R. P. che hora sia tornato qua per Nuntio ouero Ambasiatore de quello Re il Magnifico Signor Martino Cremero[a] Canonico Cracouiense, con il quale io pigliai buona familiarita inanti pochi mezi, quando anche stette qui per l' ambasiatore del suo Re et Principe[2]. Hor ha fatto la promessa diligentia

Ad reverendissimum Labacensem quod attinet, conveniens quidem fore existimo, reverendissimum illum dominum de istis magistris alumnisque suis ea edoceri, quae iterum ad me perscripta sunt. Sed quia ille R. D. nunc Labaci commoratur ac duo illi magistri fortasse cum eo sunt, litteris eum de rebus illis certiorem facere nolui. Spero autem huc eum rediturum, et, cum redierit, occasionem arripiemus dominationi eius exponendi, quam liberaliter alumni eius isthic habiti sint. Quod utinam ad salutem eorum sempiternam valeat[1].

Quod ad Poloniam attinet, sciat R. P. V. nunc regis illius nuntium sive legatum huc rediisse magnificum dominum Martinum Cremerum[a] canonicum cracoviensem, quocum ego paucis mensibus ante contraxi familiaritatem, cum eodem munere fungeretur, a rege et principe huc suo missus[2]. Is, quod promiserat, apud

[a] *Sic; sed scribendum erat:* Cromero.

mannus Kheysther Austriacus" [dioec. passaviensis]; „Joannes Seidl Olomucensis"; „Georgius Faber Austriacus" [dioec. viennensis]; „Jacobus Patz Austriacus" [dioec. viennensis]; „Alcibiades Gothart Wratislaviensis Sylesius"; „Wolphangus Wildperger Eberspergensis Bauarus" [dioec. frisingensis]; „Melchior Gertner Wratislauiensis Sylesius"; „Florianus Walt Carinthius" [archidioec. salisburgensis]; „Nicolaus Weydman Heluetius Heremitensis Dioecesis Constantiensis"; „Joannes Zimmer Spirensis"; „Bernardus Wildnperger Lanzionensis Frisingensis"; „Gasparus Krieger Labacensis"; „Gasparus Wiltzing Saltzburgensis": „Sebastianus Molitor Styrus" [dioec. neostadiensis]; „Stephanus Fasthang Styrus" [dioec. neostadiensis]; „Christophorus Hermann Nissensis Sylesius" (Cod. rom. „All. coll. germ." p. 6—9). Quae uncis quadratis inclusa sunt, ab eminentissimo cardinali *Andrea Steinhuber* ex antiquo „Libro iuramentorum" collegii aliisque fontibus eruta ac mecum liberaliter communicata sunt. Cf. eiusdem „Geschichte des Collegium Germanicum" I, 41—42.

[1] S. Ignatius Roma 27. Februarii 1554 Urbano Textori episcopo labacensi scripsit: Magistrum Antonium et D. Paulum „in rebus spiritualibus iuvare et in aliis studuimus, et utrique facultatem officii novi dicendi expediendam per Summi Pontificis signaturam curavimus. Quod attinet ad facultatem D. Paulo impetrandam ad haereticorum libros legendos, et alia quae ad ipsum pertinent, Doctor Canisius nostro nomine referet D. V. Reverendissimae, quid sentiamus ad Dei gloriam et animae ipsius et aliorum utilitatem expedire" (Cartas de *San Ignacio* IV, 436—437. 79—80). Dubitari vix potest, quin „D. Paulus" ille sit Paulus Scalichius, quem ecclesiae perturbatorem evasisse infra videbimus.

[2] Martinus Cromer (1512—1589), iuris utriusque doctor, anno 1547 a Sigis-

appresso li prelati de Polonia, raccomendandoli[a] questa nostra Compagnia, et principalmente ha procurato circa il Reverendissimo Varmiense[1], il qual e molto dotto, zeloso et Catholico, che lui desidera ogni modo hauer 10 persone della Compagnia[2], la mezza parte vorria hauer de Alemagnia, laltra de Flandria, et che fra loro fusseno almeno 2 o 3 professori in Greco et Latino et 2 sacerdoti. Quanto al luogo et le intrade, promitte ogni cossa, et senza dubbio farà il debito, essendoli tanta penuria delli suoi operarij et sacerdoti. Sappia V. R. che habbia la Jurisdictione integra, scilicet in spiritualibus et corporalibus, talmente che in Polonia, pochi Veschoui sieno tanto liberi et piu valenti a defendere la fede et Religione Catholica[3]. 2° tiene il Veschouato in Prussia, id est 100 milliaria Tudescha et piu de qua, doue molto e familiar la lingua Tudescha. Vnde desidereria anche

---

Poloniae praelatos diligenter modo praestitit; quibus Societatem hanc nostram commendavit atque imprimis hoc effecit, ut reverendissimus Varmiensis[1], vir doctissimus et religionis catholicae studiosissimus, decem Societatis nostrae homines habere plane cupiat[2], e quibus quinque Germani sint, quinque Flandri; atque inter eos minimum duos tresve linguae graecae et latinae magistros et duos vult esse sacerdotes. De loco et reditu optima quaeque promittit, nec dubium est, quin officio defuturus non sit; maxima enim operariorum et sacerdotum penuria premitur. Ac R. V. sciat integram ei esse iurisdictionis potestatem, in sacris rebus et in civilibus; quo fit, ut pauci episcopi poloni tam liberi sint plusque valeant ad fidem et religionem catholicam defendendam[3]. 2°: Episcopatus eius in Borussia est et centesimo milliario germanico atque etiam longius abest a Vienna, illicque lingua germanica usitatissima est. Qua de causa etiam cupit Sociorum illuc mittendorum

---

[a] raccomendoli *autogr.*

---

mundo Augusto Poloniae rege secretarius regius nominatus erat ab eoque praecipue rebus borussicis tractandis adhibebatur. Notum est eum postea varmiensis episcopatus administratorem (1569—1579) et episcopum (1579—1589) summa cum laude fuisse, libris etiam egregie conscriptis claruisse, inter quos historia Poloniae et opera apologetica maxime eminent (*Ant. Eichhorn,* Der ermländische Bischof Martin Cromer, in „Zeitschrift für die Geschichte und Alterthumskunde Ermlands" IV [Braunsberg 1869], 1—470. *Franc. Hipler,* Die deutschen Predigten u. Katechesen der ermländ. Bischöfe Hosius u. Cromer [Köln 1885] p. 83—93).

[1] Stanislaus Hosius; cf. supra p. 39.

[2] Hosius Cromero Heilsberga 21. Aprilis 1554: „Ut mitterentur ad me aliqui de societate Iesu, scripsi archiepiscopo Theatino [Marco Antonio Maffaeo] ante unum aut alterum mensem. . . Fortassis priusquam pedem ex Urbe moveant, sumptus in illos erit faciendus. Quem si magnum fore putas, tanto fac ut pauciores veniant. Sin autem absque meo sumptu venire possent Cracoviam usque, ibi eis provideri de sumptu curarem neque pauciores decem vellem" (*Stanislai Hosii* . . . Epistolae. Tomus II. Edd. Dr. *Franciscus Hipler* et Dr. *Vincentius Zakrzewski* [Cracoviae 1886. 1888] p. 429).

[3] Dioecesis exemptae varmiensis (Ermland, nunc regni borussici) magna pars ad Lutherum defecerat. Quod supererat, episcopo et in ecclesiasticis rebus et in civilibus subiectum erat, cum is princeps esset imperii germanici, ita tamen, ut Poloniae rex summum quoddam in eum imperium haberet. Praeterea episcopi varmienses „praesides" erant omnium Borussiae provinciarum, quae ad regnum Poloniae pertinebant.

quanto fusse possibile, che se mandasse la gente Tudescha almanco per magior parte o per 5 persone. Non resta altro se non che V. R. habbia le litere de questo Reuerendissimo Varmiense, sicome hauera spero subito che questo Legato sara tornato al suo Re, et il Reuerendissimo Mapheo [1] come io intendo, pigliara la cura de procurar sopra ciò in Roma. Tutto sia al [*sic*] gloria di dio.

Item questo Legato Polonico tiene in mandatis de circar vn predicator per la Illustrissima Regina sua, la qual e figliola del Re nostro Serenissimo [2]. Et specialmente vorria hauer vno delli nostri, secondo che il suo Re li ha detto, talmente che sta in buona speranza de poter impetrare questa gratia appresso il Re nostro, subito che sara tornato, sicome tornara de mane, come dicono, da Vngaria. Io li ho detto, che sarria conueniente, se il suo Re scriuesse sopra ciò a Roma, pur che non mancaremo per la parte nostra, volendo sempre, quanto sara possibile, gratificar et seruire al Re Serenissimo dei Romani.

Dice lui che se farebbe buon frutto in aula, et che non mancaria occasione de procurar li collegij in Polonia, sicome se fa in Sicilia. Credo piu facilmente li nostri per questa via hauerebbono ingresso a Cracouia, doue se troua la Regia piu uolte oltra la Vniuersita.

Il Signor eterno voglia aprire li [*sic*] nostri la strada per venir alli Tartari, li quali per vna parte sono sotto il Re de Polonia, per l' altra li soi vicini immediati [3]. Et come io intendo non sono mai statto

---

saltem maiorem partem, si fieri possit, vel quinque Germanos esse. Nec iam deest aliud, quam ut R. V. reverendissimi illius Varmiensis litteras accipiat; quas accepturam eam spero, simul ac legatus hic ad regem suum reverterit; Romae autem reverendissimum Maffaeum [1] eam rem sibi curae habiturum audio. Omnia in Dei gloriam cedant.

Item legatus hic polonus contionatorem iussus est quaerere illustrissimae reginae suae, quae serenissimi regis nostri filia est [2]. Et speciatim hic unum e nostris contionatorem quaerit; id enim rex ei praecepit; quare magna spe est se gratiam hanc a rege nostro impetrare posse, ubi hic redierit; rediturus autem esse ex Hungaria dicitur cras. Ego legato dixi conveniens quidem fore, ut Poloniae rex ea de re Romam scriberet; nos tamen quicquam in ea parte a nobis desiderari non passuros, cum semper, quantum fieri possit, seren. Romanorum regi gratificari et servire velimus.

Ipse autem asserit nos in aula illa bonam messem facere posse, neque occasionem defuturam esse collegiorum in Polonia nobis comparandorum, sicut in Sicilia comparantur. Hac via nostros facilius Cracoviam puto intrare posse, ubi, praeter universitatem, regia aula non raro moratur.

Dominus aeternus viam nostris aperiat, qua ad Tataros perveniant; quorum una pars Poloniae regi subiecta, altera eidem proxima est [3]. Equidem audio eos

---

[1] Marcus Antonius Maffaeus (Maffei), qui anno 1553 nuntius apostolicus in Poloniam venerat, Bernardino cardinali Maffaeo fratri mense Iulio eiusdem anni mortuo, in archiepiscopatu theatino successit (*Hosii* Epistolae II, 337—338. 430).

[2] Catharina, Ferdinandi I. filia, anno 1549 Francisco Gonzagae duci mantuano, eoque anno 1550 mortuo, anno 1553 Sigismundo II. Augusto, Poloniae regi, nupserat.

[3] Tartaria seu potius „Tataria" maior eam Asiae partem complectitur, quam nunc Asiam centralem et partim etiam Turcistanum appellant. Tataria minor sive

Christiani, vna gente crudelissima, la qual mitte sua consolatione in robar et spogliar li vicini Christiani. Tiene vna prouintia benche mal coltiuada, la qual e piu grande che tutta Spania, Italia, Germania insieme, sicome mi dice questo Legato Polonico, et maniano le carni delli caualli, beueno il sangue delle medesime bestie, stanno nelli soi tentorij quasi sempre accincti alla querra, sono della religion Mahumetana, ma peiori delli Turchi [1]. L' omnipotente Iddio sicome ha adgiutato per li nostri l' India barbarissima, voglia anche illuminar la Tartaria, vt sit unum ouile et unus pastor! [2]

Io me raccomendo spetialmente alle orationi de V. R. et raccomendo anche tutta Germania et Polonia.

De Vienna 16 Aprilis 1554

de V. R. P.

Figliolo indignissimo
Petrus Canisio.

S. Ignatius ad hanc epistulam per Polancum respondisse videtur mense Maio 1554.

---

numquam fuisse Christianos gentemque esse crudelissimam, quae ex furtis faciendis et Christianis vicinis despoliandis voluptatem capiat. Ac legatus ille polonus mihi dicit eos provinciam incolere, male quidem cultam, quae maior sit quam tota Hispania, Italia, Germania in unum coniunctae; equorum carnes manducant earundemque bestiarum sanguinem bibunt; in tentoriis suis fere semper ad bellandum sunt accincti; religionis sunt mohametanae, sed Turcis peiores [1]. Deus omnipotens, qui barbarissimam illam Indiam per nostros adiuvit, Tatariam quoque illuminet, ut sit unum ovile et unus pastor! [2]

Ego R. V. sacris precibus me specialiter commendo, iisdemque Germaniam et Poloniam omnem commendo.

Vienna 16. Aprilis 1554.

V. R. P.

filius indignissimus
Petrus Canisius.

---

europaea his fere imperii rossiaci provinciis continetur: crimeensi, astracanensi, casanensi. Poloniae regi olim paruisse traduntur Tatari czeremyssi et lipcovenses, qui Russiam rubram et Lithuaniam incolebant (*Mich. Ant. Baudrand,* Geographia P. 2 [Parisiis 1681], p. 289—290).

[1] Similia de Tatarorum barbarie refert *Sebastianus Münster* (1489—1552), ex monacho theologiae calvinianae professor in universitate basileensi factus, in „Cosmographia" sua, quae primum anno 1543 Basileae edita est. „Sie schlahen den Rossen die Adern auff, vnd trincken das Blut, oder bachen es mit Hirsen. Das Rossfleisch vnd anderer Thier essen sie halber gekocht, vnd die Ross so newlich gestorben sind, die essen sie gern, ob sie schon kranck sind gewesen, vnd schneiden allein das böss Fleisch herauss. Sie leiden kein Dieb: aber rauben achten sie Göttlich" (in editione Basileae a. 1588 facta p. MCCCXXX—MCCCXXXI).

[2] Io. 10, 16.

149.

CANISIUS
NICOLAO POLITAE,

philosophiae professori in universitate viennensi [1].

Vienna sub medium mensem Aprilem 1554.

Ex apographo, nuper confecto ex corpore quodam actorum Politae captivitatem spectantium; quae acta a Polita ipso congesta et altera quidem manu, sed eodem fere tempore transcripta esse videntur; nunc in archivo urbis cuiusdam asservantur.

Politam a Lutheranismo ad fidem catholicam reducere amice conatur. Ostendit ei, quam non recte ad Scripturam solam provocet in eaque explicanda suum novatorumque placitum sequatur, spretis Patribus, conciliis, theologis. Politam hortatur, ut Deum precetur vitaeque noxas paenitentia abstergat sicque viam sibi paret ad veritatem et pacem inveniendam.

Egregio Magistro Nicolao Politae
professori artium.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sempiterna. Audio, mi Polites, tecum incommode[a] agi, et utinam quod pateris non animi uitio fiat. Nosti enim permagni referre, qua de causa hoc ipsum quod patimur et sustinemus[b] aduersi, irrogetur. Nolo autem hic occinas mihi: Oportet magis obedire Deo quam hominibus[2]: Omnia su-

---

[a] incommodi *librarius recens.* [b] stustinemus *libr. rec.*

---

[1] Nicolaus Polites (Polita, Bourgeois), bruxellensis, circiter a. 1544 a Ferdinando rege Viennam evocatus, ut in academia linguam graecam, rhetoricam, philosophiam aristotelicam traderet, anno 1554, cum rhetoricam doceret, ob Lutheranismi suspicionem in custodiam inclusus est (*Aschbach* l. c. III, 53. 241—243. *Bucholtz* l. c. VIII, 192). Ad quae haec aduotanda sunt: 1. Universitas viennensis, ex ipsa sua institutione primisque legibus suis catholica, atque, si ita dicere fas est, per eminentiam catholica erat. Ferdinandus autem rex specialibus legibus caverat, ne quis in professorum ordinem cooptaretur, nisi catholicum se esset professus. Cf. librum „Der katholische Charakter der Wiener Universität. Eine Denkschrift der *theologischen Facultät*" (Wien 1863) p. 1—29. 56. 57. 2. Imperiali iure romano, quod tunc maxime vigebat, haereticus non solum in ecclesiam, sed etiam in societatem civilem scelus committere censebatur, idque magis nefarium quam ipsum crimen maiestatis; ideoque cum Catholicis Lutherani, Calviniani, Anglicani consentiebant haeresim non solum exsilio et bonorum confiscatione, sed etiam morte vindicari merito posse. Ita v. g. cum Calvinus 23. Octobris 1553 Genevae Michaelem Servetum (Servede), qui librum adversus sanctissimam Trinitatem conscripserat, lento igne comburi iussisset, non solum praecipui theologi helvetii atque imprimis Theodorus Beza, sed et Philippus Melanchthon tum litteris 14. Octobris 1554 datis tum peculiari scripto id probaverunt. Quam multi autem Angli ab Henrico VIII. et Elisabetha ob fidem catholicam crudelissime necati sint, omnes norunt. *I. Card. Hergenröther*, Katholische Kirche und christlicher Staat (2. Aufl., Freiburg i. Br. 1876) p. 423—442, et *eiusdem* Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte III (3. Aufl., Freiburg i. Br. 1886), 116—117. *Janssen* l. c. V, 464—468. [2] Act. 5, 29.

stineo propter Euangelium[1], nolo conscientiae meae repugnare. Primum enim et ipse homo es[2] qui[a] tuo in sacris iudicio fidere, tantumque ad diuina aestimanda sumere tibi neutequam debes, quantum te doctiores, et sapientiores, in Theologicis exercitatiores, alij quam plurimi ex professo possunt. Hominibus etiam non optimis, et magistratibus improbis nos accomodemus necesse est, si Christi uerbum et spiritum sequimur. Quod autem excipis causam religionis, equidem non improbarem, si recte tum intelligeres, tum defenderes praeposterum hoc genus nouae religionis. Tu Caesarem Regemque nostrum, et principes totius orbis maximos, modo paucos praetereas, nil scire, ac te unum una cum Neochristianis plus sapere putas? Apostatarum et seditiosorum damnatos iam olim errores recipis: Sacrorum uero Conciliorum, probatorum patrum, et communes[b] Theologorum sententias non recepis? Euangelij causam profiteri, verbum Domini plenis crepare buccis est facillimum, nihil non in suum quidem usum et fructum uertit Sathan, ut qui scripturas aduersus Christum ipsum haud ueritus est producere[3]. Sed non est regnum Dei in sermone[4], non in litera, non in labijs et usu contentiosorum. Propheticas quidem et Apostolicas literas pij colunt, et recipiunt uti certa, diuinaque oracula. Verum his non alligauit nos ita Christus, ut negligi uoluerit quicquid praeterea docerent Apostoli, sine scripto autem[c] plurima docuerant[d], quicquid insuper statueret atque consentienter obseruaret columna et firmamentum ueritatis[5], sponsaque Christi[6] sancta, nec unquam uiolanda ecclesia. Quid est igitur, cur ueteres et sanctos maiores, patresque tuos, quid illi crediderint et seruauerint, ita parui pendas et ad scripturas solas prouoces, in quarum[e] etiam interpretatione nos excludis, suspectos admittis, damnatos approbas, nouos istos audis, et uenerandam prae te contemnis authoritatem[f]. Nisi enim contempnis[g] Augustana confessione cur niteris? hoc est, arundineo certe baculo[7]. Cur e uia discedis Regia[8], nouum et priscis inauditum Sacramentorum numerum excogitans[9]! optemperandum ais ciuilibus magistratibus, et obstrepis ecclesiasticis? Theologiae uix limina forte salutasti, et summis de rebus audes statuere, quia hos et illos non optime quidem fidei scriptores contra praeceptum Magi-

[a] quia *libr. rec.* [b] communium *libr. rec.* [c] aut *libr. rec.*
[d] *Sic; sed legendum esse potius videtur:* docuerunt. [e] quantum *libr. rec.*
[f] authoritate *libr. rec.* [g] contemptnis *apogr. antiquum.*

[1] Cf. 2 Tim. 2, 10. [2] Matth. 8, 9. Luc. 7, 8. [3] Cf. Matth. 4, 6.
[4] 1 Cor. 4, 20. [5] 1 Tim. 3, 15. [6] Io. 3, 29. Eph. 5, 23—25 etc.
[7] 4 Reg. 18, 21. Is. 36, 6. [8] Num. 21. 22.
[9] Lutherus, cum primum septem catholicae ecclesiae sacramenta retinuisset, postea solum baptismum, cenam, paenitentiam ac tandem duo tantum, baptismum et cenam, admisit. Melanchthon in apologia confessionis augustanae tria sacramenta professus est: baptismum, cenam, absolutionem; ordinem quoque sacramentum dici cupiebat.

stratus, contra consilium spiritus consuluisti[1]. Ego causam tuam probis ualde displicere, ac uulgo suspectam[b] uideri nihil miror, magis illud doleo, si haec nullum tibi praebeat intellectum[c] uexatio[2] Mittamus nunc scandala, quibus infirmos offendere non erat prudentiae, multo minus autem[d] charitatis ac aedificationis Christianae. Hoc unum per Christi uulnera sacrosancta te rogo, te moneo frater, coniunctis ut animis pro fidei syncerae dono precemur et imploremus patrem illum luminum a quo omne donum[3]. Vtinam nos primum ipsi recta spectemus[e], nostrasque animorum sordes quomodocunque contractas expurgemus et expiemus seria poenitentia. Poenitentiam agite et credite Euangelio[4] inquit. Fastum igitur et peruicatiam animi procul abesse decet, ut succedat cor contritum et spiritus humiliatus gratum semper Deo sacrificium[5]. Hic nobiscum expendamus, quantum inobedientiae crimen, et quam seuere castigatum a Deo sit in rebellibus usquequaque. Cogitemus etiam, quam indigna sit hominibus doctis inconstantia, ut quae pluribus et sapientioribus semper placuerint, nos citra necessitatem[f] ridere, contempnere, reprehendere haec ipsa in sacris non uereamur. Si culpa est rei alienae ad se nihil pertinenti sese immiscere, quo pacto excusabimus praeposterum hoc studium, quo a professione nostra sic abripimur ut in alienam quasi messem[g] falce nostra grassemur, et sacra prophanjs admiscere illotis (quod ajunt.[h]) manibus occipiamus. Verum enimuero quorsum haec tu mihi? inquies. Atqui homo sum, et frater in Christo tuus, tuamque sortem doleo mi Polites, neque desistam precari Dominum, ut animae sit salutaris haec afflictio. Nullus me ad scribendum excitauit, neque putaui, crede mihi, poenam hanc carceris sequuturam[6]. Quo te amo syncerius, eo te moneo liberius, ut ne tantum sumas, tribuasque iuditio tuo sacris in rebus, quas neque intelliges, neque commode tractabis unquam nisi submittas totum animum non solum Byblicis literis, sed etiam ecclesiae dogmatibus atque sententijs. Jd si difficile uidebitur, cum propheta pete lucem caelestem. Jllumina oculos meos, ne unquam obdormiam

---

[a] tua *ap. ant.* [b] suspectu *libr. rec.* [c] intellectu *libr. rec.*
[d] aut *ap. ant.* [e] *Sic; sed Canisius fortasse scripsit:* sapiamus.
[f] citia necessitate *ap. ant.* [g] messe *ap. ant.* [h] agunt *libr. rec.*

---

[1] Librorum lutheranorum et similium lectio non solum legibus ecclesiasticis interdicta erat (cf. v. g. supra p. 309[3]), sed etiam civilibus, v. g. edicto vormatiensi, anno 1521 facto, et mandato Ferdinandi I., 12. Martii 1523 dato (*Reusch*, Index I, 80—87. *Wiedemann* l. c. I, 31—32. *Janssen* l. c. VII, 607—608).

[2] Is. 28, 19. [3] Iac. 1, 17. [4] Marc. 1, 15. [5] Ps. 50, 19.

[6] Sociis romanis frater aliquis viennensis perperam rettulisse videtur Canisium auctorem fuisse Politae in carcerem includendi. Polancus enim Roma 21. Iulii 1554 comiti de Mélito haec de Canisio scripsit: „A su instigacion se han echado en prision algunos predicadores de herética doctrina, y un lector público de aquella Universidad, hombre muy célebre“ (Cartas de *San Ignacio* IV, 235).

in mortem [*sic*][1]. Erraui sicut ouis quae perijt[2], uias tuas Domine demonstra mihi[3] etc. Paruulus esto, et ueram disces sapientiam[4]. Jn ecclesia lucem tibi paratam offendes: quicquid extra quaesieris augere tenebras potest, lucem dare non potest, et si Arrium ipsum scripturarum peritia superares. Haec ego tui amans et studiosus, prout ex tempore potui, satis quidem ut uides, tumultuarie scripsi. Tu bonam in partem ut spero, accipies omnia, quemadmodum ob tuae salutis rationem a me mittuntur[a] candide. Vale igitur in Christo Jesu frater, et age gratias diuinae uisitationi.

Petrus Canisius Theologorum
minimus.

Huic epistulae tempus, quo data sit, non est ascriptum. Ex epistula autem proxime subicienda certo constat Politen exeunte Aprili a. 1554 Viennae in custodia publica fuisse; atque actis illis antiquis, ex quibus haec epistula nuper transcripta est[5], probabile redditur eum sub medium Aprilem captum esse. Paulo post ei litteras has missas esse litterae ipsae ostendunt.

Canisius postea Politen etiam coram adhortatus est. Tandem hic, cum in Lutheri dogmatibus persisteret, mense Iulio a. 1554 cum suis de Ferdinandi regnis omnibus eiectus est[6].

150.

CANISIUS

P. LEONARDO KESSEL,

Sociorum coloniensium praeposito.

Vienna 30. Aprilis 1554.

Ex apographo, anno 1886 Romae facto ex epistula archetypa, quae tunc ibidem erat in bibliotheca Ludovici comitis de Paar, imperatoris Austriae apud summum pontificem legati. Inscriptio epistulae deest; sed super primis eius verbis manu (ut videtur) antiqua scriptum est: „1554. 30 aprilis. Vienna. D. Canisij ad Kesselium."

Gaudet de Theodorici fratris sui adventu et ineundae Societatis proposito. Sociis coloniensibus prosperum rerum successum gratulatur et optat, ut Ioannes Gropper eos tueatur. Se in collegium archiducale transiisse. Politen professorem ob haeresim in custodiam inclusum esse. De suis Sociorumque contionibus. Societatem haeresi in dies progredienti obsistere. De compendio theologico et de scholastico quodam.

IESVS

Reuerende in Christo frater gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus nobis amen.

Quo insperatior, eo gratior fuit fratris adventus, quem paulo post, ut opinor, in Vrbem mittemus, quamquam id amicis illius indicandum

[a] mittitur *libr. rec.*

[1] Ps. 12, 4. [2] Ps. 118, 176. [3] Ps. 24, 4. [4] Cf. Luc. 10, 21.
[5] Vide supra p. 462. [6] Plura v. infra, monum. 88.

non est, neque in literis omnibus quas his adjunximus perscribitur[1]. Benedictus dominus, qui Theodericum hunc semel ante annos[a] interceptum, vestra nunc opera sic confirmatum nobis reddidit. Ita iure uobis debetur et multo quidem amplius pecunia, quam Noviomagenses ut spero, persolvunt. Res ipsa certe docet, quanti profuerit me isthinc ablegari (nam et paucissimis opinor commodarem praesens) et R. T. isthic retineri, quae in hoc mari Coloniensi tales Christo pisces colligit ac fovet[2]. Ego quidem sensi Coloniae talia desideria, et ut mihi videbatur responsa, fore ut nostri perpetuo servirent et sanctissimis gentium primitijs, et tot mille[b] Virginum choris, et aureis etiam martijribus[3]. Faxit Sanctorum Caput Christus, ut per vos procedant atque perpetuentur quae seminare voluit R. D. Faber[4], et quae morte sua confirmaverunt fratres Lambertus et Petrus[5]. Habetis faventes, uti credo, Carthusienses praeter alios bonos: dominus quaeso, et numero et virtute augeat Coloniae societatem, quam etiam R. Domino meo Groppero[6] placere non tam nostro quam illius nomine plurimum laetor. Faxit Christus, ut sicut pro fide et religione Sanctae Ecclesiae Coloniensis hucusque pugnavit, ita societatis nostrae partes etiam tuendas in eadem Ecclesia suscipiat, sincera scilicet cum animi erga Christum et sanctos eius propensione.

Ut pauca de nostris subijciam, novum adeunt collegium a Rege procuratum, quod magnas tum ipsis, tum populo et juventuti praebet commoditates[7]. Ego in professorum Collegio publico et Archiducali moror, sic urgente Rege, ut Reformandi gijmnasij causae me accommodem[8]. Nunc laus Deo Opt. Max. gijmnasij res procedunt rectius,

[a] *Sic apogr., sed fortasse mendose.* [b] *Sic;* millium?

[1] Theodoricus Canisius Viennam venit, ut in Societatem admitteretur; Socii autem viennenses, ut eius constantiam explorarent, eum Romam ire et ab Ignatio ipso admissionem petere iusserunt (*Raderus,* Can. p. 284—285).

[2] Cf. Matth. 4, 19. Marc. 1, 17.

[3] Sanctos Magos, qui primi e gentilibus Christum adoraverunt, sanctam Ursulam martyrem eiusque socias, sanctos Gereonem et Gregorium cum sociis martyribus Canisius significat; horum enim corpora Coloniae requiescunt.

[4] Beatus Petrus Faber S. J.

[5] Lambertus de Castro et Petrus Kannegiesser; cf. supra p. 121—123. 288.

[6] De doctore Ioanne Gropper, praeposito bonnensi etc., vide supra p. 204[5] etc.

[7] Collegium illud a Ferdinando in monasterio Carmelitarum collocatum est; cf. supra p. 446—448 et infra p. 471.

[8] *Sacchinus* in a. 1554: „Eius anni principio, quod pridem Ferdinandus Rex postulauerat, concedendum fuit, vt Canisius in Collegium Archiducum Viennae migraret, alter Parentum (ita duos Praesides vocant) in eo futurus. Professores disciplinarum variarum septem agebant in eo Collegio, et aliquot praeterea studiis operati. Magna, religiosi Patris praesentia, morum commutatio facta est: magna ad quietem, et tranquillitatem accessio“ (De vita Canisii p. 85—86). In collegio archiducali, anno 1384 ab Alberto III. Austriae duce prope monasterium Praedicatorum constituto, 12 artium magistri communem vitam agere gratuitoque victu uti poterant, iique Canisii tempore ordinarii fere in universitate erant philosophiae pro-

quam multis abhinc annis: professorum unus in vincula coniectus est, quod sectarios sequeretur, etsi doctrina sit minime contemnenda[1]. Contionandi munus a quinque nostris exercetur[2]: fructus inde redit ad populum, qui nobis quam antea conciliatur indies magis ac magis. Vocamur in Boemiam[3], Poloniam[4], Ungariam[5] et mecum agitur serio, ut adesse curem qui mittantur ad hasce vicinas provincias, nec desunt amplae promissiones. Rem omnem ad Praepositum referemus: messis profecto plus quam credi queat amplissima, sed inculta prorsus obijcitur: tot animarum millia (proh pudor ac dolor) indies pereunt. Serpunt hereses nephandae, fidei labefactatur[a] soliditas, Ecclesiae spernunt omnem auctoritatem. Apud Regem interim et supremos Consiliarios, qui nos amant inprimis, defendimus Religionem, nec id nesciunt hostes fidei, quos nobis infensos esse propterea minus admirandum sit[6]. Sed confitebimur ore quod corde credimus[7], ut fidei perfectum a nobis officium tribuatur. Ego in Ecclesia Episcopali concionari pergo, nec est exiguus numerus auditorum, fructus utinam in illis respondeat conatibus. Tum a societate nostra postulat Rex, ut pro schola Theologica et pro istarum tot provinciarum reformanda iuventute conscribantur quae sacris de rebus maxime noscenda sint. Ea in re non minimam quoque nos curam et operam impendimus.

Remittimus M. Arnoldum, ne hic reddatur deterior si maneat: egeram cum eo, ut faceret exercitia, sed ob migrationem nostrorum satius esse duximus, ut relinqueretur vobis hic fructus. M. Adriani filius fuit[8], gustavit spiritum, sed relicto confitendi more mutatus est non in melius. Rogo sit uobis commendatus in domino. Iurisperitus esse cupit, sed sine ratione. Laudatur valde ob doctrinam et in-

[a] labectatur *archet.*

fessores; quibus praeter duos „parentes“ theologos, qui ex capitulo cathedrali peti solebant, „prior“ praeerat, a collegialibus libera electione constitutus. Hoc munus tunc Andreas Dadius (Kyenboom) philosophiae professor administrabat (cf. supra p. 415). Guilielmus Coturnossius (Quackelbein), flander, in eodem collegio tunc „Physicus secundus“ erat et philosophiam aristotelicam exponebat (*Aschbach* l. c. I, 39—40. 43—44; III, 44—45. 58. 160—161. *Herm. Zschokke*, Die theologischen Studien und Anstalten der katholischen Kirche in Oesterreich [Wien und Leipzig 1894] p. 142). [1] Nicolaus Polites; vide supra p. 462[1].

[2] Vide infra, monum. 96.

[3] Capitulum metropolitanum pragense a Ferdinando rege Societatis homines petiit. Vide infra, monum. 109. [4] Vide supra p. 459—460.

[5] Nicolaus Olahus (Oláh) archiepiscopus strigoniensis iam tunc Societatem in Hungariam invitasse videtur. Vide infra, epistulam Canisii 8. Iunii 1554 ad Polancum datam, et *Socher* l. c. p. 88—90.

[6] Canisius Viennae „Ferdinando Caesari pro concione Euangelium exposuit; Et cum non absque vitae discrimine regiam peteret, armata manu in aulam deduci Ferdinandus Canisium imperauit“. Ita *Raderus* in vita Canisii (p. 48—49), in qua se „nihil nisi testatissimum collocare“ affirmat (p. 234).

[7] Rom. 10, 10.

[8] P. Adrianus Adriani S. J. Arnoldo a sacris confessionibus fuisse videtur

30*

genium, quare et secundus fuit in praeconio [?][a] anno superiore cum promoveretur. Si nolit esse societatis, velim ut studiosum et honestum illum commendes D. D. Groppero, aut amico simili. Sic enim promisi. Reliqua ex fratrum literis. Raptim et impolite ultima Aprilis 1554 Viennae

Mittes Nouiomagum reliqua scripta.

Salutabis amicos omnes et R. p. priori[1] ages gratias pro misso libello Petrus tuus Canisius.

151.

CANISIUS

SUPREMO REGIMINI AUSTRIAE INFERIORIS[2].

Vienna mense Aprili vel Maio 1554.

Ex *Th. Wiedemann*, Geschichte der Reformation und Gegenreformation im Lande unter der Enns I (Prag 1879), 132—133. Wiedemann autem ex actis consilii monasterialis („Klosterraths-Acten") viennensibus haec hausit. Editor, cum anno 1889 Viennae degeret, acta illa videre non potuit.

Quid de institutione quadam censendum sit, quam Ernestus archiepiscopus salisburgensis de ratione contionandi et doctrinae christianae tradendae in lucem emittere volebat.

Ernestus Bavarus, archiepiscopus salisburgensis, 30. Martii 1554 Ferdinando regi commentarium quendam libelli misit, quo parochi et contionatores ad recte docendum instituerentur. „Ferdinand", inquit Wiedemann, „befahl nun der niederösterreichischen Regierung (Pressburg, 10. April 1554) . . . die Instruction in Sachen der Pfarrer und Prediger dem Canisius und der theologischen Fakultät zur Prüfung zu übergeben. Letzteres geschah am 14. April. Canisius arbeitete rasch, die n. ö. Regierung langsam und bedächtig. Am 9. Iuli referirte sie endlich:

Die Instruction des Erzbischofes in Betreff der Prediger berühre Punkte, die noch bei dem allgemeinen Concile stehen, diese Punkte jetzt zu erklären sei bedenklich, weil die Erklärung des Conciles anders erfolgen könnte, dann sei die Instruction der Art, dass sie, nicht in Form einer Postille gestellt, zu kurz und zu wenig unterscheide, dann wieder zu hoch oder zu weitschweifig sei; sollte sie, woran nicht zu zweifeln, gedruckt werden, dann könnte wohl dagegen geschrieben werden, dess-

[a] Precio? *Vocabulum obscure scriptum.*

[1] Gerardo Hammontano, Carthusiae coloniensis priori.

[2] Tempore Ferdinandi I. Austria duo habebat „regimina" („Regierungen"), unum Viennae pro provinciis Austriae inferioris, alterum Oeniponte pro Austria superiore cum „expositura" sive peculiari magistratu pro Alsatia etc., Ensishemii collocato. Utrumque regimen habebat praesidem („Statthalter"), cancellarium, aliquot consiliarios sive „regentes" (*Alf. Huber*, Geschichte Oesterreichs IV [Gotha 1892], 207—208).

halben möge sie noch von einigen Universitäten geprüft werden und es sei trotzdem nothwendig, dass von etlichen gelehrten und verständigen Theologen eine rechte, ordentliche Hauspostille für Geistliche und Weltliche zusammengetragen und aufgerichtet werde. Der Herr Bischof möge seine Instruction drucken und vertheilen lassen, jedoch auf eigene Faust und ohne Zuthun und Approbation der K. Majestät."

Ex his conici potest, quid de institutione illa Canisius ipse senserit et rescripserit.

Institutionis huius auctor erat Ioannes Fabri O. Pr., ecclesiae cathedralis augustanae contionator [1]. Examinata est etiam a Wolfgango Sedelio (Seidl), monacho tegurino (Tegernsee) O. S. B. et contionatore monacensi; qui anno 1555 adnotationes quasdam ei ascripsit [2]. Tandem anno 1556 Dilingae in lucem prodiit sic inscripta: „Christenliche, Catholische vnder- | richt, wie sich die Pfarrer, Seelsor- | ger vnd Prediger im Saltzburger | Bistumb vnd Prouintz, in jren Predi- | gen, zu vnderrichtung des Christlichen | volcks, halten: vnnd das volck, sonderlich | in nachuolgenden Articuln, zů verhü- | tung schädlicher irrung vnnd spaltung, in vnserm waren Christ- | lichen Glauben, nach alter | Catholischer Leer, | vnderweisen | sollen. | *Anno salutis humanae,* | M. D. LVI." In extrema libri parte: „Getruckt zu Dilingen, durch Sebaldum Mayer." 4°; ff. LXXX et praeterea in initio 10 ff. non signata (addito titulari). Auctoris nomen non indicatur. Exemplum huius operis vidi Viennae in bibliotheca universitatis (Theol. past. II, 140) [3].

152.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Vienna mense Maio exeunte vel Iunio 1554.

Ex epistula archetypa (2°; 1 p.) ab Alberto V. Bavariae duce ad S. Ignatium missa et ab Alberto ipso subscripta.

Commentarius epistulae est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I." f. 3.

Epistula Alberti integra ex archetypo transcripta est in *Acta Sanctorum* Iulii VII (Antverpiae 1731), 501—502, et ex iis in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 503—504 [4]. Hic ea tantum ponuntur, quae ad Canisii epistulam (iam non exstantem) spectant.

Albertus V. Bavariae dux S. Ignatio Monachio 20. Maii 1554 haec scripsit: „Vestrj ordinis Societatis Jhesu Theologos omnes ab Jngolstadiensj Academia nostra auocatos permoleste tulimus, Nam et doctrina et vitae sinceritate non solum lectorum munere inter scolares, sed et Concionatorum ad populum magno cum fructu foeliciter functj sunt, ea propter ipsos lubenter nostris gratia et fauore complexj sumus, ... Verum quod Collegij illius erigendi cura hactenus est intermissa, non nobis quj paratissimj semper fuimus, . . . est imputandum, Sed presentj turbatissimo afflictissimoque [a] *omnium rerum in Ger-*

[a] *In comm. additum in margine.*

[1] *Nic. Paulus* in „Der Katholik", 73. Jahrg., II (Mainz 1893), 221—222.

[2] *Nic. Paulus*, Der Benediktiner Wolfgang Seidl, in „Historisch-politische Blätter für das katholische Deutschland" CXIII (München 1894), 181.

[3] Operis auctor ipse in praefatione indicat librum suum a doctis viris recognitum esse; scribit enim: „Es ist dieser reine katholische Unterricht durch hoch gelehrte Doctores und christliche Lehrer ganz treulich gestellt worden."

[4] Cf. etiam *Verdière* l. c. I, 284—285.

mania statuj, . . . Ne tamen ista perpetua temporum iniuria Theologicj Collegij causa apud nos diutius suspendatur, Jussimus apud dictam scolam nostram Jngolstadianam fundum compararj et nouum extruj collegium, quod etiam annuis redditibus dotarj curabimus[a] [1], *quemadmodum ea de re ad vos Magister Petrus Canysius perscribet, Petimus igitur a vobis, vtj et Sanctissimo D. N. ea de causa*[b] *perscribimus* [2], *ut curetis tam dictum Canisium quam alios duos Theologos*[c] *etiam aliarum facultatum professores ad nos mittere quj obsequium suum et ministerium legendj et concionandj impendant.“ Plura expositurum Henricum Schweicker ducis secretarium, qui ea de causa Romam mittatur.*

153.

CANISIUS

P. IOANNI DE POLANCO S. J.

Vienna 8. Iunii 1554.

Ex apographo recenti, facto ex autographo.
Aliquas epistulae particulas germanice edidi in „Katechismen“ etc. p. 20—22.

De collegii germanici alumnis quibusdam labacensibus, Paulo Scalichio cabbalista, monasterio Carmelitarum Sociis tradito. Patrem Lainium Viennam venire cupit. Collegii rectorem cantum nimis urgere, litterarum studia minus curare. Se non posse catechismum suum ita conformare, ut parochorum etiam enchiridion sit. Ad catechismum absolvendum se vehementer impelli. Partem eius Romam mittit corrigendam. Indicae litterae quantum valeant. Noviomagi Societati domum offerri. Se in Hungariam profecturum. Regis nomine rogat, ut Ignatius valetudinariorum quorundam negotium apud pontificem gerat.

IESVS.

Reverende in Christo pater gratia domini semper nobiscum.

Primum divinae bonitati gratias ago, quae afflictam restituit valetudinem charitati tuae, cui non immerito sanitatem precari diuturnam debemus. Literas autem, quas etiam valetudine nondum liberatus adversa scripsisti, lubenter accepi mense, quo et scriptae fuerant, superiore [3].

De Reverendissimo Labbacensi, ut antea quoque respondi, nos etiamnum metuimus, ne suo malo revocet istos alumnos [4], quemadmodum jam priores duos ex urbe reversos excepit [5]. D. Antonium

[a] *In comm. verba* quod — curabimus *in margine adscripta sunt.*
[b] *In comm. haec tria verba supra versum scripta sunt.*
[c] *In comm. verba* duos Theologos *in margine addita sunt.*

[1] Cf. supra p. 327 [2]. 398. 425—426.
[2] Hae litterae, nondum editae, ponentur infra, in „monumentis ingolstadiensibus“.
[3] Has litteras non novi; spes autem est eas in „Nova serie litterarum S. P. N. Ignatii“ editum iri.
[4] Bartholomaeum Philiuslaufer [Laufer?] et Ioannem Kobenzl (cf. supra p. 445 [4]). Kobenzl a. 1558 Sociotatem Iesu ingressus est (*Steinhuber* l. c. I, 23 [2]).
[5] Cf. supra p. 458.

ad sacerdotalem ordinem statim evexit; Doct. Paulum retinet quidem apud se, sed ut non semper inter ipsos optime conveniat. In postremo colloquio cum me rogaret, doct. eundem ut admonerem atque meliorem in viam si possem reducerem, aperte respondi, non reliquum videri locum admonitioni meae, quamdiu admonendus ille tanto in pretio haberet mordicusque retinere vellet suam Caballisticam, qua fretus iactaret, se de omnibus nullo negotio et in utramque fortasse partem disputaturum. Quae res parum illi honoris, ut dicebam, apud nostros hic professores parit laeditque Theologo dignam existimationem[1]. Cras abiturus est iterum Episcopus ad Ecclesiam suam; sed conor, ut amicus abeat, qui aliquandiu propter nostras de his suis alumnis admonitiones nescio quo dubio in nos animo videtur fuisse. Non abs re facturus erit P. Schorichius, si literis ad Episcopum datis concludat hoc de alumnis negotium, ut intelligat ille, quo pacto sint a nobis dimissi, et quid R. P. Ignatius de ipsis sentiat. Haec inter vos longius.

Adiumento nostris Episcopus fuit apud Regem, ut Carmelitarum monasterium liberum et integrum habeant; de proventibus annuis et de placandis utcumque Carmelitis, aut de consensu Pontificis in hanc translationem impetrando nondum, ut vellemus, agitur[2]. Nunc haud

---

[1] Paulus Skalich de Lika (1534—1574), Zagrabiae (Agram) in Croatia nobili genere ortus, ingeniosus quidem atque eruditus, sed inconstans laudumque avidus erat. Viennae litteris excultus, anno 1553 Bononiae „theses divinas, angelicas, coelestes, elementales, humanas, Christianas, philosophicas, metaphysicas, physicas, morales, rationales, doctrinales, secretas, infernales“ publice defendit. Postea Romam profectus et cum litteris commendaticiis Iulii III. Viennam reversus, ibidem capellanus regis constitutus est et anno 1556 opus „Occulta Occultorum Occulta“ edidit. Cum autem anno 1557 in universitate viennensi insulsas quasdam sententias theologicas defendisset, Tubingam ad Lutheranos aufugit ibique in summum pontificem et Iesuitas acriter invectus est. Anno 1561 ab Alberto Borussiae duce lutherano invitatus, Regiomonte (Königsberg) theologiam docuit et plenum in Albertum imperium obtinuit, a quo non solum consiliarii officio ac multis pecuniis et agris, sed et oppido ac praefectura creuzburgensi donatus est. Scripto quodam asseruit in Christo tres esse naturas, idque multis circulis, triangulis, quadrangulis demonstrare conatus est. Precibus etiam cabbalisticis ac nummo annuloque magico ducem decepit, donec, communi in se odio concitato, officio et bonis privatus atque ex Borussia exsulare coactus est. Ab episcopo monasteriensi receptus, in ecclesiae catholicae tandem pacem rediisse videtur; immo sunt, qui asserant ipsum ducem Albertum haud multo ante obitum suum cum ecclesia catholica Scalichii opera reconciliatum esse (*Bucholtz* l. c. VIII, 223—224. *Denis* l. c. p. 536—537. *Nic. Leutheringerus*, De marchia brandenburgensi l. 14, n. 7—9 [Scriptores de rebus Marchiae brandenburgensis I (Francofurti et Lipsiae 1729), 484—488]. *Janssen* l. c. IV, 187 ad 188. *Zeitschrift* für katholische Theologie, 18. Jahrg. [Innsbruck 1894], p. 411 ad 412. *C. A. Hase*, Herzog Albrecht von Preussen und sein Hofprediger [Leipzig 1879] p. 292—317. 374—377).

[2] Ferdinandus circiter initium mensis Augusti a. 1555 Augusta Vindelicorum ad Ioannem cardinalem Morone, regnorum suorum protectorem, et ad Ottonem cardinalem Truchsess scribi iussit, ut sedis apostolicae dispensationem impetrarent, qua possent „fratres eiusdem Societatis, qui iam Viennae in Austria multo multorum

parum negotii facessunt nostris, quae primum in alienas desertasque sedes immigrantibus obvenire solent [1]. Magnum profecto fructum in vicinas undique provincias ex hoc Collegio transfundi posse confido, si Dominus pro sua in oves errantes bonitate novis favebit operariis. In medio nationis pravae [2] versamur, haud secus quam in aedito loco [3] et ad clavum ipsum, quo vicini gubernantur populi, pulchre constituti. Jamque nos hinc evocant Poloni, Ungari, Boemi, Prussi, Bavari, nihilque de fide et sinceritate nostra dubitant, postquam tantopere nos Regi comprobatos esse cognoscunt. Id quod ego non tam in laudem nostrorum, quam ad cautelam dixerim, ut in constituendo hoc Viennensi collegio curam et diligentiam adhibere maximam velitis. Utinam semel huc mittatur Reverendus P. Laijnez et coram non videat modo, sed etiam consulat in medium, quae ad maiorem omnium profectum facere possent. Gratus esset Hispanis vehementer, et hi tum in aula Regis [4], tum in familia filii Maximiliani sunt frequentes; de assignandis Collegio reditibus facile concluderet tandem; conferret nobiscum de his, quae conscribi Rex postulat [5]; in summis

---

cum fructu versantur, licite et libere retinere, et integre posthac possidere monasterium B. Virginis, Ordinis Carmelitani", viennense. „Quod certe monasterium iisdem fratribus serenissimus rex assignavit, postquam seculares ibidem cum uxoribus habitare, ac sacrum locum profanare coepissent, et cum pater Provincialis eiusdem Ordinis Carmelitarum saepius ad hoc rogatus et requisitus a serenissimo rege nullos fratres eo mittere (tanta est penuria eiusmodi Religiosorum in tota Germania) et ad cultum divinum ibidem peragendum adesse curaret" (*Acta Sanctorum* l. c. p. 500. Cartas de *San Ignacio* V, 588).

[1] Die 24. Maii 1554 in monasterium illud immigratum esse refert *Socher* (l. c. p. 48). Polancus 21. Iulii 1554 Roma comiti de Mélito scribit in collegio viennensi 30 fere Socios esse (Cartas de *San Ignacio* IV, 233).

[2] Phil. 2, 15. [3] Cf. Matth. 5, 14. [4] Ferdinandus I. in Hispania natus erat et Ferdinandum „catholicum", Hispaniae regem, avum habebat.

[5] Ferdinandus I. litteris Vienna 15. Ianuarii 1554 a S. Ignatio petiit, ut a „doctis aliquibus viris" Societatis, „Romae existentibus", „compendium aliquod theologiae" conscribendum curaret, „quod tam ecclesiasticis quam secularibus instar regulae et normae esset, levique pretio ab omnibus coëmi posset". Se curaturum „illud statim" Viennae „typis excudi" et non solum in academia viennensi, sed et per regna sua „doceri", praesertim vero operam daturum, „ut illo parochi aliarumque ecclesiarum rectores in provinciis" suis uterentur. Deliberatum quidem sibi fuisse id opus nonnullis Societatis „doctoribus", „in academia Viennensi existentibus", committere; sed se cognovisse, „eos in vinea Domini tanta sedulitate alias praelegendo et docendo, tam in scholis quam in suggestu laborare, quod tanto operi absque dispendio et discipulorum suorum et christiani gregis, vacare nequaquam" possent. Ignatius Roma 27. Februarii 1554 regi rescripsit: Post quadragesimam manus illi operi Romae admotum iri. „Non dissimulabimus tamen, quod exactius, ac proinde doctius et difficilius, videtur opus necessarium esse, ut Viennae a Theologiae Professoribus praelegatur, quam, ut in provinciis a curionibus et ecclesiarum rectoribus, qui parum eruditi saepe esse solent, in manibus habeatur. Verumtamen utrisque hoc opus, quoad eius fieri poterit, attemperare . . . . enitemur" (*Acta Sanctorum* Iulii VII [Parisiis et Romae 1868], 508. Cartas de *San Ignacio* IV, 501—503. 437—438). Hanc Ignatii promissionem sibi gratissimam accidisse Ferdinandus eidem significavit *litteris Vienna 7. Maii 1554 datis, quae etiamnunc apud nos sunt.

quibusdam quaestionibus, quas Cancellarius [1] inter Theologos et Canonistas expediri vellet, operam navaret utilissimam; praesertim vero tum de studiis, tum de profectu fratrum hic nos instrueret, singulisque sua si quae sint opus, remedia daret. Privatam sane consolationem, quam ex R. P. praesentia mihi polliceri maximam possem, facile negligam; sed pro communi utilitate quid fieri expediat, vestrae fuerit et pietatis et prudentiae constituere. Paucorum solummodo mensium hoc iter erit. Coeperunt nostri in cantando se nunc exercere, dum Carmelitarum locum tenent, et ut verum fatear, mihi non semel displicuit facilitas R. P. Lanoij, qui ad cantiones huiusmodi in templo habendas et ad cerimonias quasdam fratrum imitandas nostris aut plusculum permittere, aut ipse sua sponte ita satis propendere visus est. Qua in re non opus est admonere prudentiam tuam, nisi quod magnopere cupio conformem vivendi disciplinam, qualem aliis collegiis R. P. Praepositus constituit, etiam extare in Germania, praesertim Viennae [2]. Video nunc a R. P. multos ad sacros ordines hic evectos esse, neque id unquam improbavi: in studiis autem adhiberi quoque curam velim, quod in scribendo tam pauci valeant, qui ad Magisterium tamen adspirant et forte non multo post exibunt sacerdotes. Haec ego libere, ut sapientiori praebeam de istis cogitandi occasionem, et huic collegio sit maxime prospectum.

Nunc ad literas tuas redeo, et miror, subito consilium esse mutatum de dividendo Compendio Theologico [3]. Promissum enim Regi fuit a nobis, alterum fore compendium pro parrochis, alterum pro gymnasii huius Theologis, et probavit Rex institutum [4]. Ego quod paravi, omnino seiunctum fuit, et cum Rex evolvisset, probavit cum suis admodum hoc meum vile opusculum [5]. Iam si eodem opere tum pueris, in quorum ego scripsi gratiam, et pastoribus vultis satisfieri, Regi non valde satisfiet, et mihi iam quinto aut sexto mutanda erunt omnia,

---

[1] Canisius non Albertum Widmanstadium, Austriae inferioris cancellarium, dicere videtur, sed doctorem Iacobum Ionam Ferdinandi vicecancellarium, Sociis amicissimum, quem etiam in litteris 16. Augusti 1554 ad Polancum datis „cancellarium" vocat. Is negotium illud „compendiorum" academicorum praecipue administrasse videtur (*Hartl-Schrauf*, Nachträge I, 145).

[2] „Cum Nostri Viennae ad Monasterium a Carmelitis desertum ingressi fuissent, cantabant officium tono quodam aequali, ob quod P. Ignatius Patri Lanoyo scripsit, ut per mensem integrum poenitentiam faceret. 1554." (*Responsa Generalium [S. J.] in ordinem redacta. Viennae, in bibliotheca aulica, Cod. 12404* [scriptus medio fere saec. XVII.] in v. „Cantus" n. 10). [3] Vide supra p. 412[1]. 472[5].

[4] Canisio tunc iam scripta fuisse videntur a Polanco, quae S. Ignatius Ferdinando Roma 18. Iulii 1554 scripsit: „Cum re serius pensata" idem „theologiae compendium curionibus, ut populum instruerent, et professoribus, ut in scholis enarrarent", „minime convenire posse intelligeremus", „visum est tandem, duplici labore utrumque opus inchoandum esse". Integram epistulam ex autographo Berolini exstante edidit *Gottl. Friedlaender*, Beitraege zur Reformationsgeschichte (Berlin 1837) p. 277—278; est etiam in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 467—468.

[5] Vide supra p. 454—455.

magnamque mihi conflare possum invidiam sine magno fructu ex hac tam diuturna cessatione. Quoties me admonet ac urget Cancellarius, maturandum esse opus, expectare typographum, quem saepius ad me misit [1], moram in gravi periculo esse, tot perire animas, quae pura doctrina libelli pascerentur, et veneno catechistico, quod nunc quotidie hauriunt, liberarentur hac aeditione. Igitur etsi valde probarem consilium tuum, ut Catechismi mei, priusquam in lucem exeat, formam videretis adeoque corrigeretis isthic, tamen difficile mihi visum est, bonis viris aequa postulantibus repugnare, in menses aliquos rem iterum differre ac reiicere, dum illuc eat et redeat libellus. Sed nolui tamen hic mihi fidere; dissimulavi haec universa, invito adhuc, ni fallor, Cancellario probatissimo viro, et alia mihi via Regis impetravi consensum, ut tantisper differretur aeditio, donec vestro etiam calculo approbaretur [2]. Nam sic etiam consultum videri, ut qui reliqua teneretis in manibus (de duplici compendio loquor), non prorsus ignoraretis partem hanc tertiam, quae velut fundamenti loco praestrueretur et aliis illis compendiis explicaretur. Itaque mitto puerilis Catechismi mei partem aliquam, et summis votis exopto, a vobis vel immutari vel corrigi omnia, deinde quae correcta erunt, huc quamprimum remitti, ut Rex etiam a nobis et vobis postulat maxime. Qua in re ne sitis quaeso nobis in moram, ego interim reliqua curabo transcribi et isthuc mitti, sed licebit in aedendo progredi, ut primum ista restitueritis ex Urbe. Quae primam libelli partem continent, multa exemplarium millia erunt.

Magnam aedificationem his attulit magnatibus, quod R. T. scripsit [3] nuper ad R. P. Lanoij de Regina Angliae [4], de tribus collegiis Ponti-

---

[1] Ad catechismum Canisii typis exscribendum a Ferdinando electus erat unus e praeclarissimis saeculi sui typographis, qui et bibliopola erat: Michael Zimmermann, antiquae nobilitatis vir; qui 118 opera Viennae edidit, atque inter ea evangelium syriacum, libros graecos, hebraicos, immo et arabicum opus (*Denis* l. c. p. XIII. *Ant. Mayer*, Wiens Buchdruckergeschichte 1482—1882 1. Theil [Wien 1883], p. 70—85).

[2] S. Ignatius in primis iam „Constitutionibus" sive prima constitutionum conscriptione, quam sub initium a. 1551 patribus Romae a se congregatis recognoscendam tradidit: „Quien", inquit, „tuviendo talento para escribir libros útiles al bien comun, lo hiciese, no debe publicar escrito alguno sin que primero lo vea el Prepósito General y lo haga mirar y examinar, para que, siendo cosa que se juzgue haya de edificar, se publique, y no de otra manera" (Constitutiones latinae et hispanicae p. 388). In constitutionibus autem expolitis et absolutis haec de libris vulgandis praecipiuntur: [El Prepósito General] „cometerá la examinacion dellos á lo ménos á tres de buena doctrina y claro juicio en aquella sciencia" (P. 3, c. 1, n. 18. Similiter P. 4, c. 6, O. et P. 7, c. 4, n. 11 [l. c. p. 93. 135. 223. 225]).

[3] Canisius litteras „communes" significat, quae Roma 1. Maii 1554 ad omnia Societatis collegia missae sunt; editae sunt in „Cartas de *San Ignacio* IV, 450—452. 134—139.

[4] „Qui in Roma ci siamo molto consolati questi dì per una lettera che ha scritto di sua mano, latina, la Regina d' Inghilterra al Papa riconoscendolo Vicario

ficis in oriente constituendis[1], de Germanico collegio Romae[2] etc. Permagni referet, de Indicis rebus et id genus aliis saepius huc mittere[3]: iuvantur enim istorum animi vehementer in Religione, cum inter pessimos haec accipiunt tam bona, laeta et salutaria.

De adventu fratris mei M. Theodorici, de discessu alterius[4], tum de statu rerum in hoc Archiducali collegio postremo egi fusius[5]. De Polonico Collegio nihil nunc novi[6]. Dominus gratia fidei sanctae septentrionalem partem illustret, ac Ecclesiae restituat amen.

Hoc ad extremum addam, me valde cupere, ut si nominis Iesu singularis festivitas non alio die, quam Circumcisionis Domini videtur observanda, saltem is ipse dies nos ad maiorem devotionem provocet, quibusdam privilegiis Societati nostrae in hoc impetrandis auctus et ornatus[7]. Qua de re scriptum est a me alias.

Soror novercae meae, quam habet matrem M. Theodoricus frater, offert Societati domum non contempnendam Noviomagi, ut hospitium sibi paratum illic habeant, quoties accedent, qui sunt huius nostri instituti[8]. Virgo est senex et pia certe, cupitque responsum, ut in alios pios usus domum hanc transferat, si oblatam recuset nostra Societas. Quare digna mihi videtur, cui vel per me vel per alios de R. P. sententia mox rescribatur.

---

di Cristo, e domandandogli la confermazione di 12 ó 13 Vescovi cattolici e qualificati che Lei ha presentato" (*Cartas* l. c. p. 452).

[1] Iulius III. a. 1553 Hierosolymae, Constantinopoli, in insula Cypro Societatis collegia condere statuerat; at eius morte aliisque rationibus in nihilum res recidit (*Cartas* l. c. p. 451. *Orlandinus* l. c. l. 13, n. 1. *Stewart Rose*, St. Ignatius Loyola and the early Jesuits [London 1891) p. 522—523. 588—589).

[2] „Il collegio Germanico passerà di 56 persone e di mano in mano si spera l' aumento assentandosi ancora le cose temporali, e quelli che ci sono, fanno buonissimo frutto nelle lettere e danno buon esempio della vita sua" (*Cartas* l. c p. 450—451).

[3] Epistula a Socio quodam ex Indiis missa typis exscripta erat anno 1553 (Cartas de *San Ignacio* IV, 8). Atque iam anno 1551 Coloniam allatos esse „libellos quosdam impressos de rebus Societatis et de martyrio Patris Antonii" [Criminalis in India occisi] nuper patefactum est litteris P. Leonardi Kesselii, Colonia 31. Decembris 1551 ad S. Ignatium datis, quae editae sunt in „*Litteris quadrimestribus*" I, 462—464. [4] Ottonis Canisii. [5] Epistula illa non superest.

[6] De hoc vide supra p. 459—460.

[7] In circumcisione domini „vocatum est nomen eius Jesus" (Luc. 2, 21). Pio Beati Petri desiderio plenissime satisfactum est nostro tempore per summum pontificem Leonem XIII., qui etiam 6. Decembris 1888 concessit, ut festum circumcisionis domini (1. Ian.) in universa Societate Iesu „sub ritu duplici primae classis" fiat, et 12. Ianuarii 1886 indulgentiam plenariam fidelibus cunctis obtulit, qui, confessi et sacra communione refecti, eo die vel uno ex septem proxime antecedentibus vel subsequentibus ab ipsis eligendo quamlibet ecclesiam vel capellam Societatis adierint ibique „secundum intentionem summi pontificis" oraverint. Ac simili indulgentia plenaria, petentibus Everardo Mercuriano et Francisco Retz praepositis generalibus, idem festum ornaverant Gregorius XIII. (7. Maii 1578) et Benedictus XIV. (6. Octobris 1750).

[8] Epistula illa sive oblatio virginis religiosissimae ponetur infra, monum. 108.

De profectione R. P. Lanoij et mea in Ungariam propter Synodum nihil dubito, quin audieritis[1]. Dominus illam bene vertat!

Habeo in mandatis a Rege nostro, ut ad R. P. Praepositum ipsius nomine mittam supplicationis formulam, ex qua intelligetur, quid sua Maiestas apud Sanctissimum impetrari velit coram per P. Ignatium, ut cui hac in parte fidit magis, quam alii, etiam Legato suo[2]. Agitur de hospitalium novorum erectione, cui causam praebuit testamentum relictum Caes. Maximiliani clarae mem. Confido, non difficulter exorari posse Pontificem, ut optimo Regi consentiat in his, quae contra nullius iuris dispositionem, et solum ad pias causas petuntur, sicut paulo post ex ipsis literis meis accipietis[3]. Scribo ad R. P. Laynes, ut si per vos liceat, et Domini voluntas concedat, huc ad[vo]let aliquando. Commendo me iterum atque iterum R. P. [T.] precibus et sanctis sacrifitiis, atque pro Germania nostra solliciti in Domino esse pergatis rogo. R. P. Olavum in Christo precor, ut mei opusculi quoque corrector accedat, neque ullo pacto condonet rudi authori, sive de stilo, sive de sensu agendum sit. Quod offitium a R. P. T. multo magis exopto et expecto: sed ut dixi, mora queso in remittendo sit quam minima, sic urgentibus me Regiis consiliariis.

Viennae 8. Iunii 1554.

R. T. servus Pet. Canisius.

---

[1] A. 1553 archiepiscopus strigoniensis (Esztergom, Gran) et primas Hungariae creatus erat eximius vir Nicolaus Olahus (Oláh); qui disciplinam ecclesiasticam, quinque synodis habitis, restituit et Societatis Iesu collegium anno 1561 Tyrnaviae constituit. Synodi ex proceribus ecclesiasticis et civilibus mixtae, quas „regias" appellarunt, Posoniae in Hungaria habitae sunt annis 1554 et 1555. De quibus *Ignatius comes de Batthyán*, episcopus Transsilvaniae, in „Legibus Ecclesiasticis regni Hungariae" I (Albae-Carolinae 1785), 622—624.

[2] Didacus de Lasso is erat.

[3] Ferdinandus litteris „in oppido Pardowicz" (Pardubitz in Bohemia) 21. Septembris 1554 datis Iulium III., ut Ignatio in eo negotio plene fideret, rogavit, seque id testimonium Canisio suasore Romam mittere, eodem die Ignatio scripsit (Epistulae Ferdinandi sunt in *Actis Sanctorum* Iulii VII [Antverpiae 1731], 497, et in Cartas de *San Ignacio* IV, 530—531). Ex epistulis, quibus Ignatius postea regem et Canisium de hoc negotio eiusque progressu edocuit, intellegitur Ferdinandum, praeter alia, haec petiisse: ut monasteria quaedam deserta vel quasi deserta in usum octo valetudinariorum a se condendorum convertere posset; ut valetudinaria aliqua ex uno loco in alterum transferre posset; ut indulgentiae quaedam valetudinariis illis concederentur (Cartas de *San Ignacio* IV, 483—484; V, 234—236). — Litteris autem Ferdinandi Vienna 4. Decembris 1554 ad Ignatium datis M. Singkhmoser secretarius eodem die „postscriptum" addidit (nondum in lucem emissum), in quo dicit: Regem testamento Maximiliani I. caesaris ad duas ecclesias exstruendas obligari: unam Oeniponte in honorem S. Leopoldi austriaci, alteram Falcianae (Wels, Austriae superioris oppidum). Id autem difficile ac quasi supervacaneum fore, praesertim cum Ferdinandus Oeniponte ecclesiam, collegium, valetudinarium aedificaturus sit. Ideo regem ab Ignatio petere, ut id efficiat, ut pontifex ab ea testamenti parte se dispenset (ex *commentario vel apographo, quod est Viennae in archivo aulae caesareae, „Niederoest. Akten" fasc. 4).

† Reverendo in Christo Patri meo M. Polanco de Societate Jesu Romae.

S. Ignatius ad haec respondit Roma 18. Augusti et 21. Novembris 1554.

154.

CANISIUS

P. IOANNI DE POLANCO S. J.

Vienna 7. Iulii 1554.

Ex apographo recenti, facto ex autographo.

Usi sunt hac epistula *Sacchinus*, Can. p. 86, et *Boero,* Canisio p. 109—110. Particulam eius proposuit *Germanus* l. c. p. 304.

Se e collegio archiducali liberatum esse. De alumnis collegii germanici labacensibus, „Directorio" Polanci, Theodorico Canisio, Lainio. Consultationes fieri de Austria in fide conservanda. Se ab episcopatu viennensi refugere. Magistratus, etiam catholicos, in ecclesiae iurisdictionem et bona invadere. Politen et alium haereticum pro merito castigatos non esse. In universitate viennensi iuvenes perdi. Lutheranismum in dies crescere. Sacerdotes paucos esse et nonnumquam pessimos. Consilia petit.

IESVS

Reverende in Christo pater gratia et pax divina nobiscum.

Postremis literis Catechismum nostrum adiunxi, quem bene correctum iam expectamus avide, ut Regiae tandem voluntati fiat satis. Dominus IESVS afflictum me febricula, brevi post liberavit; liberato addidit consolationem, ut Rex et primarij eius Consiliarij me fratribus restituerint, quod Medici admonerent, victum, quem in Archiducali Collegio sumebam, haud meae valetudini congruere [1]. Christo summas ago gratias, quod tam commode illinc me traduxerit, id est, a tempestate ad portum, a foro ad templum, a mundo ad domum spiritualem, ab exteris ad domesticos, Patres et fratres. Sed utinam diu liceat hanc retinere consolationem, non valetudinis dico, sed animae potius et quietis curandae causa: tantum enim ad tempus, quoad plene restitutus viderer, hanc concessere gratiam emanendi, offitio Parentis, ut vocant, non liberaverunt [2]. Fiat autem voluntas domini et Praepositi nostri. Sic se habent res illius Collegij, ut fructum sperare exiguum liceat, quantumvis coram adsim et praesim. Qua de re nuper a me plura, si meministis, scripta sunt.

Postremae literae vestrae, quas accepi, eadem prorsus quae et priores nuntiant de alumnis Domini Labbaccensis. Quoniam vero, ut scripsi, profectus est ad suos, neque cum illo postea licuit agere, nihil habeo quod respondeam aliud, quam satis illum videri admonitum, et utinam maiore cum fructu. Nam suos ex Urbe revocare quamprimum

---

[1] Cf. supra p. 466.

[2] V. epistulam Canisii 16. Augusti 1554 datam.

statuit, et iam opinor reversos excepit[1], quamquam grassante iam peste non parum afflictum aiunt in suo Episcopatu. M. Hubertus, quem hucusque fovit magistrum ludi, pestem fugiens, conditionem hic manendi captat, et brevi ut audio consequuturus est. Igitur et ille Viennae morabitur, sed utinam hoc fermento quod inter studiosos tam late spargitur, non vitietur et ipse, quem sane catholicum huc venisse sensi.

Miramur toties promissa, nunquam allata esse opuscula de summa Confessariorum. Et scire velim, sint ne redditi Reverentiae vestrae ducati duo, quos per Germanos adolescentes miseram nomine Reverendissimi Labbaccensis, ut exemplaria vestri operis acciperet[2]. Si redditi non sunt, bona fide mittendam curabo pecuniam aliam, rogo ut interim libellos non paucos huc transmittatis.

Commendamus vestris precibus in Christo causam Religionis. A Rege impetravimus, ut serio curet conferri bonorum consilia si quibus rationibus collabenti Religioni possit succurrj[3]. Igitur duobus Consiliarijs bene Catholicis[4], tum Domino Lanoij[5] et mihi commissa est haec consultatio, ut de Provintijs regijs in fide conservandis et instaurandis agamus. Dominus intelligentiae spiritum[6] addat[7]. De Viennensi episcopatu renovavit mihi tristem memoriam Reverendissimus Nuntius[8], falsum esse opto quod ex illius verbis suspicari cogor, et nuper ea de re scripto egi cum Reverendo praeposito nostro[9]. Non sinet ille Christi gratia favente, ut ex animo desidero, me miserum in tale pistrinum et Labijrinthum conijci: a dignitatibus liberet pauperes suos dominus JESVS crucifixus.

---

[1] S. Ignatius Urbano Textori episcopo: Bartholomaeum et Ioannem, „quamvis provectiores in sacris litteris ac theologica doctrina remittere exoptaremus; tamen ut morem geramus Tuae Dignitati Reverendissimae statim remittendos, impetrata a Cardinale Protectore aegre facultate, curavimus“ (Cartas de *San Ignacio* IV, 462).

[2] Polanci „Directorium“ dicit. Cf. supra p. 450.

[3] Canisium id impetrasse *Sacchinus* affirmat (Can. p. 95).

[4] Horum alter certe fuit Iacobus Ionas vicecancellarius, quem religionis vindicandae studiosissimum et piorum omnium patronum esse Canisius Polanco scribit 16. Augusti 1554.

[5] P. Nicolao Lanoio collegii viennensis rectori. [6] Eccli. 39, 8 etc.

[7] Sanctus etiam Ignatius huic consultationi multa subministravit consilia opportuna, litteris 18. Augusti 1554 ad Canisium datis.

[8] Iulius III. litteris Roma 20. Novembris 1553 datis Ferdinando significaverat se in vicem Martinengi nuntium mittere Zachariam Delfinum (Delfino), episcopum electum „Pharensem“ (Lesina, insula dalmatica) et praelatum suum domesticum (ex * litteris archetypis, quae sunt Viennae in archivo aulae caesareae, Romana 1553, n. 43). Delfinus id munus Viennae administravit annis 1553/54—1557 (aliqua a. 1555 parte excepta) et 1560—1565 (*W. E. Schwarz*, Briefe und Akten zur Geschichte Maximilians II. 2. Th. [Paderborn 1891], p. xix).

[9] Ferdinandus litteris sub idem tempus et ad procuratorem suum romanum et ad cardinalem Carpensem datis instanter egit, ut episcopatus viennensis Canisio imponeretur. Vide infra, monum. 104.

Frater meus M. Theodoricus valere se rectius quam in patria iudicat, confirmatque vires et instruit sese ad profectionem autumnalem [1]. Imbecillitas corporis fecit opinor, ut mihi non satisfacere possit in studijs, quae apud vos fortasse repetet commodissime: sic se dedit contemplativae vitae, ut vires pene amiserit in activa necessarias. Sed vegetiorem reddet subsequens profectio, et quae apud vos accedet exercitatio corporis quotidiana [2], confirmabit hanc valetudinem mediocrem.

Quod scripsi et rogavi, ut R. P. Laijnez huc mitteretur, iterum ex animo precor, et iustas opinor ob causas, quae postremo ex parte sunt indicatae.

Est adhuc ubi consilio vestro egeamus, praesertim ad causam religionis rectius promovendam. Magna se nobis difficultas offert, cum videmus, quibuscum de Christi et Ecclesiae negotio sit nobis agendum, cum illis scilicet, qui ut authoritate maxime valent, et religionis fautores videntur atque propugnatores primarij, ita nobis minime satisfaciunt. Primum enim fatentur, et Rex ipse non nescit, contra iuris communem dispositionem esse, magnoque cum conscientiae periculo fieri, quod ita se tueantur praescriptione temporis, et consuetudine priorum Archiducum inveterata contra libertatem et iurisdictionem ecclesiasticam. Igitur pergunt in foro civili de rebus et causis Ecclesiasticorum cognoscere, Ecclesijs gravia, fortassis et iniqua onera imponere [3], licet iam saepe ac multum reclament quidam Ecclesiarum Episcopi. Hinc iam emergit quaestio duplex: Una, quo pacto reformandus hic abusus, qui utinam non sit communis apud principes Germaniae. Altera, quomodo tractandi in foro interiori tales consiliarij et iudices, qui fatentur in confessione, quod iuxta receptam consuetudinem et commissionem sibi a principe suo factam procedant contra immunitatem, libertatem et iurisdictionem ecclesiasticam? Cognoscunt enim et iudicant, ut alij assessores, tum de rebus, tum de personis ecclesiasticis, quamvis sint laici, ita ut quae ad forum ecclesiasticum referri solent, ad suum tribunal revocent, ipsosque Praelatos coram se respondere faciant: sic enim usu receptum esse aiunt in Austria etc. De his igitur, quid pro huius loci ac temporis ratione faciundum sit maxime, gratissimum feceris, si scripseris enucleate.

Secunda difficultas, quae nos haud parum affligit, ea est, quod contra haereticos quamvis apertos, etiam Anabaptistas, qui a nobis examinati sunt, nulla instituatur saeveritas. Multis modis obstinationem suam declaravit Professor publicus, quem antea scripsi in

---

[1] Romam petiturus erat. V. supra p. 466.

[2] Societatis scholastici et magis etiam novicii in culina et in refectorio ministrant, domus cubicula verrunt etc., humilitatis exercendae causa.

[3] Haec confirmantur et illustrantur iis, quae narrant *Bucholtz* l. c. VIII, 142—176; *Wiedemann* l. c. I, 109—117; *Janssen* IV, 157—162.

vincula coniectum fuisse [1]. Toties admonitus perstitit in gravissimis erroribus, quos etiam scripto comprobavit, et nos a Regio Senatu iussi censuram obtulimus, ut haereticus esse ab omnibus intelligeretur et crederetur. Quid tum postea? Unus et alter censuit perpetuis carceribus hominem esse mancipandum: sed ea sententia demum lata fuit, ut abiret e ditione Regia. Sic aperitur fenestra, ut multos veneno doctrinae inficiat, quemadmodum aeque clementer actum est cum insigni haeresiarcha, qui non solum huc venit, sed etiam Regi obtrusit libellos suos horrendis blasphemijs vitiatos, et qui divinas sibi factas revelationes velut Joannes alter esset, palam iactavit [2]. Crescit interim, ut sentimus, haec maledicta lues tum inter professores, tum inter studiosos mirum in modum, ut academia nostra videatur monstra et impietates alere, iuventutem non sanare, sed perdere. Studiose queruntur, magnisque donantur stipendijs non uno in loco Austriae, qui maxime videntur Evangelici, hoc est, Lutherani, quorum libros esse infinitos tum in civitatibus, tum in pagis affirmare possum [3]. Magistratus aperte favent, sicut et vulgus, novae sectae: audent a Rege audacter petere communionem sub utraque [4], ea si negetur, seditionem vitari vix posse simulant et scribunt. Catholicorum interim sacerdotum summa ubique penuria, et hinc metus augetur Episcopis, qui uxoratos sacerdotes et apostatas ferre malunt in Ecclesijs, quam eas omni privare ministerio ecclesiastico [5]. Igitur neque principes, neque praelati audent moliri palam, quod tanta cum laude tentavit ac forte perfecit Angliae imitanda Regina [6]: et quo diutius dormiunt, dormiendo-

[1] Nicolaus Polites; cf. supra p. 462 [1].

[2] Rupertus de Mosham (Mosheim) significari videtur, qui a. 1522—1539 ecclesiae cathedralis passaviensis decanus fuit. Is a Deo se missum iactabat ad novam quandam ecclesiam condendam, quae neque romana neque lutherana neque anabaptistica, neque etiam zwingliana, sed „plane christiana, apostolica et evangelica“ esset; summum pontificem in numero antichristorum habebat. Anno 1537 Pragae Ferdinando et Viennae Ioanni Morono pontificis nuntio tres libellos suos praelegit („Informatio“, „Antichristianica“, „Antibulla“) in ecclesiam romanam valde contumeliosos, quos „non suo sed digito Dei conscriptos“ dicebat. Anno demum 1542 captus est et circiter a. 1543 in carcere mortuus.

[3] Polancus comiti de Mélito Roma 21. Iulii 1554 scribit: „En feria pública que se hacía en Viena se hicieron tomar todos los libros heréticos“ (Cartas de *San Ignacio* IV, 235).

[4] Communionem sub utraque specie a Ferdinando petierunt tres „status“, quos vocabant, ducatus Austriae superioris 11. Iunii 1554, duo status Austriae inferioris anno 1555 (*Bucholtz* l. c. VIII, 195—197. *G. E. Waldau*, Geschichte der Protestanten in Oestreich I [Anspach 1784], 117—118).

[5] Confer hac de re caput illud historiae germanicae a *J. Janssen* editae, quod inscriptum est: „Die religiös-sittliche Verwirrung in Oesterreich“ (l. c. IV, 96—105).

[6] Maria „catholica“ eo regni sui initio Anglos non minus fortiter quam suaviter et prudenter ad ecclesiam catholicam reducere conabatur ([*Ch. Dodd*], The Church History of England I [Brussels 1737], 446—447. *I. Lingard*, History of England. New ed. Vol. VII [London 1844], ch. 2, p. 134—141. *Ath. Zimmermann* S. J., Maria die Katholische [Freiburg i. Br. 1890] p. 47—59).

que perdunt reliquias istas Israelis[1], eo magis in peius proficiunt mali, sacra nobis omnia contaminant, breviter, quod lubet, hoc licet credere. Pluribus fortasse quam opus erat, haec persequor, sed monstranda est nostrorum hominum deploranda segnities, negligentia intolerabilis, et tot millium animarum, quae hinc subsequitur, perditio. Videat igitur, et in medium quoque consulat Reverentia tua, quid nos citra subsidium magistratuum in tanta licentia deceat agere, quo pacto item praecaveri queat extrema Religionis devastatio, quae hijs [*sic*] imminet provintijs. Dominus IESVS Germaniam tot modis afflictam respiciat tandem, avertat maledictionem, et impertiat benedictionem tum seductis tum seductoribus istis, accipiat pro nobis vestra sacrifitia et spectet desideria sancta, communiaque merita electorum omnium. Orate pro nobis Dominum, et fratres in Christo salutentur quam amantissime. Viennae 7. Julij anno 1554.

Servus in Christo indignus Canisius.

† Reverendo in Christo patri, M. Ioanni Polanco de societate JESV Theologo singulari. Romae.

155.

SOCII QUIDAM ROMANI CANISIO.

Roma sub medium mensem Iulium 1554.

Ex *Sacchino,* De vita Canisii p. 89—90.

Canisius ineunte Iunio priorem partem catechismi sui Romam miserat recognoscendam et corrigendam. „Respondere Romani Patres res, dispositionem, elocutionem, iudicium, denique cuncta plene probantes: adfuisse ei in labore illo propitium Deum, ut idem placeret pariter, ac prodesset.“ [2]

Ex epistula Canisii, 16. Augusti 1554 ad Polancum data, certo constat catechismum Romae recognitum esse a P. Andrea Frusio, rectore collegii germanici, et P. Martino Olavio, collegii romani rectore et theologiae professore. Eadem epistula verisimillimum redditur Polancum quoque et Iacobum Lainium, qui tunc per Italiam praepositi provincialis munus gerebat, suas addidisse censuras. Ac Lainium id praestitisse certum redditur epistula, quam Canisius ineunte a. 1557 ad eum dedit[3]. Atque hos quattuor singillatim Canisio scripsisse eadem epistula demonstrat. Sacchinus Polanci epistulam proxime secutus esse videtur, quam fortasse in eiusdem epistularum registro invenerat. Quando autem epistulae censorum una cum ipso catechismo Viennam missae sint, litteris ostenditur, quae Roma 19. Iulii 1554 Ignatii nomine Viennam missae sunt ad Matthiam[4] de Taxis, Ferdinandi I.

---

[1] 2 Par. 34, 9. 21. Mich. 2, 12 etc.

[2] Attamen paucula saltem a censoribus notata esse ex ipsius Canisii litteris, quas subiciemus, apparet.

[3] Canisius in hac *epistula (quam in secundo volumine ponam) de catechismo hoc scribens: „Io mi ricordo,“ inquit, „adesso delle censure di V. R.“

[4] Non „Matthaeum“ nec „Maffaeum“. „Matthias de Taxis, veredariorum seu postarum magister“: *Nicolaus Mameranus* in „Catalogo familiae totius aulae Cae-

„postarum magistrum“; in quibus scribitur: „Questi giorni passati abbiamo ricevuto una lettera della Maestà Regia ed un certo trattato che li Nostri facessero per sua commissione. Quì si manda risposta di detta lettera, e si rimanda il trattato sopradetto visto quì in Roma.“ [1]

156.

CANISIUS
P. IOANNI DE POLANCO S. J.

Vienna 16. Augusti 1554.

Ex apographo recenti, descripto ex autographo.

Apographum, saeculo XVII. (ut videtur) factum, exstat in cod. monac. „Lat. 1606“, f. 133ᵃ—135ᵃ; hi autem loci in eo omissi sunt: „Ad aedium in patria — litterae vestrae“, „De reddenda pecunia — colit, nec immerito“.

Aliquas epistulae partes proponunt: latinas *Python* l. c. p. 88. 96—97, italice versas *Boero,* Canisio p. 110. 115. 116, germanice *Riess* l. c. p. 124—125. 120, et *editor* in „Katechismen“ etc. p. 22—23; gallice *I. M. S. Daurignac*, Histoire du Bienheureux Pierre Canisius (Paris 1866) p. 121—122.

Se partem catechismi cum adnotationibus censorum accepisse. Cur alteram partem non mittat corrigendam nec nomen suum operi apponat. Lainium in Germaniam mitti cupit. Episcopum vratislaviensem per Staphylum urgere, ut Nissae collegium Societatis instituatur. In Silesia quam iniqua fortuna ecclesia utatur. Collegium viennense a rege dotatum esse. Ionam vicecancellarium laudat, qui meritorum Societatis particeps reddi velit. Libri regi promissi ut perficiantur urget. De domo Neomagi oblata, episcopo labacensi, Theodorico fratre. Ingolstadii Socios „cooperari“ debere, non praeesse. Se episcopatum viennensem, quem sibi obtrudere velint, reformidare.

IESVS

Reverende semper in Christo pater, mihi amande plurimum.

Sit nobiscum Christi gratia, et summis nos bonis augeat. Catechismum una cum literis accepi, et annotationes [2]. Laus Christo, qui charitatem vestram in tantis occupationibus ad humilia isthaec studia et figmenta nostra censenda protendit. Reliqua lubenter mitterem, nisi ad praelum post longam expectationem urgerent isti, ut haud sit facile tarditatem excusare nostram. Deinde RR. Patres, qui suas mihi operas ad iudicandum et corrigendum pollicentur, eam negotiorum vestrorum praesentem molem esse testantur, ut non expediat vos hac libelli causa molestari saepius. Igitur quod per vos licere confidimus, praelo subijciemus quae vidistis, et item posteriora, quando festinant tantopere: vestrisque tum precibus, tum sacrifitijs ad deum fusis successum omnem committemus. Faxit clementissimus dominus, ut liber cum utilitate aliqua perveniat ad has provintias tot modis in Religione corruptissimas.

sareae“ Coloniae a. 1550 edito (*I. Rübsam,* Johann Baptista von Taxis [Freiburg i. Br. 1889] p. 17 ²).

[1] Cartas de *San Ignacio* IV, 468. Polancum haec scripsisse certum fere est.

[2] Cf. supra p. 481.

Quod scribitis, in praefatione nomen authoris addi posse, nos re diligenter excussa[a], et cum Cancellario Regis[1] collata iudicavimus, quandoquidem unius authoritas nec apud omnes, nec apud istos praecipue tanti valet[b], divinae gloriae et communi multorum utilitati magis servire posse suppressum nomen[c] authoris, ut liber eo maiorem inveniat fidem, quo a pluribus et me doctioribus atque praestantioribus[d] esse conscriptus atque confectus videbitur[2]. Ita fortassis et Regis honori, ne ex uno pendere dicatur, erit prospectum magis. Quare novam Cancellarius addit praefationem, nomine Regiae Maiestatis[3]. Reverendo D. Frusio gratias ago, quod suam addere censuram non gravetur, sicut et R. P. Olavo, quos ambos in Christo reverenter saluto, et ex animo colo. Reverendo P. Laijnez proprijs respondebo literis, sed parum consolationis et spei additis de illius ad nos tam exoptato, quam ut putamus, fructuoso adventu. Quare iterum oro maiorem in modum, ut si per occasionem ullam liceat, R. P. Praepositus hac nos gratia dignetur, et per optimum Visitatorem benedicat aliquando non nobis tantum, sed futuris etiam in vicinia Collegijs, quae procul dubio quamprimum foelicem habere progressum queant, si vel paucos huc transmitteretis.

Cui rei inditio esse potest quod scripsi nuper de Strigoniensi Archiepiscopo[4], et quod postea mihi usuvenit cum Episcopo Wratislaviensi in Slesia[5], quae insignis provintia multos habet duces Regique nostro tota paret, inter Austriam et Saxoniam media, tum finitima Poloniae, Boëmiae, Moraviae. Hic episcopus et apud Regem, et apud Reverendissimum D. Nuntium egit per Legatum mihi charissimum[6], urgetque causam hanc diligenter, ut e nostris habeat collegium in-

---

[a] discussa *Pyth.* [b] est *Pyth.*

[c] et multorum utilitati servire posse, suppresso nomine *Pyth.*

[d] *Python hoc vocabulum et id, quod antecedit, omittit.*

---

[1] Iacobum Ionam significat; paulo enim infra scribit: „Quoniam vero in Cancellarij mentionem incidi (D. Doctorem Jacobum Jonam eum vocant)“ etc. Erat is vicecancellarius consilii aulici (Hofrath) atque etiam „cancellarius aulicus“ (Hofkanzler) dicebatur, quoniam verum cancellarium illius consilii Ferdinandus inde ab a. 1538 non habebat (*Alf. Huber* l. c. IV, 213).

[2] Reapse doctissimi viri Frusius, Olavius, Polancus, Lainius Canisium, recognoscendo saltem et corrigendo, adiuverant. Atque etiam commentariis P. Claudii Iaii usus erat. Cf. supra p. 416.

[3] Hanc vide infra, monum. 100. [4] Cf. supra p. 467. 476.

[5] Dioecesim vratislaviensem (Breslau) tunc regebat Balthasar a Promnitz (1539—1562); de quo: *Mich. Jos. Fibiger* (Das in Schlesien gewaltthätig eingerissene Lutherthum, 2. Th. [Breslau 1723], p. 146—219). *Aug. Kastner* (Beiträge zur Geschichte des Bisthums Breslau von 1500 bis 1655, in „Archiv für die Geschichte des Bisthums Breslau“ I [Neisse 1858], 78—90). *Joh. Soffner* (Geschichte der Reformation in Schlesien [Breslau 1887] p. 374—380).

[6] Ex epistula ad Hosium data, quae his litteris (p. 487) subicietur, conici merito potest ab episcopo missum esse doctissimum virum Fridericum Staphylum, qui paulo ante ex Lutheranismo ad catholicam ecclesiam redierat.

tegrum, id est, decem personarum, quibus concedere cupit scholam novam Nissensem, a se iam recens institutam, ut Catholice iuventus instituatur, et gratis doceantur quotquot e Slesia pueri accesserint[1]. Nissa post Wratislaviam praecipuum est Episcopi huius oppidum, ubi fere degit idem Episcopus, dives et potens ut reliqui Germaniae praesules. Legatus hoc a me contendebat, ut saltem duo e nostris mitterentur Germani, et cum his reliqui inferioris Germaniae homines: nam Italos et Hispanos, ut in illa provintia, non esse valde gratos populo. Miserandum sane, (ut nihil hic taceam), quam sit corruptus Religionis status in Slesia, ubi non plebaei modo, sed etiam infames prorsus, adeoque Carnifices publice et grati suis concionantur. Wratislavia, quae Cathedralem sedem tenet, vel invito Rege docet ac profitetur aperte Lutheranismum. Nobiles et cives totius Slesiae Clerum, si usquam alibi, non parum offendunt et exercent affliguntque, ut etiam Episcopus se tueri satis non possit adversus oppressores iurisdictionis Ecclesiasticae. Flammam auget vicina Saxonicae scholae pestis, atque ita nunc studiosis abbundat [*sic*] Babilonica Vittenberga, mater et Regina novarum factionum omnium in Religione, ut antea nunquam. Sed enim eo alacrius ad restinguendum ignem nostri accurrent spero, maioremque sibi coronam ibi propositam ducent, ubi propius cum hoste non simplici congrediendum erit. Hoc unum peto a Domino Jesu, ut sicut multos dedit angelos Indiae, Hispaniae, Siciliae etc. nostrae quoque Germaniae non paucos conferat, et eos praesertim Romae faciat apud vos efficaces ad promovendam Ecclesiae causam in Septentrione et Aquilone, unde panditur omne malum[2]. De qua Episcopi causa scribam alias plura: nam ille ipse cum Rege aget coram post paucos dies Pragae: eo autem hodie Rex profectus est, non ita brevi, ut putant, huc rediturus e Boëmia.

Ante discessum suum Rex nobis per Cancellarium indicavit, ante multos quidem menses iniunctum fuisse suis procuratoribus, ut ex aerario publico certos et perpetuos proventus deputarent et resignarent nostro Collegio[3], singulis autem, ut vocant, angarijs[4], pecuniam per partes nobis esse suppeditandam. Jam cum expeditum hoc non esset, semel atque iterum iussit per eundem Cancellarium, curarent prorsus ijdem procuratores, ut proventus integri cum liberae donationis literis ad nos pervenirent, atque ita dotatum esset Collegium perpetuis temporibus. Quantam vero summam pecuniae proventus efficiant (abunde sat esse 30 personis hic fovendis non dubitamus) paulo post

[1] Scholam hanc nissensem (Neisse, nunc in Silesia borussica) episcopi mandatu Staphylus instituerat.

[2] Ier. 1, 14.

[3] Cf. litteras Iaii Vienna 16. Decembris 1551 Ignatio inscriptas (*Boero*, Iaio p. 197).

[4] „Angariae" (Cinerum, Pentecostes, Crucis, post Luciae) vocabantur, quae nos dicimus „quattuor tempora".

certius intelligemus atque perscribemus [1]. Quoniam vero in Cancellarij mentionem incidi (D. Doctorem Jacobum Jonam eum vocant), hoc sciat velim prudentia tua, virum esse primae et summae authoritatis apud Regem, in vindicanda Religione nobis valde faventem, piorum omnium et Religiosorum fratrum Patronum singularem, qui deinde quanti nos faciat, quam sedulo nostra curet ac promoveat collegium isthuc, cum parem habeamus neminem, haud facile dixerim. Rogat autem a R. P. Praeposito, sicut in postremo colloquio exposuit mihi, ut meritorum quae Societati donat immensa bonitas, et ipse particeps fiat, habeatque participationis illius testes literas [2]. Ego nil dubito, quin optime collocatum hoc in eum benefitium esse possit, neque ullum e Germanis novi, per quem ad promovendam Religionem acturi melius videamur.

Literis vestris, quae promittunt opus illud Theologicum, Rex fuit exhilaratus [3], cupitque vestro iuditio et arbitrio absolvi has partes, tum pro sacerdotibus et Clericis, tum pro doctis et studiosis Theologicae facultatis tam Viennensis, quam Friburgensis [4]. Utrumque Gymnasium Viennae et Friburgi Rex gubernat, et Catholice prorsus doceri vellet. Quare R. P. Praepositum rogo, ut quantum opus est otij et temporis, habeant R. R. Patres D. Laynez et D. Frusius ad conscribendum librum utrumque, ut saltem circa sequentis anni principium pro Xenijs haec sancta Regi donaria offerantur, et coelesti Regi pro Magorum muneribus nuncupentur et consecrentur.

Ad aedium in patria mea donationem venio, quam ego non magni faciendam arbitror, partim quod amici reliqui videantur valde reclamaturi, si sentiant factum, multo magis, si exequutione ipsa damnum illatum sibi percipiant, partim quod mentem donantis eo spectare putem, ut adsint perpetui saltem duo aut tres inhabitatores, qui prosint in spiritu Noviomagensibus. Vidi et audio, haeredes permoleste ferre, si quicquam adimatur bonis huiusmodi, praetendunt suarum prolium multitudinem, etc. Taceo, nos in suspitionem avaritiae posse hinc incidere, praesertim apud eos, qui non optime vel sentiunt, vel intelligunt de rebus Societatis. Scribendum tamen curavi ad donatricem, ut seipsam explicet magis, quo nempe animo donet, quid offitij

[1] Ferdinandus I. 1. Iulii 1554 decreto subscripserat, quo 1200 floreni rhenenses annui e vectigalibus linciensibus collegio viennensi attribuebantur (*Socher* l. c. p. 48).

[2] Ab antiquis ecclesiae temporibus hoc fiebat, ut monachi laicos pios et in se beneficos ad specialem quandam „familiaritatem“ admitterent, precum et sacrificiorum suorum peculiari modo eos participes redderent, nomina eorum in „libro vitae“ monasterii inscriberent (*Ad. Ebner*, Die klösterlichen Gebets-Verbrüderungen bis zum Ausgange des karolingischen Zeitalters [Regensburg 1890] p. 20—27. 57—64).

[3] Hae litterae usque adhuc editae non sunt. Comiti melitensi Polancus 21. Iulii 1554 scripsit theologicam illam summam Florentiae a Lainio, sacerdotalem institutionem Romae ab Andrea Frusio conscribi (Cartas de *San Ignacio* IV, 236). At neuter opus absolvit; nam Frusio vitae finis, Lainio generalatus Societatis intervenit.

[4] Universitatem dicit, quae Friburgi Brisgoviae (Freiburg im Breisgau, nunc magni ducatus badensis) hodie quoque exstat.

vel oneris adiunctum nostris velit, sicut recte admonent literae vestrae [1].

De Reverendissimo domino Labbaccensi, qui cum Joanne suo huc redijt, et alibi Bartholomeum ut in concionando se exerceret reliquit, hoc unum dicam, nihil illum a nobis iam alienum videri, et R. P. Ignatij quas accepit, literis, delectari [2]. De reddenda pecunia post agam cum illo commodius [3], ac de alijs itidem, sicut ad me perscriptum est. Nam semel atque iterum licuit cum illo hucusque congredi: nunc post Regis abitum saepius licebit. Quamquam miror sic meas intelligi literas, perinde ac idem Episcopus vobis esset valde conciliandus, et meis verbis factus alienior. Sic R. P. Frusius agere videtur in literis, quasi non vera essent, quae prius ego admonui bonum senem, cui condonandum est, si ad tempus non optime consulat omnia: modo fidorum interim amicorum praestetur offitium vera et sana dicendo. Sed ille nos quidem amat, ac vos colit, nec immerito.

Gaudeo vos favere ac studere Duci Bavariae [4], nec dubito, quin reversus ad Principem suum Secretarius [5], ut est vir bonus et amicus noster, sit promoturus etiam causam Ingolstadiensis Collegij [6]. Difficile interim mihi videtur, quacumque ratione persuadere Regi nostro, ut sinat hinc abire quemquam, nec volet opinor, Dux a Rege quicquam tale postulare. Non probo quod professores tam multos dux petat e nostris, velut ex professo velit in nostros reijcere communia munia professorum, cum aliud sit cooperari et adiungi, aliud praefici et moderari, illud in nostris ferrem, hoc absolute non susciperem [7]. Dominus

[1] Noviomagus et illo et XVII. et XVIII. saeculis domo Societatis caruit. Ceterum vide, quae infra dicentur ad epistulam Canisii 23. Maii 1555 datam.

[2] Hae litterae sunt in Cartas de *San Ignacio* IV, 462—463. 204—205.

[3] Haec pecunia Romae a S. Ignatio nepotibus episcopi mutua data erat (*Cartas* l. c.).

[4] Cf. supra p. 429. 453. [5] Henricus Schweicker.

[6] S. Ignatius Roma 4. Iulii 1554 Alberto V. Bavariae duci scribit: „Quod ad nostros Theologos attinet ab Ingolstadiensi Academia ad Viennensem translatos ad tempus, . . . ad eos, vel alterum eorum Ingolstadium revocandum, quomodo cum Regia maiestate agendum sit, cum Secretario Vestrae Excellentiae contulimus." Alios professores modo quidem Romae non suppetere, sed post duos annos mitti posse. Ac quoniam ex secretario intellexerit ducem seminarium clericorum, quod collegii germanici simile sit, „sancto sane et pernecessario consilio moliri", se eiusdem collegii constitutiones duci mittere. Eidem „de Collegio Societati nostrae Ingolstadii magnifice erigi coepto" gratulatur. Integra epistula ex ignatiana „collectione Romana" primum in lucem emissa est in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 465—467. 210—213. Cf. *J. Cordara* S. J., Collegii Germanici et Hungarici Historia (Romae 1770) p. 16. Polancus comiti melitensi Roma 21. Iulii 1554 scripsit: „El Duque de Baviera . . . tiene ya comenzado á edificar un Colegio que para treinta quiere dotar, como dice su letra en parte, y en parte su Secretario. Y á par de Colegio para la Compañía nuestra hace diseño de otro como el Germánico de Roma, para que los nuestros como en Roma puedan tener cargo de él" (*Cartas* l. c. p. 233).

[7] Hanc sententiam cum Polancus improbasset, Canisius litteris 26. Octobris 1554 datis confirmavit et defendit.

IESVS Bavaricam messem novis instruat operarijs, ut illam nobilem Germaniae partem Ecclesiae servet ac tueatur.

Frater meus carne et spiritu M. Theodoricus brevi, ut speramus, iter ad vos ingredietur. De conterraneis, quia obscure scribitur, vellem apertius nosse, quid ex illis fructus collegerit D. Leonardus [1]. Certe huius literae ad nos minime perveniunt, etsi desideratae.

Misi quae R. P. Ignatius expediet pro Serenissimo Rege [2]. Quod ad miserum Episcopatum attinet, non possum non in anxia esse expectatione, cum audiam, literas a Rege simul et Legato Pontificis mitti serias, quibus cogar onus subire [a] miserrimum ex Pontificis authoritate. Qua de re nihil mecum actum est, sed ita retulit qui scripsit nomine Regis eadem in causa [b] ad Cardinales nonnullos. Jamque fiduciam impetrandi conceperunt, qui ordiuntur hanc telam nescio qui, nisi quod ex suspitione mihi subolet nonnihil de quibusdam non hic infimis [c]. Utut sit, polliceor R. P. V. septem Missas in honorem Sanctissimi Spiritus, quamprimum nuntiarit conatus istorum in nihilum recidisse. Si secus eveniet, certo deum peccatis meis implacabiliter velut iratum tota vita merito reformidabo. Non licet plura subijcere, quia literae obsignantur et fastidiose prolixus fui. Sanctis precibus omnium fratrum et me, et statum istarum provintiarum commendo maxime, tuis vero sacrifitijs iuvari peto summopere. Rex ut cum nostris vivam, a Medico suo persuasus, voluit, meque consortio Collegarum penitus liberavit [3], etsi non rogarem, laus deo semper, qui suae nos gloriae servos habeat atque promotores.

Raptim 16 Augusti 1554.

Indignus filius Petrus Canisius.

Reverendo in Christo Patri M. Joanni Polanco de Societate IESV.

Ad ea, quae Canisius de rebus Silesiae hic scripsit, melius intellegenda litterae conferunt, quas *Fridericus Staphylus* Nissa 16. Februarii 1555 ad Stanislaum Hosium episcopum varmiensem dedit. In quibus Staphylus scribit: „Fui hortator, ut colonia quaedam Iesuitarum in Silesiam duceretur, at nihil adhuc persuasi. Nuper cum essem Viennae, inspexi illius Societatis instituta ac mores. Quid multa dicam? nihil profecto ad resuscitandum seminarium ecclesiae potuisset excogitari melius, nihil salutarius. Sunt enim homines isti ad docendum instructi, ad morum commendationem eruditi, ad resistendum paratissimi. Rex noster illos paene loco fratrum diligit. Quod cum antea saepius, tum nuper declaravit designato Petro Canisio episcopo Vienensi. Etenim is vir ut doctissimus est, ita et vitae sanctitate illustris, ut non solum doctrina ecclesiam possit, sed vitae exemplo etiam iuvare infirmiores. Utor illo admodum familiari. Et quoniam cum tui mentio incidisset — scilicet talis,

[a] sustinere *Pyth.* [b] *Pyth. om.* eadem in causa.
[c] *Verba* nisi quod — infimis *a Pyth. omittuntur.*

[1] Quam praeclaros pietatis fructus quamque bonam spem Societatis Neomagum introducendae P. Leonardus Kessel anno 1554 in ea civitate ceperit, exposuit *Reiffenberg* l. c. p. 45. [2] Cf. supra p. 476.
[3] Collegium archiducale significat; cf. supra p. 477.

qualis deceat Osium — dixi me ad te scribere solitum, hinc ille nactus occasionem rogavit, ut se tibi litteris meis commendarem. Ego vero, qui ipsemet apud te egeam commendatione, nihil aliud recepi, nisi sui mentionem apud te. Hoc addiderim: si in aula hac nostra forte quempiam πρόξενον desiderares, te fideliorem aptioremque habiturum esse neminem. . . . . . Mitto tibi libellum calendarium, mihi missum a D. Canisio, quem oro tua Celsitas boni consulat loco strenae pauperis.“ [1]

157.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma 18. Augusti 1554.

Ex opere „Cartas de *San Ignacio*“ IV, 470—476 (cf. ibidem p. 283—292); in quod epistula haec transcripta est ex „collectione romana“ epistularum S. Ignatii, quae antea in domo professa S. J. romana asservabantur (Cartas IV, 283; cf. ibidem I, v—vi). Editor hispanus certe ante oculos non habuit archetypum, sed commentarium vel apographum eiusdem temporis; cui adnotatum est: „IHESVS. R. P. Doctori Petro Canisio. Viennam.“

Usi sunt hac epistula Card. *Steinhuber* l. c. I, 28 et *Gothein* l. c. p. 731—734.

Quibus rationibus religio catholica in provinciis Ferdinandi regis instaurari et conservari possit. Praemonet disquisitioni adiungendam esse exsecutionem, et ea tantum regi esse proponenda, quae hominum et locorum dispositioni congruere videantur. Neminem haereticum tolerandum esse inter consiliarios regios, magistratus, magistros, scholasticos. Haereticorum libros omnes excludendos. Pastores pravos vel inscios a cura animarum arcendos. Haereticis cunctis absolutionem offerendam, si resipiscere velint; secus eos honoribus privandos, et aliquos fortasse morte, exsilio etc. multandos. At „inquisitionis“ institutionem Germanos vix ferre posse. Iis in quibusdam rebus fortasse „conniveri“ posse. Interdicendum, ne haeretici appellentur „evangelici“. Catholicos tantum ad publica munera promovendos. Bonos episcopos, et contionatores, qui per pagos discurrant, quaerendos. Commendat scientiae tentamina, fidei professionem, censuram librorum, enchiridia parochorum et theologiae studiosorum, catechismum, seminaria clericorum, collegium germanicum, nobilium puerorum contubernia.

IHESVS.

Gratia et amor aeternus, etc. Intelleximus quod V. R. suis litteris 7 et 17 Julii scriptis pia sollicitudine requirebat; nimirum ut quod prodesse plurimum posse existimaremus ad Regiae Maiestatis provincias in fide catholica retinendas, et religionem in eis, ubi collapsa est, instaurandam, et ubi nutat, fulciendam, scriberemus. Quam in rem eo diligentius incumbendum esse videbatur, quod vere christiani Principis animus, ut ad consilia conferenda, sic ad ea exequenda bene dispositus judicatur; alioquin si diligenti disquisitioni strenua executio defuerit, potius deridendi nostri conatus, quam ullum operae pretium habituri essent. Ex his autem, quae hic scribentur, vestrae prudentiae erit videre quaenam Regiae Majestati proponenda sint: ut

[1] Epistula Staphyli integra ex autographo primum edita est in *Hosii* Epistolis II, 511—512.

enim omnia perutilia fore videntur, si omnibus locum relinqueret loci, temporis, et personarum dispositio; ita quaedam ex his subtrahi posse fortasse necessarium est, ob contrariam regionum aut hominum, quibuscum agendum est, dispositionem; ideo P. Rectori[1] et R. Vestrae haec scripta esse praemonendum fuit, ut habito delectu, R. V. quod ad rem facere judicabit, caeteris omissis, adnotet. Quid alii nonnulli ex gravibus theologis nostrae Societatis sentiant hac de re, qui et doctrina, et iudicio, et eximio charitatis affectu in Germaniam propensi sunt, brevi vos admonendos curabo[2].

Ut igitur in adversa corporum valetudine prius ea, quae morbum efficiunt, removeri, deinde quae ad vires et bonam habitudinem confirmandam faciunt, admoveri oportet; ita in hac animorum peste in Regiis provinciis per varias haereses grassante, prius videndum est quomodo quae ejus causae sunt, excidantur; deinde quomodo catholicae et sanae doctrinae vigor iisdem restitui, et in eis confirmari possit.

Et quam brevissime nudas fere conclusiones brevitatis gratia constituam: nam quibus rationibus in singulis adducamur, videre cuivis oculato facile erit.

Primum omnium, si Regia Majestas non solum catholicum, ut semper fecit, sed infestum omnino haeresum inimicum se esse profiteretur, et omnibus erroribus haereticis manifestum et non occultum bellum indiceret, praesentissimum et summum ex humanis remediis fore haud dubie videtur.

Alterum ex hoc sequeretur maximi momenti: si in consilio suo Regio haereticum nullum patiatur, nedum hujusmodi homines magni facere videatur, quorum consilia vel aperte vel occulte eo tandem tendere credendum est, ut foveant et nutriant haereticam, qua imbuti sunt, pravitatem[3].

---

[1] P. Nicolaus Lanoius collegii viennensis rector erat.

[2] Dubitari vix potest, quin Ignatius postea responsum illud sive sententiam italice scriptam Canisio mittendam curaverit, quae primum edita est in „Cartas de *San Ignacio*“ IV, 480—483 (cf. p. 354—358). Quae hic non ponitur, quia neque soli Canisio, neque etiam soli Germaniae destinata est; nam Galliae quoque bis in ea fit mentio. Praecipua eius capita haec sunt: Catholici protestantes imitari debent, qui doctrinam suam per scholas atque libellos longe lateque diffundunt. Praeter theologicam igitur institutionem longiorem et subtiliorem brevior quaedam et simplicior fiat, ut multi ministri sacri brevi praesto sint. Pueri et rudes elementa fidei diligenter edoceantur. In collegiis hora aliqua scholis vacante superiorum scholarum discipulis summaria quaedam theologia explicari posset, ut fidem defendere et errores refellere possent; quam explicationem etiam sacerdotes et scholastici externi audire possent. Multa collegia vel saltem minores Sociorum domus condendae. Scholastici dominicis diebus in pagos vicinos ad catechismum exponendum mittendi. Breves aliquot et perspicuae fidei apologiae a Sociis conscribendae et in vulgus spargendae.

[3] Viennae inter consiliarios Ferdinandi — ut unum afferam exemplum — tunc erat Caspar a Nydpruck lutheranus, qui Flacio Illyrico, „Centurias magdeburgenses“ paranti, magno studio adfuit et in Canisium externos quoque, litteris datis, incitavit

Praeterea, summopere conferret, si in gubernatione, praesertim suprema, provinciae aut loci ullius nullum haeresi infectum manere permitteret, neque in magistratibus ullis vel dignitatis gradibus.

Denique, utinam contestatum hoc esset et omnibus notum, quod simul atque quisquis de haeretica pravitate convictus vel vehementer suspectus esset, nullis honoribus vel divitiis ornandus esset, quin potius ab eis exturbandus: et si aliqua exempla ederentur, aliquos vita vel bonorum expoliationibus et exilio plectendo, ut serio tractari negotium religionis videretur, eo remedium hoc efficacius esset [1].

Ab Universitate Viennensi et aliis [2] omnes publici [a] professores, vel qui Universitatis administrationem exercent, si male audiant in his, quae ad catholicam religionem pertinent, de gradu dejiciendi esse videntur. Idem sentimus de privatorum Collegiorum rectoribus, gubernatoribus et lectoribus: ne qui juventutem informare ad pietatem deberent, corrumpant eam. Suspecti ergo minime ibi videntur retinendi, ne juventutem inficiant; multo minus qui aperte haeretici sunt: sed et scholastici, qui facile non videntur posse resipiscere, etiam expellendi, si tales fuerint, omnino viderentur. Imo et ludimagistri omnes et paedagogi hoc intelligere deberent, et revera experiri, sibi nullum relinqui locum in Regiis provinciis, nisi sint et praeseferant, se esse catholicos [3].

Omnes libri haeretici, quotquot diligenti praehabita investigatione inventi fuerint apud bibliopolas et privatos, vel comburi vel extra omnes Regni provincias educi expediret [4]. Tantumdem de haereticorum libris [dicendum], licet non sint haeretici, ut de grammatica vel rhetorica vel dialectica, [qui] [b] in odium haeresis auctorum excludi prorsus debere viderentur; nec enim expedit eos nominari, et minus affici ad eos juventutem, cui se insinuant haeretici per huiusmodi opuscula, quibus alia magis erudita et ab hoc gravi periculo remota inveniri possunt [5]. Si

[a] publicos *Cart.* [b] *Haec duo verba supplenda esse putavi.*

(*J. W. Schulte,* Beiträge zur Entstehungsgeschichte der Magdeburger Centurien [Neisse 1877] p. 60—63. 69—73. 104—122. *Alf. Huber* l. c. IV, 95).

[1] De poenis, quibus crimen haeresis tunc a Lutheranis et Calvinistis non minus quam a catholicis plectebatur, v. supra p. 462 [1].

[2] Friburgensem universitatem dicit, et pragensem, quam Hussitae regebant.

[3] Nobiles imprimis austriaci Lutheranis Vitemberga vel aliunde accitis filios instituendos tradebant (*Riess* l. c. p. 105).

[4] Viennae in „visitatione" a. 1528 instituta complura inventa sunt monasteria, in quibus moniales libros lutheranos legebant. In comitatu tirolensi, „visitationibus librorum" a. 1569—1585 iussu Ferdinandi II. archiducis institutis libri haeretici omnis generis comparuerunt: Lutheri „testamentum", Melanchthonis catechismus, postillae Brentii, Spangenbergii, Corvini, opera Zwinglii, Oecolampadii, Flacii etc. (*Wiedemann* l. c. I, 56—57. *J. Hirn,* Erzherzog Ferdinand I, 183—189).

[5] *S. Ignatius* de libris in scholis Societatis legendis haec inter alia constituit: „Aunque el libro sea sin sospecha de mala doctrina, cuando el autor es sospechoso, no conviene que se lea; porque se toma aficion por la obra al autor, y del crédito

etiam prohiberetur sub gravibus poenis, ne quis bibliopola excuderet aliquem haereticorum librorum[a], nec apponeret[b] scholia cujuscumque haeretici, quae exemplum aliquod vel verbum quodvis impiam doctrinam redolens vel nomen auctoris haeretici haberent, valde conferret. Utinam etiam nec mercatori cuique [?][c] vel aliis liceret sub iisdem poenis alibi excusos[d] hujusmodi libros inferre in ditiones Regias.

Nulli curiones nec confessarii essent tolerandi, qui de haeresi male audiunt; et de ea convicti, statim ab omnibus redditibus ecclesiasticis privandi essent. Praestat enim gregem sine pastore esse, quam pro pastore lupum habere. Pastores catholici quidem, quod ad fidem attinet, sed qui magna ignorantia et malo exemplo suo propter publica peccata populum subvertunt, acerbissime puniendi viderentur et redditibus spoliandi a suis Episcopis; certe a cura animarum arcendi; horum enim vita mala et ignorantia pestem haeresum in Germaniam invexit.

Concionatores haeresum et haeresiarchae et demum quicumque deprehensi fuerint hac peste alios inficere, gravibus suppliciis puniendi videntur. Publice ubilibet declarari oporteret, quod ii, qui intra unum mensem a die publicationis resipiscerent, absolutionem benignam consecuturi essent in utroque foro[1]; et post id tempus qui deprehensi essent in haeresi, quod infames et inhabiles ad omnes honores futuri essent, et si videretur, exilio aut carcere, vel aliquando etiam morte mulctari posse, consultum forte esset. Sed de extremo supplicio et de Inquisitione ibi constituenda non loquor, quia supra captum videtur Germaniae, ut nunc affecta est.

Qui haereticos evangelicos nominaverit[e], poenam pecuniariam aliquam subire conveniret, ne gaudeat daemon quod inimici Evangelii et crucis Christi[2] usurpent nomen factis contrarium; et nomine suo vocandi sunt haeretici, ut horror sit vel nominare eos, qui hujusmodi sunt, et venenum mortiferum salutaris nominis pallio velant.

Synodi Episcoporum et declaratio dogmatum et praecipue decretorum in Conciliis faciet[f] fortasse, ut clerici simpliciores et seducti ab aliis resipiscant, veritatem edocti. Concionatorum et curatorum et confessariorum bonorum acrimonia in detestandis aperte et tradu-

---

[a] *Sic omnino corrigendum esse censeo. Cartas:* excluderet aliquem Doctorum librorum. [b] apponere *Cart.* [c] *Sic Cart.* cuiquam ? [d] excussos *Cart.*

[e] *Cartas:* non caverit. *Sed erratum typographicum id esse et ea demonstrant, quae in ipsa epistula proxime sequuntur et versio hispanica in „Cartas" posita:* „Quien no se guardase de llamar á los herejes, evangélicos, convendría" *etc.*

[f] *Sic; fortasse legendum:* facient.

---

que se le da en lo que dice bien, se le podría dar algo despues en lo que dice mal. Es tambien cosa rara que algun veneno no se mezcle en lo que sale del pecho lleno dél." Constitutiones Societatis Iesu P. 4, c. 14. A. (Constitutiones latinae et hispanicae p. 157).

[1] Iudices dicit tum ecclesiasticos, tum civiles. [2] Phil. 3, 18.

cendis haereticorum erroribus populo etiam conferet, modo necessaria saluti credant, et catholicam fidem profiteantur populi: in aliis, quae tolerari possunt, connivendum esset fortassis.

Hactenus de his, quae ad convellendos errores; jam de iis, quae ad plantandam solidam veritatis catholicae doctrinam pertinent. In primis conferret, si Rex in consilio haberet et ubique foveret, honoraret, et dignitatibus saecularibus et ecclesiasticis, et etiam redditibus, ornaret viros catholicos tantum. Tantumdem si gubernatores et magistratus et demum quicumque praefuturi[a] et auctoritatem habituri sunt apud alios, catholici constituantur, et jurent se catholicos semper futuros.

De bonis Episcopis utcumque accersitis, qui exemplo et verbo suos aedificarent, prospiciendum esset diligenter Regiis ditionibus. Curandum etiam esset, concionatores quamplurimos ex Religionibus et clericis saecularibus et etiam confessarios adducere, qui zelo divini honoris et salutis animarum catholicam doctrinam ferventer et assidue populis proponant, et exemplo vitae confirment; et his dignitates et prebendae in Ecclesiis conferri deberent. Hi possent discurrendo per oppida et pagos diebus festis docere populum quae sunt saluti animarum accommodata, et redire postea ad suas Ecclesias, et sine sumptu Evangelium exponendo, magis aedificabunt. Curatis imperitis vel suspectis de mala doctrina, si non possunt beneficia facile tolli, injungi oporteret, ut suis impensis peritos et bonos alant, qui ipsorum loco populum pascant, sacramenta ministrando et verbum Dei annuntiando, a quo officio ipsi abstinere se omnino deberent. In posterum nemini conferri deberet beneficium curatum, qui examinatione praecedente non inveniretur catholicus et bonus, et sufficienter intelligens. Et redditus tanti esse deberent, ut viri hujusmodi curam suscipere talem non recusarent.

Omnes universitatum vel academiarum gubernatores et professores publici, tum rectores collegiorum privatorum, tum etiam ludimagistri, imo et paedagogi omnes prius, examinatione praecedente vel informatione secreta, catholici inveniri[b] et catholicorum testimonio commendari debere viderentur, quam admitterentur; et jurare se esse et in posterum futuros catholicos deberent, et si hujusmodi homines haeretici[c] esse deprehenderentur, etiam ut perjuri gravissime puniendi essent. Constitui oporteret aliquos, qui curam haberent videndi libros a mercatoribus adductos, et qui essent imprimendi in Regiis ditionibus, et ne alii vendi possent, quam qui horum censura approbati essent. Conferret ad hoc negotium, ut universae juventuti ubilibet unus aut alter catechismus aut doctrina christiana proponatur a suis praeceptoribus, in qua summa catholicae veritatis contineatur, quam terant

[a] praefecturi *Cart.* [b] inveniendi *Cart.*
[c] haereticos *Cart.*

pueri et rudes manibus. Conferret[a] et liber aliquis [pro][b] Curatis et Pastoribus minus eruditis, sed bonae mentis, compositus, qui doceret eos quae populis suis proponere debeant, ut amplectantur vel respuant quae amplectenda vel respuenda sunt. Conferret[c] et summa scholasticae theologiae, quae sit hujusmodi, ut non ab ea animi eruditorum hujus temporis, vel qui sibi eruditi videntur, abhorreant[1].

Quia vero idoneorum curionum, confessariorum, concionatorum et magistrorum, qui simul catholici, docti et boni sint, extrema est in ditionibus Regiis penuria; curandum videretur quam diligentissime Regiae Majestati partim ut eos ex aliis locis, etiam praemiis magnis, accerseret; partim ut seminaria hujusmodi hominum in suarum ditionum usum pararet quam plurima, vel, si pauca, quam amplissima. Seminaria vero quadruplicia videntur posse parari. Primum est ex Religiosis qui hujusmodi munera praestare solent. Multum ergo conferret[d], si Regia Majestas curaret, in monasteriis vel collegiis augeri numerum Germanorum tam Societatis Jesu quam aliorum tum Viennae, tum in aliis suis Universitatibus, ut Regia liberalitate litteris vacantes possint deinde in concionatores, lectores et confessarios strenuos evadere. Secundum Seminarium ex Romano Collegio Germanico, quo mittere suis impensis complures ingeniosos juvenes posset, qui omnes in ejus regiones remitterentur, cum maturi in bonis litteris et moribus essent; nisi malit simile Collegium suis Austriacis, Ungharis, Bohemis et Transilvanis in Urbe instituere. Tertium ex Collegiis novis, Germanico Urbis similibus, quae instituere in suis Universitatibus sub institutione doctorum et piorum hominum posset: qui posteaquam profecerint, curam animarum suscipiant, vel ludimagistri vel concionatores efficiantur. Et haec tria Seminaria[e] partim ex redditibus monasteriorum desertorum, partim ecclesiarum parochialium suis pastoribus destitutarum, partim ex levi aliqua impositione populis facta; et unum assumi posset, ex pensionibus impositis episcopalibus vel aliis majoribus Sacerdotiis, vel unde Regiae Majestati videretur. Quartum Seminarium esset Collegiorum, ubi suis impensis propriis nobiles et divites pueri alerentur, qui postea ad dignitates saeculares et ecclesiasticas

[a] Conferet *Cart. Sed antecedunt:* videretur, essent, oporteret; *sequitur* doceret.
[b] *Hoc supplendum esse videtur.*
[c] Conferet *Cart.; vide adnot. a.* [d] conferet *Cart.*
[e] *Cartas in margine:* Ali possent? *Haec enim supplenda esse videntur vel similia (*parari possent*?).*

[1] Sic non solum sectarii, sed etiam aliqui catholici et imprimis „humanistae" quidam illud abhorrebant theologiae scholasticae summarium, quod usque ad id tempus in scholis usitatissimum erat: Sententias Petri Lombardi. *S. Ignatius:* „En la Teología leeráse . . . la doctrina escolástica de Santo Tomás. . . . Tambien se leerá el Maestro de las sentencias" (Constitutiones P. 4, c. 14, n. 1 et B). Vide, quae ibidem de huiusmodi compendio fortasse conscribendo dicit (Constitutiones latinae et hispanicae p. 157).

etiam supremas apti essent. Sed in hoc et aliis tribus Seminariis necessarii omnino videntur rectores et magistri tales, ut ab eis pietatem cum doctrina sana et catholica conjunctam haurire possint, qui ab eis instituuntur.

Romae, 18 Augusti 1554.

Queruntur quidem Societatis historiographi haec Ignatii consilia paene irrita fuisse; regis enim administros quosdam tumultus ac defectiones timuisse ac rem leniter ac pedetentim tentandam esse censuisse [1]. Nec tamen negari potest multa ex remediis ab Ignatio propositis in Austria aliisque Germaniae provinciis catholicis atque imprimis in Bavaria posterioribus saltem saeculi XVI. decenniis vel ineunte saeculo XVII. ad religionem catholicam instaurandam magno cum fructu adhibita esse.

158.

CANISIUS

FERDINANDO I.,

regi Romanorum.

Vienna autumno anni 1554.

Ex *Wiedemann* l. c. II, 66—67; qui scribit haec exstare apud *Bucholtz* l. c. VIII, 192 et Viennae in actis consistorii archiepiscopalis („Consistorial-Akten"); editor anno 1889 acta haec Viennae frustra quaesivit. Cf. *Orlandinum* l. 14, n. 42.

De rationibus, quibus religio catholica in Austria conservanda sit.

„1554 ertheilte", inquit *Wiedemann*, dem *Canisius „Ferdinand den Auftrag, mit dem Rector Lanoy und zwei königlichen Räthen über Hülfsmittel zur Förderung der Religion Erwägungen anzustellen* [2]. *Die Vorschläge, welche Canisius, gestützt auf ein Gutachten des hl. Ignatius machte, erwiesen sich später als vollkommen praktisch, sobald man ernstlich daran ging, sie auszuführen. Er schlug vor: an Orten, wo die Kirchen von Geistlichen entblösst wären, die Seelsorge durch vom Papste gesandte Männer versehen zu lassen; Convicte zu errichten, worin vorzüglich die Jugend aus dem Herren- und Ritterstande erzogen werden sollte, wodurch man sowohl die Eltern gewinnen, als sie selbst von Häresie bewahren könnte. . . Ferner schlug Canisius vor, für einen gebildeten und eifrigen Clerus durch ein Seminar in Wien Vorsorge zu treffen. Diese Vorschläge wurden vom Staatskanzler Dr. Soria, dem Vicekanzler Dr. Jonas u. dem so einflussreichen Bischof Urban von Laibach auf das kräftigste und wärmste unterstützt. Der erste u. dritte Vorschlag scheiterten für jetzt an der Einrede des Bischofes von Passau.*"

[1] *Orlandinus* l. c. l. 14, n. 42. *Sacchinus*, Can. p. 95. *Socher* l. c. p. 49—50.
[2] Cf. supra p. 478.

159.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Vienna 14. Octobris 1554.

Ex autographo (2°; pp. 3; in p. 4. inscr. et reliquiae sig.).

Versio latina, saeculo XVII. (ut videtur) scripta, est in cod. monac. „Lat. 1606" f. 130ᵃ—131ᵃ.

Maiorem epistulae partem („Essendo la sua Maesta — reportent manipulos suos), ad nostram scribendi rationem accommodatam, edidit *Boero*, Canisio p. 127 ad 129; ex quo libro eadem transcripta sunt in „Cartas de *San Ignacio*" V, 596—598. Antiquae versionis latinae maiorem partem, compluribus verbis omissis, edidit *Python* l. c. p. 104—107. Minores epistulae partes proponunt Sacchinus, Fuligatti, Agricola, Alet, Séguin, Riess, Daurignac, Janssen etc.

Ferdinandum regem, episcopo labacensi suasore, Pragae ex deserti cuiusdam monasterii bonis collegium Societatis condere statuisse. Pragae viros degere Societati amicissimos. Quam malo loco res religionis in Bohemia sint. Socios eo mitti oportere perpetiendi, non disputandi studiosos. Pro Ferdinando rege, quod collegium viennense iam constituerit, a singulis Societatis sacerdotibus missarum sacrificia offerenda esse.

IESVS

Molto Riverendo in Christo Padre mio

La gratia del S. N. Jesu Christo sia con noi tutti Amen.

Essendo la Sua Maesta Regia andato a Boemia[2], per visitar quello Reame molto disuiato dalla vera et Catholica fede, poi che Hieronijmo de Praga e stato esaminato, et bruzato[a] com' vn heretico nel Concilio Constantiense[3], piacque alla diuina prouidentia a mostrare boni mezzi per introdure la Compagnia nostra in quelle bande. Et il

[Versio antiqua.] [1]

[Iesus. Admodum reverende in Christo pater.]

Gratia Domini N. I. Chr. sit cum omnibus nobis Amen.

Quando Rex in Boëmiam profectus est[2], ut regnum illud multum a vera et Catholica fide aberrans inviseret, Hieronymo Pragensi in Concilio Const[antiensi] examinato et tanquam haeretico flammis exusto[3], placuit Divinae Providentiae apta subministrare media ad invehendam societatem nostram in istas provincias. Initium huic sancto

[a] trovato *Bo. Cart.*

[1] Latina versio antiqua, de qua supra, hic ponitur (ex apographo P. *Fl. Riess* S. J.). Quae quadratis uncis inclusa hic sunt, a me ex autographo versa et suppleta sunt.

[2] Ferdinandus circa 15. Augusti Vienna profectus et fere usque ad 10. Septembris Pragae moratus est; 10.—17. Septembris Podebradae, 19.—27. Septembris Pardubitiae, 1.—5. Octobris Brunnae (Brünn), quod Moraviae caput est, 9. Octobris iterum Viennae fuit (*Stälin* l. c. p. 393).

[3] Hieronymus Pragensis, Ioanni Hus amicus et consentiens, 30. Maii 1416 a concilio de haeresi pertinaci et iterata damnatus et magistratui civili traditus est; qui eum eodem die igne necavit.

principio di questa santa imprezza fece il Reverendissimo Labbaccense[1] Confessore della Sua Maiesta, pigliando l' occasione d' vn monasterio desolato de i frati Celestini[2], et dicendo che non essendo piu de vn frate in quello monasterio, sarria espediente de dar' il luogo con le entrade sue alla nostra Compagnia per fare iui vn Collegio, sicome in Vienna[3]. Et la Maiesta sua subito se mostrò contento et desideroso a questa commutatione. Onde mi scrisse il ditto Reverendissimo de Boëmia, che se mettesse la gente in ordine per incominciar questo collegio et adgiungendo disse il sito del monasterio esser' in terminis Boemiae, Lusatiae, Misniae et Slesiae, le quali sono prouintie grandi et de molta importanza, ma credo che poco siano Catholiche. Io li risposi, che s' esplicasse piu in particulare circa questo monasterio, et che non pareria espediente, se la nostra Compagnia se retirebbe [*sic*] alli luogi poco frequentati della gente, si come si trouano certi monasterij, ma che per piu honore del Signore, et per maggior edificatione del prossimo saria piu conueniente metter' il collegio in una Citta principal de alcuna prouintia[5], doue se potesse sperar la

[Versio antiqua.]
proposito fecit Reverendissimus Labacensis[1] suae Majestatis Confessarius, occasione alicujus monasterii derelicti fratrum Coelestinorum[2]; asserens cum unicus ibi religiosus sit super, expedire id cum suis redditibus nostrae societati attribui, pro Collegio, quale Viennae est, erigendo[3]. Quod Rex [illico] non libenter modo accepit, sed et avidum se ostendit ejusmodi permutationis. Ideoque mihi scripsit dictus Reverendissimus ex Boëmia, ut et de hominibus et de aliis[4] inchoando Collegio opportunis mature prospicerem; addens situm Monasterii esse in finibus Boëmiae, Lusatiae, Misniae et Silesiae: quae sunt Provinciae quidem amplae et magni faciendae, sed ut arbitror parum Catholicae. Respondi res dicti monasterii amplius explicandas esse: neque consultum videri, ut societas nostra in locis a frequentia populi semotis, prout aliqua monasteria reperiuntur, habitet; verum e majore Dei gloria et aedificatione proximi fore, si collegium in metropoli cujusdam Provinciae[5] statuatur, unde copiosior

[1] Urbanus Textor.

[2] Congregatio Coelestinorum, ordinis sancti Benedicti, a sancto Petro de Morone, qui postea Coelestinus V. papa fuit, saeculo XIII. instituta, in Germania ante Lutheri tempora domicilia complura habuit. Inter quae monasterium erat, quod Canisius hic significat: „Sancti Spiritus" oybinense, in Lusatia superiore (Oberlausitz) prope oppidum Zittau in monte Oybin una cum arce regia situm; quod Carolus IV. imperator romanus et Bohemiae rex litteris Lucae 17. Martii 1369 datis condiderat. Ultimi eius monachi iique paucissimi anno 1546 sponte ex monasterio emigrasse et Zittaviae in domo ad monasterium pertinente („Väterhof") consedisse feruntur [?]; paenultimus anno 1555 obiit (*Herm. Gust. Hasse,* Geschichte der Sächsischen Klöster in der Mark Meissen und Oberlausitz [Gotha 1888] p. 226—229. *J. F. Böhmer,* Regesta Imperii VIII. [ed. Alf. Huber, Innsbruck 1877], 391. *Christ. Ad. Pescheck,* Geschichte der Cölestiner des Oybins [Zittau 1840] p. 20. 31. 113).

[3] Ceterum Canisius ipse infra testatur Societatem iam antea — etsi tunc quidem frustra — in Bohemiam invitatam esse. Cf. etiam infra, monum. 109.

[4] Sic versio antiqua; sed Canisius de solis hominibus scribit.

[5] Melius fortasse versum esset: in praecipua aliqua civitate alicuius provinciae.

messe piu copiosa per fructificar nelle anime per l'amore di JESV Christo crucifisso. Et questa mia litera, la qual parlò anche piu in particulare[a], e presentata alla Sua Maiesta, et se determinò de nouo, che se faccia vn Collegio in Praga, mediante le entrade del ditto monasterio, il quale era molto solitario, et in vn luogo mal securo. Et cossi anche hoggi parlando con meco la sua Maiesta mi disse, che voglia adgiongere dal suo quello necessario a questo Collegio, sperando non pocho di frutto per questo mezzo nel suo Reame de Boemia.

Veramente se' da sperar grandissima edificatione et vtilita copiosissima nelle anime, poi che li nostri saranno intrati in Praga, doue è il capo et metropolis de Boemia, et donde sono uscite quasi le prime radici de queste heresie in Germania.

Et sappia V. R. P. che hauiamo in Praga tanto boni amici (sia la laude al Signor eterno) che habbiano offerito alla Sua Maiesta certi prouenti per sustentar li nostri, etiam innanzi che e fatta alcuna mentione del detto monasterio et Collegio[1]. Hora se tratta delle litere, le quali saranno mandate a Roma per promouere questo negotio. Domandano 12 persone, le quali anche haueranno il viatico necessario per arriuar a Vienna, et poi da Vienna a Praga, la distantia[2] credo che sia de qua 60 milliaria Tudescha. Et cossi spero

[Versio antiqua.]

animarum messis ob amorem Iesu Christi crucifixi sperari possit. Atque hae meae literae, quae haud paullo distinctius loquebantur[a], Regi oblatae sunt. Is denuo statuit, ut Collegium Pragae fieret mediantibus reditibus illius monasterii, quod in loco et solitario erat et minus tuto. Hodie vero etiam mihi locutus ajebat, se de propriis necessaria isti Collegio additurum; spe fretus fore ut hac ratione suo Boëmiae regno non parum utilitatis accedat.

Certe speranda est summa aedificatio et lucrum ingens animarum, si nostri Pragam fuerint ingressi; quod caput Regni et Metropolis est Boëmiae, unde fere primae radices et semina haereseon Germaniae pullularunt.

Sciat R. P. Vestra nos habere Pragae amicos tantopere nobis addictos (laus sit aeterno Patri) ut Regi obtulerint certos reditus ad sustentationem nostrorum, etiam prius quam ulla mentio fieret dicti monasterii et Collegii[1]. Iam agitur de literis Romam mittendis ad promovendum negotium. Petuntur duodecim Collegae, necessario viatico Viennam usque instruendi et porro Vienna Pragam (iter[2] puto

[a] *Verba* la qual — particulare *a Bo. et „Cart." omittuntur.*

[1] Inter primos Societatis patronos pragenses, praeter Henricum Scribonium et Antonium Brus (de quibus infra), praecipui fuisse videntur abbas monasterii sionaei, ordinis praemonstratensis (Vitus Theophilus) et abbas monasterii S. Margarethae brevnoviensis, ordinis benedictini (utrumque monasterium hodie quoque exstat: alterum — Strahov — Pragae, alterum — Břevnov — prope Pragam). Ac brevnoviensis abbas Societatis scholam imprimis a Canisio petebat, cui suos etiam fratres instituendos tradere posset. Licet autem Matthiam abbatem, qui a. 1551 decessisse fertur, id petiisse communiter scribant, ego coniecto a successore eius factum esse; qui fuit Ioannes a Chotovv, nobilis Polonus († 1575) (*Magn. Ziegelbauer* O. S. B., Epitome historica Monasterii Brevnoviensis [Coloniae 1740] p. 71—72. *Beda Dudik* O. S. B., Geschichte des Benediktiner-Stiftes Raygern II [Wien 1868], 60).

[2] Melius versum esset: intervallum inter Viennam et Pragam.

che questo Collegio pigliarà tutti li Tudeschi da Sicilia et Italia. Fra questi 12 vogliono hauer 2 Dottori Theologi, li quali senza dubbio troueranno occasione per eccersitarse fra quelli seducti et seductori in Praga: doue pur li Consiliarij per la maggior parte sono Catholici, sicome il Administratore, id est, locumtenente del Veschouo[1], perche in tutta Boemia non se troua nessuno Veschouo, et stanno cossi per cento anni in questo Schismate[a].

Iddio habbia misericordia con tante anime, lequali periscono, concio sia cosa, che Boemia oltra le noue secte contiene anche delle antiche, sicome delli Pikardite[2], Hussite etc. et communmente vogliono tutti comnicare [*sic*] sub vtraque spetie. Ma poi che hanno anche pigliato vn pocho della Liberta Lutherana, pare che la secta delli Hussite ua piu et piu in declinatione, lassiando li stretti ieiunij et altre cerimonie sue proprie, nelle quali prima et per molti anni si excitorono [*sic*] diligentemente[3]. Il Signor ci dia la sua gratia per adgiutar questa nobile parte dell' Imperio, et per reformar questi tempij del Signor Iddio, et per redur li erranti al suo vero et summo pastore, vt sit vnus grex, vnum ouile et vnus pastor[b 4].

Io vorria che tutti li qualj hanno de venire per fondar questo Collegio, venessino ben' armati con la sancta patientia, et con vn

[Versio antiqua.]

esse sexaginta milliarium Germaniae) ita ut sperem nostros Germanos omnes ex Sicilia et Italia ad hoc Collegium educendos. In his sint duo Doctores Theologi; qui sine dubio occasionem invenient exercendi se inter seductos et seductores Pragae: ubi tamen senatus ut plurimum Catholicus est, uti et Administrator seu vices gerens Episcopi[1]. Nempe in tota Boëmia nullus est Episcopus; fuitque regnum hoc in centum retro annis in isto schismate[a].

Deus misereatur tot pereuntium animarum: quandoquidem Boëmia praeter novas haereses ex veteribus quoque nonnullas sectatur, nempe Picarditarum[2], Hussitarum, etc. voluntque communiter omnes communicare sub utraque specie; quanquam ex quo nonnihil etiam libertatis Lutheranae gustare coeperunt, videntur ab Hussitarum secta paulatim deficere, relictis jejuniis austerioribus et caeremoniis aliis ei sectae propriis, quibus initio ac multis deinceps annis religiosissime[3] vacabant. Dominus det nobis gratiam juvandi hanc nobilem partem Imperii et reformandi haec Dei templa, reducendique oves errantes ad suum verum ac summum Pastorem, ut sit unus grex, unum ovile et unus Pastor[b 4].

Cuperem omnes quotquot venturi sunt ad istud Collegium inchoandum, esse bene armatos sancta patientia ac magno zelo, non tam disputandi quam tole-

[a] non si trova alcun Vescovo da cento anni addietro *Bo. Cart.*
[b] *Bo. et „Cart.“ om. verba haec latina* (vt sit *etc.*).

[1] Henricus Scribonius (Píšek).
[2] Picardi vel Picarditae asserebant eucharistiam non esse colendam; in ea non esse Christum, sed solum panem solumque vinum, etc. Ac generatim quidem, quicumque dogma transsubstantiationis reiciebant, tunc „Picardi“ vocati esse videntur, maxime vero „unitas fratrum“ sive illi, quos „fratres bohemos“ nunc dicere solemus (*Alf. Huber* l. c. IV, 109—110. 135).
[3] Melius fortasse: „diligenter“. [4] Io. 10, 16.

grand' zelo non a disputare, ma a sopportare[1] et edificare questa prouintia piu con li fatti che con parole, vt cum seminauerint in lachrymis, in exultatione metant, et reportent manipulos suos[2]. Non altro per adesso, se non che ci racommendamo tutti nelle sante orationi delli Reverendi Padri et fratelli, desiderando sempre che siano molti intercessori et adgiutori per questa vignia desolatissima et piena delle fere pessime, quae plus demoliuntur[3], quam alij omnes aedificant[a]. Et perche la sua Maiesta hora ci ha dato la assecuratione delle intrade molto bone per questo Collegio Viennense, talmente che con li fatti dimostra essere il vero fundatore et Patrono del primo Collegio[4], et credo che non del ultimo in Germania[5], io vorria che anche hauesse le 3 misse d' ogni uno sacerdote della Compagnia, sicome V. R. P. saperà ordinare[6], concio sia cosa, che ultra le sperituali [*sic*] necessitadi la sua Maiesta ha molto de patire nell' Vngaria dalli Turchi, li quali hanno fatto vna noua irruptione[7], et hora ci possono dare grandi danni. Il Signor voglia darci la sua santa

---

[Versio antiqua.]

randi[1] aedificandique hanc provinciam factis amplius quam verbis; ut cum seminaverint in lacrymis, in exultatione metant et reportent manipulos suos[2]. Aliud modo non occurrit, nisi quod nos omnes commendemus S. precibus Reverendorum Patrum ac fratrum, semper optantes, ut multos habeamus intercessores, et adjutores in hac vinea desolatissima ac plena feris pessimis quae plus demoliuntur[3], quam alii omnes aedificant[a]. Et quia Sua Majestas jam certos nos ac plane securos fecit redituum [valde bonorum] h[uius] Coll. Viennensis, ita ut facto ipso ostendat se verum esse fundatorem et Patronum primi Collegii[4], neque ultimi ut opinor in Germania[5]; cuperem illi a singulis Sacerdotibus Societatis offerri 3 [illas] missas, prout ipsa R. V. P. rectius novit disponere[6]: quandoquidem praeter necessitates spirituales, S. Maj. multa patitur in Hungaria a Turcis, qui novam irruptionem fecerunt[7], et nobis plurimum damni afferre possunt. Optimus Deus concedat nobis suam sanctam gratiam juvandi has partes septentrionales. Viennae 14ª Oct. 1554.

Indignus filius et servus
Petrus Canisius.

Reverendo in Christo Patri [meo, domino] Ignatio de Loyola Praep. S. J. Romae.

---

[a] aedificent *Riess.*

---

[1] Vertendum potius erat: „non disputandi, sed tolerandi" etc. Sacchinus et Agricola: non ad disputandum, sed ad tolerandum.

[2] Ps. 125, 5. 6. [3] Cf. Ier. 12, 10. Gen. 37, 33. [4] V. supra p. 484.

[5] Anno 1554 collegium viennense 120 discipulos habuit (*Janssen* l. c. IV, 401).

[6] „Luégo, en siendo entregado algun Colegio á la Compañía, el Prepósito General avise á todas partes della universalmente, para que cada Sacerdote diga tres Misas por el Fundador viviente y bienhechores; para que Dios Nuestro Señor, teniéndolos de su mano, los augmente en su servicio. . . . Todos los demás que viven en los Colegios . . ., deben hacer oracion á la intencion mesma que los Sacerdotes celebran": *Constitutiones* Societatis Iesu P. 4, c. 1, n. 4 (Constitutiones latinae et hispanicae p. 109. 111).

[7] Anno 1554 castellum montanum Fülek, quod metallorum hungaricorum propugnaculum quoddam erat, a Turcis captum est (*Hammer* l. c. II, 240—241).

gratia per adgiutare questa parte Septentrionale. De Vienna 14 Octobris 1554.

Indigno figliolo et seruo
Petrus Canisius.

† Al mio Reuerendo in Christo padre, Don M. Ignatio de Loyola, preposito della Compagnia de IESV. In Roma.

In pagina quarta autographi manu eiusdem temporis scriptum est: „Vienna del Padre Canisio 14 di Ottobre. Riceuuta alli 21 di Nouembre."

160.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

CANISIO.

Roma 15. Octobris 1554.

Ex apographo eiusdem temporis (2° min., p. 1), quod Vienna Coloniam ad P. Leonardum Kessel missum esse videtur; in p. 2. manu antiqua scriptum est: „† Exemplum literarum a Magistro Joanne de Polanco, Doctori Petro Canisio missarum" (Cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I" f. non sign.).
Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 730—731.

Opera S. Ignatii effectum esse, ut Canisius ab episcopatu viennensi suscipiendo liberaretur solamque eius administrationem ad tempus gerere debeat. Theodoricum Canisium laudat.

Iesus † Maria.
Pax christi.

Charissime in christo Pater. Septem illa sacrificia mihi oblata, si de Episcopatu Viennensi. non admittendo scriberem, mihi deberi existimo, et a vestra charitate meo Jure (ut promissa) exigo [1]. Perfectum est enim patris nostri opera, vt onus illud minime leue a vestra R. subeundum non sit. Scripsit quidem Regia maiestas pro sua charitate Protectori Nostro Cardinali de Carpo [2], et alijs (ut opinor) sed protector statim dissuasit oratori [3], ne id tentaret, quod frustra aliquando tentatum, sed nec modo facilius redditum esset: adijt nihilominus orator summum Pontificem [4], et eum Regis nomine orat, vt vestram R. adigat ad Ecclesiam Vienensem adeundam, Negat statim summus Pontifex se facturum, cumque urgeret orator, subdit se quidem Regiae maiestati rem gratam facere uelle, sed societati nostrae se nolle molestam [a] hanc inferre. Nam eius (inquit) opera indigemus etc. Cumque se conuerteret alio, ab hac spe excidens orator, nimirum ut sine titulo, uel episcopalis dignitatis insignijs, administratio episcopatus commendaretur R. Vestrae, donec Episcopus inueniretur,

[a] *Sic;* molestiam?

[1] Vide supra p. 487. [2] Vide infra, monum. 107.
[3] Didaco de Lasso. A *Polanco* is „Dominus Didacus Lasso de Castiglia" vocatur (Chronicon II, 267). [4] Iulium III.

de consensu patris nostri praepositi, et non alias, id concessit. Jam ergo hoc agit orator Regius cum Patre nostro (cui rem totam retexit), vt v. R. administrationis huius imponi onus permittat, et non dubito, quin fiet [*sic*] eo modo, qui ad Dei gloriam, et edificationem multorum sit cessurus quam maxime.

Charissimus frater noster Magister Theodoricus[1] incolumis ad nos peruenit, et multis rationibus amabilis, et commendatus nobis est, sed uel una eius puritas et candor sufficeret. Peruenerunt et duo illi Canonici Nouiomagenses, qui multo citius iter confecerunt, et quamuis minus sint nobis explorati, adhuc bene speramus de vtroque. Augeat Germanicae vineae dominus operariorum fidelium, et strenuorum numerum, ac virtutem. Vt eam quaqua 'uersus excolere, ut vitae aeternae fructus ex ea offerre uberrimos deo ualeant. Orationibus R. V. me ex animo commendo, et fratrum nostrorum. Romae 15 Octobris. 1554.

161.

CANISIUS
P. IOANNI DE POLANCO S. J.

Vienna 26. Octobris 1554.

Ex autographo (2°; pp. 2; in p. 4. inscriptio et part. sig.).

Apographum antiquum (saeculo XVII. scriptum esse videtur) est in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 136ᵃ—137ᵃ; at in eo aliqua particula omissa est („De uiatico — dependemus fideliter“).

Particulam epistulae („Mecum velut cum parturiente — pro dignitate“) vulgavit *Sacchinus*, Can. p. 90—91; quae etiam est in *editoris* „Katechismen“ etc. p. 24—25. Alteram habet *Riess* l. c. p. 144.

Primam catechismi partem typis exscriptam mittit ac correctiones et preces pro eo opere petit; quod ipse magna cum animi trepidatione obeat. De religione instauranda, collegiis: hungarico, pragensi, viennensi, ingolstadiensi. Huius institutionem et a Bavariae duce et a se urgeri. Ducis legatos catechismum petiisse. De vicecancellario, in communionem meritorum Societatis admisso, episcopatu viennensi, Lainio aliisque Viennam mittendis. Confirmat, quae ante scripserat: Socios Ingolstadii neque in philosophica neque in theologica facultate praeesse debere. Germaniae principes severam haereticorum coercitionem reformidare.

IESVS.

Pax Christi nobiscum Reuerende Pater.

Diutius quam par sit, respondere distuli, praesertim in excudendo Catechismo et adiuuando Typographo ualde impeditus. Mitto primitias Operis, cupioque non solum relegi, sed etiam emendari, qualiacumque demum sunt ista, quae vtinam recte confici, foeliciter excudi, et frugifere tandem euulgari possent[2]. Locus adhuc est in fine corrigendi,

---

[1] Theodoricus Canisius.

[2] Pars igitur aliqua „Summae doctrinae christianae“ typis iam erat exscripta, non integra „Summa“. Quod et probatur litteris Canisii 25. Martii 1555 datis.

si quid vobis correctione dignum videbitur. Mecum velut cum parturiente agitur, non possum non esse anxius, quamdiu partus non exierit in lucem, ut Dei conspectui possit foetus offerri atque consecrari. Vestris interim precationibus promouete successum, vt quo coepimus, eodem adspirante absoluamus debitum hoc Deo, vobisque tributum. Dominus IESVS in suam gloriam conuertat hanc mentis meae trepidationem: expertus didici, quam procul absim ab ijs, qui recte scribere et scripta edere norunt pro dignitate. Credo et spero minus uobis negotij fore in conscribendis reliquis [1]: eorum magna tenet nos et Regios expectatio.

Expectamus meliorem occasionem, vt quae ad Reformandum hic Religionis statum proposuistis, fructum aliquem adferant, CHRisto largiente.

Collegium Vngaricum ob perturbationes nouas et calamitosas in eo Regno, nihil mirum, si hoc hijemis tempore iaceat [2]. Primum erit deo duce Pragense Collegium, ad quod statim Rex vellet euocari 12, nisi tempus obstaret, et pestis, quae breui extinxit vno die Pragae 124. Dominus misereatur tot animarum, quae vtinam in fide decederent. De quo Pragensi Collegio plura in literis ad P. Prepositum [3]. Reuerendissimus D. Labbaccensis ita mecum statuit, quod etsi pluribus in locis erigi collegia hic queant Societati (sicut prioribus etiam literis indicaui) satius tamen atque consultius videatur, nunc praecipue animos ad haec duo Collegia confirmanda, Viennense et Pragense, adiungere. Tertium ego Ingolstadiense constitui uelim, de quo nonnihil quod scribam habeo. Fuit enim hic Secretarius Ducis Bauariensis, uosque salutatos maxime per me voluit, quorum beneficentiam erga se magnifice commendat [4]. Et literas quidem Duci suo scriptas, quibus Collegij causam explicabatis [5], non ingratas fuisse dixit, sed differri tamen expeditionem in Comitia Augustana [6], ut cum Rege nostro Dux illic coram agat de me ad certos menses restituendo Ingolstadiensibus: ita fieri commodius posse, quae ad structuram Collegij constituendi nostris opus esse viderentur. Ego vero spem addidi, ne dubitarent a Rege tale quiddam posse impetrari: nostrum tres hic esse Doctores [7], quorum vnus abesse posset ad tempus sine graui dispendio, incommodoque. Literas etiam adiunxi ad Consiliarium nobis

---

[1] Enchiridio parochorum et summa theologica; v. supra p. 472—473. 485.

[2] Cf. supra p. 467. Turcae bellum suum persicum indutiis 30. Septembris 1554 factis (quas anno 1555 pax ipsa secuta est) finiverant ideoque copias omnes in Hungariam ducere poterant (*Hammer* l. c. II, 236—237).

[3] Litteras 14. Octobris 1554 datas dicit; v. supra p. 495—497.

[4] Henricus Schweicker, Alberti V. ducis secretarius, mense Maio a. 1554 Romam missus erat, ut collegium ingolstadiense ab Ignatio impetraret. Cf. supra p. 486.

[5] Vide supra p. 486[6].

[6] Constitutum erat comitia augustana 13. Novembris 1554 incipienda esse. Coepta demum sunt 5. Februarii 1555 (*Janssen* III, 748).

[7] Canisius, Nicolaus Goudanus, Nicolaus Lanoius „doctores theologi" erant.

peramicum, vt rei structuraeque huius memoriam occupatissimis refricarem[1]. Orarunt priusquam hinc abirent Legati Ducis[2], vt Catechismum absolutum (nam de hoc aliunde cognouerant) in Bauariam mittendum curarem[3]. Probabile est, si arrideat opus principi, non minus in Bauaria, quam in Austria pondus habiturum. Christus sibi honorificum et multis frugiferum quod conamur faciat.

De uiatico mittendo facile curabimus, et remittendos huc esse Germanos perlubenter audimus: veniant saltem illi quotquot mitti possunt, accipiant isthic mutuo, nos dependemus fideliter. Patronum Regem habemus, qui numerum cupit hic frequentissimum esse: Nam hoc tempore nullus est, qui possit facile in messem extrudi, schola quattuor aut 5 distrahit e potioribus, in quorum locum si suffectos haberemus alios, fructum tandem per nostros non Vienna, sed Austria perciperet. Ea res Regi sane et Consiliarijs gratissima quoque foret.

Cancellarius[4] ingentes agit Patri[5] gratias, suamque vicissim operam omnem nostris offert, dicam et praestat, pro accepta illa communicatione meritorum Societatis omnium[6].

Septies pro patre meo Polanco sacrificare sicuti promisi, non omittam, etsi non omni adhuc metu liberor[7]. Sit mihi propitius dominus, vt a tali vexatione et laqueo eripiatur anima mea[8], ne audiam, Euge, euge[9].

Nondum desperauimus de aduentu R. P. Laijnez in Germaniam[10]. Inueniamus hanc quaeso gratiam in conspectu[11] Dei et patris nostri, vt orphanis visitatio et consolatio isthaec anno saltem proximo contingat.

Quod miratur sapientia tua, cur non approbem profitendi regendique rationem penes nostros Ingolstadij existere[12], Patri Goudano ac

---

[1] Doctorem Wiguleum Hundt dici puto, qui tunc munus „patroni" universitatis ingolstadiensis administrabat; cf. supra p. 425—426.

[2] Cum Schweickero Simon Thaddaeus Eck, cancellarius burghusanus, Viennae fuit. Nam *Conradus Zeller*, Alberti V. quaestor, inter 8. et 18. Novembris 1554 notavit: „So haben Herr Canntzler von Burckhausen vnnd Secretarj Schweickher auf der Raysen geen Wienn zue Rö: Kij: Mt: vertzert 78 fl 4 sl 29 dl 1 hlr" (* Codex accepti et expensi [Hofzahlamtsrechnung] 2. Febr. 1554 — 2. Febr. 1555, f. 341[b]. Monachii in archivo provinciae Bavariae superioris). Haud recte igitur *Agricola* scribit Wiguleum Hundt Viennam tunc missum esse (L. c. Dec. 2, n. 17, p. 30).

[3] Simon Thaddaeus Eck paulo ante Alberto duci proposuerat, ut catechismum pro „elementariis" ab universitate ingolstadiensi conscribendum curaret; catechismos enim, quos synodus provinciae ecclesiasticae salisburgensis mense Decembri a. 1553 habita commendasset, longiores et obscuriores esse (*Al. Knöpfler*, Die Kelchbewegung in Bayern unter Herzog Albrecht V. [München 1891] p. 11. 14).

[4] Doctor Iacobus Ionas vicecancellarius; cf. supra p. 483. 485. [5] Ignatio.

[6] Qua ratione haec „communicatio meritorum Societatis" facta sit, ex litteris conici potest, quibus S. Ignatius Romae 30. Novembris 1550 Alphonso de Villalobos, episcopo squillacensi, idem donum tribuit. Editae sunt in „Cartas de *San Ignacio*" II, 442—443. 274—275. [7] Cf. supra p. 487. 500. [8] Ps. 123, 7.

[9] Ps. 39, 16; 69, 4. [10] Cf. supra p. 472. 479. 483.

[11] Gen. 30, 27; 32, 5 etc. [12] Cf. supra p. 486.

mihi sic videtur, neque Principi, neque academiae illi vnquam placiturum, vt nostri maiores sibi partes quam professorum vendicent. In Sicilia noui quid fiat[1]: in Germania fieri idem haud posse videtur, praesertim vbi scholae iam sunt constitutae. Bis igitur nostri magnam sibi conflarent sine fructu inuidiam, tum quod in artium facultate hoc regendi ius, etiamsi princeps offerret, in se reciperent, tum quod Ingolstadij duo sint iam Theologi Doctores[2], qui non sinent sibi posteriores, id est, nostros, praeferri, etiamsi Doctores mittantur. Et magni refert, initio cum professoribus istis conuenire, paulatimque comparare authoritatem, quam peregrinis et ecclesiasticis aegre permittunt Germani. Igitur etsi nostro instituto non repugnet, academijs praesse atque prospicere, tamen haud perspicere possum, qui expediat in gymnasijs ita constitutis talem prouintiam suscipere, inuidiosae nouitatis subire periculum, intractabiles istorum animos regere, et inter haereticos, qui in hisce academijs abundant, tueri ac retinere disciplinam. Occupauit magnatum omnium animos isthaec persuasio, sine seditione institui non posse seriam, debitamque disciplinam, permittendum esse suae quemque fidei et conscientiae, castigandum uero neminem acrius. Qua de re latius alias. Verum caecus ego de coloribus apud oculatissimum. Rem fortasse non satis assequor: quod tamen in mentem venit, aperio sapienti.

Miror nihil allatum esse nuntij, venisse Romam M. Theodoricum[3] et post eum Nouiomagenses Canonicos alios vna cum Nicolao.

Etiam atque etiam rogo Pater, mei ut memineris in sacrifitijs precibusque tuis. Salutatum mihi cupio R. P. Olaue et P. Frusium. De reditu P. Schorichij saepe meminit Reuerendissimus D. Labbacensis. Vtinam primo vere possit adesse, suamque iuvare patriam, quando iam praeteriere anni duo a Rege concessi ipsius studijs. Dominus IESVS Vngariae iam misere periclitantis, et Germaniae tumultuantis misereatur, nostrasque operas conuertat in summam gloriam suam.

Viennae 1554. 26 Octobris.

Filius tuus Petrus Canisius.

† Al mio Reuerendo Padre M. Gioan Polanco della Compagnia de IESV in Roma.

In pagina quarta epistulae autographae manu eiusdem temporis scriptum est: „1554 Vienna dm. Canisio 26 d'Ottobre. Riceuuta alli 21 di Nouembre."

---

[1] Statutum erat, ut tota universitas Messanae condenda, in qua non solum theologi, sed etiam iuris periti et medici futuri erant, rectori collegii Societatis subesset (*Polancus* l. c. I, 364).

[2] Ingolstadii Michael Wagner anno 1553 et Georgius Theander anno 1554 theologiae professores constituti sunt (*Mederer* l. c. I, 234—238).

[3] Theodoricum Canisium.

162.

P. PETRUS SCHORICH S. J.

CANISIO.

Roma 29. Octobris 1554.

Ex *Gothein* l. c. p. 771; qui p. 795, n. 128 scribit se ea hausisse ex „Köln. Archiv" (ex quonam archivo coloniensi, codice, fasciculo, folio ea descripserit, non indicat).

De collegio germanico.

Refert Gothein anno 1552 a S. Ignatio Romae „collegium germanicum institutum" et complures in illud Germanos admissos esse. „Da erfolgte i. J. 1554 der erste Rückschlag. Wir haben ihn schon früher kennen gelernt: Diese deutschen Studenten sträubten sich gegen die jesuitische Erziehung, sie verlangten auch in Rom ein Stück ihrer akademischen Freiheit und Selbstverwaltung. Die Mehrzahl musste — verba, quae signis ‚et' includemus, Gothein ipsius Schorichii esse significat — ‚wegen hartnäckigen Ungehorsams und wegen Conventikelwesens, wobei sie sich ihre eigenen Gesetze geben und das Kollegium nach ihrem Willen gestalten wollten', entlassen werden."

Haec autem se accepisse scribit Gothein (l. c. p. 438. 789) ex epistula Roma Coloniam ad Kesselium missa 29. Septembris 1554 a Petro Schorichio, quem Ignatius Vienna Romam evocaverit ad collegium germanicum gubernandum. Verum S. Ignatius de Schorichio Romam advecto Roma 27. Iunii 1553 Urbano Textori, episcopo labacensi, scripsit: „Nullo modo auctor fui eius adventus. . . Ipsi efflagitanti (profectus sui spiritualis desiderio) ut sibi ad urbem accedere liceret annuendum fuit. . . Nondum satis eum maturasse (in doctrina praesertim) scio." [1] Postea e Societate dimissus esse videtur. Utrum autem Schorichius (vel Gothein?) aliquantulum rei actae modum excesserit necne, alii diiudicent consideratis maxime testimoniis, quae gravissima atque ex ipsis fontibus hausta recitavit *Card. Steinhuber* l. c. I, 17—31. Labitur certe iterum Gothein, cum affirmat Ignatium, ut illas collegii germanici calamitates et tempestates occuleret, in Germaniam ad Canisium epistulam illam misisse, quae est in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 439 (sribit in ea Ignatius: collegii res prospere procedere; unum tantum, quod insolens esset, dimissum). Nam ea epistula data est 23. Novembris 1553 (vide supra p. 441); tumultus autem illi, si Gothein credimus, primum exorti essent anno 1554.

163.

IULIUS III.

Pontifex Maximus

CANISIO.

Roma 3. Novembris 1554.

Ex „Actis Sanctorum Iulii" VII (Antverpiae 1731), 486—487 (in nova editione [Parisiis et Romae 1868] p. 497—498); in quibus has litteras evulgavit P. *Ioannes*

[1] Cartas de *San Ignacio* III, 404—405.

Pinius (Pien) S. J., exemplo usus, quod Romae a P. Ignatio Pinio S. J. ex ipsa „minuta[1] originali" (commentario ad certam et firmam formam redacto) descriptum esse asserit, quae ibidem in archivo Societatis asservetur.

Edidit easdem litteras etiam *Boero*, Canisio p. 467—470, ex eadem „minuta", quae tunc quoque supererat (cf. ibidem p. 111—112); nunc autem ubi exstet, me quidem latet. Ex Actis Sanctorum transcriptae sunt in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 535—538.

In codice nostro „Brevia et Rescripta antiquiora" n. 43 prior quidam commentarius harum litterarum exstat, quem vel Didacus de Lasso vel officialis aliquis curiae romanae S. Ignatio examinandum proposuisse videtur, antequam litterae ipsae in certam formam redigerentur.

Apographum ipsarum litterarum, eodem paene tempore scriptum, Viennae exstat in archivo supremi collegii eorum, qui imperatori a rebus sacris sunt (Cultus-Ministerium). Quod ante aliquot annos vidi quidem, sed nescio quo pacto cum ceteris exemplis non contulerim.

Pontifex Canisium ob eius virtutes atque ut Ferdinando regi satisfaciat, episcopatus viennensis „in spiritualibus et temporalibus administratorem" ad annum constituit eique potestatem tribuit, ea, quae iurisdictionis sint, per se vel alios, quae autem ordinis, per quemvis episcopum faciendi, beneficia ecclesiastica conferendi, de reditu episcopatus disponendi etc. Capitulo ecclesiae cathedralis, clero, populo praecipit, ut Canisio oboediant; archiepiscopo salisburgensi mandat, ut eundem suffraganeum habeat et tueatur[2].

Dilecto filio Petro Canisio, presbytero ex Societate Jesu, magistro in theologia[a].

Dilecte fili, salutem[b]. Cupientes ecclesiae Viennensis [?][c], provinciae Saltzeburgensis[3], ad praesens certo modo pastoris solatio destitutae,

---

[a] *In litteris archetypis haec verba secuta esse videntur:* Iulius PP. III.

[b] salutem etc. *comm. prior.* Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem *Bo. Quod in archetypo quoque fuisse puto.* [c] *Sic. Sed legendum videtur:* Viennensi.

---

[1] Minuta = „abbozzo di scrittura, prima perscriptio, informatio, commentarius" (*Gaet. Moroni,* Indice del Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica IV [Venezia 1878], 391).

[2] In his litteris, praeter alia, duo notatu digna sunt: 1. Pontifex dioecesim viennensem „suffraganeam" dicit archidioecesis salisburgensis. Eam „exemtam" esse et Fridericus Nausea episcopus viennensis paulo ante asseruerat (*Wiedemann* l. c. I, 106), et postea affirmatum est („Das Wiener Bisthum war von Anfang schon exemt": *M. Häusle,* „Wien", in „Kirchen-Lexikon" ed. a H. J. Wetzer et B. Welte XI [Freiburg i. Br. 1854], 980). 2. Capitulum ecclesiae cathedralis viennensis Canisio episcopatus administratori „tamquam patri et pastori animarum suarum" oboedire iubetur. De eodem capitulo Ioannes Faber episcopus viennensis (1533 ad 1541) scripserat: „Das Domcapitel, die Capitularen . . . wollen exemt und frei sein und der Bischof ist ihnen eine ziffera nulla." Ac Nausea eius successor conquestus erat: „Episcopum nihil habere iurisdictionis in Canonicis" (*Wiedemann* l. c. II, 2—3. Studien und Mittheilungen aus dem *Benedictiner- und Cisterzienzer-Orden* 4. Jahrg., II [Würzburg-Wien 1883], 162).

[3] Etiam in antiquo illo chronico Bruschio-Heroldiano episcopatus viennensis metropoli salisburgensi subditur (Chronick oder kurtz Geschichtbuch aller Ertzbischouen zu Mayntz. . . . . Durch *Caspar Bruschen* in Lateyn. beschrieben, durch Johann Herolden verteutscht [Franckfurth am Mayn 1551] f. A 2b).

personam secundum cor nostrum utilem et idoneam praeficere, et ne interim ecclesia ipsa in spiritualibus, et temporalibus patiatur, opportune providere: et attendentes, quod tu, ob tuam in Deum pietatem, et literarum scientiam, ac in spiritualibus providentiam, et temporalibus circumspectionem, diversaque alia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, ecclesiam praedictam, illius durante vacatione, scies, voles, et poteris salubriter regere, et feliciter gubernare, ac eidem ecclesiae in illius regimine, et administratione plurimum utilis et fructuosus esse: motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, contemplatione etiam charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi, Romanorum et Ungariae regis illustris, in imperatorem electi [1], quem hoc summopere cupere intelleximus; te, de quo ex praemissis plurimum in Domino confidimus, ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus administratorem ad annum [a], intra quem eidem ecclesiae de idoneo et utili pastore providebimus, Apostolica auctoritate constituimus, et deputamus, plenam, et liberam eiusdem ecclesiae curam et administrationem tibi in eisdem spiritualibus, et temporalibus, anno [b] huiusmodi durante, plenarie committendo [2].

Volumus autem, quod, administratione huiusmodi durante, in dicta ecclesia, ac civitate, et dioecesi Viennensi, ea, quae jurisdictionis existunt, per te ipsum, vel alium, aut alios, quos nomine tuo possis substituere, libere exercere: quae vero Ordinis fuerint, per Catholicum antistitem, gratiam et communionem dictae [c] Sedis habentem, exerceri facere, ac quaecumque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, secularia, et quorumvis Ordinum regularia, ad collationem, et provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem, pro tempore existentis episcopi Viennensis pertinentia, conferre, et de illis providere, ac ad illa praesentare, et eligere, aliasque de illis, nec non debitis et consuetis mensae episcopalis Viennensis supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, et proventibus disponere libere et licite valeas in omnibus, sicuti episcopi Viennenses, qui pro tempore fuerunt, illa conferre, et de illis providere, ac ad illa praesentare, et eligere, aliasque de illis, nec non mensae praedictae fructibus, redditibus, et proventibus disponere potuerunt, seu

[a] ad nostrum et apostolicae sedis beneplacitum *comm. prior; sed in margine correctum est:* ad annum.

[b] beneplacito *comm. prior; sed correctum est:* anno. [c] Sanctae *Bo.*

[1] Memoratu fortasse dignus hic Ferdinandi titulus „in imperatorem electus". „Imperator electus" idem a principibus electoribus consalutatus est Francofurti ad Moenum 24. Martii 1558, postquam Carolus V. imperio ac nomine imperatorio se abdicavit.

[2] Ex lectionibus variantibus sub [a] et [b] positis haec intelleguntur: In eo erat, ut Canisius episcopatum tanto tempore administrare iuberetur, quanto pontifici videretur. At Ignatius effecit, ut tempus illud ad unum annum restringeretur.

etiam debuerunt: alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium dictae mensae penitus interdicta[1].

Quocirca discretioni tuae, ut curam, et administrationem praedictas, ut praefertur, sic solicite geras, et fideliter prosequaris, quod ecclesia ipsa gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam; utque [*sic*] praeter aeterna retributionis praemia, et dictae Sedis benedictionem, et gratiam exinde uberius consequi merearis: nec non dilectis filiis, capitulo et vassallis ecclesiae, ac clero, et populo civitatis, et dioecesis praedictarum[a] per praesentes mandamus, ut capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam, et reverentiam debitas, et devotas; et clerus te benigne recipientes, et honorifice pertractantes, tua salubria monita, et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent: populus vero te devote suscipientes, tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te patrem benevolum invenisse gaudeatis: vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia, et jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Rogamus quoque et hortamur attente praefatum Ferdinandum, et venerabilem fratrem Archiepiscopum Saltzeburgensem[b][2], eidem archiepiscopo per Apostolica scripta mandantes, quatenus te, et praefatam ecclesiam ipsius archiepiscopi suffraganeam habentes pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis juribus vestris sic vos benigni favoris auxilio[c] prosequantur, quod tu, eorum fultus praesidio, in commisso tibi ejusdem ecclesiae regimine possis Deo propitio prosperari, ac Ferdinando regi a Deo[d] perennis vitae praemium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque archiepiscopus proinde divinam misericordiam, ac nostram ac dictae Sedis benedictionem et gratiam uberius valeat[e]

[a] *Bo. haud recte:* praedictorum.
[b] Salzteburgensem *Bo.*
[c] *Sic Cart.; Acta et Bo. minus recte:* auxilia.
[d] adeo *Acta, Cart., Bo.;* a Deo *comm. prior., idque rectissime; proxime enim sequitur:* et a nobis. [e] valeant *Acta, Bo.*

[1] Dioecesim viennensem eo tempore civitatem et 14 tantum parochias rusticanas complexam esse testatur *Joseph Othmarus cardinalis Rauscher,* archiepiscopus viennensis, in litteris pastoralibus, quas, Canisio in catalogum beatorum relato, 9. Aprilis 1865 ad fideles archidioecesis suae dedit (cf. „Der selige Petrus Canisius. Hirtenschreiben“ etc. [Wien 1865] p. 35).

[2] Michael a Küenburg archiepiscopus salisburgensis electus erat 21. Iulii 1554; consecratus est 6. Ianuarii 1555 (*Ios., Franc., Paul. Mezger* O. S. B., Historia Salisburgensis [Salisburgi 1692] p. 591—602).

promereri. Datum[a] Romae apud S. Petrum die tertia Novembris MDLIV, anno quinto[b].

Pinii asserunt minutae archetypae haec subscripta esse:

„Manu propria Cardinalis Putei“ (Iacobi dal Pozzo, du Puy?) cardinalis presbyteri S. Simeonis[1]*:*

Attento consensu Praepositi Generalis, et quia rex supplicat, et minuta est in forma, potest expediri. Ia. Cardinalis Puteus.

Manu P. Polanci secretarii:

Expeditioni hujus brevis nomine meo et totius Societatis consentio.

„Propria manu S. Ignatii:“ Ignatius.

164.

CANISIUS

MARTINO CROMER,

secretario regio et canonico ecclesiae cathedralis cracoviensis[2].

Vienna 6. Novembris 1554.

Ex apographo eiusdem temporis; quod pro Stanislao Hosio, episcopo varmiensi, conscriptum esse videtur, nuncque Gothae exstat in bibliotheca ducali, cod. „Nr. 381“, f. 46.

Ex eodem apographo epistulam primus edidit *Ernestus Salomon Cyprian* in „Tabulario ecclesiae Romanae seculi decimi sexti, in quo monumenta restituti calicis Eucharistici totiusque concilii Tridentini historiam mirifice illustrantia continentur“ (Francofurti et Lipsiae 1743) p. 576—577.

Collegium Societatis a Stanislao Hosio episcopo varmiensi instituendum urget. De collegio Oeniponte condendo. Libri „de emendanda republica“ ab Andrea Fricio editi gravem censuram agit. Queritur Cracoviae lutheranos edi libros.

Gratiam domini Jesu nobiscum sempiternam.

Pergratae mihi fuerunt literae tuae, Reuerende domine, quas ego post abitum a nobis tuum vnicas accepi, neque praeterea in hunc usque diem quicquam intellexi de colonia sodalicij nostri, sicuti ambo cupiebamus, in Prussiam deducenda[3]. Mirantur et nostri, quos Romae admonendos de hoc instituto curaveram, merum et diuturnum intercedere

---

[a] Datum *nec quicquam aliud habet comm. prior.*

[b] Pontificatus nostri anno quinto *Bo. Atque ita etiam in archetypo scriptum fuisse vero simillimum est.*

---

[1] In „Actis Sanctorum“ asseritur Puteum tunc „Signaturae gratiae Praefectum“ fuisse. *Ciaconius-Oldoinus* (l. c. III, 773) et *Cardella* (l. c. IV, 314) affirmant eum a Paulo IV. signaturae modo gratiae, modo iustitiae praepositum esse.

[2] *Martinus Cromerus* Everardo Mercuriano, Societatis Iesu praeposito generali, Heilsberga 20. Martii 1574 scripsit: „Ex quo P. Canisium, et alios qvosdam de ista ipsa societate Viennae in Austria cognovi (. cognovi autem ante aliqvot et viginti annos primus, ni fallor, Polonorum.) adamavi eam, dedique operam, vt eius Polonia nostra et Prussia expers non esset, Non illius qvidem, sed nostra ipsorum gratia“ (ex *epistula Cromeri archetypa, quae est Romae in archivo regio [archivio di stato], Convol.: „Archivio dei Gesuiti: Lettere 1548—1575“).

[3] Vide supra p. 458—460.

silentium, veluti vana iuvandae in Christo Prussiae spe lactarentur. Qvare a nostris nihil neglectum vides. qui si adhuc venturi sunt, non solum ad Mafaeum quem nominas Archiepiscopum[1], verum etiam ad pontificem max. et ad praepositum nostrum D. Ignacium serias mitti literas et preces D. Varmiensis[2] optarim. Ac praeterea mihi consultum fore videbitur, si Romae constituatur aliquis, qui necessario viatico instruat profecturos: nisi forte dum Vienna transibunt, hic denuo ut sumptus necessarios accipiant. vestra quoque liberalitas efficiet. Rex breui aliam mittet coloniam e nostris Pragam, ac fortassis etiam, ut audio, Oenipontum. Dominus Jesus ecclesiae suae salutares faciat nostros conatus.

De Andrea Fricio regio secretario, cuius opus de emendanda republ. nunc excusum typis dedit Oporinus, hoc vnum addam, vereri me admodum, ne et authori, et regi, regnoque vestro futurum sit dedecori quod ille cum tot apologijs adfert de ecclesia[3]. Elegantiam

---

[1] Marcum Antonium Maffei archiepiscopum theatinum significat; cf. supra p. 460.

[2] Stanislai Hosii episcopi varmiensis.

[3] De Andrea Fricio Modrevio (Andreas Frycz Modrzewski), secretario regio et advocato volboriensi, *Virilius Musaeus Hyporeas* (Andreas Trzycieskiego) in „Elegia de sacrosancti evangelii, in ditione regis Poloniae, post revelatum Antichristum, origine, progressu et incremento" cecinit:

„Nec minor et Fricio debetur gloria, cum sit
Ingenio magnus, magnus et eloquio.
Quem morum gravitas, doctrina amplissima rerum,
Christiaco primis aequat in orbe viris,
Scriptaque fecerunt tibi formidabilis ut sit
Dire Papa, aeterno tempore digna legi."

Anno 1551 Cracoviae ex officina Lazari in lucem primum emissi sunt *Fricii* „De emendanda republica comment. LL. V quorum primus de moribus, sec. de legibus, tertius de bello, quartus de ecclesia, quintus de schola ad Regem, Senatum, Pontifices, Presbyteros, Equites populumque Poloniae ac reliquae Sarmatiae" (8°). Opus Sigismundo Augusto Poloniae regi ab auctore dedicatum est et saepius typis exscriptum: latine Basileae a. 1554 (apud Ioannem Oporinum), 1557, 1559 (2 tomi in 2°), germanice ibidem 1557 (2°), polonice Wilnae 1770 (8°). De editione basileensi anno 1554 facta Hosius 23. Ianuarii 1553 Heilsberga ad Andream Zebrzydowski episcopum cracoviensem scripsit: „Nunc liber is a Cromero mihi missus est . . ., quo non credo quicquam adhuc in Regno Poloniae scriptum esse perniciosius et ad inflammandum contra nos invidiam saecularium aptius. . . Iudicium de scripturis penes quemvis de plebe vult esse potius quam penes nos Episcopos. . . Interea tamen nec equestri parcit ordini, nec in ipsam Regiam Maiestatem videtur esse mitior." Eidem episcopo cracoviensi paulo post Nicolaus Dzierzgowski archiepiscopus gnesnensis, Hosii rogatu, commendavit, ut bibliopolis cracoviensibus illius operis venditione interdiceret. Quod etiam universitas lovaniensis in suo librorum catalogo anno 1558 edito proscripsit. Cum autem Hosius in „Confessione fidei catholicae" anno 1551 nomine synodi piotrcoviensis edita et anno 1553 primum typis exscripta aliquas Fricii sententias (quas proxime ex eiusdem „Dialogis de utraque specie coenae Domini" a. 1550 editis hausisse videtur) refellisset, is Hosii argumentis „Apologias" opposuit; quas anno 1554 adiunxit libro „De ecclesia", qui operis „De republica" quartus erat, tunc primum in lucem emisso; nam anno 1551 Cracoviae

et libertatem illi concedo: in sacris doctrinam, quae sobrietatem sapiat [1], non tribuo. Et quid opus erat pontificem, Episcopos, Synodumque Tridentinam sic traducere, sectarijs favere, damnatis iam olim erroribus patrocinari, hoc praesertim tempore tam exulcerato, quam maligno, ubi scandalorum abunde sat est, licet istiusmodi homines frigidam non suffundant, et igni, ut dicimus addant oleum. Sed haec ego Polonicae ecclesiae amans dixerim, non quod censor esse velim: tantoque iustiorem hinc moerorem accipio, quo tristiora huc nuncia perferuntur de tumultuantibus istic in religionis causa vulgaribus animis. Nec probo, quod Cracoviae Lutheranos authores excusos Vienna nunc videat, catholicos autem fere nullos accipiat [2]. Canisium qvaeso commendatum habeat sibi dignitas tua, qvam seruet Deus opt. max. Viennae 6. Novembris 1554.

Servus in Christo
Petrus Canisius de societate Jesu
theologus minimus.

Reverendo domino Martino Cromero Secretario Regio, patronoque summe colendo.

De hac Canisii epistula Hosius Heilsberga 11. Maii 1555 Canisio scripsit: „Ostendit mihi . . Cromerus noster, quae scripsisti de Fricio, de quo recte iudicasse videris. Contra quem autem librum apologiae istae conscriptae sint, puto te non ignorare.“ [3] Apographum epistulae huius canisianae Hosius una cum litteris asservabat, quas a viris summis acceperat. Eius autem archetypum fortasse significat, Varsovia 30. Ianuarii 1556 Cromero scribens: „Canisii litteras, quarum oblitus videbaris, tibi remitto.“ [4]

165.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma 21. Novembris 1554.

Ex „Cartas de *San Ignacio*“ IV, 483—484. 369—370; in quod opus haec epistula transcripta est ex codice epistularum S. Ignatii, qui antea in archivo Societatis romano exstabat (l. c. p. 369, adnot. 1).

eum edere vetitus erat. Paulus IV. in „Indice“ anno 1559 promulgato omnia Fricii opera „prohibuit“ (*Sim. Starovolscius,* Scriptorum Polonicorum *EKATONTAS* [Francoforti 1644] p. 81. *I. G. Th. Graesse,* Trésor de livres rares et précieux IV [Dresde 1863], 556. *Reusch*, Index I, 438. *Hosii* Epistolae II, 79. 80. 475. 495 ad 496. 517. 519—520. 1041. *P. Bayle,* Dictionnaire historique et critique III [5e éd., Basle 1738], 403. *X. Iul. Bukowski*, Dzieje reformacyi w Polsce od wejścia jéj do Polski aż do jéj upadku I [Kraków 1883], 689—699). [1] Cf. Rom. 12, 3.

[2] Ita v. g. Ioannis Spangenbergii Herdessiani, „apud Northusianos verbi Dei ministri“, „Computus ecclesiasticus“ Cracoviae prelum subiit annis 1543, 1546, 1547, 1554; ibidem alia Spangenbergii opera typis descripta sunt: „Dialectica“ a. 1548, „Rhetorica“ a. 1550, „Trivii Erotemata“ a. 1552 (*Theod. Wierzbowski,* Bibliographia Polonica XV ac XVI ss. II [Varsoviae 1891], 2. 98—99. 88. 92. 96; III [Varsoviae 1894], 52. 57). [3] *Hosii* Epistolae II, 1041.

[4] *Hosii* Epistolae II, 662.

Quae Ferdinandus rex a pontifice petierit, concessa esse; nisi quod valetudinariis a rege condendis monasteria deserta attribuere non liceat.

IHESVS.

La somma grazia, etc. Nella informazione vostra originale si manda la risposta punto per punto di quello che si è ottenuto da Sua Santità, ed è quanto si pretendeva [1], in fuora della facoltà di incorporare negli otto ospedali quelli monasteri, il che non si concede, per essere tale la usanza degli eretici, coi quali non è buono convenire, ne mostrare di approvare il fatto loro empio con l' esempio della pietà del Re [2]. Darete a Sua Maestà la mia lettera scritta in lingua spagnola [3] e anche la patente del Cardinal Puteo [4]: e della [a] informazione per voi mandata mostrerete a Sua Maestà e a chi sarà per quella commesso. Delle altre cose mi rimetto a quello che scriverà M. Polanco.

Dio Nostro Signore dia a tutti grazia di conoscere ed eseguire sempre la sua santissima volontà.

Di Roma, 21 di Novembre 1554.

IHESVS. A M. Pietro Canisio. Vienna.

Iesus.

Summa gratia etc. Ipsius vestrae informationis exemplo singulisque eius capitibus ascripta mittimus, quae a sanctitate sua impetravimus; obtinuimus autem, quaecumque petita erant [1], praeter facultatem monasteriorum illorum octo illis valetudinariis attribuendorum; hoc enim non conceditur, cum haeretici sic agere soleant, quibuscum convenire non expedit, ne impia eorum facinora regiae pietatis exemplo comprobare videamur [2]. Regiae maiestati litteras meas hispanice scriptas [3] atque etiam diploma a cardinali Puteo confectum [4] tradito: informationem autem a te missam maiestati suae monstrato, et quibus hoc negotium ab eadem commissum erit. De ceteris rebus M. Polancus ad vos perscribet.

Deus et dominus noster omnibus nobis gratiam suam concedat, qua sanctissimam eius voluntatem semper cognoscamus atque exsequamur.

Roma 21. Novembris 1554.

Iesus. M. Petro Canisio, Viennae.

[a] *Sic „Cartas"; sed legendum esse videtur:* la.

[1] Iulius III. litteris 14. Februarii 1555 datis excommunicationis poenam sustulit, qua eos affecerat, qui sceleris anno 1551 in Georgium cardinalem Martinutium, episcopum waradinensem, commissi auctores vel participes fuissent. Fortasse Ferdinandus hoc quoque negotium Ignatio et Canisio commendaverat (*Polancus*, Chronicon III, 254. *Bucholtz* l. c., Urkunden-Band p. 612—614).

[2] Cf. supra p. 476. A. 1555 Paulus IV. concessisse videtur, ut Ferdinandus monasteria illa deserta vel quasi deserta valetudinariis attribueret. Cf. Cartas de *San Ignacio* V, 234—235.

[3] Hae litterae, Romae 22. Novembris datae, exstant in *Cartas* IV, 370—373.

[4] Hoc diplomate Iacobus cardinalis Puteus fidem faciebat gratiarum a Iulio III. concessarum (*Cartas* IV, 372—373).

166.

CANISIUS

MARTINO CROMER,

canonico cracoviensi et secretario regio.

Vienna 27. Decembris 1554.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 4. inscr. et pars sig.). Cod. cracov. „Cromeri epistt." n. 19.

Ex eodem autographo primum edita est a *Fr. Hipler* et *Vinc. Zakrzewski* in opere „Stanislai Hosii et quae ad eum scriptae sunt Epistolae" II (Acta historica res gestas Poloniae illustrantia ab anno 1507 ad annum 1795 IX [Cracoviae 1886. 1888]), 1020—1021.

Cromero in proximum annum laeta ominatur et in memoriam revocat, quantam sibi benevolentiam Viennae exhibuerit, et quae de collegio Societatis in Polonia condendo inter se constituerint. Huius collegii causam Cromero enixe commendat; in ea Societatem non sua, sed ecclesiae et Poloniae emolumenta quaerere. De iuvene quodam in collegium germanicum profecturo.

†

Dominus IESVS, qui nobis et natus, et circumcisus est paruulus, veram in nobis secundum Spiritum regenerationem simul et circumcisionem compleat, quo plane et in vtroque homine reformati, foelicibus auspicijs nouum hunc annum excipiamus [a] [1]. Quum isthuc iret frater Dominicanus, measque ad dignitatem tuam literas non grauatim acciperet, Magnifice Domine Cremere [b], ausus sum equidem haec, qualiacunque sunt, elaborata certe non sunt, scripto commendare. Neque enim possum non meminisse, qua me humanitate ac beneuolentia complecteretur cum hic nuper adesset [2], meque ad familiaria colloquia perbenigne admisisset tua facilitas et charitas. Ex illis igitur qui tunc inter nos fuere, congressibus tantum animi fiduciaeque sumpsi, quantum mihi ad scribendum iam fore satis existimo. In me quidem cur magnis placere, probarique viris debeam, scio vix quicquam inesse: neque precari velim, vt aut eruditionis, aut virtutis et pietatis nomine cuiquam falso commender. Verum enim uero illos mihi fauere ac studere gaudeo, quorum authoritate et ope ad gloriam CHRISTI propagandam et vtilitatem Ecclesiae promouendam vti posse videor. Nunc de instituto nostro haud repetam, ne uel sapientiae, fideique tuae, quam hic scio aduigilaturam, videar diffidere, vel personae meae decoro male inseruiam. Coram, ni fallor, satis inter nos tractatum

[a] *In hac periodo manu posteriore eaque ignota aliqua mutata et addita sunt; quae cum fere orationis ornandae gratia facta sint, hic negleguntur.*
[b] *Sic etiam infra.*

[1] Canisius a sacro tempore, quo scribit, natalitiorum Christi exorditur. Cf. Is. 9, 6. Tit. 3, 5. Rom. 2, 29. [2] Cf. supra p. 458—459. 509[2].

est, non adspernandum videri posse prouentum, si quem nostri isthuc euocati in Christo referrent, ex messe Poloniae amplissima pulcherrimaque. Sed multum in Patronis situm est, qui pusillum IESV gregem[1] primi fouere atque complecti dignabuntur. Ego vt ingenue dicam quod sentio, hanc tuae praestantiae gloriam constare integram velim, vt quicquid ad Religionis ac pietatis causam vindicandam apud vos nostri rite gesturi sunt vnquam, si quidem suorum conatibus faueat JESVS Opt. Max. id vniuersum sub Domino Cremero velut spiritalis huius operis architecto fundatum atque fabricatum in Christo esse videatur. Laborandi et patiendi pro Capite crucifixo, pro fratre misero, pro imperita pueritia venabar occasionem apud Polonos. Priuati si quid commodi specto, Deum precor, ne succedat hoc institutum, quod non nostris profecto, sed si quid ego video, Polonis per nostros adiuuandis plane accommodatum est. At nihil apud sapientem opus pluribus, et bona merx, vt aiunt, emptorem facile reperit, etsi praeco non etiam accedat sedulus[2].

Casparum tuum[3] amo, quia studiosum et fidum vt experior, adolescentem se reipsa comprobat. Vsus sum illius opera in scribendo, iamque illud effectum puto, vt ad Germanicum Collegium Romae institutum breui recipiat sese. Ducem eius itineris habebit Legatum Pont. Max.[4], quod hinc sit non multo post rediturus in Jtaliam. Tum literis ad nostros datis ita commendabitur, vt pulcherrimo illi collegio Romae florenti quamprimum, vbi eo peruenerit, deo fauente adiungatur. Sed quid ego doemum offitij non debeo, vel tuo solius nomine? cui certe percupio gratificari. Dominus IESVS gratia nos sua semper augeat. Viennae ferijs D. Joannis Euangelistae[5] Anno post Christum natum .1554.

Magnificentiae tuae

Seruus in Christo et indignus Theologus

Petrus Canisius Nouiomagus.

† Clariss. uiro Domino Martino Cremero, Canonico Cracouiensi et Regio Consiliario, Patrono humanissimo. Cracouiae.

Epistulae a Canisio anno 1554 datae, quas modo proposuimus, nullum tempus diuturniori illius mansioni augustanae relinquunt, quam quidem fingit *Gothein* (l. c. p. 761); atque epistulis quoque et monumentis omnibus, quae infra in hoc et in secundo operis huius volumine ponemus, evincetur Canisium ante annum 1559 numquam Augustae per longius tempus consedisse.

---

[1] Luc. 12, 32.

[2] „Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est“: *Maccius Plautus* in „Poenulo“ act. 1, sc. 2, v. 129.

[3] Hic quis fuerit, nescio.

[4] Zachariam Delfinum dicit; de quo supra p. 478[8]. Attamen is mense demum Augusto a. 1555 Vienna Romam profectus est (*Hosii* Epistolae II, 430[15]).

[5] 27. Decembris.

167.

CANISIUS
MARTINO CROMER.

Vienna 15. Ianuarii 1555.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 4. inscr. et sigill.); cod. cracov. „Crומeri epistt." n. 7.

Primum edita est epistula in *Stanislai Hosii* Epistolis II, 1022—1023.

Denuo monet, ut collegium Societatis in Varmia condatur. Se Borussiam diligere. De Anglia ad ecclesiam catholicam reducta et de proceribus Polonis religionem catholicam turpiter neglegentibus. De Fricii, Cromeri, Hosii scriptis.

IESVS.

Pax Domini JESV nobiscum sempiterna. E proximis literis, quas sub finem Decembris ad me dedit excellentia tua digniss. Domine Cromere, quod uolebam accepi de causa optimi Episcopi Varmiensis. Hactenus, ut antea quoque scripsi[1], mora in nostris nulla fuit: ego Prussiam amo, et a fratribus adiuuari posse confido sub tali praesule atque Moecenate, cui summus debetur fauor et amor omnium Catholicorum. Hoc vnum superesse sentio, vt in mandatis Romae detur amico, qui de colonia ista mittenda et viatico instruenda curam ampliss. Episcopi nomine suscipiat, susceptam tum apud Pont. Max. tum apud Praepositum nostrum Jgnatium exequatur. Ego nihil dubitarim, crede mihi, uel hodierno die iter ad Prussiam ingredi, si sancta dux erit obedientia, cui me vti par est, accommodabo: sed interim si testari re ipsa possim, verbis indicare non referret hanc meam erga tantum antistitem beneuolentiam, et in omni offitiorum genere propensionem.

Strenae loco adiunxi noua quaedam de Anglia[2], praeclara illa profecto, quae ut haereticos offendere, sic Catholicos animos, ni plane fallor, recreare maxime possunt[3]. Nec desunt tamen proh dolor, qui nouuandae [*sic*] Religioni student, postquam Angliae tam male cessit isthaec sectaria nouatio. quam ingenti suo malo sensit, et communi rursus

[1] Supra p. 509—511. 513—514.

[2] Anno 1554 Augustae Vindelicorum a Ioanne Zimmermann typis exscriptus est libellus: „Newe Zeytung. Was sich jetzt verschinen tagen, Mit des Printzen ankunfft in Engellandt, Vnd mit der Schlacht in Italien. Auch mit dem grossenn Kriege, zwischen der Röm. Kays. Mayestat, vnnd dem Französischen Künig zugetragen hat"; relatio sive epistula data est „im Kayserlichen Feldlager zu Sanct Leuin, am 17. tag Augusti, Anno 1554" (4°; ff. 16) (*Em. Weller,* Die ersten deutschen Zeitungen, in „Bibliothek des litterarischen Vereins in Stuttgart" CXI [Tübingen 1872], n. 202). Hunc vel similem libellum Canisius Cromero misisse videtur.

[3] Maria Angliae regina et Philippus Hispaniae princeps 25. Iulii 1554 matrimonio iuncti; Reginaldus cardinalis Polus, pontificis legatus, exeunte Novembri in Angliam advectus; anglicana natio ineunte Decembri cum ecclesia sollemniter reconciliata etc. (*I. Lingard,* A history of England VII [London 1844], 173—180).

bono reiecit atque profligauit. Vtinam Fricius haec secum expendat, priusquam sibi et suis, ac nobili Poloniae flagellum arcessat, quod cum velit, igne semel succenso, nequeat amoliri, nedum restinguere prorsus [1]. Male autem uobiscum agi, quemadmodum scribis, non dubito: illudque potissimum doleo, nullam in magnatibus curam, sed summam vbique socordiam esse in vindicanda sacrosancta Religione, cuius neglectum et iniuriam tantum non laetis spectant et dissimulant oculis: vt apertis nonnunquam hostibus sint pestilentiores. Non sinet autem DEVS inultam Ecclesiae sponsae suae tantam iniuriam atque proculcationem. Percupio videre dialogos tuos [2], et scriptum aliud Domini mei Varmiensis si fieri ullo modo queat [3]. Qua in re vtinam voti compos fiam: nihil esse gratius queat hoc tempore. Dominus IESVS anni huius ingressum nobis auspicatum esse concedat. Viennae 15 Januarij. 1555.

Magnificentiae tuae

Jndignus in Christo seruus Canisius.

Clarissimo domino meo Martino Cromero, a concilijs et secretis Serenissimi Regis Poloniae.

168.

CANISIUS

WIGULEO HUNDT,

consiliario ducis Bavariae et curatori universitatis ingolstadiensis.

Vienna 14. Martii 1555 [4].

Ex apographo eiusdem temporis (2°; pp. 4). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I.“ f. 30—32.

Aliquas epistulae sententias proposuit *Python* l. c. p. 74. 348—349, maiorem partem *Riess* l. c. p. 147—148, aliquam partem *G. Patiss* S. J., Der selige Petrus Canisius (2. Aufl., Wien 1865) p. 143, totam epistulam *Manfr. Mayer*, Wiguleus Hundt p. 305—306.

[1] De Andrea Fricio vide supra p. 510 [3].

[2] Cromerus anno 1551 Cracoviae primum suum colloquium ediderat, polonice inscriptum: „O wierze y o náuce Luterskyey.“ Tria alia proximis annis ab eo polonice edita sunt. Hoc autem tempore de iis latine vertendis cogitasse videtur. Ac reapse saepius postea latine edita sunt Dilingae, Coloniae, Parisiis; v. g. Coloniae anno 1568 cum hoc titulo: „Martini Cromeri Monachus, sive colloquiorum de religione libri quatuor, binis distincti dialogis“ (*Hosii* Epistolae II, 42. 1023. *Eichhorn*, Cromer l. c. p. 111. *Karl Estreicher*, Polnische Bibliographie des XV.—XVII. Jahrhunderts [Krakau 1883] p. 40—42).

[3] Hosii scriptum „De actis in Comitiis Prussiae Graudentinensibus, Anno Domini M.D.LIII.“ significat; quod Cromerus anno 1554 a Hosio acceperat (*Hosii* Epistolae II, 382. 1023. Exstat in „D. *Stanislai Hosii* operum Tomo secundo“, ed. *Stan. Rescius* [Coloniae 1584] p. 82. 91).

[4] Hundt sub initium mensis Martii 1555 ab Alberto duce in officio „patroni“ sive curatoris universitatis confirmatus erat (*Cod. monac. „Protocolla“ f. 202[a]).

Pars etiam actis beatificationis inserta est: „*Positio* super virtutibus“ (Romae 1833) Expos. virt. 41.

Aliqua ex hac epistula protulit *Gothein* l. c. p. 701.

De iuvene quodam, in collegium germanicum, Canisio iuvante, profecto. In viennensi et aliis Germaniae academiis religionem valde corrumpi. Germaniae principes ad oboedientiam summi pontificis redire et haereses strenue exturbare debere. Haereticos, si opus sit, etiam vi esse compellendos. Hundio negotium collegii Ingolstadii condendi commendat eundemque acriter excitat, ut ecclesiae hostibus magno animo obsistat.

Magnifice Domine Consiliarie[a], gratia Dominj nostrj Jesu christj et pax aeterna nobiscum.

Vt primum de nostro Dauide dicam, Abijt hinc ille Romam, magis ob sociorum quos forte nactus est commoditatem ad proficiscendum, quam ex meo consilio decretoue. Literas enim hactenus Romanas expecto, quibus reddj certior queam, sit ne paratus Dauidj locus in Collegio illo Germanico[1]. Nam non esse liberum cunctis Germanis aditum, siue ob ingeniorum quae deliguntur rationem, siue ob personarum illic frequentiam, siue ob sumptuum tenuitatem, iam ante videor intellexisse. Sed enim quia Schola Viennensis[2], eiusque corruptissimj mores, praesertim quod ad religionis Synceritatem attinet, Dauidj summopere[b] displicebant, et jtineris socij consolabantur [?][c], et studiorum profectus apud exteros ipsi maior sperabatur, passus sum vna cum amicissimo Doctore Thrainer[3], illum in sua persistere sententia, et abeuntj vt periculum faceret bonus adolescens de meliore fortuna, non modo datum est viaticum, sed etiam adiunctae literae commendatitiae meae. Sed euentum diuinae prouidentiae ac bonitatj committamus. Ego vt primum de illius statu certius aliquid didicero, Excellentiam tuam reddere certiorem curabo. Certe hic nullj satis tutum arbitror, si saluum in Religione pectus conseruare velit, diu Viennae morarj. et vtinam simile periculum non sit in alijs quoque Germanicis Academijs. Quae cum Theologos inuenire non possint, praeposteris tamen Theologiae tractatoribus abundant, vt nunquam antea periculosius.

---

[a] Cancellarie *cod. mon. Vide, quae infra post ipsam epistulam scribentur.*
[b] sumopere *cod. mon.*
[c] *Sic; sed potius legendum esse videtur:* consociabantur.

---

[1] David ille quis fuerit, non constat; neque enim in antiquissimo collegii germanici catalogo (qui quidem mancus est) eius nomen comparet. Ineunte anno 1561 viennensis collegii „gymnasiarcha“ fuit „P. Dauid Ekius“ (*Cod. „Annal. Vienn.“ f. 11[b]—12[a]). Ex aliis autem fontibus eruitur eum („P. Dauid Eckius Germanus“) tum temporis confessarium fuisse, sed eodem anno in Italiam missum esse (*C. Sommervogel* S. J., Les Jésuites de Rome et de Vienne en M.D.LXI [Bruxelles 1892] f. C 4[a], p. XXXIV). [2] Universitatem viennensem dicit.

[3] Doctor Martinus Trainer anno 1552 in universitate viennensi professor iuris erat (*Aschbach* l. c. III, 83[3]). Postea fortasse consiliarius regius fuit.

Dominus Jesus corruptissimo seculo finem et modum aliquem imponat, vt sicut nuper in Anglia per foeminam, nouam velutj Judith, actum est: ita per nostros Catholicos principes, exturbentur pestes, tollantur errorum magistrj, dissensionum Studia sopiantur, Agnoscatur christj vicarius et ecclesiae pastor, ac tamdiu desiderata nobis pax redeat ecclesiarum. Redibit autem procul dubio, si ad obedientiam et vnionem illam, vnde tam indigne subtraxerunt sese, nostrj se principes recipiant. Sectasque ex animo detestentur. verum de his alias. Cupio interim pietatj tuae nos commendatos esse, quantumvis exiguum hoc sit quod possumus in asserenda Religione, Nec ingratum erit cognoscere, quid inter Regem nostrum, principemque vestrum de illo Collegio Ingolstadij fundando tractatum sit [1]. Sin minus procedet pium hoc institutum, in nobis tamen Bauariae commodandj et seruiendj voluntas manebit amplissima paratissimaque. Sed nihil mirum, si Sathan eiusmodj conatus ad Christj gloriam et fidei aedificationem haud inutiles, more suo impediat, aut in longum extrahat. Qua in re non dubito, quin pro virilj actura sit sapientia et authoritas tua, id quod christo, quod ecclesiae, quod fidej, quod patriae et honestissimum et vtilissimum iudicabit. Ego quicquid Illustriss[imi] principis Albertj, vestroque nomine praestare possum, singularj quodam affectu, nescio quo pacto declarare aliquando re ipsa neque verbis pollicerj tantum percupio, adeo mihi cordj est Bauaria, in qua, si verum est Anabaptistarum Sectam (vt aiunt) late grassarj, est sane cur merito doleam. Dominus Jesus per vos afflictis rebus opem adferat, et peruicaces istos in officio Religionis contineat, vt etiam si opus sit, compellantur intrare [2], qui suapte sponte et omni honestatis ratione ad ecclesiam redire et in Ecclesia perseuerare nihil curant. Vere nos foelices, quamuis vulgo contemptj uideamur, si ad christj gloriam et vindicandae Religionis studium nos totos conuertamus in hac tempestate, quae non solum patientiam, sed etiam diligentiam, fidem operamque omnem nostram postulat. Quam iucundum olim meminisse erit, Amiciss[ime] vir, nos talibus inuisos, piorum socios, Ecclesiae filios, pro erran[tibus] sollicitos, pro domo dei zelo [3] accensos, multa pertulisse, magn[aque] tentasse, etsi parum forte successerit. Itaque laborandj nunc, vt antea nunquam, adest occasio, certandj locus, vincendique tempus offert sese, et parata est apud christum corona his,

---

[1] Ferdinandus 22. Decembris 1554 Landishuti, 24.—28. Decembris Monachii, 29. Decembris 1554 ad 19. Augusti 1555 Augustae Vindelicorum fuit, ubi 5. Februarii comitia imperii aperuit. Eo etiam Albertus V. Bavariae dux venerat (*Stälin* l. c. p. 393. *Janssen* l. c. III, 748).

[2] Luc. 14, 23. His verbis parabolae invitatorum ad cenam, qui se excusarunt, etiam *S. Augustinus* utitur, cum demonstrat haereticos metu ac vi cogi posse, ut ad societatem ecclesiae redeant (De correctione Donatistarum c. 6, n. 24. *S. Augustini* Operum tom. II, opera Mon. O. S. B. e Congr. S. Mauri [Parisiis 1679] col. 653. *Migne*, PP. LL. XXXIII, 803—804).

[3] Ps. 68, 10. Io. 2, 17.

qui in hoc sanctissimo studio, sicut praeclarae mem: Dominus Eckius fecit[1], perseuerant, Neque hic inter laicum et Clericum volo esse discrimen: pro eadem religione, in eadem domo, sub vno eodemque pastore, in communj hoc naufragio, summa quemque contentione id agere et vrgere conuenit, quod pro suorum salute, pro patria periclitante, pro vita redimenda facere oporteret. Sed mea fortasse consolatione [?][a] nihil opus constantissimo viro, militique christj[2] et Ecclesiae. Dominus verum mundj contemptum et sui nominis amorem, in dies magis ac magis in nobis augeat, confirmetque spiritu suo, vt veritatj testimonium intrepide[b] perhibeamus[3]. Viennae pridie Id: Martias[c] anno 1555.

Excellentiae tuae

Seruus in Christo Petrus
Canisius Theol:

Inscriptio huius epistulae non superest. Sed epistula ipsa ostendit Canisium viro scribere sibi „amicissimo", ecclesiae catholicae et Societatis Iesu studioso, qui in Bavaria magna polleat auctoritate. Quae omnia in neminem melius conveniunt quam in Wiguleum Hundt. Atque etiam *Python* affirmat has litteras „ad Wiguleum Hundium, Ducis Alberti Consiliarium", datas esse[4]. At en difficultas: In codice monacensi epistula sic incipit: „Magnifice Domine Cancellarie". Hundt autem tunc cancellarius non erat[5], atque in aliis, quas Canisius ad eum dedit, epistulis non „cancellarius" appellatur, sed „consiliarius", idque recte. Ideo *Riess*[6] et *Brandi*[7] putant Canisium hanc epistulam non ad Hundium misisse, sed ad Simonem Thaddaeum Eck, virum catholicae religionis studiosissimum, et qui tunc cancellarius erat burghusanus. At hunc iam tunc Canisio „amicissimum" et tantae auctoritatis fuisse, ut „excellentiae" titulo ornaretur, demonstrari vix poterit. Equidem puto mendum irrepsisse librarii; qui etiam in extrema huius epistulae parte scripsit „pridie Id: Mathiae", cum „pridie Id: Martias" scribi oporteret. Scripserit ergo recte Canisius: „Consiliarie", et librarius id male converterit in „Cancellarie".

169.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Vienna 25. Martii 1555.

Ex autographo (2°; 3½ pp.; in p. 4. inscr. et pars sig.).

[a] *Sic cod. mon.; sed Canisius scripsisse vel saltem scribere voluisse omnino videtur:* cohortatione. [b] intrepido *cod. mon.*

[c] pridie Id: Mathiae *cod. mon. Cum festum S. Matthiae 24. Februarii agi soleat, Canisius diem 12. Februarii significasset. Sed dubitari vix potest, quin librarius hic quoque peccaverit, loco vocabuli* Martias *legens vel saltem scribens:* Mathiae. *Haec enim diei ascribendi ratio omnino insolita esset.*

[1] Aut Leonardum ab Eck, Guilielmi IV. consiliarium et universitatis ingolstadiensis patronum, significat, aut summum illum theologum Ioannem Eccium.

[2] 2 Tim. 2, 3. [3] Io. 5, 33; 18, 37. [4] Vita Canisii p. 74.

[5] *Manfr. Mayer,* Hundt p. 20—30. 305[1]. [6] Canisius p. 147[2].

[7] Historische Zeitschrift, herausgegeben von *Heinr. v. Sybel* und *Friedr. Meinecke,* LXXIII (München und Leipzig 1894), 513.

Aliquot epistulae particulas ediderunt *Boero*, Canisio p. 112. 120, et *Daurignac* l. c. p. 132 (gallice).

Gaudet, quod episcopatum viennensem suscipere non debeat. De collegiis Neomagi, Pragae, Ingolstadii, Oeniponte condendis, PP. Lainio et Natali ad comitia augustana missis. Catechismum paene ad finem se perduxisse; rogat, ut corrigatur eiusque successus Deo commendetur; eum exspectari in Saxonia et impugnatum iri. Libellos famosos contra se spargi. In Austria catholicam religionem pessum agi. De valetudinariis a Ferdinando I. constituendis, contionibus et periculis suis. Maximilianum regem in Socios et maxime in Canisium infensum esse ob Phauserum contionatorem suum. Ferdinandum a Sociis monitum esse de filio periclitante. Hunc ad Lutheranismum omnino propensum esse; quam malum habeat confessarium; quid Phauserus doceat et agat. Clerum vilem esse. Neminem catholice vivere audere. Facultates quasdam pro Socio petit.

†

Reuerendo in Christo padre mio

La gratia et pace del Signore nostro Jesu Christo sia con noi sempre. Prima rigratio con tutto il cuore alla somma bontà, per la quale mi e concesso questa gratia, di non hauere piu paura del uescouato o administratione di quello. Spero che mai il demonio ottinera il suo intento a vincere la nostra Compagnia con questi fumi et colori. Facia la sua summa Maiesta, che possiamo guardare la simplicita secondo il nostro instituto.

Item e cosa digna de rigratiare alla sua Santissima Maiesta, che la R. V. P. voglia risguardare et adgiutare la mia patria [1] per mezzo de un collegio. Prego dal cuore, che questa buona opera sia promossa alla sua diuina gloria, et per il bene universale de geldria et alemania bassa.

---

†

Reverende in Christo pater.

Gratia et pax Iesu Christi domini nostri nobiscum sint semper. Primum summae bonitati toto pectore gratias ago, quod hanc mihi gratiam concessit, ut episcopatus viennensis eiusve administratio non iam mihi timenda sint. Spero diabolum, quod vult, numquam assecuturum: ut fumis istis ac coloribus Societatem nostram vincat. Summa maiestas faciat, ut simplicitatem instituto nostro convenientem servare possimus.

Item sanctissimae maiestati divinae gratias nos agere oportet, quod reverenda paternitas vestra patriam meam [1] respicere et collegio adiuvare vult. Deum ex animo precor, ut bonum hoc opus prosperet ad divinam gloriam atque ad communem Geldriae et Germaniae inferioris salutem.

---

[1] Noviomagum; v. supra p. 475. 485 et epistulas, quas P. Ioannes de Polanco iussu S. Ignatii hac de re Roma 12. Februarii et 23. Martii 1555 ad P. Leonardum Kessel misit, atque etiam litteras, quas Ignatius ipse Roma 22. Martii 1555 ad senatum noviomagensem dedit, in „Cartas de *San Ignacio*“ V, 357—358. 368 ad 370. 365. Senatui affirmat S. Ignatius se „peculiari affectu charitatis in Noviomagensem civitatem propensum esse, ex qua aliquot cives“ „servos Dei fideles et strenuos“ Societas habeat.

Qui se manda vna litera della sua Maiesta Regia, et sicome noi intendemo dalla copia, se tratta dal collegio Pragense [1]. Io ho scritto al Reverendissimo S. Labbaccense, che supra ciò practicasse colli RR. PP. in Augusta [2], talmente che non dubito, la venuta di loro sara utile etiam per promouere et concludere 1ª questo negotio del collegio in Praga. 2° de Ingolstat. 3° de Inspruck; perche la sua Maiesta ha determinato de lassare quel nouo et bellissimo collegio de Inspruck nelle mani della R. V. P. [3] Io scrissi per altra uolta, sicome se edifica questo collegio ex fundamentis, et le intrade sue sono firme, stabili et per nutrir 40 persone, hauendo il Re vn uoto per fare vna fundatione cossi Regia et liberale. Vero è, che la prima intentione sua era per nutrir iui clerici secolari, et cantori, et scholari, et Theologi, ma hora uidendo la difficulta in hauer gente ben disposta per tal effetto, non desidera altro, se non che la R. V. disponga dal tutto. Vnde mi scrisse il Reuerendissimo Labbaccense ex parte della sua Maiesta, che io subito mandasse la risposta, se fusse sopra ciò scritto alla V. R. P. Ma spero che de Augusta venera piena informatione de questo negotio, massime poi che saranno venuto alla dieta li preditti RR. PP. Iddio facia, che noi anchora qui possiamo godere della presentia di loro con il tempo.

Quanto al Catechismo, sia laudato il Signor, per la cui gratia

---

Litteras mittimus maiestatis regiae; ex quarum exemplo intelleximus de collegio pragensi agi [1]. Ego reverendissimum dominum labacensem per litteras monui, ut ea de re Augustae Vindelicorum cum reverendis patribus ageret [2]; itaque certum mihi est eorum adventu adiutum etiam ac confectum iri negotia 1° collegii huius pragensis, 2° collegii ingolstadiensis, 3° collegii oenipontani; nam regia maiestas novum hoc ac pulcherrimum collegium oenipontanum manibus reverentiae vestrae tradere statuit [3]. Alias ego scripsi collegium hoc a fundamentis aedificari; quod reditum firmum et stabilem habet, ex quo 40 homines ali possint; voto enim rex astrictus est ad eam rem tam regaliter et liberaliter constituendam. Ac primum quidem in animo habuit clericos saeculares et cantores ac scholasticos et theologos ibidem alere; videns autem homines ad haec bene dispositos difficulter inveniri posse, aliud iam non desiderat quam ut omnia in potestate reverentiae vestrae sint. Ideo reverendissimus dominus labacensis regiae maiestatis nomine mihi scripsit, ut ilico rescriberem, num hac de re ad R. P. V. relatum esset. Sed litteras Augusta nobis allatum iri spero, quibus hoc de negotio penitus instituamur, idque potissimum, cum reverendi illi patres ad comitia advenerint. Deus faciat, ut nos quoque aliquando Viennae eorum consuetudine frui possimus.

Quod ad catechismum attinet, domino laudes agantur, per cuius gratiam

---

[1] Hae periisse videntur.

[2] Patres Iacobus Lainius et Hieronymus Natalis cum Ioanne cardinali Morono, Sedis Apostolicae legato, Augustam ad comitia imperii venire iussi erant, ut consiliarios cardinalis et theologos agerent (*Orlandinus* l. c. l. 15, n. 1. *Boero,* Lainez p. 141—142).

[3] De initiis collegii oenipontani (Innsbruck, in comitatu tirolensi) cf. *Hirn,* Erzherzog Ferdinand II. I, 228—230.

questa opera quasi gia e finita[1], et mandaro vn' essempiare pieno per altra uolta, lassando tutta la correctione a qual si voglia Padre secondo la uolonta de V. R. P. Questo dico, accio per altra uolta quando se stampasse questa opera, tutto sia correcto et posto in ordine per satisfar anche alli morosi et curiosi censori, sicome hora se trouano. Io confesso la mia imperitia et insofficientia per attendere a una tal opera, la qual mi ha dato vna buona poenitentia. Faccia il Signore che la faticha non sia stata in darno. Prego humilmente, che la V. R. P. dica vna missa, et faccia dire da tutti in casa, accio la santa intentione del Re habia il suo progressu et successu per mezzo della publicatione de questa operetta. Perche vol mandare a tutte queste communitade vn essempiare con mandato proprio et seuero, che non se leggi altro Catechismo etc. volendo etiam mandar in essequutione etc. Noi espettaremo qui molti contradictori de questa opera, la qual e tanto espettata etiam in Saxonia e in altre bande, che facilmente potria seguitar vna o diuerse apologie contra di me. Et gia si spargino pasquilli de Canisio in questa Austria; et me tengono per il maggior aduersario del Lutheranismo, sia laudato quello santo nome IESV. pro quo digni efficiamur pati contumeliam[2] et iniuriam tum uerbalem, tum realem[3].

opus hoc iam fere absolutum est[1]; cuius exemplum plenum alias mittam, correctionem omnem cuilibet ex patribus permittens, ad arbitrium reverendae paternitatis vestrae. Hoc dico, ut opus hoc, cum iterum prelum subierit, plane correctum beneque dispositum exeat ac morosis etiam et curiosis censoribus satisfaciat, quales nunc inveniuntur. Confiteor me imperitum esse nec satis aptum ad huiusmodi opus curandum; quod bonum mihi fuit ad peccata mea expianda. Faciat dominus, ut labor hic non fuerit irritus. Demisso animo rogo, ut R. P. V. missae sacrificium Deo semel offerat omnesque, qui domi sunt, idem facere iubeat, ut, quae rex sancte spectat, ex libelli huius editione prospere succedant. Singulis enim civitatibus exemplum eius mittere vult iisque propria auctoritate et severe mandare, ne ullus alius catechismus legatur etc., atque etiam mandati huius exsecutionem vult curare etc. Multos operi huic contradicturos censemus; cuius etiam in Saxonia aliisque regionibus magna est exspectatio; facile igitur fieri poterit, ut una vel plures apologiae contra me in lucem emittantur. Et iam in Austria hac Canisius procacibus scriptis diffamatur, et summus Lutheranismi adversarius ego habeor. Sanctum illud nomen Iesu laudetur, pro quo digni efficiamur pati contumeliam[2] et iniuriam tum verbalem tum realem[3].

[1] Haec verba ostendunt, quam non recte plerique historici asserant Canisii „Summam doctrinae christianae“ anno 1554 primum in lucem emissam esse. At eorum error excusari facile potest: In folio titulari editionis principis annus ascriptus non est; titulum autem proxime sequitur mandatum Ferdinandi I. 14. Augusti 1554 datum; ex quo concluserunt ipsum etiam catechismum anno 1554 editum esse.

[2] Act. 5, 41.

[3] *Caspar Bruschius*, poeta laureatus et minister lutheranus, anno 1555 Ratisbonae libellum edidit, in cuius extrema pagina Austriacos hortatur:

„Haec nos Austriaci Styri fortesque Carinthi
Carni ac Taurisci discite quaeso boni:

Il statu de Austria (sicome io scrissi altra uolta) ua molto mancando, massime perche la nobilita uole ogni modo introdure le secte, et plebei sunt propensi ad libertatem hanc Lutheranam, talmente che il Re con li soi pochi Catholici consiglieri perdono la speranza in poter far piu resistentia alla gente, massime non essendo la disciplina et sofficientia appresso il clero etc. Pur Iddio potra mostrare et darci alcuna consolatione in questa dieta. Certo qui tengono grandissima paura propter Turcas ex Vngaria nobis magis et magis appropinquantes. Iddio habbia misericordia con questa Germania, que non redire uult ad percutientem se[1], ma li RR. PP. sopra ciò daranno buona informatione, ut spero, tanto alla R. P. V. quanto a noi altri.

Ho gia mandato la litera della R. P. V. alla sua Maiesta, et spero che il negotio delli 8 spedali et delli monasterij hauera buona expeditione per li ditti RR. PP. et anche per il Reuerendissimo et Illustrissimo Legato. quanto sara necessario. Io me marauiglio, che il Signor Vicecancellario[2] in tanto tempo mai ha uoluto rispondere, poi che io li scrissi de hauer receuuto la informatione circa li 8 spedali, et che io mandarei quella se paresse alla sua Magnificentia, adgiongendo quello che mi fusse commandato della V. R. P.[3] Et cossi

---

Austria (quod alias quoque scripsi) multum depravatur; nobiles enim sectas omnino volunt introducere, et plebei sunt propensi ad libertatem hanc lutheranam. Rex itaque et pauci illi consiliarii catholici iam non audent sperare se ulterius hominibus istis resistere posse, praesertim cum clerus dissolutus et inutilis sit etc. Attamen Deus in hisce comitiis aliquid solacii nobis afferre et praebere poterit. Hic certe magno metu perterriti sunt propter Turcas ex Hungaria nobis magis et magis appropinquantes. Deus Germaniae huius misereatur, quae non redire vult ad percutientem se[1]; sed reverendos illos patres et R. P. V. et nos haec bene edocturos esse spero.

Reverendae paternitatis vestrae litteras ad regiam maiestatem iam misi, et spero negotium valetudinariorum illorum octo ac monasteriorum per reverendos illos patres bene confectum iri, atque etiam per reverendissimum et illustrissimum legatum, quantum necesse erit. Miror ego dominum vicecancellarium[2] tanto tempore numquam mihi rescripsisse, postquam ego ad eum scripsi me libellum, quo de octo illis valetudinariis institueremur, accepisse eumque, si magnificentiae suae videretur, missurum una cum iis, quae R. P. V. mihi mandasset[3]. Atque ita haec res etiam-

---

Quos procul abducunt a Christo principe nostro
Qui sumunt IHESV nomina mira sibi.
. . . .
Hinc IESVuidri dicuntur rite, sequaces
Christi immortalis quos pudet esse Dei
Triste Satellicium Sathanae Antichristi et Averni
Quod ueluti Stygium vos fugitote lacum."

(*Adalb. Horawitz,* Caspar Bruschius [Prag und Wien 1874] p. 185).

[1] Is. 9, 13. [2] Iacobum Ionam significat.

[3] *Ferdinandus I.* Augusta Vindelicorum 24. Aprilis 1555 S. Ignatio hispanico sermone scripsit: se eius litteras 12. Februarii datas accepisse ex iisque cognovisse Iulium III. pleraque ex iis, quae ipse per Ignatium petiisset, concessisse, aliquas

sta anche la cosa, purche credo, che senza grand errore se possi espettare la tornata della sua Maiesta, ne penso, che io saro chiamato alla dieta, sicome sona la litera della V. R. P. Perche qui se [*sic*] de fare nel' ofitio contionatorio, ut arceantur lupi et conseruentur reliquiae Israelis[1]. massime, essendo io gia solo nel domo senza il collega ordinario, il qual ha de stare fuora per molto tempo[2]. Pur Iddio ordinara quello che piu conueniente allo suo santo seruitio [*sic*]. Li amici portano paura, quasi io non potria passare sicuramente per queste terre de Austria, tanto bene mi vogliano per rispetto della Religione. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos?[3]

Quanto al Re Maximiliano, esso anche molto sta crociato contra di me, pensando che io sono il maggior inimico del suo predicatore, il quale anche non ci mostra li insegni dell' amicitia[4]. Onde lui an-

---

nunc se habet; quamquam opinor absque magno errore maiestatis regiae reditum exspectari posse, nec puto me (quod R. P. V. scribit) ad comitia evocatum iri. Hic enim in orationibus sacris habendis totum me esse oportet, ut arceantur lupi et conserventur reliquiae Israelis[1]; praesertim cum nunc solus in ecclesia cathedrali contionator sim: ordinario enim collegae meo per longum tempus foris degendum est[2]. Attamen Deus ea providebit, quae sancto eius servitio magis convenient. Amici timent, ut per austriacas has terras secure transire possim. Tanta me benevolentia prosequuntur propter religionem. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos?[3]

Maximiliani quoque regis animus vehementer contra me irritatus est; existimat enim neminem magis quam me inimicum esse contionatori suo; qui neque amicitiam nobis significat[4]. Is igitur regem suum adiit negavitque se in aula mansurum, si Jesuitae manerent.

---

autem res cum cardinali Puteo conferri iussisse. „No sabemos quales son, por no hauernos scrito cosa alguna sobre ello el Doctor Canisio, aquien os remittis." Iulio autem papa iam mortuo Ignatium rex rogat, ut omnia illa vel ea, quae ei videantur, cum novo pontifice [Marcello II.] communicet (ex *apographo totius epistulae, quod eiusdem temporis esse videtur). Ac *Polancus* ‚de mandato' Ignatii Sociis lovaniensibus Roma 13. Augusti 1555 de novo pontifice Paulo IV. scribit: „Pater noster Praepositus Magister Ignatius ad eius pedes osculandos accedens, tam benigne, et humaniter fuit exceptus, ut quodammodo immemor supremae suae dignitatis uideretur summus Pontifex: dum audire Patrem nostrum non sustinuit, nisi prius caput operiret, et vna cum ipso deambularet. Et quum aliquid a Rege Romanorum, per literas commendatum ei proponeret, quamuis impetratu non facile fuerit, liberaliter tamen concessit" (ex *apographo eiusdem temporis, cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I").

[1] 2 Par. 34, 9. 21 etc.

[2] Anno 1557 „Wertwein" ecclesiae cathedralis contionator fuit (*Wiedemann* l. c. II, 82). Atque hic, ni fallor, idem est atque ille Matthias Wertwein, doctor theologiae, qui a. 1556 ecclesiae cathedralis viennensis praeposituram adeptus est et hoc ipso tempore simul cum aliis Ferdinandi I. et Wolfgangi episcopi passaviensis „commissariis" ecclesias Austriae „visitare" coepit (*Wiedemann* l. c. I, 136—137). [3] Rom. 8, 31.

[4] Cum 13. Martii 1555 Blahoslaus, sectae „fratrum bohemorum" minister, Sebastianum Phauser (Pfauser), Maximiliani II. contionatorem, Viennae inviseret, Phauser contra Societatis homines acriter declamavit: Eos fictos esse, dolosos, sanguinarios: multos homines doctos in variis terris eorum suasu occisos esse, imprimis in Hispania et Gallia. Maximilianum regem neminem eorum videre neque alloqui

dando al suo Re, li disse che non uorria restare nella curte, se li Jesuitae restarebbono.

Ma io tanto manco mi curo de queste passioni, quanto piu se uedono li segnali del Lutheranismo in queste ditte persone. Noi hauemo fatto intendere il Serenissimo Re in Augusta, che pericolo se habbia d' espettare de questi principij [1]. Et lui mi rispose con la manu propria, che hauesse grand dispiacere sopra questa nouita, et cossi mando altre litere scripte al Re figljolo; il qual poi non se ha curato niente, dicendo, che voglia ogni modo dar dorso et defensione al suo predicatore: et che sola sia la inuidia appresso de noi et la hipocrisia, massime perche persequitiamo il suo predicatore. Dappoi se mostra con altre parole troppo fastidiose, che habbia vn giuditio molto singulare et inclinato a defendere li Lutherani, contradicendo al zelo del padre, il qual pur mai e tropo zeloso, talmente che merito hauemo de temere 1ª che il Re giouane non ci fara li seruitij del padre, 2ª che sia troppo Tudescho secondo lo spiritu moderno. Onde non lasso publicare le Indulgentie ultime, sicome e stato fatto in tutte le altre Ecchesie [2], et molto s' intromitte nelle cose della Religione. et tiene appresso di se Lutherani non picoli, talmente che mangiano carne adesso [3], et parlano male della fide publicamente: Et il mede-

At ego hos animorum motus eo minus curo, quo magis Lutheranismi signa in hominibus illis apparent. Nos serenissimo regi Augustae commoranti significavimus, quantum periculum ex hisce principiis immineret [1]. Qui sua manu mihi rescripsit eum nuntium valde sibi displicere; atque alteras etiam litteras misit ad regem, filium suum, datas; qui eas nihil curavit, dicens se omni ratione contionatorem suum tutaturum et defensurum esse, et nos sola invidia et pietatis simulandae studio moveri, ut contionatorem suum persequeremur. Postea verbis nimis fastidiosis ostendit se animo valde singulari esse et ad Lutheranismum defendendum propenso, ac patris sui pia studia reprehendit; quae tamen numquam nimia sunt. Merito igitur timemus: 1° ne rex ille filius officia, quae pater nobis praestat, praestare recuset, 2° ne idem nimis sit Germanus modernioris illius spiritus. Ideo nec permisit, ut indulgentiae nuper concessae promulgarentur, quae in ceteris ecclesiis omnibus promulgatae sunt [2]. et rebus religionis multum se immiscet, et homines secum retinet Lutheranismo ita addictos, ut nunc carnes manducent [3] et

velle; neque eorum mentionem coram eo fieri posse; ab aliquibus eos „Iesuwider" ac Canisium „Caninum", „Canissimum" vocari. Ita Blahoslaus ipse in relatione sua bohemice scripta, quam germanice versam edidit *Ant. Gindely* in „Fontibus rerum Austriacarum" 2. Abth., XIX (Wien 1859), 125—184. Gindely autem haec adnotavit: „Es ist leicht zu bemerken, dass Pfausers Erzählungen vielfach übertrieben und hie und da gar sehr zu seinen Gunsten verdreht sind" (l. c. p. 126).

[1] De epistula hac, quam Canisius ad Ferdinandum I. Augustae Vindelicorum in comitiis imperii versantem dedit, vide, quae hisce litteris proxime subicientur.

[2] Cum exeunte anno 1554 Anglia ad ecclesiam catholicam reducta esset (supra p. 515 [3]), „indulgentia ad modum Iubilaei per Christianum orbem in gratiarum actionem publicata est" (*Nic. Sanderus,* De origine ac progressu Schismatis Anglicani l. 2, pars 2 [Ingolstadii 1588], p. 258).

[3] Quadragesima erat, et lex, qua fideles per totum id tempus a carnibus abstinere iubentur, tunc in antiquo suo vigore persistebat.

simo Re si persuade, che il Reuerendissimo Labbaccense et io siamo li principali appresso il Padre suo per impedir la nouita sua et il Lutheranismo. Item sappia V. R. P. che questo io ho inteso d'un amico fidele, il quale hora due uolte e stato chiamato dal detto Re, il qual anchora li esprobraua, che fusse tanto amico nostro [1], dicendo alhora et altrouj parole d'un huomo molto tentato contra di me, et sempre per rispetto del suo predicatore. Non dirò, sicome anchora il confessore suo se reputi per vn' apostata, et certo e che sia stato vn frate Augustiniano, et gia fa vn Canonico de Vienna, sola se dubita della dispensa, vn huomo de mala fama et de pocha dottrina. Oltro di questo il maggiordomo del Re [2] detto e vn grand Lutherano; il qual gouerna questo predicatore, sicom' io intendo et credo che sia la causa principale della ruina spirituale del Re predetto [3]. Adunche pensi V. R. P. in quanto periculo vn principe giouane sia, poi che tiene vn tal confessore, predicatore et maestro della sua curte. Onde molto superbiscono li Lutherani, et se dice per le terre uicine et per le prouintie publicamente, che questo Re habbia vn predicatore Lutherano, et che

fidei coram omnibus obtrectent. Atque eidem regi persuasum est reverendissimi domini labacensis et mea opera potissimum effici, ut sua rerum novarum studia et Lutheranismus a rege patre suo impediantur. Item sciat R. P. V. me a fido quodam amico haec accepisse; quem bis iam rex ille accersivit, atque etiam exprobravit ei, quod nobis tam amicus esset [1], et tunc et alibi ea protulit verba, quae animum vehementer contra me irritatum proderent, idque semper propter contionatorem illum. Omitto exponere, qua ratione etiam confessarius eius pro apostata habeatur; ac certum quidem est eum monachum augustinianum fuisse; nunc autem canonicum viennensem agit; dubitant solum, num eius rei debitam veniam impetrarit; homo est malae famae atque exiguae doctrinae. Praeterea, qui regis illius toti rei familiari praepositus est [2], Lutheranismo maxime favet; ab hoc contionatorem illum regi audio; per hunc potissimum regis animum adeo depravari existimo [3]. Consideret ergo R. P. V., quanto in periculo iuvenis ille rex versetur, cum talem confessarium, talem contionatorem, dispensatorem talem habeat. Quare Lutherani valde superbiunt, et per regiones vicinas ac per provincias homines aperte dicunt hunc regem

[1] Nescio an Canisii ille amicus fuerit Fridericus Staphylus. Is Nissa 16. Februarii 1555 Hosio scripsit: „Nuper cum essem Viennae, inspexi illius Societatis instituta ac mores", et de Canisio: „Utor illo admodum familiari." Staphylus eodem anno Ferdinandi I. consiliarius factus est (*Hosii* Epistolae II, 511. 638).

[2] Hoc munus („Obersthofmeister") anno 1556 administravit „von Eitzing", anno 1562 „Christoph Freiherr zu Eitzing und Schrattenthal" (*M. Koch*, Quellen zur Geschichte des Kaisers Maximilian II. [Leipzig 1857] p. 3. 7).

[3] Michael Suriano, Venetorum legatus, anno 1557 de Maximiliano ad senatum suum haec rettulit: „Non si alienando in tutto d' Catholici si ha guadagnato una gran grazia con lutherani, perciocche dall' un canto retien la Missa et gran parte delle ceremonie della chiesa Romana, dall' altro usa per predicatore un prete maritato con alquanti figli, il quale publicamente predica quasi tutta la dottrina lutheresca, . . . et gli principali della sua corte, massime il maggiordomo, che appresso di lui puo grandissimamente, sono conosciuti da ciascuno per lutherani" (*I. v. Döllinger,* Beiträge zur politischen, kirchlichen und Cultur-Geschichte der sechs letzten Jahrhunderte I [Regensburg 1862], 242).

voglia molto male alli Jesuite, li quali danno resistentia. Imo qui dice la gente, che esso predicatore et noi altri siemo contrarij nella doctrina, sicome e uero, perche lui defende il matrimonio delli preti, extenua li meriti delle buone opere, parla contra il culto debito alli santi, seguita le phrasi Lutherane, et satisfa tanto alli heretici, quanto offende li catholici [1]. E molto eloquente, et sempre tiene vn concurso mirabile della gente [2], et se dice che sia maritato, item che habbia lassiato la sua parochia piena del fermento heretico [3]. Li Signiori Spangioli stanno qui de mala voglia [4], et tengono grand dispiacere et compassione al Re, perche la suma ua sempre in peior, et le suspitioni s' augmentono.

Tutto questo sia per dar piena informatione alla R. V. P. et prego che questo Principe sia adgiutato appresso Iddio con le nostre orationi. Li sapienti dicono, et e molto probabile, che la conserua-

contionatorem habere lutheranum et animo valde infenso esse in Iesuitas, qui ei resistant. Immo hic dicunt contionatorem illum et nos contraria docere, et vere id dicunt; ipse enim matrimonium sacerdotum defendit, de meritis bonorum operum detrahit, cultui, qui sanctis debetur, obtrectat, Lutheranorum locutionem imitatur, haereticis tantum satisfacit, quantum catholicos offendit [1]. Facundissimus est et semper auditorium habet mire frequens [2], et dicunt eum uxorem duxisse et parochiam suam reliquisse fermento haeretico impletam [3]. Proceres hispani inviti hic morantur [4]; quibus rex valde displicet, et vehementer eos miseret illius; nam summa rerum in dies pessum agitur, et suspiciones augentur.

Haec omnia scripsi, ut reverendae paternitati vestrae cuncta perspecta essent; rogo autem, ut hic princeps precibus nostris apud Deum adiuvetur. Sapientes asserunt, et valde verisimile est hic et in tota Austria religionis conservandae

[1] Cf. *Janssen* l. c. IV, 203—204.

[2] *„Guilielmus Elderen de Stenordia“* S. J. Vienna 13. Aprilis 1556 P. Leonardo Kessel scribit: „Sunt hic nonnulli. imo permulti (quod vehementer dolendum est): maxime tamen concionator ipse Regius Maximiliani ser. qui aperta voce opera bona hominum frustranea prorsus, nilque nos iuuare posse, neque apud Deum ualere, et depraedicat, et inculcat, Caeremonias uero Christianorum Laruas uocat, quae nihil ad salutem prosint, atque eiusmodi mille pestes non in vulgus hominum solum [spargit?], sed in ipsa concione in qua tantus est confluxus populi, hominumque nobilium, ut nec templum eos capere possit sed prae foribus stare cogantur multi; ad hunc tanquam Apostolum a deo missum in curribus et in equis vndique et turmatim, vt vix dici queat, concurrunt. Hic praeclarus, in concione publica in nos aperte debacchatur quos Jesuwider, hoc est, contrarios Jesu doctrinae vocitat, atque omnes Jesuwidros i. e. contrarios Christi doctrinae qui hanc doctrinam quam nos adferunt, confirmat. Imo latrones et fures, Diaboli fratres, aliunde intrantes et non per verum ostium esse, qui haec bona opera caeremoniasque populo instillant, aperte testatur, vt nos sumus“ (*Integra epistula est in codice colon. „Epistt. ad Kessel. I“ ff. 2 non sign.).

[3] Phauser in oppido tirolensi Sterzing parochus fuerat. Haereses suas, initio saltem, non sine aliqua cautione proferebat, ideoque a *Bernardo Raupach* Lutherano vir „magnae prudentiae theologicae“ appellatur (Evangelisches Oesterreich [Hamburg 1732] p. 54).

[4] Hispani maiorem partem aulae reginae Mariae constituebant, quae Caroli V. filia et Maximiliani uxor erat. Anno 1556 Petrus de Lasso rei familiari praeerat (*Koch* l. c. p. 4).

tione della Religione non habbia altro humano subsidio qui et in Austria, se non per la uita del Re vecchio. Certo li prelati uicini ecclesiastici sono tanto de pocho siue in doctrina, siue in disciplina, che non se potria dire. Onde li consiglieri pigliando vna diffidenza impidiscono quello che il Re vecchio farebbe secondo le sue bone inclinationi. Item non se trouano li quali voliano far dal Catholico, non sentiscano piu missa in Austria, le prediche sono per stabilire le secte, et non per nutrire o defendere la fede, mangiano carne tutta uia per Austria nella quaresima, dediti alla gula quanto se puo dire, et irrisori grandi delli Papiste, sicome chiamano tutti li Catholici.

Iddio ci conserui contra li Turchi, perche la malitia et perfidia commune pare che sia quasi matura a riceuer li grandi flagelli. Non altro per adesso. V. R. P. se raccordi de noi altri, accio possiamo seruire fidelmente alla sua Maiesta eterna in medio nationis prauae[1] et far frutto in patientia[2]. 25 Martij 1555.

Prego per il P. Erardo[3], che habbia licentia et potesta d' absoluere nelli casi reseruati.

della R. P. V.

Indigno figliolo
Piedro Canisio.

† Al molto Reuerendo in Christo padre mio Don Ignatio de Loyola preposito della compagnia de IESV in Roma.

---

unicum subsidium humanum esse vitam regis senioris. Vicinorum certe principum ecclesiasticorum et doctrina et disciplina tam viles sunt, ut verbis id declarari nequeat. Quo fit, ut consiliarii diffidere incipiant et ea impediant, quae rex pater pro bona animi sui propensione efficere vellet. Neque inveniuntur, qui catholico more vivere velint; missae sacrificio interesse Austriaci desierunt; de rebus sacris orationes habentur, ut sectae stabiliantur, non ut fides conservetur ac defendatur; quadragesimae tempore carnes perpetuo manducant per Austriam; gulae quam maxime serviunt et „papistas" valde irrident; hoc enim nomine catholicos omnes appellant.

Deus contra Turcas nos tueatur; malitia enim et perfidia communis ad magna huiusmodi verbera accipienda fere maturae esse videntur. Nec plura nunc scribam. R. P. V. in sacris precibus suis nostri meminerit, ut maiestati aeternae in medio nationis pravae[1] fideliter servire et fructum afferre in patientia[2] possimus. 25. Martii 1555.

P. Erardi[3] nomine rogo, ut licentiam et potestatem accipiat hominum a casibus reservatis absolvendorum.

Reverendae paternitatis vestrae

indignus filius
Petrus Canisius.

† Multum reverendo in Christo patri meo, domino Ignatio de Loyola, Societatis Iesu praeposito, Romae.

---

[1] Phil. 2, 15. [2] Luc. 8, 15.

[3] P. Erardus Avantianus anno 1555 Viennae magister noviciorum constitutus est (*Socher* l. c. p. 55).

Appendix

de epistula, qua a Canisio ad Ferdinandum regem de filio eius Maximiliano relatum esse ex litteris modo positis cognoscitur.

Quid Canisius Ferdinando proposuisse feratur. Canisii litterae num Maximiliano traditae? Num Canisius ab eodem obiurgatus?

Circiter initium saeculi XVII. primum in lucem famamque prolatum est Canisium Ferdinando regi haec scripsisse: Exploratum sibi esse Maximilianum regem Lutheranis se addicere constituisse; quae res cum catholicae ecclesiae magno detrimento esse posset, suadere se regi, ut Maximilianus aut serio corrigeretur aut omnino ex regno expelleretur. Atque in litteris quidem Canisii modo propositis legimus Socios viennenses Ferdinando Augustae moranti scripsisse, Maximiliani animum ad Lutheranismum propensum esse et magnum ex ea re periculum imminere; atque Ferdinandum, his litteris acceptis, sua manu rescripsisse ad Canisium. Canisius ergo ipse — etsi diserte id Ignatio non dicit — Ferdinando scripsit; hoc certum est. Cetera autem sat dubia sunt, imprimis quae de Maximiliano in exsilium agendo Canisius suasisse scribitur. Asseruntur enim a scriptoribus in Societatem Iesu infensissimis. Primum, quod equidem sciam, in libello germanico, anno 1597 edito, ea reperiuntur, quo natio germanica de Iesuitarum fraudibus praemonetur:

„Nach Seel nach Leib, nach Gut und Blut,
Der Iesuiter werben thut."

Ac queritur auctor Iesuitarum numerum 30 annis ad 12 × 100 000 fere excrevisse [1]; „satanicos illos et sanguinarios carnifices" ipsum quoque Philippum II. Hispaniarum regem Lutheranismo infectum censuisse ideoque induxisse, ut venam in sua fronte incidi pateretur, quo haereticus ille sanguis emitteretur. Hanc praemonitionem sive *„admonitionem"* ab *Erhardo Cellio* latine versam et Tubingam missam *Ioannes Wolf* iuris consultus lutheranus anno 1600 iterum vulgavit [2]. Ex Wolfio autem vel certe ex fonte Wolfii germanico eadem hausit libelli germanici anno 1610 editi auctor *anonymus*, qui quantae fidei sit, ipse libelli sui titulo prodit [3]. Nec scio, num pluris facienda sint, quae iidem scriptores asserunt: Post obitum Ferdinandi has Canisii litteras a Maximiliano II. inter secretiora patris scripta repertas et Canisio monstratas esse. „Is", inquit Cellius, „ad propriae manus subscriptionem dignoscendam serio commonefactus, postea (praemissa quaestione, quid is, qui inter patrem et filium, praesertim tantae dignitatis personas, tanta dissidia suscitet, commeruerit?) [epistola est] eidem praelecta." [4]

---

[1] *A. v. Druffel,* Ignatius von Loyola an der Römischen Curie (München 1879) p. 3—4. 35[2].

[2] Lectionum memorabilium et reconditarum Tomus secundus (Lauingae 1600) p. 1044—1056.

[3] „Reissender Jesuiter Wolff, Vnter dem Schafbeltz Christlicher Sanfft- mut verborgen. Oder, Summarischer Begriff Der grewlichen vnnd erschrecklichen Mord- lehren, So in der Jesuiter schrifften hin vnd wider versteckt ligen, vnd sie aller orten vnterm schein grosser Heiligkeit offentlich vnnd heimlich practiciren. Getrewlich auß jhren Lateinischen Büchern, vnd offentlich außgangenen actis, zusamen gezogen, vnd sampt der Relation Von der Jesuiter Geheymnussen, etc. Allen Christenmenschen hohes vnd niders Stands zu getrewer wolmeynender Nachrich- tung vnd Warnung verteutschet, Vnd Getruckt im Jahr: M. DC. X." Typographi nomen et locus non indicantur. 4°. pp. 22. 74 et ff. 17 non signata. Canisii mentio fit f. 7.

[4] Toti huic relationi haec verba praemittuntur: „Absque omni fuco verissimum ac proculdubio adhuc in Caesareae Maiestatis aula manifestum et cognitum est" (*Wolfius* l. c. p. 1048—1049). *„Jesuiter Wolf"* eidem relationi haec verba subicit: „O dess gnedigen vnd frommen Keysers, gegen einem solchen Ertzbuben."

Similia Blahoslao (cf. supra p. 524[4]) narrata erant a *Phausero* septem annis ante Ferdinandi obitum, a. 1557: Canisius ad Ferdinandum litteras dedit iniquas, quibus de Maximiliano religioni catholicae infesto querelam deferebat. Quamobrem Ferdinandus in filium graviter iratus est huicque causam irae quaerenti tandem respondit: Filium antiqua religione neglecta rebus novis studere. Ulterius autem quaerente Maximiliano, quisnam tam falsa ad patrem rettulisset, pater nomen indicare noluit, donec tandem uxoris etiam suae opera interposita, litteras Canisii manu scriptas a Ferdinando accepit, ea tamen condicione, ut Canisio nullum damnum inferret. Maximilianus aliquot diebus post Canisium accersivit et questus est, quod aliqui consiliarii regem patrem in se incitarent; ac se certis auctoribus comperisse Canisium quoque id agere. Quod cum is multis verbis negasset, Maximilianus tandem indignabundus eius epistulam protulit: „En, estne hoc chirographum tuum?" Tum demum Canisius ad eius pedes procumbens veniam petiit. Is autem: „Surge", inquit, „homo nequam. Procumbere quidem non est opus. Hoc autem tibi dico: Noli ulterius in conspectum meum venire; fac in posterum, ut te non videam. Scito, Deo iuvante tempus venturum esse, quo haec omnia in memoriam tibi revocem. Nunc patris mei gratia te nil laedam." [1]

Maximilianus nec post patris mortem Canisium laesit et, imperio accepto, in Societatem longe benigniorem se praestitit, quam anno 1555 sperare licebat. Attamen, quod ad Canisium attinet, aliquid suspicionis vel amaritudinis, sive ob hanc causam sive ob aliam, in eius animo fortasse haesit. Paucis mensibus ante Maximiliani mortem, 21. Iulii 1576, P. *Iacobus de Avellaneda* S. J. ex comitiis imperii ratisbonensibus Everardo Mercuriano, praeposito generali Societatis, de Canisio scripsit: „Espero en nuestro Señor que d' esta vez se a de quitar este nublado o imaginacion entre el emperador y este buen padre guiandolo nuestro señor por los dos personajes que digo." [2]

170.

CANISIUS

PP. HIERONYMO NATALI ET IACOBO LAINIO S. J.

Ioannis Moroni cardinalis legati theologis [3].

Vienna 1. Aprilis 1555.

Ex apographo (2° min.; 2½ pp.), quod eiusdem ferme temporis esse videtur; in p. 4. eadem manu scriptum est: „Copia Epistolae Petri Canisij qua consilia impia de amouendo Regis Maximiliani Concionatore continentur" (exstat Tiguri [Zürich] in archivo reipublicae [„Staatsarchiv"], cod. „E. II. 356" p. 144—146 et sq. non sign.).

Aliud apographum valde antiquum exstat Guelpherbyti (Wolfenbüttel, civitas ducatus brunsvicensis) in bibliotheca ducali, cod. in fol. „Extr. 64. 11" f. 105b—107b; inscriptum est „Copia Literarum Petri Canisii ad patres Reverendos conscriptarum, Contra Concionatorem Regis Maximiliani".

Drews (Canisius p. 145[55]) refert tertium exemplum Dresdae esse in archivo maximo regni saxonici („Hauptstaatsarchiv"), „König Maxim. vertraul. Schreiben No 1 A. 10 297 fol. 21 sq."

---

[1] Fontes rerum austriacarum l. c. p. 176—177. Quam parva fides Phausero habenda sit, iam supra vidimus. A *Gindely* quodam loco appellatur „unverschämter Grosssprecher" (Geschichte der böhmischen Brüder I [Prag 1868], 382).

[2] Mariam imperatricem et marchionem Almazanensem dicit (ex *epistula Avellanedae autographa, quae est in codice „Epp. Germ. 1576" f. 181).

[3] Natalem et Lainium cum Morono, sedis apostolicae legato, ad imperii comitia augustana missos esse iam vidimus supra p. 521[2].

Quartum exemplum olim Stugartiam (Stuttgart) in archivum ducis wurtembergensis illatum est; in antiquo enim eiusdem archivi „repertorio", quod nunc Stugartiae in archivo regio („k. Haus- und Staatsarchiv") asservatur, haec scripta sunt: „Copie einer Schrift von dem Jesuiten Petrus Canisius wegen des Königs Max in Böhmen Hofpredigers, wie man ihn mit Fug abzuschaffen, weil er in der Lehre verdächtig 1556. A—D u. 1—9" (*Repert. „Religionssachen" p. 52). At iam pridem adnotatum est ipsum epistulae exemplum in archivo non superesse.

Antiquissima versio germanica in eodem codice guelpherbytano exstat (f. 96[b] ad 98[a]) sic inscripta: „Des Canisij schrifft der religion halben, an den Bischoff von Lobach, Ro. Kon. Magestet beicht Vater 1556." [1]

Altera versio germanica inscripta: „P. Canisii Merckwuerdiger Brieff von Maximil. II. Hoff-Prediger, ex MSto," typis exscripta est in libello periodico, a ministris quibusdam protestantibus edito: „*Unschuldige Nachrichten* von Alten und Neuen Theologischen Sachen" etc. (Leipzig 1712) p. 743—748.

Cuncta huius epistulae exempla accurate recensita sunt ideo, quod singula aliquid conferre possunt ad duas quaestiones solvendas: 1. utrum epistula germana sit an Canisio supposita; 2. quo anno data sit [2]. Ceterum postquam Canisii epistula 25. Martii 1555 data in hoc opere edita est (cf. supra p. 524—528), haec epistula iam non ita necessaria tantique momenti esse videtur; ideo me eius verba sufficienti cum diligentia redditurum esse putavi, si duo exempla latina, tigurinum et guelpherbytanum, et duas versiones germanicas, guelpherbytanam et lipsiensem (Unschuldige Nachrichten) inter se contulissem.

Qua ratione efficiendum sit, ut Ioannes Sebastianus Phauser, Maximiliani Bohemiae regis contionator lutheranus, ab eodem dimittatur. Cur non expediat, per iudices vel litteras id tentare vel solum Phausero silentium imponere. Posse eum adigi ad haeresim suam sine ambiguitatibus prodendam. Plus etiam spei fore, si Ferdinandus Maximilianum per nuntium edoceat, quanta pericula et incommoda politica ipsi et toti domui austriacae immineant, si Maximilianus pro Lutherano habeatur. Consiliarios Maximiliani nequam esse.

Iesus.

Reuerendi in Christo Patres. Gratia diuina semper uobiscum.

Quoniam in magno hic discrimine causa religionis uersatur et quo longius expectatur, eo grauius animarum et[a] scandalum et periculum merito formidamus. Idcirco paucis indicare uisum est, quibus maxime consilijs ad[b] diuinae gloriae et sanctae fidei conseruationem atque promotionem adiuuari[c] posse uideamur. Qua in re si forte nimium solicitus, aut parum prudens meam obtrudo sententiam, in primis rogo mihi ueniam dari. Eaque omnia quae adserentur in bonam partem accipi, pro uindicandae[d] scilicet religionis studio instituta, percupio.

[a] *Cod. guelph. om.* et. [b] *Guelph. om.* ad. [c] aduuare *Guelph.*
[d] uindicando *Guelph.*

[1] Epistulam Canisii ad episcopum labacensem non esse datam tum apographa latina (guelpherbytanum et tigurinum), tum altera versio germanica, tum ipsa verba ostendunt, quibus guelpherbytana haec versio incipitur: „Jesus. Ehrwirdiger Vater in Christo." Episcopo si Canisius scripsisset, saltem eum appellasset „Ehrwirdigster Vater". Epistulae, quas ad alios episcopos dedit, id satis comprobant.
[2] Vide, quae proxime post epistulam ipsam dicentur.

Jgitur quoniam et de Rege Maximiliano et eius concionatore[1], ut quam minimum sibi, alijsque in religione incommodent[a], modis est omnibus prouidendum, non consulte[b] fiet hoc tempore, si aduersus hunc regis concionatorem procedatur uia cognitionis, ut scilicet illius causa Iudici uel Iudicibus cognoscenda atque diiudicanda committatur. Sic enim grauiores etiam motus excitari in uulgo[c] possent, et Rex illius patronus cum suis siue clam, siue palam, homini patrocinarentur[d], ipsique tum iudices tum actores, odium inuidiamque sine fructu[e] conflare possent. Neque rursus[f] uia simplex prohibitionis ut silentium scilicet imponatur, et authoritas omnis adimatur ei concionandi. Etenim ne sic quidem facile sanarentur animi, sed exulceratiores potius fierent, ac indigne opprimi dicerent innocentem. Cui nunc uulgus[g] sane fauet ac[h] tribuit omnia. Tertio[i] non iuuabit uia admonitionis per literas, quemadmodum experientia testatur. Cum quotidianae consiliariorum admonitiones plus efficiant, quam quaeuis literae absentium qui causam non satis intellexisse semper uidebuntur.

Supersunt autem aliae[k] duae uiae, utpote probationis et admonitionis per nuncium, quae mihi quidem commodiores et efficatiores uidentur. Probationis uiam dixerim, si Rex per Serenissimum[l] Patrem persuadeatur, ut concionatori suo iubeat aut duas[m] aut tres contiones ex professo[n] instituere. De missa. De potestate clauium, de cultu et inuocatione sanctorum, aut de similibus argumentis hodie controuersis inter catolicos et haereticos. Sic fiet ut qui uersipellis existimatur, aperte prodat, quod male gerit in pectore[2]. Sed maxime placeret uia (ut dicebam) admonitionis per nuncium siue commissarium aliquem. Id quod ego sic uelim intelligi. Serenissimus Rex huc mittat uirum

---

[a] *Unschuldige Nachrichten:* wie sehr si . . . . schedlich sein.

[b] non inconsulto *Guelph.;* wirdet . . . nicht rathsam sein *Unsch. N.*

[c] in uulgo excitare *Guelph.* [d] patrocinaretur *Guelph.*

[e] *Guelph. om.* sine fructu; ohne Frucht *Unsch. N.*

[f] *Supplendum esse videtur:* proderit *vel* iuuabit. *Unsch. N.:* Dargegen wil es der weg des starcken verboths auch nicht thun.

[g] uulgus nunc *Guelph.* [h] et *Guelph.* [i] Tertia *Guelph.*

[k] *Guelph. om.* aliae. [l] Serenissimus *cod. tigur.*

[m] ut concionatori iubeat duas *Guelph.*

[n] *In versione germanica, quam cod. guelph. continet, haec duo verba omissa sunt* (f. 97[a]). *Unsch. N.:* vnnbedacht oder ausm Stegreiff.

---

[1] Ioanne Sebastiano Phauser; de quo supra p. 524—527.

[2] Blahoslao Phauser paulo ante dixerat se veritatem ita proponere e suggestu, ut neminem laederet, neque ad dextram se inclinando neque ad sinistram; ac propterea Iesuitas sibi nocere non posse (Fontes rerum austriacarum l. c. p. 131). Ac *Ferdinandus I.* ipse in „Memoriali secretiore", quod a. 1560 Romam ad Scipionem comitem Arci, legatum suum, misit, haec asserit: Phauserus semel atque iterum per litteras mihi „palam profitebatur, se a fide sanctae Romanae ecclesiae catholicae non discedere". Memoriale illud typis descriptum est a *Iud. Le Plat*, Monumentorum ad historiam concilii Tridentini potissimum illustrandam spectantium amplissima collectio IV (Lovanii 1784), 621—623.

grauem et bonae fidei. Qui specialiter in mandatis habeat, ut cum rege filio, negotium hoc de concionatore fideliter agat. Hic iuuabit, bonis rationibus filij animum tentare atque pellicere in hanc sententiam, ut intelligat[a], quam sit honestum et utile talem a se concionatorem amouere. Rationes hae sunt meo iudicio non contemnendae. Quasi pater filio ita nunciet. Qualem et cuius fidei apud te foueas concionatorem, et quam ille doctrinae formam proponat[b], non iam tecum disputabo. Sed uide quid te[c] facere deceat, ut te, me, et Austriacam domum infamia liberes. Constat enim non in uicinis tantum locis, sed etiam in exteris nationibus, percrebuisse famam, te luteranismo iam adhaerere. Vide secundo talem esse populum, qui conatibus istius concionatoris credat, nihil aliud quam sectam Luteranam promoueri, fidem ueterem oppugnari atque obscurari[d]. Vide tertio quadruplices nobis hostes esse: Turcas. Quorum sane uires ex religionis dissidio augentur maxime. Haereticos, qui te, nomenque tuum. Chatolicis statibus[e] reddent odiosum[f] et aduersus me sua erigent cornua, Gallos, qui hinc magnam sibi commoditatem praeberi putabunt, ad Austriacos Heroes impugnandos, affligendos, illudendos. Denique aemulos alios complures, qui omnem captant occasionem, ut quouis modo aduersus nos insurgere nostrasque uires et opes imminuere possint[g]. Poterunt autem eo facilius, quo magis erit persuasum ipsis, et uulgo, Maximilianum a patre et imperatore in Religione dissidere. Igitur concludet[h] mittendus huc nuncius[i]. Vel ob id amandandum esse concionatorem, ut suspicio tollatur, quae in Domum Austriacam concepta est passim. Et utrique tum patri tum filio male prospici. Etiamsi integrae fidei et doctrinae foret is concionator, nisi l a p i s o f f e n s i o n i s[1] remoueatur, cessetque causa scandali, quod tam late longeque propagatum est, ut pigeat profecto ac pudeat[k] meminisse[2].

---

[a] *Guelph. om.* ut intelligat; *Unsch. N.:* das er verstunde.
[b] proponit *Guelph.* [c] *Guelph. om.* te.
[d] Bedencke zum anndern, das diss ein solch volck sey, welchs nur dises Predigers furgeben glaube, anders nichts dann die Lutterische Sect furdere, denn alten glauben vmbstosse vnnd verdunckele *Unsch. N.*
[e] gegen den geistlichen stenden *Versio guelph.* [f] otiosum *Tig. Guelph.*
[g] *Ita Guelph.; Tig. falso:* possent. [h] conclude *Tig.;* concludo *Guelph.*
[i] mittendum huic nuncium *Guelph.;* wirdet der Gesannte, so annhero geschickt werden sol zu beschlissen wissen *Unsch. N.*
[k] pudeat profecto ac pigeat *Guelph.*

---

[1] Is. 8, 14. Rom. 9, 32 etc.
[2] Num huiusmodi nuntius a Ferdinando ad filium missus sit, non constat. Ioannes de Ayala hispanus, qui aestate anni 1555 Viennam venit, a Carolo V. iussus erat diligenter speculari, quomodo Maximilianus in rebus ad religionem pertinentibus se gereret, atque etiam cum eius uxore consilia conferre (*Wilh. Maurenbrecher,* Karl V. und die deutschen Protestanten 1545—1555 [Düsseldorf 1865] p. 182*. *Ed. Reimann,* Die religiöse Entwickelung Maximilians II. in den Jahren 1554—1564 in „Historische Zeitschrift“, herausgeg. von *H. v. Sybel,* XV [München 1866], 6—7).

Qui[a] praeterea nuncius siue commissarius cum accedet[b], agere cum alijs hic poterit, et rectius peruidere, quam male cum bonis uiris agatur. Qui ob hunc concionatorem eidem Regi odio sunt habiti. Augent flammam domestici consiliarij, quibus mirum [est][c] non alios adiungi[d] probatae fidei uiros, aut certe qui de sectis, et falsis impijsque opinionibus non aeque suspecti habeantur, et existant[1]. Sed nimis ego libere de tanta re iudico, nisi quod (ut ante[e] dixi) modeste transigi negotium uelim. Quod acrius urgere, nihil fortasse sit aliud, quam irritare crabrones[f].

Dominus Ihesus ad gloriam suam consilia nobis[g] inspiret, quae mature sanent infirmos et grauiter hic affectos[h] animos. Ad quam rem ualde conducent haec duo Remouisse concionatorem, Et instituisse Episcopum Viennensem[i]. Viennae Kal. Aprilis. 1555[k].

Seruus in Christo indignus
Petrus Canisius.

Drews (l. c.) dubitat, an Canisius vere huius epistulae auctor sit; nam et alias quasdam epistulas exstare, quae Canisii esse tradantur, sed certe eidem suppositae sint. Saepius sane accidit ut Societatis hominibus epistulae supponerentur vel verae eorum epistulae ita corrumperentur et turparentur, ut iam sui suorumque auctorum omnino dissimiles essent. Litterae encyclicae (ut duo tantum exempla proferantur), quas anno 1839 Ioannes Philippus Roothaan Societatis praepositus generalis ad Socios dederat, ad aliud quoddam idque insulsum argumentum detorsae et sub nomine „allocutionis" ab eo habitae in Germania et Hollandia venditatae sunt[2]. Atque absurda illa epistula, quam a P. Guilielmo Lamormaini, Ferdinandi II. confessario, 8. Aprilis 1625 ad Socium quendam hildeshemiensem missam esse falsissime asserebant[3], non solum superioribus saeculis compluries a protestantibus typis exscripta et in vulgus sparsa est, sed etiam a. 1889 a paedagogo quodam germano tamquam germana prolata et ad invidiam Societati Iesu conciliandam adhibita est[4]. Ut autem ad hanc nostram epistulam redeamus, notatu certe dignum est eius exempla in antiquis protestantium archivis exstare et a ministris protestantibus primum typis exscripta esse, idque in eodem opere eademque operis parte, in qua et subditiciam

[a] Quae *Guelph.* [b] *Ita Guelph.; Tig.:* accedat.
[c] *Suppletum ex Guelph.* [d] non adiungi alios *Guelph.*
[e] *Guelph. om.* ante. [f] in di Kolen blasen *Unsch. N.*
[g] *Aut:* uobis; *vox obscure scripta; Unsch. N.:* vnns.
[h] afflictos *Guelph.;* so hart bewegeten Hertzenn *Unsch. N.*
[i] den Bischoff zu Wien recht abrichte *Unsch. N.;* einen Bischoff zu Wien setzen *Versio guelph.*
[k] *Vide, quae dicentur post epistulam ipsam, p. 535.*

[1] De consiliariis illis vide supra p. 526.
[2] Cf. *I. Alberdingk-Thijm* S. J., Levensschets van P. Joannes Philippus Roothaan, Generaal der Sociëteit van Jezus (Amsterdam-Brugge 1885) p. 105—107. 270—272.
[3] Vide *M. Reichmann* S. J., Die Jesuiten und das Herzogthum Braunschweig (Freiburg i. Br. 1890) p. 28—35. *Historisch-politische Blätter* CV (München 1890), 328.
[4] Fecit hoc *Fridericus Koldewey*, gymnasii brunsvicensis director, in libello suo „Die Jesuiten und das Herzogthum Braunschweig" (Braunschweig 1889) p. 18—20.

illam Lamormainii epistulam iterum ediderunt [1]. Res quoque ipsae, quae scribuntur, et verba, quibus enuntiantur, aliquid suspicionis excitare possunt. Neque tamen haec tam gravia esse mihi videntur, ut negare audeam epistulam germanam esse. Fieri poterat, ut Canisius aliquid huiusmodi Natali et Lainio scriberet italico sermone — nam etiam ad S. Ignatium et ad Polancum haud raro italice scribebat — utque Augustae per legatum vel episcopum labacensem vel alium Societatis amicum huius epistulae notitia vel exemplum aliquod ad consiliarium aliquem vel aulicum Ferdinandi perveniret, qui clam Lutheranismo addictus erat, quique versionem epistulae plus minus accuratam confecerit ac cum amicis communicaverit.

In codice illo guelpherbytano epistula his verbis terminatur: „Viennae Calend. April. Anno Chr. 1556"; et in „Unschuldige Nachrichten": „Viennae Cal. Aprilis 1556".; atque etiam exemplo stugartiano annus 1556 adscriptus erat. In tigurino autem apographo verbis „Viennae Kal. Aprilis." annus 1555 altera manu ascriptus esse videtur; certe postea manu antiqua deletus est, linea inducta. Dresdensi autem exemplo Kalendae Apriles a. 1555 ascriptae sunt [2], idque recte. Nam litterae Canisii 17. Maii 1556 ad S. Ignatium datae [3] probant Canisium 1. Aprilis 1556 Pragae fuisse, non Viennae; Kalendis autem Aprilibus anni 1555 Viennae morabatur [4]. Ac mensibus Martio et Aprili anni 1555 Canisius id egit, ut Phauserus a Ferdinando ex aula Maximiliani expelleretur [5]. Relegatus est in Styriam a Ferdinando; sed eodem anno 1555 iterum a Maximiliano revocatus [6], et ita Canisii conatus ad irritum reciderunt. Si igitur Canisius anno 1556 hanc epistulam dedisset, priorum illorum conatuum certe mentionem aliquam fecisset.

Quaestione temporis soluta etiam definiri posse videtur, ad quem hae litterae datae sint. Usque adhuc hoc solum ex exemplis manu scriptis cognitum erat datas esse ad „reverendos patres" sive Societatis Iesu sacerdotes quosdam. Cum autem ex epistula ipsa appareat a Canisio eo, ubi Ferdinandus rex degebat — degebat tunc Augustae Vindelicorum — et ad sacerdotes missam esse sibi familiares, regi pergratos, religionis studiosissimos, cumque aliunde cognitum sit circa idem tempus Patres Natalem et Lainium cum Ioanne Morono cardinali legato Augustam venisse, eiusdem theologos inter comitia futuros, dubium esse vix potest, quin Canisius (si reapse hasce litteras dedit) ad duos illos patres scripserit. Atque Societatis Iesu historiographi gravissimi referunt, quo die Natalis Augusta Viennam advectus est — erant Kalendae Maiae —, eodem contionatorem illum Maximiliani lutheranum Vienna discessisse, cuius amandandi causa hae datae sunt litterae [7].

171.

CANISIUS

MARTINO CROMER.

Vienna 27. Aprilis 1555.

Ex autographis (2°, p. 1, et 4°, p. 1), quae sunt in cod. cracov. „Cromeri epistt." n. 11. et 387. Quae Canisii nomen primum subscriptum sequuntur („Cate-

[1] *Unschuldige Nachrichten* l. c. p. 410—424; inscripta est „Ein jesuitischer Rathschlag zum Untergang der Protestanten, ex MSto" et a Iesuita quodam (Lamormainii nomen prudenter reticetur) ad alium Iesuitam data esse dicitur Praga 8. Aprilis 1628 (eo nimirum anno, quo epistula illa ficta et primum edita est; cf. *Reichmann* l. c.).

[2] *Drews* l. c. p. 145 [55]. [3] Hae infra ponentur. [4] Cf. supra p. 524.

[5] Supra p. 524—527. [6] *Reimann* l. c. p. 9 [10].

[7] *Orlandinus* l. c. l. 15, n. 28. *Sacchinus*, Can. p. 100. Plura vide infra, monum. 87.

chisticam doctrinam“ etc.) in codice quidem ab iis, quae antecedunt, omnino disiuncta sunt, neque inscriptionem habent, nec locus nec tempus iis ascripta sunt: sed consideranti res, quae scribuntur, atque etiam colorem atramenti et rationem scribendi diligenter inspicienti vix dubium esse potest, quin a Canisio litteris 27. Aprilis 1555 ad Cromerum datis adiuncta sint.

Priorem epistulae partem (usque ad „Catechisticam“ etc.) ex autographo primi ediderunt *Hipler* et *Zakrzewski* in „Hosii Epistolis“ II, 1025.

Episcopatum sibi gratulanti rescribit, huiusmodi honores Societati non convenire. De novo pontifice Marcello II. gaudet. Collegium varmiense commendat. Scandalum Phauseri contionatoris mox cessaturum esse sperat. Catechismum suum mittit et corrigi cupit. Hosii et Cromeri scripta petit.

IESVS

Magnifice Domine Cromere gratia CHRISTi nobiscum aeterna.

Hodie literas accepi tuas, quae 14 Februarij scriptae fuerunt, mihi sane quam iucundae. Quod mihi de Episcopatu gratularis, nihil erat necesse: oblatum hoc onus non conueniebat his humeris, et illi qui ex professo paupertatem et instituti quod nosti, simplicitatem esset amplexus. Et ut maxime par essem oneri ferendo, haud expediebat tamen has instituti nostri quod uixdum est cognitum satis orbi, primitias talium honorum contrectatione impurari. In sua quisque uocatione[1] CHRISTo tutissime seruit. Christo gratias ego maximas ago, quod hac me tentatione liberarit, ita ut omnino confidam alium hoc loco Episcopum breui fore. Ego nunquam ut subirem hoc munus consensi: sed grata est tamen quam amice obtulisti, isthaec gratulatio.

De Pontifice facto, si famae credendum est, Ecclesiae et bonis omnibus gratulemur[2]: talem profecto nauiculae gubernatorem tanta et tam diuturna tempestas requirebat. Nosti enim satis excultum praeclaris dotibus omnibus Cardinalem sanctae †. Habemus e Germanis 20 in societate nostra Romae, ut non sit difficile Coloniam ex illis in Prussiam deducere, si Reuerendissimus d. Osius ex animo urgere pergat pium hoc quod religiose illi commendasti, institutum. Vtinam in vestris conuentibus abstergatis notam, qua coeperunt apud exteros laborare Poloni, de Sectae scilicet flagranti amore ac studio. Quod autem nouum Euangelistam nominas[3], dolent hic quidem boni non illum semper optima docere, sed sperant tamen breui scandalum hoc desiturum: quamquam peius audiat ille, quam fortasse res postulet[4].

[1] 1 Cor. 7, 20.

[2] Marcellus Cervinus, cardinalis tituli „sanctae crucis“, 9. Aprilis 1555 pontifex electus et Marcellus II. vocatus, 1. Maii eiusdem anni exstinctus est.

[3] Ioannem Sebastianum Phauser, Maximiliani regis contionatorem.

[4] Ipse Ferdinandus rex saepe multumque elaboravit, ut Phauserus ad catholicam religionem rediret vel saltem a Maximiliano officio contionatoris privaretur: at ineunte demum anno 1560 a Maximiliano dimissus est, et anno 1569 Lauingae, ubi parochum et decanum lutheranum agebat, apoplexia correptus decessit (*Reimann* l. c. p. 9—36. *Melch. Adamus*, Vitae Germanorum Theologorum [ed. 3, Francofurti ad Moenum 1705] p. 198—199).

Dominus aperiat magnatum oculos, ut Christi causam ex animo curent, et seipsos uideant, qui alienis malis non tanguntur. Viennae raptim 27 Aprilis 1555.

Seruus in Christo indignus Canisius.

Catechisticam doctrinam Rex noster edidit[1], de qua tuum audire iudicium uelim grauiss. uir, ut quae desiderari posse censueris, aliquando, si recognoscendum praecipue sit opus, corrigantur aut compleantur. Ea enim in re que CHRISTI gloriam et fidei asserendae causam summopere tangit, Regem libenter admonemus. Mitto igitur pro munusculo libellum hunc, et vt boni consulas precor, ac vicissim ut Osij laudatiss. Episcopi scripta[2] nobis communices opto uehementer. Tum quae superioribus annis a pietate tua conscripta sunt, quia lectu digna esse noui, videre quidem aueo, petere tamen uix audeo, utpote tum meae exiguitatis conscius, tum tuae dignitatis probe memor[3].

---

[1] Editioni principi „Summae" canisianae hic est titulus: „SVMMA | DOCTRINAE | CHRISTIANAE. | *Per Quæstiones tradita, et in vsum* | *Christianæ pueritiæ nūc pri-* | *mùm edita.* | Iussu & authoritate Sacratissimæ | Rom. Hung. Bohem. &c. Regiæ | Maiest. Archiducis Austriæ, &c. | EDICTO REGIO CAVTVM | est, vt hic libellus solus, prætermissis reli- | quis Catechismis, per omnes Austriæ | Infe- | rioris Prouincias, & Goritiæ Comitatum | in scholis cùm pruatis *[sic]* tum | publicis præle- | gatur & conseruetur: Atque à nullo Typo- | grapho aut Bibliopola. | inuito Michaêle | Zimmermanno, intra decen- | nium denuò excudatur, | aut excusus | vendatur." Locus et annus non indicantur. 8°; ff. 193 signata et 9 (8 in initio et 1 in fine) non signata; 4 figurae in lignum vel plumbum incisae; folium titulare sequitur edictum Ferdinandi I. (cf. supra p. 522[1]) et conspectus rerum; in fine libri (f. 193ᵃ—193ᵇ) 20 „Errata". Copiosius haec editio descripta est in *editoris* „Katechismen" etc. p. 28—49. Cuius exempla exstant Londini in musaeo britannico. Lovanii (V. P. VI, 23), Friburgi Brisgoviae, Viennae (Theol. past. I, 324), Monachii (Theol. past. 18) in bibliothecis academicis earum civitatum, Ratisbonae in bibliotheca provinciae (Past. 209), in monasterio O. S. B. gotvicensi (Göttweig, XXXIII, K 26[3]), in canonia ordinis praemonstratensis pragensi (Strahov, B. J, X, 3). Eodem anno 1555 secunda „Summae" editio facta esse videtur. Cui quidem titulus est idem ac principi, ff. signata 192, „errata" tantum 8; cf. „Katechismen" p. 71[1]. Posteriores Summae editiones in hoc opere accurate describere non vacat. Earum aliquae in „Katechismen" adumbratae sunt; ceterae, si Deo placebit, in peculiari libro describentur, quo catechismi canisiani historia quaedam proponetur.

[2] Haec Hosii opera tunc prelum iam subierant: a) „In Psal | mvm Quinqvage | simum Paraphrasis Stanislai | Hosij, carmine conscripta . . . [In folio paenultimo:] Cracouiae ex aedibus Hieronymi Vietoris. Anno M. D. XXVIIj." 8° ff. 12. b) „Confessio Fidei Catholicae Christiana Au | thoritate Synodi prouincialis quae habita est Petr | couiae Anno M. D. LI. Mense Iunio aedita: | Praesidente Reuerendissimo in Christo Patre | Domino dno Nicolao Dei gratia Ar | chiepiscopo Gnesnensi Legato | nato et regni primate. | Pars Prior. | Cum Gratia et Priuilegio S. R. M. | Cracoviae. | Anno M. D. LIII. [Fol. 239:] Craccoviae, In Officina Haeredum Marci Scharffenberger Ciuis, ac Bibliopolae Cracouien." 4° ff. 7, 239, 13. (*Theod. Wierzbowski,* Bibliographia Polonica XV ac XVI ss. III [Varsoviae 1894], 33—34; I [Varsoviae 1889], 31).

[3] Cromerus praeter quattuor colloquia, de quibus supra p. 516[2], iam 10 fere poemata et orationes latinas evulgaverat, quae aut ipse composuerat aut ex graeco verterat, v. g. „De splendidissimo Christi Iesu triumpho carmen" (Cracoviae 1533.

Dominus IESVS cura tua succurrat patriae laboranti, et Religionis statum labentem erigat.

Jdem tuus in Christo seruus
Canisius.

Magnifico Domino Martino Cromero, Regi Poloniae a secretis, obseruando Patrono. Cracouiae[a].

172.

STANISLAUS HOSIUS,

episcopus varmiensis et imperii princeps,

CANISIO.

Heilsberga [1] 11. Maii 1555.

Ex opere „*Stanislai Hosii* Epistolae" II, 1041—1042; ubi asseritur epistulam archetypam, Hosii manu subscriptam, in „archivo privato romano" exstitisse; postea Roma alio asportatam esse audivi.

Primum typis exscripta est in „*Pastoralblatt* für die Diöcese Ermland" 1886, Nr. 10 [5].

Quanti Canisium faciat. Rogat eum, ut decem Socios ad se mittendos curet. De Fricii libro „De ecclesia" scripto. Num contra eum aliquem librum in lucem emittere conveniat, et qualem. Aliqua contra Fricium a se scripta Canisio recognoscenda mittit. Acta elbingensia mittit.

S. P. Cum ex his, quae mecum coram egit Martinus Cromerus veteri mihi necessitudine coniunctus, qui mihi litteras etiam tuas ad se scriptas ostendit [2], tum ex his, quae scripsit ad me Fredericus Staphilus [3], et qui vir esses et quanta tuae voluntatis in me propenderes inclinatione, cognovi. Ego vero, etsi te de facie non novi, non possum tamen talem virum non plurimi facere, qualem ab his, quorum apud me testimonium habere merito pondus debet, praedicari audio. Atque utinam cuius tu societatis es, ex ea possem aliquos nancisci: tibi similem quempiam sperare non audeo, sed contentus eo tamen forem, qui quam proxime ad te accederet. Nam haec dioecesis mea, si quae alia, talium virorum vehementer indigere videtur. Curaveram

[a] *Prior epistulae pars hanc inscriptionem habet.*

1534), „D. Ioannis Chrysostomi Orationes Octo . . in Latinum versae" (Moguntiae 1550). Atque hoc anno 1555 Basileae e typographia Ioannis Oporini primum prodiit praeclarum Cromeri opus historicum „De origine et rebus gestis Polonorum" (*Eichhorn,* Kromer p. 100—105. *A. Thiel,* Kirchenlexikon in v. Cromer III, 1198—1199. *Wierzbowski* l. c. II, 60; III, 39; I, 29).

[1] Heilsberg (Helspergk, Hylczberg, nunc civitas regni borussici) sedes erat episcoporum varmiensium.

[2] Has vide supra p. 509—511. 513—516. 535—538.

[3] Litteras, quas Staphylus 16. Februarii 1555 Nissa dedit, significare videtur; quae sunt in „*Hosii* Epistolis" II, 511—512; earum pars posita est supra p. 487—488.

Cromero nostro sexaginta aureos Hungaricos numerari Cracoviae, quos in urbem transmitteret, sed fecerat is me suis literis certiorem, prius ad Pontificem ea de re scribendum esse, quam eo pecunia transmitteretur. Quod a me ita factum est; scripsi et ad Pontificem[1] et ad Cardinalem Puteum et ad alios nonnullos, responsum hactenus nullum accepi. Quaeso te, velis me adiutum, ut aliquos de societate vestra habere queam: magno me abs te beneficio affectum interpretabor. Nam cuius hic opera recte uti possim in revocandis ad unitatem ecclesiae his, qui temere segregaverunt semetipsos, neminem habere videor. Mihi quidem voluntas prompta non deest ad ea quae sunt muneris mei praestanda, sed peccatis meis factum est, ut hactenus conatus mei mihi parum successerint. Ubicunque loci tibi visum fuerit pecuniam insumptam his, quos mitti mihi velim decem numero, si fieri possit, numerandam curabo. Posteaquam vero Cracoviam Deo bene iuvante venerint, accipient ibi quoque pecuniam tantam, quanta ad reliquum itineris conficiendum visa fuerit necessaria. Cum autem praesentium illorum dabitur potestas, providebitur a me diligenter, ne quid eis desit rerum omnium et ad victum et ad amictum pertinentium.

Ostendit mihi praeterea Cromerus noster, quae scripsisti de Fricio, de quo recte iudicasse videris[2]. Contra quem autem librum apologiae istae conscriptae sint, puto te non ignorare[3]. Nunc abs te dari mihi consilium peto, num apologiis eius respondendum aliquid esse censeas, nec ne. Quodsi respondendum censueris, num ad omnia, aut ad quae potissimum. Duo praecipue urget: unum ut laicis de causa fidei iudicare sit, in quo mihi permultum esse positum videtur; alterum levius videri posset ac forse silentio praeteriri, nisi plus haberet in recessu quam quantum exhibetur prima fronte[4]. Nam homini seipsum nimio plus[b] amanti nil placet, quod ad catholicam[a], nihil contra non cumprimis gratum est, quod ad schisma pertinere videtur, cuius defendendi, quoties se offert, nullam occasionem praetermittit. Nihil enim agit in toto eo libro, quem scripsit de ecclesia, quam quod recepta ecclesiae dogmata si minus convellere, certe in dubium revocare, con-

---

[a] *Sic etiam infra; supplendum esse videtur:* religionem *vel:* fidem *vel:* ecclesiam.
[b] *Correxi ex* nimis plus.

---

[1] Litterae Hosii hac de re Heilsberga 28. Ianuarii 1555 ad Iulium III. datae exstant inter „*Hosii* Epistolas" II, 501—502.

[2] V. supra p. 510—511.

[3] Contra „Confessionem" Hosii scripta erant; cf. Hosii epistulam Heilsberga 26. Ianuarii 1555 ad Albertum Kijewski missam, in „*Hosii* Epistolis" II, 501.

[4] Fricius postulabat, ut laicis calix sacer, sacerdotibus matrimonium concederetur, et ut in missae sacrificio sermo patrius adhiberetur. Quae Hosius „Dialogo" refutavit, Dilingae anno 1558 primum edito (*Ant. Eichhorn,* Der ermländische Bischof und Cardinal Stanislaus Hosius 1 [Mainz 1854], 286—289).

traria vero stabilire modis omnibus conatur. Quaeso te, verum atque internum iudicium uti mihi tuum perscribere ne graveris. Interea autem mitto tibi, quae scripta sunt a me contra id, quod ab eo asseritur, iudicium de causa fidei etiam ad laicos pertinere [1]. Si tibi non fuit molestum legere, quae scripsit contra catholicam Fricius, spero etiam minus fore molestum, ut quae pro illa scripta sunt a nobis, legas: simul si quid addendum, detrahendum aut corrigendum esse putes, libere iudicium ad me tuum perscribas. Litteras autem ad Cromerum nostrum dabis, qui facile curabit ad me citra aliquam moram perferendas. Mitto etiam quae Elbingii sunt acta per me ante biennium, ut quantum laboris a me susceptum fuerit cognoscas, nullo tamen profectu [2]. Deus te servet incolumem, frater in Christo charissime, quem ut pro me quoque sedulo preceris, rogo [a]. — —

Viro pio cumprimis et docto Petro Canisio de Societate Iesu, S. Theologiae professori, fratri in Christo charissimo et multum honorando.

173.

CANISIUS

WICHMANNO VAN DEN BERGH.

consuli noviomagensi.

Vienna 23. Maii 1555.

Ex apographo eiusdem temporis (2°; pp. 3); in p. 4. antiqua manu, quae Canisii ipsius esse videtur, scriptum est: „Exemplum literarum ad Consulem Nouiomagensem pro Jesu societate." Hoc igitur exemplum Canisius ipse Coloniam ad P. Leonardum Kessel misisse videtur. Est in cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I."

Ex eodem exemplo, quod tunc Coloniae in archivo gymnasii „tricoronati" S. J. exstabat, epistulam primus edidit *Reiffenberg* l. c. p. 47—48. Inde transcripta est in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 651—654.

Queritur, quod senatus noviomagensis Societatem urbe prohibeat. Id senatui dedecori fore, cum et Societas summis viris ipsique ecclesiae probata sit et complures Socii sanguine, civitate, meritis parentum Neomago sint iuncti. Rationes in senatus decreto allatas refellit, imprimis, quod Socii bona civium captent, oneri iis forent, multi iam adsint ecclesiastici. Immerito impediri, qui caelestia praebentibus terrena dare velint. Deum id puniturum.

[a] *Hic in archetypo locum, tempus, Canisii nomen posita esse puto.*

[1] Hosius Fricium in altera etiam „Confessionis" suae parte refellere volebat; quae anno 1557 Moguntiae ex typographia Francisci Behem primum in lucem prodiit (*Hosii* Epistolae II, 537. 1007. *Eichhorn* l. c. p. 224—225).

[2] Hosius anno 1553 cum Elbingensibus (Elbing, civitas regni Poloniae, nunc Borussiae) diligentissime quidem, sed frustra egerat, ut sacram eucharistiam sub una specie acciperent ac schismate abiecto sibi episcopo suo obtemperarent. Haec „acta" ipse postea conscripsit et amicis misit. Typis exscripta sunt in „D. *Stanislai Hosii* operum Tomo secundo" (ed. *Stan. Rescius*, Coloniae 1584) p. 70—81.

IESVS

Gratia domini IESV nobiscum aeterna.

Perlatum huc est triste nuntium, optime Vichmanne Consul[1], nonnullos qui IESV societati nomen dederunt, male isthic audire, vestrique Senatus sententia tractari durius ac laedi[2]. Facit hoc Sathan opinor, qui bonis bonorum conatibus, praesertim quibus Christi gloria et salus proximi promouetur, ex professo quibus maxime viribus et artibus potest, per quoslibet etiam gaudet aduersari, atque detrahere contendit[3].

Tua vero prudentia consideret quaeso, quam indigne fiat, vt maleuoli nescio qui, authoritate vestra ad bonorum vel contemptum, vel iniuriam abutantur. Perpende recta tecum, quid incommodorum adferat secum isthaec severitas, imminuit Senatus vestri authoritatem apud Catholicos, Remp: vestram in suspicionem grauem adducit, quae bonos reijciat, pietatem impediat, ac laedat innocentes. Nota est exteris Societas nostra, quae tantum fidei et authoritatis apud optimos Principes, apud nobilissimas prouincias nationes ciuitates inuenit, vt quorundam obtrectationibus, calumnijs, iniurijs, exerceri probari et illustrari possit, in pietatis autem promouendae atque charitatis de-

---

[1] „De functie van Burgermeester is binnen Nijmegen van de oudste tijden af eene Commissie uit den Raad voor den tijd van een jaar, in welken Raad de eerste regeerende Burgermeester praesideert": *Ioh. Smetius*, Chronijk van de Stad der Batavieren (Nijmegen 1784) p. 247[r].

[2] P. Leonardus Kessel anno 1554, ut multis satisfaceret, Colonia Neomagum venerat ibique animarum fructum, qualem nuspiam antea, collegerat. Ibidem Canisii, quam supra scripsimus, matertera peramplum cum area domicilium Societati obtulerat eamque legationem sub initium anni 1555 coram magistratibus arbitrisque confirmaverat, fratris maxime repugnantis assensum mercata aureis quingentis. At re divulgata obstrepuerunt primores quidam parum catholici, murmurarunt et coenobitae nonnulli, donec senatus, ne maiores turbae nascerentur, Kesselium urbe excedere iuberet. Is tunc Colonia redierat, ut benefactrici adesset moribundae. Ac postea refellit quidem calumnias coram senatu universo ac diplomata etiam summorum pontificum evolvit, sed frustra (*Orlandinus* l. c. l. 15, n. 28. *Reiffenberg* l. c. p. 45—46). Senatus decretum sic proponit *Ioannes Smetius* (Smith) Calvinistarum minister neomagensis, ex archivo civitatis haustum: „Na dat eenige (die zig Jesuiten lieten noemen) binnen de Stad Nijmegen allengskens waaren ingeslopen, en zig onderstonden, zoo in 't heimelijk, als in 't openbaar, de preek te hooren, en ook in ettelijke kerken zelfs dienst te doen, daar nevens eenige conventiculen te houden, om daar door 't zaad van tweespald beter te zaaijen, en te gelijk ettelijke erfgoederen aan zig te werven, zoo hebben de Raaden van Nijmegen deze nieuws ingeslopene Jesuiten uit haare Stad gebannen, en door een Roeij-drager den weet gedaan, dat sij zich eerstdaags uit de Stad zouden begeven" (l. c. p. 125). Idem decretum „ex collectaneis Gerardi Canisij, Consulis eo tempore Neomag." iam diu ante Smetium ediderat *Arnoldus van Slichtenhorst*, iuris consultus gelrus, ex eiusque libro merito conici posse videtur Smetium aliquam decreti particulam omisisse; quam infra suo loco proponam (XIV Boeken van de Geldersse Geschiedenissen, door *Arend van Slichtenhorst* [T' Arnhem 1654] p. 486—487).

[3] *Schutjes* asserit senatum 2. Ianuarii 1555 Societatem Neomago pellere statuisse (l. c. p. 267).

clarandae studio vinci, opprimi et expugnari non possit, Christo IESV suis patrocinante.

Quapropter etsi nobis gloriae magis quam ignominiae verti posse confidam, quod ita leuiter aduersus nostros decernitur, tamen et uestro et Senatus et patriae nomine doleo, tam parum agi candide cum ijs, quos Nouiomagi non dicam tollerari sed etiam honorari decebat. Nec enim ignoratis qui et quam multi in Rep: vestra nati, educati, versati, uobis etiam sanguine coniuncti, nunc vero Societati huic adscripti duce Christo simus. Itaque si non propter communem patriam, si non propter parentum et amicorum nostrorum in Remp: vestram merita, si non propter veteris amicitiae et sanguinis firma foedera, saltem ob hoc ipsum, quia ciues vestri sumus, erimusque semper, vni propter multos parcere, et non solum indulgere si opus fuisset, sed etiam adesse et praeesse et prodesse, quae vestra debet et solet esse prudentia aequitasque, potuissetis.

In procliui est quae recte pieque geruntur in suspicionem rapere, semperque mundus in deteriorem partem accipit, conuellit, deprauat, religiose dicta facta et instituta [1]. Sed credat mihi velim sapientia tua, fortunas vestras non appetimus, qui relinquimus propter Christum omnia, non insidiamur aliorum bonis, aedibus, possessionibus, qui diuitias nostrae salutis in paupertatis arce sancta constituimus, non cupimus vestram grauare Remp:, sed peccatorum oneribus praegrauatas conscientias releuare, Christo auxiliante: non solliciti sumus in [a] corrogandis isthic eleemosinis, sed dare spiritualia, bene mereri de patria, consolari afflictos animos, pios prouehere, Remp: veris dei [b] donis aeternisque bonis augere in Christo desideramus.

Habetis in eodem studio exercitatos forte homines, et vtinam plures melioresque haberetis hoc tempore, sed mihi nequeo persuadere, idcirco quia multi vnum idemque profitentur, inutiles et prohibendos excludendosque videri illos, qui beneficium offerunt, qui in arte sua non minus quam reliqui periti atque exploratae fidei sunt, qui tum ab eruditionis, tum a pietatis et virtutis suae argumentis, si non vobis, tamen et doctissimis et celeberrimis et optimis viris passim comprobati sunt, qui totius itidem Ecclesiae testimonium ac sacrosanctae Apostolicae Romanae Sedis non violandam authoritatem pro se proferunt ostenduntque.

Absit igitur temeritas vir sagacissime, de bonis non ita pessime sentiamus, oblatam non recusemus gratiam, facessant priuati affectus,

[a] de *Reiff.* [b] verae fidei *Reiff.*

[1] *Slichtenhorst* refert in senatus decreto has etiam rationes prolatas esse, ob quas Noviomagenses Societatem admittere non possent: „Dat sy mede meer Geestelijkheids hadden dan sy vonden ofte onderhouden moghten, ende de gemeyne burgheren en doorgaens schaemele ingezeetene niet hoogher behoorden belast en wtgemergheld te worden“ (l. c. p. 487). Clarum est Canisium has rationes hic refellere.

vbi non de meo et tuo, sed de CHRISTI IESV Opt: Max: gloria propaganda, de conscientijs miseris recreandis, de fidis operarijs in messem desertam introducendis recipiendisque agitur.

Interim pro tua aequitate statuas licet, sintne prohibendi[a], qui cum possint, de nostris etiam velint bene mereri, vt illis tribuant temporalia, a quibus magno cum foenore tum sibi, tum toti ciuitati uestrae spiritualia conferri posse sentiunt[1]. Sis ipse Iudex, deceatne voluntatem amici extremam, preces morientis pias et sedulas negligere. Cogites, quam facile, quam turpiter, quam infoeliciter fere dilabatur quod male paratur: memineris illius pietatis, quam a religiosis parentibus ac maioribus, haereditario quasi iure acceperis, quid illi te Senatumque uestrum exemplo suo admoneant, vel me tacente perspicuum est. Veniat[b] in mentem quam tibi familiaeque tuae sit futurum honorificum amare et conseruare Christi familiam, quae tuos etiam liberos, vicinos, amicos et ciues omnes docere pietatem et multis modis illustrare possit. Illudque postremo vt cures, obtestor, vir amicissime, ne dum fortunarum rationem habere uis, et liberis metuis, veras quae in CHRISTO sunt opes amittas, teipsum cum liberis perdas et ex diuite miser fias, iusto DEI iudicio[2].

Meum fuit admonere, rogare, instruere: si quod charitate huc impellente feci gratum erit, duplices CHRISTO et tibi debebo gratias: Sin minus, veritatis et patriae iuuandae causa me sinam in CHRISTO periclitari. Is mentem humanitati tuae sanam et in priuatis publicisque consilijs diuinitus illustratam adesse concedat. Viennae 23 Maij 1.5.55.

Seruus in CHRISTO
Petrus Canisius
Nouiomagus, Doct.
Theologus de IESV
societate.

Inscriptio huius epistulae non superest. Ex ipsa epistula hoc tantum cognoscitur Wichmanno consuli neomagensi, qui Canisio amicitia atque etiam (ut videtur) sanguine iunctus erat, eam inscriptam fuisse, nec plus a Reiffenbergio positum est. Wichmanno huic cognomen „Busaeo" sive „Buys" fuisse *Kok*[3], *van den*

[a] proscribendi *Reiff.* [b] Veniat tibi *Reiff.*

[1] „Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?" (1 Cor. 9, 11.) Cf. Rom. 15, 27.

[2] Has minas haud dubius rerum eventus comprobasse fertur: „Nam et consulis, qui Senatui fuerat autor" Kesselii expellendi, „gemina proles in rixa, atque altercatione mutua se caede necauit, liberorum necem cita parentis subsecuta mors est: et qui sententiam audax pronuntiarat edicti, lenta febre correptus in diuturnae tabis aerumnas atque languorem sensim decidit summa cum desperatione salutis (*Orlandinus* l. c. l. 15, n. 29).

[3] Vaderlandsch Woordenboek. Negende Deel (Tweede Druk, Te Amsterdam 1788) p. 51.

Bergh[1], *Schutjes*[2] asserunt; nec tamen quisquam eorum id probat; neque in antiquis tabulis invenitur Wichmannum Busaeum ullo tempore consulem neomagensem fuisse[3]. At in *codice accepti et expensi ab urbe neomagensi a. 1555 („Stedelijk Rekenboek“), qui in archivo eiusdem urbis asservatur, haec leguntur: „Frederick Viersz gewest mit onse Burgemeesters Bymelberch ende Wichman van den Berch toe Arnhem, doe sy aldaer geschickt warden aengaen den toll toe Herwarden.“ Haec verba clare ostendunt anno 1555 non Wichmannum Busaeum, sed Wichmannum van den Bergh alterum ex duobus consulibus rem publicam neomagensem gerentibus fuisse, et huic Canisium scripsisse[4]. Ex aliis eiusdem archivi codicibus cognoscitur Wichmannum van den Bergh etiam annis 1552, 1554, 1557, 1560 idem munus gessisse et ab anno 1547 usque ad 1564 continenter e scabinis urbis fuisse[5]. Familiam van den Bergh Canisiis propinquam fuisse iam vidimus supra p. 116[2]. Wichmannus hic van den Bergh uxorem duxit Elisabetham, filiam Ottonis Kanis, quaestoris neomagensis et fratris Iacobi Kanis, qui pater erat Petri nostri Canisii[6]. His Canisii litteris nonnullorum Neomagensium animi commutati esse videntur. Nam *Polancus* Roma 31. Martii 1556 ad P. Leonardum Kessel scripsit: „De Noviomagensibus agetur postea. Inde [i. e. Colonia] enim gradus fiet ut Noviomagum et in alia loca collegia mitti possint temporis successu.“ [7]

174.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Praga 15. Iulii 1555.

Ex autographo (2°; pp. 3; in p. 4. inscr. et pars sig.); multa lineis et numeris signata sunt; quod aut ipse S. Ignatius aut Polancus secretarius fecisse videtur, quo facilius epistula rescribi posset.

Versio latina, aliquantulum manca et saeculo XVII. scripta, est in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 138a—139b [a].

[a] *Antiqua haec versio infra (ex apographo P. Flor. Riess) ponetur.*

[1] Het Nijmeegsche Geslacht Kanis p. 13.

[2] Geschiedenis van het Bisdom 's Hertogenbosch V, 267. Van den Bergh et Schutjes fortasse hac in re nil nisi Kokii auctoritatem secuti sunt.

[3] Wichmannus Buys comparet apud *I. G. Ch. Ioosting*, Inventaris van het Oud-Archief der Nijmeegsche Broederschappen (Nijmegen 1891) p. 272. *Gerardus Busaeus*, PP. Petri, Ioannis, Theodori Busaeorum S. J. „frater“, Xanto 9. Septembris 1572 P. Hieronymo Natali scribens, Canisios „cognatos suos“ appellat (*Epistula autographa, in codice „Germ. 1571 sqq. III.“ f. 157).

[4] Acta senatus neomagensis („Raadsignaten“), quae apud eundem supersunt, ab anno 1558 demum incipiunt.

[5] Inter scabinos neomagenses comparet etiam apud *Ioosting* l. c. p. 265. 266. 268. 282. 286. Quaecumque ex archivo urbis neomagensis hic protuli, a reverendo patre *G. A. Meijer* O. Pr. ex eodem archivo extracta et mihi liberalissime transmissa sunt.

[6] **Von Brucken-Fock*, Genealogia canisiana; cf. *Bongaerts* l. c. p. 6. Elisabetha van den Bergh a. 1572 in tabulis „vidua“ vocatur.

[7] *Delplace*, L'établissement etc. p. 38*. Cartas de *San Ignacio* VI, 478.

Versionis antiquae partem haud ita accurate edidit *Python* l. c. p. 107—108; eiusdem versionis partes germanice reddidit *Riess* l. c. p. 132. 134, et ex eo transscripsit *Drews* l. c. p. 50—52.

Se Pragae benignissime exceptum esse. Fructum ibi ex scholis Societatis uberem exspectari. Populum ieiunia et caerimonias ecclesiae diligenter servare, clerum sedulum, Hussitas plurimos quidem, sed discordes et languidos esse. De festo Ioannis Hus, Bohemiae opulentia, universitate, sectis. Collegium in monasterio Dominicanorum collocandum esse, qui libenter aliam sedem accepturi sint. Se Augustae id cum Ferdinando rege transacturum. Contionem in ecclesia metropolitana a se habitam placuisse. A Ferdinando archiduce et a Bohemiae proceribus se ad longius tempus expeti. De collegii reditu, hominibus, scholis. De haereticis contionatoribus e Bohemia eiectis.

†

Molto Reuerendo in Christo Padre mio.

La grande charità et bontà del Signor Nostro Jesu Christo s' augmenti sempre ne i cuori nostri per intender et essequire la sua diuina uolonta in tutte le cose.

Rigratiato sia il padre del cielo et della terra, il qual me ha condutto sano a Praga, et adgiutato spetialmente per satisfar all' obedientia del R. P. Nostro Natale[1]. Adunche sappia V. R. P. che questi Signori della Corte et del Clero Pragense me hanno riceputo et abbrazziato con grande charita, dando ogni fauore et adgiuto per incomminciare il collegio, con cio sia cosa che tutti Catholici ci persuadeno, che li nostri per mezzo della schola faranno frutto grandissimo in tutta la Boemia. Et certo non ho uisto in Bauaria et Austria tanto buona dispositione, si come qui per redur li schismatici alla vnione

---

[Versio antiqua.]

[† Admodum reverende in Christo pater.][a]

Magna charitas ac bonitas Domini N. I. Chr. crescat semper in cordibus nostris, ad intelligendam et exequendam in omnibus Divinam ejus voluntatem.

Benedictus sit Pater Coeli et Terrae, qui me Pragam deduxit incolumem, et singulariter adjuvit, ut voluntati R. P. Natalis obedirem[1]. Itaque V. R. Paternitatem certiorem facio, quod aula haec et clerus[2] Pragensis me[b] magna charitate amplexi exceperunt[3], omnem opem et favorem ad initia Collegii fundandi polliciti, quandoquidem Catholici communiter omnes persuasum habent, fore ut Nostri scholis suis universae Boëmiae magnam utilitatem afferant. Equidem neque in Austria neque in Bavaria res tam bene dispositas vidi quam hic pro schismaticis[c] ad unionem Catholicam reducendis. Primum quia vulgus etsi sub utraque specie communicet,

---

[a] *Quae hic et infra uncis quadratis inclusa sunt, in versione antiqua desunt et ab editore ex autographo versa et suppleta sunt.* [b] me et socios *Pyth.*
[c] haereticis *Pyth.*

---

[1] P. Hieronymus Natalis anno 1552 a S. Ignatio ad constitutiones Societatis ubique promulgandas delectus erat et 1. Maii 1555 ex comitiis imperii augustanis Viennam „visitator" advenerat (*Orlandinus* l. c. l. 12, n. 34. *Sacchinus*, Can. p. 100. *Socher* l. c. p. 55).

[2] Versionem antiquam correxi, quae habet: „Clerus et senatus."

[3] Versio antiqua: „excipiunt."

Catholica, 1° perche la gente commune anchora che se communica sub vtraque, non e contra li costumi, essercitij et precetti della santa Ecchieza, anzi guarda meglio li gieiunij et le cerimonie exteriori, che tutti li Tudeschi, 2º perche li capi del Clero anchora che non tengono ne Veschouo, ne Archiueschouo in tutto il Reame di Boemia, pur sono molto zelosi et diligenti in restaurare la Religione, 3º perche li Hussite sono discordi hora fra se, et tengono pochi homini literati et preti, talmente che essendo qui alcuna copia di predicatori Boemi, certo se farria frutto grandissimo, non obstante che siano tante secte, et tanta deprauatione della nobilita per tutto, et solamente 3 ò 4 cittadi ex professo catholiche. Tutte l'altre fanno grand' festa dal suo Joanne Huss al di, quando e stato bruzato nel Concilio Constantiense [4]. Et quanto al uiuere, io credo che in nissuna parte del Imperio sia tanta abondantia temporale, et l'espese tanto facilj, o tanto buon mercato, sicome in Boemia.

Hor quanto al Collegio, io me ho sforzato prima a determinare del luogo, et dappoi delle intrade o redditj. Vero è, che mi sono stato representato diuersi luogi et monasterij, ma sicome anchora la sua Maiesta hebbe fatta li insegni, non s' offerisse luogo [5] piu com-

---

[Versio antiqua.]
non tamen adversatur aliis S. R. Ecclesiae consuetudinibus, exercitiis atque praeceptis, sed jejunia et exteriores caeremonias religiosius observant quam omnes Germani. Secundo quia praecipui de Clero, tametsi per totam Boëmiam nullum Episcopum vel Archiepiscopum agnoscant [1], zelosi tamen sunt in religione restauranda ac seduli. Tertio quia Hussitae jam ipsi quoque inter sese dissentiunt, et paucos habent viros doctos et sacerdotes [2]; ita ut si qua adesset Concionatorum Boëmicorum copia, ingens sane operae pretium faceret, etsi tot sectae sint ac tanta nobilium perversitas, ut vix [3] tres aut 4 urbes ex professo Catholicae reperiantur; cum reliquae passim omnes festive celebrent Ioannem Huss ea die, qua in Conc. Constantiensi flammis haustus est [4]. Quoad victum nescio an in ulla Imperii parte tanta rerum abundantia inveniri aut annona tam vili pretio comparari possit quam in Boëmia.

Iam ad Collegium quod attinet, conatus sum primo determinare locum, deinde reditus. Sunt autem varia loca et monasteria mihi oblata: verum ipsius quoque regis judicio nullus apparet commodior locus [5], quam Monasterium S. Clementis, ubi

---

[1] Melius versum esset: „habeant". Cf. supra p. 498.

[2] Sic antiquam versionem correxi, quae habet: „viros doctos et eruditos."

[3] Vertendum potius erat: „tantum."

[4] Ioannes Hus Constantiae 6. Iulii 1415 a magistratu civili combustus est. Qui dies quam sacer Bohemis tunc fuerit, ex hoc ipso intellegi potest, quod neque ipsi Societatis homines in collegii pragensis principiis scholas habere 6. Iulii audebant. Nam P. *Ioannes de Polanco* Roma 24. Augusti 1560 P. Paulo Hoffaeo, eius collegii rectori, haec scripsit: „Di qua siamo auisati che il giorno che si fa la festa di Joanne Hus in Praga non si legge nel collegio. Et pur a nostro Padre [preposito generale] pare si debbia fare. Si ben non fossi per altro, che per non parer simile alli cismatici" (Ex apographo *epistulae [eodem tempore scripto], quod est in cod. „German. Gallia Flandria 1559 etc. V. II." p. 208).

[5] Accuratius fortasse versum esset: „verum (quod etiam maiestas regia nobis indicaverat) nullus comparuit commodior locus" etc.

modo che nel monasterio de S. Clemente, doue sono 4 ò 5 frati de S. Dominico. Et per uitar le difficultadi circa la dispensa del' ordine, hauemo trouato vn altro monasterio circa li muri della città [1], et il Archiduca Ferdinando figliolo della sua Maiesta, il quale molto ci fauorisse [2], gia ha consentito che se faccia vn cambio de questi 2 monasterij, talmente, che li Dominicani sponte migrando dal suo monasterio, il qual e tanto anticho, che presto se ruinarria, et guadagnando quella commodita et amenita dell' altro monasterio, s' obligano d' impetrar la licentia sofficiente dal suo Prouintiale.

Et cossi lassano uolontierj alla Compagnia questo luogo suo de Santo Clemente, doue non hebbero fin a qui la sufficientia del uiuere, sicome gia nel altro hauerano, adgiutati dalla sua Maiesta. Pur e parso al Archiduca, ch' io me partessi presto con la sua litera al Serenissimo Padre in Augusta [4], per concludere questa commutatione et per instare che subito fussino chiamati li nostri de Roma [5], per incomminciare questa santa imprezza alla gloria del' omnipotente.

[Versio antiqua.]

quatuor aut quinque Religiosi Ord. S. Dominici adhuc versantur. Porro ad vitandas difficultates circa dispensationem Ordinis offert se monasterium aliud ad Urbis moenia situm [1] jamque Sereniss. Archidux Ferdinandus Regiae Majestatis Filius ac nobis valde benevolus [2], consensit in permutationem utriusque Monasterii: ut adeo Dominicani sua sponte Monasterio Sancti Clementis, quod ob vetustatem ruinas [a] minatur, cessuri et commodum amoenumque monasterium alterum acquisituri, spondeant, se potestatem ejusmodi permutationis faciendae a suo Provinciali facile [3] impetraturos.

Libenter igitur suum illud societati relinquent, ubi non habebant satis unde viverent, cum in altero, adnitente sua majestate commode sint habitaturi. Visum tamen est Archiduci, ut mox cum literis ad Serenissimum Patrem Augustam proficiscerer [4], cum ad concludendam hanc permutationem, tum ad evocandos illico nostros ex Urbe [5], qui sancto [b] huic proposito ad Omnipotentis gloriam dent initium. Quare cras volente Deo, iter octo vel 9. dierum eques ingrediar, ut negotium conficiam.

---

[a] minas *Riess.* [b] secreto *Riess.*

---

[1] Monasterium virginum ordinis S. Clarae significat, quod Beata Agnes, Bohemiae regis filia (1207—1282), instituerat et prima gubernaverat. Duae supererant in eo monasterio virgines sacrae, quae postea in teinicense, alterum sui ordinis domicilium, transierunt (*Acta Sanctorum* Iulii VII [Antverpiae 1731], 500. *Ioh. Schmidl* S. J., Historiae Societatis Iesu Provinciae Bohemiae pars prima [Pragae 1747], 76—77. 81).

[2] Maximilianus, Ferdinandi I. filius natu maximus, anno quidem 1549 Bohemiae rex nominatus erat; sed spoponderat se, patre vivo, regni administrationi se non immixturum (*Bucholtz* l. c. VII, 486). Hanc administrationem anno 1547 susceperat eius frater Ferdinandus archidux (1529—1595), qui postea comitatus tirolensis et Austriae anterioris („Vorlande") princeps factus ibi catholicam religionem et Societatem Iesu egregie protexit et adiuvit.

[3] Hoc vocabulum ab interprete potius erat omittendum.

[4] Partem harum litterarum vide infra, monum. 112.

[5] Accuratius: „tum ut evocandos ilico nostros ex Urbe curarem".

Onde di mane io me partirò con la gratia di Christo per concludere sopra ciò, et sè il camino di 8 ò 9 di con vn cauallo.

Volse il Archiduca che io predicasse nel domo[1] inanzi la Corte; et viene molta gente, la qual sape la lingua Tudescha. Credo che in molte prediche Iddio mi non ha fatto tanta gratia, sicome alhora, di modo che la Sua Altezza et li altri restorono non pocho satisfatti. Hor scriuono tre grandi Signori[3] alla sua Maiesta, che io torni presto per predicare et edificar anche le cosse necessarie al Collegio, et che io almanco per alcuni mesi resti in Praga per adgiutar queste anime cossi commosse et affectionate. Sia fatta sempre la volonta della R. P. V. et pensi me essere piu inutile di tutti, non obstanti questi fauori della gente semplice et ignorante. Io espettarò molto volontieri in Augusta quello che me sarrà commandato, et spero che la gente se metterà presto in ordine per satisfare a questi grandissimi desiderij de Praga, la qual e vna citta sicome Roma, molto nobile et populata, doue adesso non se nessuno predicatore Tudescho, ne anche Boemo si non vno qualche uolta fra tanti altri heretici et Hussite, schismatici et Judei.

Ma tornando ad collegium in monasterio de S. Clemente questo luogo ci ha piacuto, perche e nel centro quasi della citta et piu commodo alla giouentu, et tiene luogi sofficienti per le schole et classi, per stancie[4] et camere con vna buona parte del horto. Et se potra

[Versio antiqua.]

Cupivit Archidux ut in aede Principe[1] ad aulicos et frequentem populum Germanicae linguae non ignarum concionem haberem. Videtur mihi raro alias a Deo mihi gratia dicendi tanta fuisse concessa, quantam tunc expertus sum; Archidux ipse et alii testantur, se magnam inde percepisse voluptatem[2]: hodie tres primae authoritatis viri[3] per literas a sua Maj. petunt, ut redeam quam primum ad Conciones et res alias Collegio perficiendo necessarias; morerque Pragae saltem per aliquot menses pro solatio et auxilio animarum, quae jam salutari motu ad virtutem propensiores sunt. Fiat semper voluntas Reverendae Pat. Vestrae meque omnium inutilissimum judicet, quidquid homines simpliciores et ignorantes contra sentire videantur. Libentissime Augustae jussa praestolabor; sperans fore ut brevi res omnes ex voto Pragensium, quo vehementer ardent, disponantur: quae Urbs cum nobilitate et frequentia Romanae non absimilis sit, nullum habet Ecclesiasten Germanum, imo nec Boëmum, nisi unum eumque raro inter tot Haereticos, Hussitas, Schismaticos et Iudaeos.

Sed ut ad Collegium in Monasterio S. Clementis redeam, placuit nobis hic locus; quia fere in centro urbis est, et studiosae juventuti commodior, sat capax gymnasii, domuum[4] et cubiculorum, cum non exiguo horti spatio: poteritque modicis

[1] Ecclesiam dicit metropolitanam sancti Viti, in qua etiam corpora sanctorum Wenceslai regis et Ioannis Nepomuceni martyrum asservantur.

[2] Versio antiqua habet: „Cupit Archidux" — „ad senatum" (*Riess:* „zum Stadtrath") — „conciones habeam" — „modo experior" — „percipere".

[3] Henricus Scribonius, ecclesiae metropolitanae praepositus et archidioecesis administrator; Antonius Brus de Muglitz, ordinis „Cruciferorum cum rubea stella" magister generalis; Ludovicus Schradin, iuris utriusque doctor. Vide infra, monum. pragensia. [4] Melius fortasse: „conclavium".

con poche spese restaurare tutto, et adaptare a vna buona habitatione per questo primo anno. Resta anche vn altro monasterio de S. Augustino, doue se troua vn frate solo [1], ma quello non se potria in vn longo tempo disponere alla commodita necessaria. Et cossi anche parse alli Signori, che subito s' incomminciasse il Collegio nel Santo Clemente. Se io tornassi de Augusta qua, non mancarebbe della parte mia de disponere ogni cosa per li nostri, in quanto hauesseno da uenire presto de Roma. Pur sopra ciò pratticaro con la sua Maiesta; et anche con il Ducha de Bauiera dal collegio Ingolstadiense. Iddio vogli consolar questa Germania con li suoj ueri soldati et instrumenti della santa obedientia!

Circa le intrade sappia V. R. P. che la somma delli redditi del monasterio Celestinorum, il qual Sua Maiesta applica al Collegio Pragense [2], vale piu de mille daler, sicome hoggi mi hanno mostrato quelli della camera Boemica secondo che la sua Maiesta li hebbe commendato. Di modo che V. R. P. senza scrupulo potra mandare qua non 10, ma 20 persone, anzi 30, si fusse possibile. Et pare certo, che piu se possi et debbia sperare de qua, che de Vienna, non obstante che hora questa Vniuersita Pragense sia quasi de niente, e li nostri spero saranno li primi Theologi et professori nella schola dappoi

---

[Versio antiqua.]

impensis restaurari totum et hoc etiam anno ad commodam habitationem adaptari. Est quidem aliud insuper Monasterium S. Augustini in quo religiosus unus moratur [1]; sed istud longo tempore nostris usibus necessariis sufficienter accommodari non posset. Itaque censent Proceres quoque, Collegium ad S. Clementem confestim inchoandum esse. Si Augusta huc reverti me contingat, non omittam pro viribus omnia sic disponere, ut nostris ex Urbe adfuturis brevi nihil admodum desit. Attamen hac de re cum Majestate [regia] et cum Duce Bavariae de Collegio Ingolstadiensi agam. Deus Germaniam militibus suis genuinis et sanctae obedientiae instrumentis solari dignetur.

De redditibus sciat [a] R. P. Vestra quod summa redditUum Monasterii Coelestinorum, Collegio Pragensi a sua Majestate applicandorum [2] superet mille Daleros Imperiales [3] sicut hodie mihi exhibuerunt [camerae bohemicae officiales] [b], quibus a Rege mandatum fuerat. Adeoque poterit Reverenda P. Vestra absque dubitatione huc mittere non tantum decem, sed viginti sed triginta capita, si velit et habeat. Caeterum majorem mihi spem facit hic locus, quam Vienna; quamquam Pragensis haec universitas hodie prope sit nulla: ubi spero Nostros fore primos

---

[a] sciet *Riess.*
[b] *Quae uncis inclusa sunt, interpres antiquus vertere omiserat, ponens solum:* ii.

---

[1] Monasterium S. Thomae apostoli dicit, quod ordo Eremitarum S. Augustini in urbis pragensis parte minore („Kleinseite") habebat. In eo duos tantum fratres morari Praga 23. Martii 1555 Ferdinando I. regi scripserunt ii, quibus ipse commiserat, ut Pragae Societati sedem quaererent: Sribonius, Brus, Schradin (cf. supra p. 548 [3]), Ioannes de Rensberg [Ransberg?]. Eorum *litterae archetypae Viennae exstant (Hofkammer-Archiv, „Böhmen P. Fasc. 5/2 les."). [2] V. supra p. 496.
[3] Vocabulum „Imperiales" ab antiquo interprete additum est.

la morte del Joan Huss, sicome per altro tempo se potra scriuere piu diffusamente. Par a me che la bonta del Signor Nostro se voglia presto inclinar per conuertere questi cuori, li quali mostrano anche vna certa promptezza alla virtu[1], talmente che la R. P. V. non dubbiti de mandar gente a questa Boemia, la qual e vicina a Saxonia. Non mancaranno fauori et persecutioni, consolationi et desolationi in questa vignea, doue dicono che siano trinta millia de uille et pagi. Fra quelli che veneranno mandi V. R. de gratia 2 periti della lingua Greca, et altri piu buoni humaniste, et la maggior parte de Thudeschi, et se e possibile vn predicatore Thudesco, sicome sarria almanco M. Martino, o M. Lamberto delli nostri in Vienna[2]. Molto adgiutara far li nostri predicare nel principio, sicome il R. P. Schorichio sappera ordinare essendo qui superiore, si vole V. R. P. Non uorria, che tardassero troppo quelli che hanno de venire, perche in Octobre la Boemia fa fredo qualche volte intenso et vehemente. Quanto al uiatico, se non presto si manda da Augusta, pur V. R. P. potra pigliarlo in presto [?][c], et io faro che sia tutto restituito, sia la summa qual si voglia. Item quanto all' espese necessarie per la fabrica non

[Versio antiqua.]

Theologos et Professores a morte Ioannis Huss; sicut alia occasione fusius perscribetur. Certe mihi videtur divina bonitas se brevi inclinare velle ad convertenda haec corda, quae jam alacritatem quandam ac[a] virtutem ostendunt[1]. Itaque non dubitet R. V. Paternitas homines in hanc Boëmiam mittere, quae vicina est Saxoniae. Non deerunt favores et persecutiones, solatia simul et desolationes in ista vinea; ubi dicuntur esse triginta millia vicorum et oppidorum. Inter mittendos sint, obsecro, duo periti linguae Graecae, et alii plures boni Grammatici, maximamque partem Germani; praeterea si fieri possit, concionator Germanus unus, saltem qualis est M. Martinus aut M. Lambertus ex nostris Viennensibus[2]. Multum juvabit, si Nostri mox initio concionentur, sicut R. P. Schorichius noverit ordinare, superiorem hic acturus, si placet Reverendae V. Paternitati. Nollem[3] adventum nostrorum multum differri: quum in Boëmia saepe[4] mense Octobri frigus vehementer intendatur[b]. Circa viaticum, nisi id brevi Augusta submittatur V. R. Paternitas poterit accipere mutuum; curabo ego ut totum restituatur, quantumcunque id fuerit. Sumptus ad fabricam necessarios sua Majestas suppeditabit: valde ad istud

[a] *Ita Riess; sed legendum videtur:* ad. [b] intenditur *Riess.* [c] *Sic;* presta*?*

[1] Canisium spes non fefellit. Saeculo XVII. *Thomas Ioannes Pessina,* ecclesiae metropolitanae pragensis decanus, testatus est Bohemiam per Societatem Iesu ad catholicam ecclesiam reductam esse (Phosphorus septicornis . . ., h. e. Sanctae Metropolitanae Divi Viti Ecclesiae Pragensis Majestas et Gloria [Pragae 1673] p. 329). Et nostra aetate *Antonius Gindely,* de Societatis hominibus scribens, qui saeculo XVI. Bohemiae operam navaverunt: „Es drängt sich", inquit, „uns mit Bestimmtheit die Ueberzeugung auf, dass ohne sie die Katholiken den Gegnern erlegen wären" (Geschichte der böhmischen Brüder II [Prag 1868], 253).

[2] Martinus Gotfridius Stevordianus et Lambertus Auer.

[3] Versio antiqua habet: „sicut R. P. Schorichius superiorem hic acturus noverit ordinare. Si placet Reverendae V. Paternitati nollem" etc.

[4] Accuratius: „nonnumquam".

mancara la sua Maiesta, la qual tiene grand' animo a questo collegio, et spero che adgiutara le anime per le nostre fatiche nel Signor Nostro JESV Christo benedetto. Quanto alli Theologi e da curare, che siano bastanti a rispondere alle diuerse heresie, le quali ogni di qui se trouano et — —[a] per la malignita del' inimico d' ogni verita Catholica, di modo che qui si trouano Valdensi, Pikardite, Zuinglianj, Osiandrici[1], Zuenckfeldiani[2], ultra li communi heretici, et tutti sub pretextu d' esser sub vtraque, si come loro dicono[3].

Il principe o Archiduca hora mi fa d' intendere per il Signore Conte de Latron[4], che vedera uolontieri, che io venga con li nostri, et che spera de hauerme dal suo padre non solamente per la vtilita publica, ma anche per se stesso, volendo conferir con meco delle cose sue familiarmente, quando sarò tornato etc. Sappia V. R. P., che questo principe sia piu simile al Padre che tuti li altri fratelli, et ha catziato de Boemia li heretici predicatori in un grand' numero. Pur la corte sua e molta infecta etc.[6] Non altro, se non che io me spetialmente et questa Boemia in commune raccommendo alle orationi

---

[Versio antiqua.]

Collegium afficitur; in quo plurimum, ut spero, per labores nostros promovebit salutem animarum in Christo I. D. N. benedicto. Quantum ad Theologos curandum, ut ii sint apti ad occurrendum variis haeresibus, quae quotidie hic grassantur et oriuntur ex malitia hostis omnis Catholicae veritatis; ut adeo non desint Waldenses, Picarditae, Zwingliani, Osiandrici[1], Schwenkfeldiani[2], praeter ordinarios; omnes sub praetextu communionis sub utraque[3].

Princeps sive Archidux nunc per Illustrem Comitem de Latron[4] mihi significat, cupere se, ut cum nostris redeam, [et sperare, regem patrem id sibi concessurum,] non solum ob utilitatem publicam, sed etiam privatam sui ipsius, quod mecum de suis rebus familiarius conferre vellet [cum rediero etc.]. Est is Patri similior quam fratres ceteri, jamque in Boëmia pseudoministros omnes[5] magno numero exulare jussit[6]. [Attamen eius aulici valde infecti sunt etc.]. Aliud modo non habeo quod

---

[a] *Sequitur vocabulum obscure scriptum; ex versione antiqua conieceris scriptum fuisse:* nascono.

---

[1] Andreas Osiander (1488—1552), lutheranus, anno 1549 ab Alberto Brandenburgensi, Borussiae duce, academiae regiomontanae professor constitutus, in doctrina iustificationis aliisque rebus a Luthero multum discessit et Alberto favente multos in suas partes pertraxit.

[2] Caspar Schwenkfeld (1490—1561), silesius, Lutherum primum laudibus extulit, postea vero multa eius dogmata reiecit, „internam" tantum hominis vitam curans, de Christo monophysitice sentiens.

[3] Lege quidem soli „Utraquistae" (praeter Catholicos) in Bohemia tolerabantur.

[4] Fortasse Aloysium de Lodron significat, qui annis 1560 et 1562 filiorum Ferdinandi archiducis patrinus fuit (*Hirn* l. c. II, 323—324).

[5] Hoc vocabulum in autographo italico non comparet.

[6] Ferdinandus imprimis sectam „fratrum bohemorum" repressisse videtur (*Hirn* l. c. I, 16—17). Anno 1554 Utraquistis praecepit, ut omnes „sacerdotes" sacris ordinibus non initiatos amandarent; itaque 200 fere contionatores relegati sunt (*Alf. Huber* l. c. IV, 136).

della R. P. V., et pregola con il cuore, che mi faccia uenire subito vna risposta al Augusta a casa del Reuerendissimo Nuntio della sua Santita[1], perche credo che staro ben tanto in Augusta, che venga la risposta della R. P. V. Iddio sia con noi sempre. Pragae 15 Julij 1555.

Petrus Canisius filius indignus.

† Al molto Reuerendo in Christo padre mio M. Ignatio de Loyola Preposito generale della compagnia de IESV. Jn Roma.

[Versio antiqua.]
scribam, nisi quod me singulari et communi studio Boëmiam ss. precibus R. Vestrae Paternitatis commendem; rogans impense ut responsum quoad fieri poterit celerrime Augustam ad aedes Reverendissimi D. N. Apostolici[1] mittatur, ubi credo me tamdiu substiturum, donec id afferri possit. Dominus sit semper nobiscum. Pragae. 15. Iulii. 1555.

Petrus Canisius filius indignus.

† Adm. Reverendo in Christo Patri M. Ignatio de Loyola Praep. Societatis Iesu generali. Romae.

175.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Augusta Vindelicorum 3. Augusti 1555.

Ex apographo, quod saeculo XVII. scriptum esse videtur. Cod. monac. „Lat. 1606", f. 84. Versio haec esse videtur latina epistulae a Canisio italico sermone (quod saepius ab eo factum esse iam vidimus) conceptae.

Pragae optimos quosque communionem „sub utraque" mordicus tenere, doctiores Lutheri doctrina capi. Sanctos Bohemiae patronos invocandos esse. De reditu et hominibus collegii pragensis. Imperii comitia ecclesiae detrimento fore. Hussitas scholis pragensibus dominari, nec statim pelli posse. Episcopatum viennensem reformidat.

— — Enimuero[a] hic[2] optimi quique Catholici obstinatissimi sunt ritum istum sub vtraque conseruare, causantes priuilegium et facultatem in id a concilio Basiliensi eis factam, qua facultate omnia nostra in contrarium argumenta et comminationes facile eludunt, freti bonitati suae

---

[a] *Epistulae primam partem deesse hoc solum vocabulum satis patefacit.*

---

[1] Paulo IV. 23. Maii 1555 electo, Zacharias Delfinus nuntius petiit, ut revocaretur; in cuius vicem ad tempus Aloysius Lipomanus successit (*Sf. Pallavicinus,* Historia Concilii Tridentini l. 13, c. 13, n. 2).

[2] Interpreti potius scribendum erat „illic". Canisius enim non augustanam civitatem significat, ex qua litteras dat, sed pragensem.

causae[a] [1]. Hic [2] doctiores, et qui cathedras tenent, Lutheri placitis[b] uidentur maxime capi. Plurima inducunt dogmata, Catholicae fidei, et sedi Apostolicae perniciosissima. Dominus Deus suam largiatur gratiam, et faueat coeptis, et conatibus nostris in hac syluescente vinea. Assidue rem commendemus[c] Sanctis Adalberto[d] Marthyri[e] ac Episcopo Bohemiae, Sigismundo et Wenceslao[f] Principibus, Vito, et Procopio omnibus inclyti huius Regni Sanctissimis Patronis [3]. Nunc restat dicere de sumptibus Collegij, cui concessa bona Cenobij celestinorum, quae annuatim ad 3000[g] Florenos excrescunt, et uidentur abunde nobis suffectura. Laboraui apud suam Ma:, vt praedicti reditus Collegio nostro applicarentur libere et integre, sine omni obligatione, et exceptione, et simul cum dispensatione atque immunitate approbata sedis Apostolicae. Hic paulo difficiliorem suam Ma: expertus sum, et dubiam[h] de modo sustentandi superstites duos Fratres, et an aut quomodo aliqua ratio diuini cultus inibi conseruandi ex parte haberi debeat. Cum itaque necdum loca Monasterij inuiserimus[i], nec de ditionibus eidem subiectis sufficienter instructi [simus], arbitratus sum potius iuuari[k] oportere ad tempus liberalitate suae Ma: quae ad omnia se offert, quam temere inuolare in ista bona, antequam Romae dispensatio expediatur. Non habeo aliud de praesentibus comitijs

---

[a] causa *apogr.* [b] placidis *apogr.*

[c] *Sic legendum esse mihi quidem omnino videtur; apogr.:* commendamus.

[d] Alberto *apogr.* [e] Marthyre *apogr.*

[f] *Librarius hic S. Ladislaum Hungarorum regem ponit, omisso S. Wenceslao Bohemorum principe. Tota sententia ostendit eum haec duo nomina confudisse vel potius permutasse.*

[g] *Incertum est, utrum librarius scribere voluerit* 3000 *an* 5000; *sed Canisium scripsisse 3000 ex epistula proxime antecedenti conici potest; cf. supra p. 549.*

[h] ut dubium *apogr.*

[i] Monasteriorum inuisimus *apogr.* [k] inuenire *apogr.*

---

[1] Concilium constantiense 15. Iunii 1415 (sessione XIII.) sub poenis ecclesiasticis interdixit, ne sacra communio a laicis sub utraque specie reciperetur. Basileensis vero synodus 15. Ianuarii 1437 „compactata" iglaviensia probavit, quibus communio „sub utraque" Bohemis et Moravis concedebatur, idque decreto 23. Decembris 1437 (sessione XXX.) edito accuratius explicavit. Pius II. 26. Iunii 1464 sollemniter affirmavit „compactata" numquam a sede apostolica approbata esse. Insuper Utraquistae pactis non steterunt (*I. v. Hefele,* Conciliengeschichte VII [Freiburg i. Br. 1869], 173—174. 618—625. 657. *I. Card. Hergenröther,* Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte II [3. Aufl., Freiburg i. Br. 1885], 892—893, et Conciliengeschichte VIII [Freiburg i. Br. 1887], 174—175).

[2] Pragam significat; cf. supra p. 552 [2].

[3] Henricus I. Germaniae rex Sancto Wenceslao Bohemiae duci bracchium donavit Sancti Viti, siculi, in persecutione Diocletiani pro Christo occisi; ac Pragae super his reliquiis ecclesia S. Viti exstructa est, in eamque etiam illata sunt ossa S. Adalberti episcopi pragensis et Borussiae apostoli, exeunte saeculo X. in Borussia ab ethnicis trucidati, corpus ipsius Wenceslai circiter a. 936 a Boleslao fratre interfecti, bracchium S. Procopii Bohemi, eremitae et postea abbatis († 1053), caput S. Sigismundi Burgundiorum regis, saeculo VI. necati.

scribendum, quam quod plus inde damni quam vtilitatis rei Catholicae sit metuendum, et non est qui se opponat murum pro domo Israel[1]. Deus nobis inuictum animi robur largiatur, ad persequutiones Ecclesiae suae imminentes aequo animo perferendas.

Nec dum poterunt nostri in publicis scholis a morte Hieronymi Pragensis[a] obserratis[2], et Theologiae Magistris destitutis, profiteri, et cum Hussitae in vrbe potentissimi praetendant ius in omnes literarum ludos, non iudicat sua Ma: statim initio V[rbe][b] eijciendos, sed potius aliquamdiu nostros in templo aut Monasterio Praedicatorum suis Auditoribus praelegere debere. In aduentum nostrorum tantummodo necessaria praeparamus, quamdiu incerti[c] placeat nec ne praedicta SS. Clementis et Agnetis Monasteria, in fundationem Collegij admittere: hac super re cum proximis P. Vestrae mentem scire auemus. Expeditissimum et breuissimum iter habebunt Patres, si Roma Anconam se conferant, vnde mari . . ., si ventus fauerit, percommode nauigabunt, . . .[d] et inde Viennam, denique Pragam metam suam 14 dierum spatio facile attingent. Dux et Auctor Sancti Itineris sit Iesus Crucifixus. Sanctis Pa. Vestrae Sacrificiis et precibus me et totius Germaniae negotia plurimum commendo, fidens animi quod non praeualebit inimicus[3], nec dicet ob impositum Episcopatum[4] Euge Euge[5]. Christus Jesus semper sit nobiscum.

Augustae 3 Augusti.

Pat. Vestrae Seruus inutilis et indignus
Petrus Canisius.

Huic epistulae annus non est adscriptus. Sed quae in ea referuntur, facile probant eam anno 1555 datam esse.

Romam certe missa est simul cum litteris, quas Ferdinandus rex Augusta 30. Iulii 1555 ad S. Ignatium dedit, ac fortasse una cum iis etiam libellus ille supplex ad cardinales Moronum et Truchsessium missus est, quo Ferdinandus facultatem monasteriorum illorum permutandorum petiit. Vide infra, monum. 115—117.

---

[a] *Apogr.:* Hieronymi Huss Pragensi *vel* Pragensibus.

[b] V. *apogr.*

[c] *Supplendum esse videtur:* sumus.

[d] Roma Anconam se conferant, vnde mari Labachum, si ventus fauerit, percomode nauigabunt, et inde Viennam *apogr.; at Labacum (Laibach) a mari longe abest, nec quisquam Ancona Labacum usque navi vehi potest. Quare sic fere a Canisio scriptum esse quis dixerit:* vnde mari Tergesten, si ventus fauerit, percommode nauigabunt; inde terrestri itinere Labacum venient, et inde Viennam.

---

[1] Ez. 13, 5.

[2] De Hieronymo Pragensi v. supra p. 495[3].

[3] Ps. 12, 5.

[4] Paulo ante Ferdinandus I. tertium eumque omnium vehementissimum conatum fecerat ad episcopatum viennensem Canisio imponendum, iamque paene in eo erat, ut novus pontifex Paulus IV. Canisium id onus subire iuberet. Vide infra, monum. 105. 106. Verisimillimum est Canisium in prima huius epistulae parte, quae non superest, hac de re ad S. Ignatium copiosius scripsisse.

[5] Ps. 39, 16; 69, 4.

176.

CANISIUS
ERASMO DE LIMBURG[1],

episcopo argentinensi et landgravio Alsatiae.

Augusta Vindelicorum 4. Augusti 1555.

Ex apographo, quod circiter a. 1863 Molshemii in Alsatia ex archetypo in archivo parochiali deposito factum et ad P. Florianum Riess S. J. missum est; cf. *Riess* l. c. p. 232[2].

Apographum saeculo XVII. scriptum est in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 140[a]—141[a].

Ex apographo, posito in opere manu scripto „Monum. Argent.“ (II, 437), quod a. 1870 Argentorati flammis absumptum est, epistulam primus typis descripsit *M. Th. de Bussierre*, Histoire du développement du Protestantisme à Strasbourg et en Alsace II [Strasbourg 1859), 385—386. Partem germanice reddidit *Riess* l. c.

Se in cancellario episcopi desiderium collegii Societatis excitasse. Episcopum modeste hortatur, ut eiusmodi collegium condat. Qua ratione id obtinere possit. Quid Societas in collegiis spectet.

Reverendissime in Christo Pater et Illustrissime Princeps.

Gratia Domini nostri Iesu Christi et pax aeterna nobiscum, Amen. Cum nuper Augustam ego venissem, ut cum regia Majestate Maecenate nostro clementissimo nonnulla tractarem, quae ad erigendum Pragae collegium Societati nostrae expedita[a] sunt, commode quidem, Deo ita volente, in humanissimum virum incidi, quem antea non cognoveram, D. Christophorum Cancellarium[2] amplitudinis tuae. Fuit mihi cum illo non semel colloquium tum de Celsitudine tua, quae jam inde a Concilio Tridenti postremo celebrato me clementer amanterque complecti coepit[3], tum de Ecclesia vestra, cui[b] aliquando me concio-

[a] jam expedita *cod. mon.* [b] cuius *cod. mon.;* cuique *De Buss.*

[1] Erasmus (1507—1568), e familia baronum de Limburg, romani imperii pincernarum, ortus, munus episcopale invitus susceperat. Etsi clementiae valde amans et pacis studiosissimus erat, a Lutheranis tamen et Calvinistis multa passus est neque impedire potuit, quominus magna pars dioecesis suae vel in haeresi maneret vel ad eandem deficeret (*Bern. Hertzog*, Chronicon Alsatiae IV [Strassburg 1592], 121—124. *Ph. And. Grandidier*, Oeuvres historiques inédites IV [Colmar 1866], 409—428. *L. G. Glöckler*, Geschichte des Bisthums Strassburg I [Strassburg 1879], 385—412. *Heinr. Müller*, Die Restauration des Katholicismus in Strassburg [Halle 1882] p. 4—6).

[2] Cancellarius fuit Christophorus Welsinger, iuris utriusque doctor. Is apud Erasmum episcopum plurimum valebat et, licet aliquamdiu in universitate vitembergensi versatus esse feratur, postea tamen ecclesiam catholicam strenue propugnavit. Dubium non est, quin anno 1555 in augustanis comitiis episcopi sui vice functus sit.

[3] Erasmus anni 1551 extremis mensibus et primis anni 1552 concilio tridentino interfuit (*De Bussierre* l. c. p. 16). Ibi Patres Lainium et Salmeronem, summi pontificis theologos, ac per eos totam Societatem adamasse videtur. Supra (p. 387)

natorem insigne isthuc Argentinense Capitulum expetiit[1], tum de Societate hac nostra, cui[a] extant collegia passim, ut ex illis habeat ecclesia fidos juventutis pie recteque in graecis et latinis litteris instituendae praeceptores, probatae et orthodoxae doctrinae Professores, idoneos verbi divini praecones et fideles in vinea dominica operarios[2], qui quod gratis a Domino messis acceperunt, gratis cum foenore spirituali reddant[3]. De quorum collegiorum forma et instituto cum inter nos multa contulissemus, existimavit ille, haud abs re fore, si dignitas tua nostris quoque, sicuti Rex Romanorum non uno in loco fecit, collegium quoddam constitueret, et ibidem partim praeceptores[b], partim studiosos Societatis nostrae foveret, et ex iisdem novae scholae praeceptores clerique sui conservatores et adjutores faceret[c], ut qui verbo simul et exemplo prodesse vellent et possent hac tempestate. Respondi ego, non difficulter nostros ita facturos Duce Christo, tantoque venturos libentius, quo gravius oppugnat et disturbat ecclesiam vestram ille Sathan una cum satellitibus suis. Nec est, opinor, ullus vel doctrinae vel pietatis, si qua residet apud nostros, praeclarior usus, quam pro Dei castris arma[d] sumere, ecclesiam ejusque doctrinam et authoritatem vindicare, de juventute Christiana bene mereri et adversus tot sectas sese aliosque confirmare. Proinde non recusabimus sub[e] tuae praesertim amplitudinis faventibus auspiciis in speciosam illam olim vineam recipi, et quacumque ratione poterimus[f], operarios illic fidos Christo et ecclesiae praestabimus, modo legitime vocati et admissi, quasi per ostium intrasse[4] videamur. Id vero fiet, si Celsitudini[g] tuae visum fuerit Romae curare, tum apud Pontificem maximum, tum apud Praepositum nostrum M. Ignatium, ex quorum authoritate nostri gubernantur et ultro citroque mittuntur. Curare inquam, ut propositis ecclesiae vestrae[h] seu periculis seu necessitatibus nostrorum duodecim, qui commode isthic sustententur[i] ac rebus afflictis bona fide opitulentur, vestris expetantur litteris. Tum alicui Romae dandum negotium erit, ut urgeat in[k] hoc Institutum, et quae ad profectionem nostrorum spectabunt expediat diligenter[5]. Libe-

[a] cuius *cod. mon., idque fortasse melius.*
[b] praeceptores Clerique sui Conseruatores *cod. mon.*
[c] *Cod. mon. tantum:* scholae praeceptores faceret.
[d] arma spiritus *cod. mon.* [e] *Cod. mon. om.*
[f] potuerimus *cod. mon.* [g] Celsitudinis *De Buss.*
[h] *Ita cod. mon.; apogr. molsh. et De Buss.:* nostrae. *Canisii calamus hic lapsus esse videtur.* [i] sustentautur *De Buss.* [k] *Cod. mon. om.* in.

vidimus Canisium exeunte anno 1551 a capitulo ecclesiae cathedralis argentinensis contionatorem expetitum esse. Fortasse tunc Erasmus quoque Canisio scripsit.

[1] Quae tunc condicio fuerit dioecesis argentinensis, quique scholis argentinensibus praefuerint, supra (p. 386². 396. 402) indicatum est.

[2] Matth. 9, 37; 20, 2 etc. [3] Matth. 10, 8. Luc. 10, 2. [4] Io. 10. 1. 2.

[5] Collegium, quod Canisius fieri cupiebat, ab Ioanne de Manderscheid-Blanken-

rius fortasse isthaec, sed fretus humanitate et clementia tua Reverendissime Praesul dixerim, non tam ut nobis, quam ut Ecclesiae insigni vestrae, cui[a] ego studiosissimus fui et semper ero, bene prospiciatur in Christo Domino nostro. Is amplitudinem tuam diu conservet incolumem.

Augustae 4 augusti mensis 1555.

Reverendissimae et Illustrissimae[b] D. V.
Servus in Christo
Petrus Canisius.

Reuerendissimo[c] in Christo Patri ac Illustrissimo Principi Domino Episcopo Argentinensi Patrono semper obseruandissimo[d].

177.

FRIDERICUS STAPHYLUS[1],

scholae nissensis rector,

CANISIO.

Nissa Silesiorum 31. Augusti 1555.

Ex libro, cui titulus: „S. MARCVS | *ANACHORETES*, SCILICET CATO CHRISTIANVS, VERSVS EX | GRAECA LINGVA IN LATINAM pro pueris pie instituendis[2]. | *ὁ νεὼς τοῦ θεοῦ τρισὶν ἡδρασμένος θεμελίοις, πίστει, ἐλπίδι, ἀγάπῃ.*

[a] *Cod. mon. rectius (ut videtur):* cujus.
[b] Reverendissimi et Illustrissimi *De Buss.*
[c] *Haec inscriptio ex cod. mon. transcripta est; nam in apogr. molsh. omissa est.*
[d] obseruantissimo *cod. mon.*

heim, qui Erasmo proxime successit, anno 1580 Molshemii conditum est. Ipsa autem urbs argentinensis anno demum 1684 collegium Societatis accepit.

[1] Fridericus Stapellage (1512—1564), vulgo Staphylus, osnabrugensis, cum Vitembergae per decem annos moratus et Philippo Melanchthone fautore et convictore usus esset, eodem auctore ab Alberto Borussiae duce Regiomontem accersitus est in eaque universitate a. 1545—1549 theologiam lutheranam tradidit. At Protestantium dissensionibus et litibus falsitatem illius doctrinae edoctus, ad catholicam ecclesiam anno 1552 rediit et Nissae, quae episcopi vratislaviensis sedes erat, scholam et typographiam instituit. Anno 1560 in universitate ingolstadiensi officium „superintendentis“ et munus theologiae tradendae suscepit, theologiae et iuris canonici doctor, quamquam uxorem habebat, ex summi pontificis privilegio creatus. A Melanchthone, Musculo, aliis acriter lacessitus, fidem catholicam libris strenue defendit.

[2] Sanctum Marcum „Eremitam“ ante medium fere saeculum quintum floruisse existimant. Nicephorus Callisti refert eum discipulum S. Ioannis Chrysostomi et aequalem Sanctorum Isidori Pelusiotae et Nili fuisse. Ex iis, quae de christiana ascesi scripsit, 9—10 opuscula supersunt; optime ea typis descripsisse censetur *Andr. Gallandius* Congr. Or. in „Bibliotheca Veterum Patrum“ VIII (Venetiis 1772), 3—103. Ex quo opere transcripta sunt ab *I.-P. Migne*, PP. Gr. LXV, 905—1140. Qui de hoc Marco scripserunt, recensentur ab *O. Bardenhewer*, „Marcus Emerita“, in *Wetzer* u. *Weltes* Kirchenlexikon VIII (2. Aufl., Freiburg 1893), col. 684, et ab *Ul. Chevalier*, Répertoire des sources historiques du moyen-âge (Paris 1877—1886), col. 1469.

NISSAE SILESIORVM, | Excudebat Ioannes | Cruciger[1]. Anno M. D. LV." (8°; ff. 52 non signata). Exemplum huius operis Viennae exstat, in bibliotheca aulica, 76. G. 118. Epistula haec ff. A 2ª—A 5ª occupat et cursivis typis exscripta est.

Epistula una cum toto libro iterum edita est in opere: „Friderici Staphyli Caesarei quondam consiliarii in causa religionis sparsim editi libri, in vnvm volumen digesti" (Ingolstadii 1613), col. 1237—1284 (epistula ipsa col. 1239—1242).

Sancti Marci eremitae scripta quaedam, quae ex graeco sermone in latinum, Canisio auctore, vertit, eidem dedicat. Ea pueris instituendis valde apta esse. Ex Marci sententia salutem aeternam non sola gratia Christi, sed bonis etiam operibus parandam esse. Redeundum esse ad antiquam pietatem, novis inventis relictis. Horum studiosis usitatum esse, veteris alicuius dicta quaerere, quibus se contegant. Vulgus, conciliis ecclesiae spretis, iam ipsum de religione iudicare velle. Solam spem in scholis esse. Laudat eas, quas Ferdinandus rex, episcopus vratislaviensis, abbas henrichoviensis condant.

REVERENDO VIRO | DOCTRINA ET PI- etate Clariss. D. Petro Cani- | sio Theologo etc. S. D. | Frid. Staphylus.

De spiritali lege opusculum S. Marci Anachoretae[2], ut uolebas reuerende uir, uerti, tuae quidem obsequens uoluntati, sed uoluptati profecto indulgens meae, quam ex labore paruo percepi maximam. Nam uerterat autorem hunc ante quoque Vincentius Obsopoeus[3]: uerti ego denuo, quod ille neque integrum uertisset, neque satis (quod pace eius dixerim) integre[4]. De perspicuitate orationis nihil attinet monere: res in conspectu est, non eget iudice. Video autem hoc opusculum ab autore erudiendis adolescentibus conscriptum esse, ut hae istae gnomae essent in scholis Christianorum, uelut disticha Catonis[5] in ethnicorum gymnasijs, rudimenta pietatis. Et quanquam

---

[1] Hunc primum typographum catholicum Silesiae fuisse ferunt; eodem anno ex eius officina prodiit Balthasaris de Promnitz, episcopi vratislaviensis, „Epistola de petitione Sacrorum Ordinum" (*Hosii* Epistolae II, 638).

[2] Inter opuscula S. Marci primum est „Περὶ νόμου πνευματικοῦ"; in quo ostendit „πῶς ὁ νόμος πνευματικός ἐστι, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον (Rom. 7, 14)· καὶ τίς ἡ γνῶσις, καὶ ἡ ἐνέργεια τῶν φυλάττειν αὐτὸν βουλομένων." Hunc librum sequitur liber „Περὶ τῶν οἰομένων ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι"; quo gratiae necessitas et fidei praestantia demonstrantur. Vere autem fidelis ex Marci sententia est ὁ „πιστεύων τῇ θείᾳ Γραφῇ καὶ ποιῶν τὰς ἐντολὰς τοῦ Κυρίου" (Opusc. 4, resp. 14; similiter ibidem resp. 2. 17). Utrumque librum Staphylus in „Marco" suo edidit.

[3] Vincentius Obsopaeus (Opsopaeus, Heidnecker), bavarus, Lutheri et Melanchthonis discipulus († 1539), gymnasii onoldini (Ansbach) primus rector, veterum Graecorum varia opera et etiam complures libros Lutheri germanicos latine vertit, atque ipse versibus concepit „Victoriam Bacchi" et „De arte bibendi libros tres" (*Chr. G. Jöcher*, Allgemeines Gelehrten-Lexicon, 3. Theil [Leipzig 1751], 1087. *K. Ed. Förstemann* in „Allgemeine Encyclopädie" von J. S. Ersch und J. S. Gruber, 3. Sect., 1. Theil [Leipzig 1830], 232—233. *Conr. Bursian*, Geschichte der classischen Philologie in Deutschland 1. Hälfte [München und Leipzig 1883], 162).

[4] Obsopaeus prima duo S. Marci Eremitae opuscula anno 1531 Hagenoae graece et latine edidit (*R. Ceillier*, Histoire générale des auteurs sacrés XI [2e éd., Paris 1862], 643).

[5] Latinarum sententiarum corpus sive „praecepta moralia" incerti auctoris significat, quae Catonis nomen prae se ferunt ac medio quoque aevo in usu frequenti erant (*W. S. Teuffel*, Geschichte der römischen Literatur, 4. Aufl. [Leipzig 1882],

paraeneses tantum modo sunt, neque ulla uel dialectica methodo contextae, uel retextae quadam analysi, neque admodum rhetorum exornatae luminibus: est tamen per se grata breuitas, et iucunda, absque fuco, senilis oratio: quae uel inprimis apta est ingenuae simplicitati puerorum [1]. Genus doctrinae sanum est, a maiorum institutis nihil discrepans, ut facile possis succum apostolicae aetatis agnoscere. Iustitiam Dei ille non sola fide, sed spe etiam et charitate, et quae ex his emanant, reliquis uirtutibus, metitur. Eamque iustitiam etsi ab ipsa gratia Christi, qua amici Dei, haeredesque coelestis regni sumus, discernit: at illam tamen nulla ex parte ab ambitu humanae salutis secludit, sed connectit potius, et in eum finem quidem, ut et hoc Saluatoris, Si uitam uelis ingredi, serues mandata [2], et illud D. Pauli, uitam aeternam esse gratiam [3], utrumque possit locum tueri suum [4]. In eum scopum dum uir Sanctus omnes cogitationes collimat, Deus bone, quas ille non rimatur humani cordis latebras? quos sinus non excutit? Medullam certe, ipsasque fibras humanae mentis inquirit, neruos explorat, uires ponderat actionum humanarum in utranque partem, quid ualeant: nullamque uitae partem omnino relinquit, cuius non certam aliquam commonstret regulam, qua honesta appetere possimus, uitare turpia. Quo fit ut aliquando appareat autor intricatior. Verti equidem sicut potui, ut sensum Graeci sermonis, uerbis redderem Latinis, sed accommodatis puerili ingenio. Tibique mi Canisi hanc opellam meam destinaui, cum, quo omnes conatus tuos dirigis, sedulo cures, talibus antiquae pietatis uocibus adolescentum aures circumsonare, seuocatas a nouis istis blandisque Syrenum modulationibus. Atqui ni studium illud, ardorque nouitatis, quo nunc pene

---

herausg. von *L. Schwabe,* n. 24, p. 37—38. *K. Hartfelder,* Philipp Melanchthon als Praeceptor Germaniae [Berlin 1889] p. 420. 425).

[1] At ipse iam *Photius,* postquam Marci perspicuitatem laudavit, nonnumquam tamen „τὸ ἀσαφές" in eo comparere scribit (Bibliotheca n. 200 [*Migne,* PP. Gr. CIII, 668—669]). Posteriores quoque hanc in eo obscuritatem notaverunt, v. g. *Cas. Oudin* Calvinianus (Commentarius de scriptoribus ecclesiae antiquis I [Lipsiae 1722], 902 ad 908). Ac *Bellarminus* (qui fortasse latinas tantum versiones viderat) existimavit eius opera etiam „scatere erroribus contra fidem" et „cautissime legenda esse" (De scriptoribus ecclesiasticis [Coloniae 1613], p. 291). Nec dubium, quin Obsopaeus — eius librum non vidi — dogmata lutherana in Marco demonstrare voluerit. Quod et alii protestantes facere conati sunt, nec tamen omnes; nam v. g. *I. Wagenmann,* theologiae protestantium professor gottingensis: „Reformatorisches", inquit, „ist nicht in dieser griechischen Mönchsmystik" (*Herzog,* Real-Encyklopädie für protestantische Theologie und Kirche IX [2. Aufl., Leipzig 1881], 291).

[2] Matth. 19, 17. [3] Rom. 6, 23.

[4] Haec quoque subobscura sunt, quae accurate explicare longum est. Staphylus, cum iustitiam a gratia discernit, „gratiae" vocabulo primam potissimum gratiam iustificantem, quam misericors Deus ob Christi merita gratuito concedit iniusto, videtur significare, „iustitiae" autem nomine imprimis bona opera comprehendere, quibus iustus iustitiam suam conservare et augere vitamque aeternam mereri debet: quamquam etiam hoc ex Christi meritis profluit, quod iustus, gratia Christi adiutus, et ipse merita sibi comparare potest.

flagrant omnia, sudore antiquorum Patrum restinctus fuerit, uereor equidem, ne, quam illi nobis remp. antiquis legibus firmam florentemque tradiderunt, nos eam nouis labefactatam institutis breui simus amissuri: ut, cum forte uere a nobis quaeri possit, Cedo, qui uestram remp. tantam amisistis tam cito? multo uerius possit responderi,

Proueniebant oratores noui, stulti adolescentuli [1].

Ecquid non noui oratores, et plane noui, qui uetustatis relinquunt ne uestigium quidem, praeter errorem et mouendae seditionis artificium? nam haec duo, ut uetusta sunt, ita sola pene omnibus sectis communia. Scribit S. Vincentius Episcopus Lirinensis [2] autor uetus et integer, solere haereticos plerunque alicuius antiqui autoris dicta, si quae obscurius edita sint, captare, unde haereses concinnent suas, ne ipsi soli ita sentire uideantur [3]. Quid iam usitatius? quid magis antiquum? Solebant enim Romae, quemadmodum refert M. Cicero [4], ciues seditiosi aliquos ex antiquis claros uiros proferre, quos dicebant fuisse populares, ut eorum ipsi similes haberentur. Repetebant iam P. Valerium, et reliquos, qui leges populares tulissent: iam C. Flaminium, qui legis agrariae autor cum fuisset, bis tamen factus sit consul. Commemorabant item P. Crassum, et P. Scaeuolam fratres, et sapientissimos uiros: quos T. Graccho autores fuisse nouarum legum affirmabant, alterum quidem palam, alterum, ut credebatur, obscurius. Horum se illi, quod et boni ciues fuissent, et eadem quoque nouassent, institutum sequi obtendebant. Similiter et nostri oratores noui, cum perturbare, ut illi rempublicam, sic ipsi religionem uelint, prophetas producunt, et apostolos, et e ueteribus unum aut item alterum: quorum se dicant doctrinam imitari, et exemplum. Quasi uero his olim idem fuisset, quod iam ipsis est, studium perturbandae pacis in fraudem ueritatis, in perniciem ecclesiae, ad euersionem humani diuinique iuris. Est haec ista [*sic*] machinatio sectarijs eo expeditior, quod ecclesiae doctrina suis est contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta, et inuisa: ut si quis eam uniuer-

[1] Sat ingratum est Staphylum hic et infra compluries sententias quidem veterum afferre, sed unde deprompserit, non prodere. Atque hanc quidem interrogationem cum suo responso ex *Ciceronis* libro „De senectute" (c. 6) certe transtulit; qui ea in „Naevii poëtae Ludo" exstare scribit. Responsum ab aliquot Ciceronis editoribus aliter legitur (proventabant — provehebantur ad res — stulti, adolescentuli).

[2] S. Vincentius Lerinensis monachus et presbyter fuit, non episcopus. Staphylus eum cum S. Vincentio episcopo Fulginate (circiter a. 550) confudisse videtur; utriusque enim memoria eodem die (24. Maii) recoli solet (*Acta Sanctorum* Maii V [Parisiis et Romae 1866], 286—289. 299).

[3] „Cum sub alieno nomine haeresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulo involutius edita, quae pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant; ut illud, nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur" (Commonitorum c. 11, alias 1, 7, ed. *Ed. Herzog* [Vratislaviae 1839] p. 16. *Migne*, PP. LL. L, 647).

[4] Academicorum priorum l. 2, c. 5. § 13.

sam uelit uituperare, secundo id populo facere possit: uel si hanc, quam nos profitemur, conetur inuadere, magna habiturus sit auxilia ex reliquorum haereticorum decretis. Duo sunt igitur scopuli, et uoragines ecclesiae, temeritas uulgi, et arrogantia literatorum: cuius utriusque mater est, effrenis licentia. Etenim cui non

Nunc satis est, dixisse, ego mira poemata pango,
Occupet extremum scabies. Mihi turpe relinqui est,
Et quod non didici, sane nescire fateri? [1]

Doctor iam, an sutor scripturam interpretetur, nihil interest. Ita non modo ultra crepidam [2], sed et supra captum humani sensus sese efferunt sutores, cuparij, uestiarij, pelliones, et similes generis eiusdem oratores noui. Antiquitus dictum est, et quidem dictum sapientissime [a], felices esse artes, si de ijs iudicent artifices [3]. Infelices ergo, cum de colore coecus, non pictor, cum de medicinis tonsor, non medicus, nec de iure iureconsultus, sed rabula, nec de theologia theologus, sed chrestologus iudicat. Hoc quale portentum sit, uix uerbis potest exprimi, tametsi id Polycletus conatus est depingere [4]. Dicitur enim duas fecisse imagines, alteram lege graphicae artis, alteram ex iudicio uulgi, prout alius aliud censuisset. Conuocato autem populo utrumque opus proposuisse, initio suae artis industria elaboratum, post et illud, quod conflatum erat ad iudicium populi: atque rogasse, utrum placeret. Ibi tum populus, id sibi, quod arte absolutum fuit, probari, alterum uideri monstrum, responderat. Polycletus igitur, Quod laudatis, inquit, meum est, quod uituperatis, uestrum. Vtinam uero et hoc religionis monstrum, quod iam annis plus triginta parturit uulgi temeritas, Polycletus aliquis posset ita, sicut est, suis coloribus effingere: crederem mediusfidius fore, ut populus aliquando absterritus teterrimo illo sui monstri aspectu, ultro malit legitimorum artificum sequi iudicium, quam suum:

Et quod non didicit, sane nescire fateri [5].

Quae (malum) haec solius nostrae gentis est socordia? Nemo in ciuili negocio adeo desipit, ut de ualore, et puritate alicuius auri, argentiue iudicium exigat a coriario: sed ad iurati, peritique trapezitae

[a] sapientissme *Staph.*

[1] Haec ex *Horatii* „Epistula ad Pisones“ deprompta sunt (v. 416—418).

[2] Proverbium; cuius mentionem facit *C. Plinius* in „Historia naturali“ l. 35, c. 36 (10).

[3] „Ait Fabius Pictor apud Quintilianum, foelices futuras artes, si soli artifices de iis iudicarent“: *Erasmus* (Adagia chil. 1, cent. 6, n. 16 [Parisiis 1558], col. 196). In Quintiliano ipso haec non repperi.

[4] Polycletus statuarius fuit, non pictor. Narratiunculam, quae hic sequitur, proposuit *Aelianus,* Varia historia l. 14, c. 8.

[5] Cf. supra adnot. 1.

examen agnoscit id pertinere. Cur non idem, ut D. Clemens Alexand.[1] raciocinatur, fit in religionis negotio, scilicet in re longe sublimiore? At uero nunc, sicut Poeta canit[2],

Velut syluis, ubi passim
Palantes[a] error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique
Error: sed uarijs illudit partibus,

Vnicum fuit olim, et satis efficax his malis remedium, autoritas conciliorum: quae quondam pietate sacerdotum apud omnes sacrosancta habebatur, iam propter peccata nostra, labefactata est, bellisque in diem magis uilescit, peneque deletur apud uniuersos. Sola spes ferme est in puerilibus scholis, ut seminarium ecclesiae, quod in senibus iam emarcuit, in pueris resuscitetur. Quam ad rem quasi signum uniuersis erexit Sacratissimus Rex noster, dum de societate uestra aliud Viennae constituit, aliud iam molitur Pragae collegium. Quin et ipse Renss. [*sic*] Praesul Vratislaui[3], huic rei studiose incumbit, ut aliquam antiquae probitatis ac fidei officinam instauret Nissae: ex qua non solum philosophiae cultores, sed etiam sacrarum literarum peritos possit ecclesia euocare. Reuerendus item, et uir doctus, D. Andreas Abbas Henrichouiensis[4], quasi postliminio reuocans antiquum ius coenobiorum, numerosae iuuentutis (quam ex uicinis accersit) scholam apud se instituit, ornatque non solum eos, qui docent, honestis praemijs, uerum etiam discentibus suppeditat omnia, quae ad uictum et cultum uitae sunt necessaria. Vtinam caeteri Patres aemulentur exemplum, nec sinant opes ecclesiae dilabi in usus lege prohibitos, sicut alibi factum animaduertitur[b]. Tu uero mi Canisi, perge ut coepisti, ludos aperire exulibus musis. Habes istius laboris tui fideles socios, et adiutores, magnifi. D. D. Ionam et Lucretium[5], uiros et excellenti doctrina, et

[a] Pallantes *Staph.* [b] animadueritur *Staph.*

[1] „*Ὡς δὲ ἐὰν πρόσχῃ τις Ἰσχομάχῳ, γεωργὸν αὐτὸν ποιήσει· καὶ Λάμπιδι ναύκληρον, καὶ Χαριδήμῳ στρατηγόν· καὶ Σίμωνι ἱππικόν· καὶ Πέρδικι κάπηλον· καὶ Κρωβύλῳ ὀψοποιὸν, καὶ Ἀρχελάῳ ὀρχηστὴν, καὶ Ὁμήρῳ ποιητὴν, καὶ Πύῤῥωνι ἐριστικὸν, καὶ Δημοσθένει ῥήτορα, καὶ Χρυσίππῳ διαλεκτικὸν, καὶ Ἀριστοτέλει φυσικὸν, καὶ φιλόσοφον Πλάτωνι, οὕτως ὁ τῷ κυρίῳ πειθόμενος καὶ τῇ δοθείσῃ δι' αὐτοῦ κατακολουθήσας προφητεία τελέως ἐκτελεῖται κατ' εἰκόνα τοῦ διδασκάλου ἐν σαρκὶ περιπολῶν θεός*": *S. Clemens* (*Alexandrinus,* Stromatum l. 7, § 101: Opera, ed. Reinh. Klotz III [Lipsiae 1832], 285—286; Opera, ed. Io. Potterus [Oxonii 1715], p. 894. *Migne,* PP. Gr. IX, 540).

[2] *Horatius* in „Satirarum" libro 2, sat. 3, v. 48—51.

[3] Balthasar de Promnitz. Cf. supra p. 483[5].

[4] Heinrichau, Silesiae borussicae vicus, monasterium ordinis cisterciensis olim habebat. Vincentius abbas et imperii princeps, Andreae decessor, a Michaele Hillebrant O. Min. Obs., suvidniensi, in libro anno 1542 edito laudatur, quod novis haeresibus acriter obsistat (*Ioh. Soffner,* Der Minorit Fr. Michael Hillebrant [Breslau 1885] p. 61).

[5] Iacobum Ionam, Ferdinandi I. vicecancellarium, et Ioannem Albertum Wid-

uitae sanctimonia admirabiles: itemque Labacensem Antistitem clarissimum. De ipso Rege quid dicam? quibus enim ille curis non exhauritur? laborib. non defatigatur continuis, barbariem ut repellat, et pietatem auitam reducat ab exilio? Deus illi et uobis pariter adsit auxilio diuino, ut diu incolumes sitis ad pacem ecclesiae et communem salutem uniuersorum. Vale. Datum Nissae pridie Calend. Septemb.

ANNO M. D. LV.

178.

CANISIUS

IACOBO IONAE,

consilii aulici Ferdinandi I. regis vicecancellario.

Praga 5. Octobris 1555.

Ex fasciculo, saeculo XVII. vel XVIII. scripto, cui titulus est: „Bohemica de anno 1552. usque 1558." f. 12ª. Viennae, in archivo aulae caesareae, „Boehmen I, 4."

„Petrus Canisius e S. J. de dato Pragae 5ten Octobern [1555]. Commendat rationes S: J: in Bohemia Vice Cancellario Doctori Ionae."

Nil in tabulis repperi nisi hoc regestum.

179.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Monachio 26. Octobris 1555.

Ex apographo, quod circiter annum 1865 a P. *Ioseph Boero* S. J. ex autographo in cod.: „Epistt. B. Petri Canisii I." p. 307 posito descriptum et postea cum eodem collatum est; in quo tamen plerique epistulae loci ad sermonem italicum nostri temporis accommodati sunt.

Se Praga Monachium venisse, ut de collegio theologico Ingolstadii condendo deliberaret. Quomodo res collegii Pragae instituendi se habeant. Bavariae ducem edoctum esse se tandem exsequi debere, quae summo pontifici in decumis ecclesiarum petendis promisisset. Eidem iam deliberatum esse collegium Societatis ac seminarium clericorum, cui Socii praeessent, instituere. Se de iis rebus Ingolstadii cum consiliariis ducis consulturum. De universitate etiam reformanda sententiam sibi dicendam esse.

IESVS

Molto Reverendo in Christo padre mio

La grazia e pace del S. N. Jesu Cristo sia sempre con tutti. Amen. 12 giorni sono, che io mi partii da Praga, per venire in Baviera, siccome Sua Maestà essendo sollecitata dall' illustrissimo Duca di

---

manstadium, Austriae inferioris cancellarium, significat. Hic ideo Lucretium se dixisse videtur, quod Lucretiam de Leonsberg uxorem duxerat.

Bauera mi scrisse e comandò, che io da Praga venissi al detto Duca per deliberare e concludere di un collegio teologico in Ingolstad. E così mostrando io questa lettera del Re alli Signori di Praga, li parse bene, che io andassi subito in Baviera e subito ritornassi a quel tempo, quando li nostri di Roma sarebbero arrivati, cioè circa il principio di novembre, secondo il loro parere. Item mi dettero un curru e una lettera al Duca, acciò io tornassi presto. Onde io essendomi raccomandato al Signor nostro Gesù Cristo, con la sua grazia ho già fatto questo cammino, massime perchè la R. P. V. per altra volta mi scrisse, che io non mancassi quanto alla parte mia di gratificare a questo illustrissimo Duca, se il nostro Serenissimo Re consentisse, siccome anche è stato promesso in Roma, si io me raccordo bene, a quel Segretario del detto Principe [1]. Item più volentieri io mi sono partito di Boemia, perchè mi scrisse il R. P. Lanoy [2], siccome la venuta delli fratelli sia incerta, non essendo impetrata la dispensa di quelli due monasteri [3]. E credo, che ancora riuscirà alla maggior gloria del Signor N., se li nostri per questa invernata non vengano d'Italia, o se vengono, che restino in Vienna pochi mesi. La ragione è, che ancora che molto sia edificato e preparato nel collegio di Praga, mentre che io sono stato presente, tuttavia perchè troppo tardi abbiamo cominciato quella fabbrica, non possono consummarla se non

Iesus.

Admodum reverende in Christo pater.

Gratia et pax domini nostri Iesu Christi semper cum omnibus sint. Amen.

Abhinc duodecim dies Praga in Bavariam profectus sum; rex enim, urgente illustrissimo Bavariae duce, per litteras me iussit Praga ad ducem illum proficisci, ut de collegio theologico Ingolstadii condendo cum eodem id deliberarem et finirem. Quas litteras regias cum proceribus pragensibus ostendissem, iis visum est mihi statim in Bavariam discedendum atque inde redeundum esse, cum primum nostri Roma advenissent; adventuros autem circiter ineuntem mensem Novembrem ipsi opinabantur. Currum quoque mihi dederunt atque epistulam, qua a duce petebant, ut cito reverterer. Cum igitur Iesu Christo domino nostro me commendassem, ipso iuvante iter hoc iam confeci, idque maxime propterea, quod R. P. V. alias per litteras mihi praecepit, ne, quantum in me esset, illustrissimo duci illi gratificari omitterem, dummodo serenissimus rex noster consentiret; quod etiam Romae, si bene memini, secretario illi eiusdem principis [1] promissum est. Atque ideo quoque ex Bohemia facilius discessi, quod R. P. Lanoius [2] mihi scripserat incertum esse, quando fratres adventuri essent; dispensationem enim, qua duo illa monasteria permutari possent, impetratam non esse [3]. Atque etiam domino nostro in maiorem gloriam cessurum esse puto, si nostri hac hieme ex Italia non adveniant vel, inde ad nos advecti, per aliquos menses Viennae maneant. Cuius rei ratio haec est: Quamvis Pragae, cum ibidem degerem, multa in collegio construerentur et pararentur, tamen, quia sero constructionem coepimus, absolvere non poterunt nisi post hiemem, atque cuncta melius

[1] Henrico Schweicker; cf. supra p. 398 [1]. 486.

[2] Collegii viennensis rector.

[3] Postea impetrata est; vide infra, epistulam Polanci. Roma 22. Iulii 1556 ad Canisium missam.

dopo l'invernata, et in tutto si darà miglior ordine circa l'estate. Onde io concludendo con un Signore più intrinseco e confidente in Praga, gli dissi, e anchora egli consentì, che io non potendo in questa invernata attendere più alla fabbrica e per servir meglio al bene universale, non tornerei a Praga per adesso, se non venissero i nostri da Roma, li quali anche, siccome è detto, meglio resteranno per alcun tempo in Vienna; e così anche io mi sono esplicato scrivendo alli nostri in Vienna.

Hora quanto al Collegio Ingolstadiense, io scrissi ultimamente da Vienna[1], come il nuovo patrono di quella Academia[2] mi parlò in Augusta; e perchè non mi satisfaceva in tutto, mostrando certe idee di volere aver un collegio a suo modo e non secondo la nostra usanza, io non mi confidava molto delle sue buone parole, nelle quali anche mostrò grande affezione alla mia persona etc., promettendo il favore del suo principe etc. Di modo che io ebbi paura, venendo quà, se non facessono siccome tanti, prolungando sempre questo negozio e intertenendoci con le sue buone parole. Ma lodato sia Dio N. S., autore di ogni bene, il quale ha dato ad intendere al Duca per mezzo di questo patrono, che per non gravare più la coscienza del suo illustrissimo padre[3], che sia in gloria, e per non gravare la coscienza propria, deueria determinarsi di satisfare alla promessa fatta in Roma a Sua Santità[4], quanto al fondare un collegio teologico, perchè con tale obbligazione fossero impetrate le decime una e altra volta etc.[5]

---

disponentur circiter aestatem. Quare Pragae cum domino quodam agens, cui magis familiari amicitia coniunctus sum, dixi, ipseque probavit me, quod hac hieme aedificationi ampliorem operam navare non possem quodque alibi melius prospecturus essem utilitati communi, modo Pragam reversurum non esse, nisi nostri Roma venissent; quos etiam melius Viennae per aliquod tempus mansuros esse iam scripsi: atque idem viennensibus fratribus per litteras exposui.

Quod autem ad collegium ingolstadiense attinet, Vienna[1] postremis litteris scripsi novum academiae illius patronum[2] Augustae Vindelicorum mecum locutum esse. Qui mihi non satisfecit; consilia enim quaedam aperiebat, e quibus coniciebam eum suo modo, non more nostro collegium aliquod constitui velle. Ideo haud multum fidebam blandis eius sermonibus, quibus etiam animum erga me ipsum valde propensum prae se ferebat etc., principis sui favorem promittens etc. Timebam itaque, huc veniens, ne idem facerent, quod multi alii, negotium hoc in dies protrahentes et nos officiosis verbis falsaque spe producentes. Sed domino nostro, omnis boni auctori, laudes et grates agantur. Ab eo enim dux per patronum illum edoctus est debere se, ne illustrissimi patris sui[3] (qui in gloria sit) conscientiam amplius gravaret neve suam quoque conscientiam gravaret, exsequi tandem, quae Romae summo pontifici[4] de collegio theologico condendo promissa essent; hac enim condicione decumas illas semel atque iterum impetratas esse etc.[5] Tandem tres ex prae-

---

[1] Canisius mense Augusto vel Septembri Augusta Viennam et inde Pragam venerat. Vide infra, monum. 99.
[2] Wiguleum Hundt dicit; cf. supra p. 425[2].
[3] Guilielmum IV. significat. [4] Iulium III. dicere videtur.
[5] De decumis illis, quae a clero bavaro ter solvendae erant, v. supra p. 362[1]. 372[2].

Finalmente si fece questa risoluzione, che si mandassino 3 dei principali consiglieri ducali a Ingolstad[1], e che io fossi il quarto per consultare e conchiudere ogni cosa di questo collegio, volendo già in ogni modo avere prima un collegio integro della Compagnia, et secundo un altro di 15 scolari almeno, che siano sotto il nostro governo e auditori di teologia, e che, eccetto in temporalibus, hauiamo la piena sopraintendentia di loro. Ora perchè questi deputati consiglieri o commissari non sapevano, che io venissi tanto presto, e perchè non sono giunti, è parso per bene, che io precedessi a Ingolstad e li esspectasse per quattordici dì; e così con la volontà del Duca concluderemo insieme circa l' utroque collegio, quanto al luogo e alla fabbrica, entrate, e disciplina ecc. Item vogliono avere il mio giudizio circa la reformazione di quello studio universale d' Ingolstad[2]. Iddio voglia diriggere tutto alla sua divina gloria. E per non essere troppo lungo, io mi partirò oggi per Ingolstad con la gratia divina, e attenderò a adgiutare queste cose dell' uno e dell' altro collegio, pure non pregiudicando alla Compagnia, nè alla R. P. V., alla quale scriverò tutto quello, che accadera circa la detta consulta. E dopo, credo, me partirò per Vienna, dove adesso sta Sua Maestà. Pur molto mi duole, che in due mesi non ho potuto vedere alcuna lettera di Roma, nè aver risposta circa il collegio Pragense. Iddio ci dia la sua santa grazia per

---

cipuis ducis consiliariis Ingolstadium mittere decreverunt[1], quibus ego quartus accederem, ad res omnes collegii illius perpendendas et constituendas; iam enim fixum iis et deliberatum est, prius Societatis collegium integrum condere et deinde alterum, in quo 15 minimum scholasticorum theologiae studiosorum curam plenam atque integram, re familiari excepta, habeamus. Quia autem consiliarii ad id destinati sive commissarii me tam cito adventurum esse ignorabant, et quia nondum convenerunt, visum est ante eos mihi Ingolstadium petendum ibique per quattuordecim dies eos exspectandos esse; tunc itaque, ducis voluntati morem gerentes, ea deliberabimus, quae ad utriusqne collegii locum, aedificationem, reditum, disciplinam etc. spectant. De reformando etiam generali hoc studio ingolstadiensi me sententiam dicere volunt[2]. Deus omnia in divinam gloriam suam dirigat. Ne autem longior sim, hodie, Deo iuvante, Ingolstadium petam, utriusque collegii rebus prospecturus, ita tamen, ut nec Societati, nec reverendae paternitati vestrae praeiudicium faciam, cui quidquid in consultatione illa acciderit, per litteras referam. Ac postea Viennam me profecturum esse puto, ubi rex nunc commoratur. Attamen valde doleo, quod duobus mensibus ne unam quidem epistulam romanam viderim, nec de collegio pragensi mihi rescriptum sit. Deus sanctam gratiam suam nobis tribuat, qua omni loco integre et cum aliorum utilitate ei servire possimus. Monachio Bavarorum, 26. Octobris 1555.

Reverendae V. P.

servus indignus et filius infimus
Petrus Canisius.

---

[1] Missi sunt Wiguleus Hundt, Simon Thaddaeus Eck, cancellarius burghusanus, Christophorus a Raindorff, consiliarius camerae ducalis, atque etiam Henricus Schweicker. Vide epistulas mox subiciendas.

[2] Canisius hanc sententiam circiter initium mensis Decembris litteris consignavit; quae infra suo loco ponetur.

servirlo in ogni luogo interamente e con frutto del prossimo. Di Monacho in Baviera, alli 26. di ottobre 1555.

Della Reverenda V. P.

Servo indegno e figliuolo infimo
Pietro Canisio.

Al molto Reverendo in Christo Padre mio M. Ignatio de Loyola preposito generale della Compagnia de JESV, padre mio osservandissimo. Jn Roma.

Admodum reverendo in Christo patri meo M. Ignatio de Loyola, praeposito generali Societatis Jesu, patri meo observandissimo. Romae.

180.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma inter mensem Octobrem et Decembrem 1555.

Ex vita Canisii, a *Radero* descripta (l. c. p. 62—63); qui in margine adnotat se ea „ex literis B. Ignatij a Theodoro Busaeo" (qui tunc Romae Claudii Aquavivae praepositi generalis „assistens pro Germania" erat) ad se „missis" excerpsisse.

„Anno", inquit Raderus, „post receptam per Christum salutem CIↃ. IↃ. LV. B. Ignatius per literas Canisio in mandatis dedit, vti se cum Farnesio Legato Pontif. M. ad comitia a Ferdinando Rege, Ratisbonam indicta coniungeret, omnemque operam suam illi offerret, praestaretque . . . Canisius praesto fuit omnibus, sed funera principum conuentus morabantur." [1]

181.

CANISIUS

WIGULEO HUNDT.

Ingolstadio 8. Novembris 1555.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I" f. 33—34.

Apographum saeculo XVII. (ut videtur) scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 6.

Epistulam primus edidit *Python* l. c. p. 97—99, sed satis mendose. Iterum edidit *Manfr. Mayer*, Wiguleus Hundt p. 307. Epistulae partem germanice vertit *Riess* l. c. p. 149.

---

[1] Ferdinandus I. 25. Septembris 1555 in comitiis imperii augustanis nova comitia indixerat, Kalendis Martiis 1556 Ratisbonae incipienda, in quibus praecipue de controversia, quae de religione erat, componenda ageretur. Ad haec igitur comitia Paulus IV. Alexandrum cardinalem Farnesium (Farnese), Pauli III. nepotem, qui iam antea „legatus" in Germania fuerat, mittere voluisse videtur. At comitia ratisbonensia demum 13. Iulii 1556 coepta sunt, nec Farnesius iis interfuit.

Episcopatum viennensem sibi gratulanti rescribit se eum semper recusaturum, cum eiusmodi dignitates Societati non congruant. Causam collegii Ingolstadii instituendi instanter ei commendat ac rogat, ut ducis consiliarii breui ad consultandum adveniant.

IESVS

Ornatiss. domine Patrone,

Gratia Domini nostri JESV CHRISTI et pax aeterna nobiscum. Vt aliorum antehac saepe, sic nunc tuam quoque gratulationem Clariss. uir, fore irritam spero, neque mihi persuadere possum, DEVM Opt. Max. meis peccatis tam iratum esse, vt in hoc tantum periculum me, salutemque meam conijci patiatur [1]. Videt prudentia tua, quibus fluctibus agitetur et iactetur [a] passim nauicula CHRISTi: quare multo meliores quam mei [b] similes, huc gubernatores sunt accersendi. Ergo pro conscientiae meae ratione ut obstiti hactenus, sic quoad licet [c], obstare pergam [d] istorum conatibus, qui non uident Episcopalis honoris fulgore nostram quae in hac JESV societate esse debet, simplicitatem atque sinceritatem offuscari atque labefactari. Igitur etsi probem dignitatis tuae candorem atque beneuolentiam erga me singularem in gratulandi hoc genere, tamen si me diligit, immo, quia certo diligit humanitas tua, meliora precabitur Canisio suo, quam quae ad mundi fastum aut pompam spectant.

De rebus Collegij noui coepimus hic nonnulla meditari, CHRISTVS coeptis faueat, quae profecto iuuari abs te Patrono plurimum possunt. Nec uideo, qua in re alia tuum studium aut aeterno Deo, aut Jllustriss. Duci, aut huic academiae, totique Bauariae vtilius et honestius, magisque nunc necessario declarare possis. Quare magna cum animi fiducia negotium hoc pulcherrimum et sanctissimum adeas quaeso: tibique laudem hanc diuina voluntate et prouidentia reseruatam putes, vt de toto hoc gymnasio, quod satis laborat, vnus e multis optime mereare. Nunc illud praecipue rogo, vt excellentia tua nobis perscribat suum et aliorum aduentum, quando is expectandus uideatur. Maturare vtinam liceat hoc institutum, cui ego quamdiu licebit, Serenissimi Regis venia, non sum defuturus. Sed tamen breui quaeso hic vna telam ordiamur,

[a] *Pyth. om.* et iactetur. [b] ego et mei *Pyth.*

[c] *Pyth. om.* quoad licet.

[d] *Python hic aliqua interposuit, quae Canisius non Hundio scripsit, sed anno 1553 Martinengo nuntio coram dixit. Cf. Sacchinum, De vita Canisii p. 76—77.*

[1] Paulo IV. tiaram adepto, certamen de Canisio episcopo viennensi constituendo redintegratum est. Ferdinandus Augusta Vindelicorum 8. Augusti 1555 litteras „praesentationis“ quas dicunt Romam misit, et eodem mense cardinalis Moronus ei rescripsit rem pro confecta haberi posse. V. infra, monum. 105. 106.

quod tuo commodo fiat in Christo JESV. Js Clariss. Patronum nobis diu seruet incolumem. Jngolstadij 8 Nouembris 1555.

Seruus in Christo

Petrus Canisius de Soci
etate Theologus.

† Nobili et Excell. uiro, D. Wiguleo Hundt, V. I. Doctori, et Jllustriss: Bauarorum Ducis Consiliario, Patrono in Christo mihi colendiss. Monachij.

Hundt inscriptioni epistulae adnotavit: „praesentatum 9. 9bris anno 55."

182.

CANISIUS

WIGULEO HUNDT, universitatis ingolstadiensis curatori, **SIMONI THADD. ECK.** cancellario burghusano [1].

CHRIST. A RAINDORFF, camerae aulicae consiliario [2], **HENRICO SCHWEICKER.** ducis secretario.

Ingolstadio 27. vel 28. Novembris 1555.

Ex autographo (2°; 2½ pp.; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I" f. 35—36.

Apographum saeculo XVII. (ut videtur) scriptum exstat in cod. monac. „Lat 1606", f. 22a—23b.

Aliqua ex hac epistula protulerunt *Riess* l. c. p. 150 et *Gothein* l. c. p. 701 ad 702.

---

[1] Simon Thaddaeus Mair de Eck († 1574), Ioannis Eccii, praeclarissimi theologi ingolstadiensis frater ex patre, officialis munus apud Passavienses, consiliarii officium apud episcopum eystettensem gessit, Bavariae provinciam burghusanam („Rentamt Burghausen") cancellarius administravit. Postea etiam consiliarius imperatoris nominatus ac supremus Bavariae cancellarius constitutus est; in quo officio catholicam religionem summo cum studio et immortali cum laude iuvit et auxit (cf. *C. M. v. Aretin*, Geschichte des bayerischen Herzogs und Kurfürsten Maximilian des Ersten I [Passau 1842], 165 [15]).

[2] *Cod. „Antiq. Ingolst.": „Post mensem adsunt tandem Doctor Hondius et Symon Eckius Doctor quoque idem ac Cancellarius Ducis in Burchausen et ex Camerae Consiliarijs unus praeter dictum Schweickerum" (f. 3a). Prantl huius „consiliarii camerae" (aulicae, sive supremae vectigalium curiae) nullam facit mentionem; Agricola, Mederer, Riess eius nomen indicare non potuerunt. Aliquot autem abhinc annis in archivo quodam nostro „copia fundationis Collegii Ingolstadiensis" 7. Decembris 1555 a „Principis Consiliariis" et Canisio constitutae (de qua infra) inventa est, cui — cetera, quae supersunt, eiusdem scripti exempla carent subscriptione — haec nomina subscripta sunt: „Wiguleus Hundt, D. — Simon Eckius, D. — Christophorus a Raindorff. — Henricus Schweycher, Secr." (Cartas de *San Ignacio* VI, 621). Iam itaque dubitari non potest, quis ille camerae consiliarius fuerit. Christophorus a Raindorff postea Kelheimii praefectum (Pfleger) egit, ac tandem Guilielmi ducis educator fuit Landishuti ibique vita decessit (*M. v. Freyberg*, Sammlung historischer Schriften und Urkunden III [Stuttgart und Tübingen 1830], 552).

Satis non esse, quod Societati scholae quaedam tradantur et collegium eidem aedificetur; sed 1. iuvenibus etiam seminarium parandum esse, qui a Sociis ad doctrinam simul et ad pietatem instituantur; a communi enim scholasticorum grege nil exspectari posse; 2. proprium Societati templum dandum esse, cum sacra ministeria non minus ei cordi sint quam scholae; 3. firmum reditum assignandum, qui fortasse ex bonis ecclesiasticis depromi possit. Ferdinandum regem Sociis viennensibus et reditum et collegium iuvenum constituisse.

IESVS

Bona venia et pace Magnificorum Dominorum atque Patronorum[1].

Quoniam Jllustriss. Principi nostro Alberto est visum, ut praestantiae uestrae vna mecum tractarent atque concluderent de sancto collegij Theologici instituto, equidem committere non potui, quin ad explicandam meam et sententiam et conscientiam hoc rude scriptum offerrem, meque cum illo supplicem uiris humanissimis commendarem.

Nec video sane, quid ad hanc me tractationem impellat aliud, praeterquam fiducia bona non solum veritatis indagandae, sed etiam diuinae gloriae ac vtilitatis publicae promouendae. Vbi primum illud mihi venit in mentem, et animaduersione dignum videtur, satis non esse de Collegio nostris extruendo meditari, cum longius etiam prospiciendum sit, si uestra et nostra consilia conuenire, et foeliciter cadere debeant. Quod enim ad nostros pertinet, certo habeo polliceri, non aliam[a] ipsis causam huc veniendi propositam esse, nisi communem et scholae, et prouintiae huius vtilitatem, quam omni cura, studio, diligentia, praesertim in ijs quae sacrosanctae Religionis synceritatem tangunt, et conseruare, et prouehere cupiunt. Caeterum ad hunc scopum, verumque professionis suae fructum se peruenire posse diffidunt, si suas iterum operas collocent in ijs Ingolstadij instituendis, qui et pauci sunt prorsus, et incerti, et ad sacra studia inepti, frigidique auditores[b], ut illos docere nihil aliud uideatur, quam surdis canere, uel melioribus auditoribus atque studiosis qui passim alibi contingunt, bonos et gratos doctores immerito adimere atque indigne subtrahere. Atqui pauci in hoc instituto Theologi versamur, multisque prodesse cupimus, illud studiose cauentes interim[c], ne contra Sapientis praeceptum sermonem effundamus, vbi non est auditus[2]. Jtaque priusquam nos Viennam euocaret Rex Sereniss. Romanorum, pro sua insigni pietate curauit, ut quinquaginta studiosi tum ad sacros ordines, tum ad studia Theologica segregarentur: sic enim fieri posse censuit, ut ex illis ipsis Austria bonos Ecclesiae ministros acciperet, certosque defensores haberet sacra Religio.

---

[a] *Sequitur:* sibi; *sed lineis deletum est.*
[b] *Vocabulum a Canisio in margine additum.*
[c] *Verba* illud — interim *a Canisio in margine addita sunt.*

[1] Cf. supra p. 566. [2] Eccli. 32, 6.

Quae omnia non alio sane spectant, quam ut intelligat prudentia vestra, neque nostris votis, neque communibus academiae et prouintiae uestrae utilitatibus et necessitatibus posse satisfieri, nisi singularis ratio habeatur atque concludatur de collegio parando, quod certis inseruiat studiosis Theologiae, ijsque certa sub disciplina sic instituendis, ut breui ad messem Bauariae ceu fidi operarij possint extrudi[1]. De his primum ego conferri uellem consilia, sicut materia circa quam artifex uersabitur, praeparari ante omnia solet, ut nostri etiam domi habeant, de quibus bene mereri, et quos docte simul et pie instituere possint Dei benignitate. Nam experientia tot annis didicimus, nullam fere spem profectus relictam nobis esse, si tantum cum isto communi grege studiosorum agendum sit, qui tam licenter uiuit, quam uage frigideque studet sacris. Nolumus igitur de optimo principe tam male mereri, ut illius clementiam atque liberalitatem sentientes, et tempus, et oleum et operam (quod aiunt) hic perdere uideamur, cum meliore quae alibi parata est, docendi occasione neglecta hic quodammodo sine fructu doceremus[a]. Atque hoc est quod volebam, de collegio scilicet, non tantum nostris, verum etiam alijs instituendo, vt Bauariae, vicinisque Ecclesijs in tanta[b] ministrorum Ecclesiae penuria tandem succurratur. Huc spectat, hoc expectat, ni fallor, Pont. Max. idem optant circumquaque tot Episcopi, et publice dictitant, eodem pertinere collectas iam decimas. Nec vllum adferri praesidium maius potest, ut arbitror, si saluam volumus in Bauaria Religionem. Sed norunt isthaec sapientes, ut mea non sit opus loquacitate.

Secundo illud rogarim, ut in definiendis Collegij limitibus templi ratio habeatur, eo enim carere non possumus, ut nuper etiam multas ob causas indicaui. Alioquin sit intollerabile, nostros in alieno semper templo requiri, adiri consulique debere, cum ad sacerdotalia praesertim munia expeterentur. Et speramus in Domino fore, ut populus Ingolstadiensis libenter et frequenter nos audiat atque adeat ueluti medicos animarum suarum, quibus nos operam dare omnem conabimur, vt in cultu diuino non minus apud nos quam alibi proficiat. Est nostri quoque instituti proprium, non minus studij in templo apud populum, quam apud studiosos in schola ponere. Quum ita persuasi simus, Deo gratissimum esse sacrifitium, quod ad populi aedificationem faciunt sacerdotes non legendo tantum, sed etiam instituendo simpliciores, conferendo sacramenta, omnisque generis morbos spirituales Dei ope curando. Verum isthaec non praestantur commode nisi in templo proprio, quod sane ingentem pijs consolationem praestat, cum ad manum est.

---

[a] *Sic Canisius ipse correxit; prius scripserat:* docemus.
[b] tanto *autogr.*

---

[1] Vide supra p. 364[5].

Postremo etsi plane confidam (quae humaniss. Principis est clementia) nostris in extructo semel collegio nihil esse defuturum, quod ad vitae sustentationem sit necessarium, attamen ad maiorem Dei gloriam et stabilem collegij confirmationem facere videtur, si quemadmodum in alijs Collegijs hucusque obseruatur, sic hoc etiam loco suis prouentibus dotetur collegium. Viennensibus fratribus pro suo collegio numerantur annuatim mille ac ducenti aurei, his personae 30 sustentantur. Alibi similem erga nostros munificentiam principes exhibent, nisi quod multis in locis curatur, vt consensu pontificis Max. applicentur bona quaedam ecclesiastica, eademque nostris collegijs (ut vocant) incorporantur [*sic*]. Vestrae sit prudentiae cogitare, temporis huius quanta sit in omnibus ordinibus uicissitudo, quae inconstantia, vt haud immerito sit prouidendum, ne succedente fortassis principe non satis Catholico, Theologi indigna pressi inopia uel gymnasium ipsum[1] grauare, uel alio, ut fit, secedere et collegium deserere compellantur. Verum hoc interim certo possum affirmare, non futurum, ut saltem obulus [*sic*] redeat ad societatem nostram, quae nec potest. nec vult ex huiusmodi collegijs quicquam priuati accipere commodi. Nam quod donatur, in vsum duntaxat cedit necessarium studiosorum Collegij, hos gratis gubernari curat omni fide Praepositus, et postquam studiorum cursum illi absoluerint, huc atque illuc mitti a Principe possunt, ut g r a t i s d e n t, q u o d g r a t i s a c c e p e r u n t[2]. Hanc admonitionem spero uos boni consulturos Magnifici viri, etsi currente calamo et longius quam uelim, scripta sit. Ego sapientibus uolui occasionem praebere, ut de his, alijsque ad idem[a] institutum spectantibus diligenter animaduertant. Quod mearum est partium, non inuitus subscribam iuditio melius sentientium[b], Deumque Opt. Max. precari pergam, vt gratia sua uestras amplitudines semper augeat, ac per eas tum literarum negotium, tum pietatis studium huic restituat academiae.

Seruus in Christo Pet. Canisius
de societate Jesu Theologus.

† Magnifico Domino, D. Hondio, caeterisque Jllustrissimi ducis Bauariensis Consiliarijs et Patronis obseruandiss. Jngolstadij.

Canisius quidem tempus epistulae non ascripsit; sed inscriptioni epistulae (autographi) altera manu eiusdem temporis adnotatum est: „praesentatum 28. Nouembris Anno 1555.“ Consiliarii ipsi in scripto quodam testantur se Ingolstadii 27. Novembris — 8. Decembris de collegio condendo egisse[3].

Consiliarii statim (28.—30. Novembris) rescripserunt; vide, quae Canisius initio epistulae proxime secuturae scribit.

[a] *Sic Canisius ipse correxit; prius scripserat:* hoc. [b] sententium *autogr.*

[1] Universitatem significat. [2] Matth. 10, 8. [3] Vide infra, monum. 71.

183.

CANISIUS

WIGULEO HUNDT, SIMONI THADDAEO ECK, CHRISTOPHORO A RAINDORFF, HENRICO SCHWEICKER.

Ingolstadio 29. vel 30. Novembris 1555.

Ex autographo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I“ f. 37—38.

Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606“, fol. 24ª—25ª.

Ad ea rescribit, quae consiliarii postulatis suis opposuerant. Sufficere sibi, quod theologiae studiosi a Sociis instituendi aut cum iisdem habitent, aut in collegio georgiano. Theologici seminarii magnam curam habendam esse. Iterum ecclesiam propriam poscit: Socios nec parochos nec monachos agere, sed parochos et fideles iuvare velle. Certis capitibus comprehendi cupit, quae dux a Sociis exigat; hos privilegiorum suorum nequaquam fore exactores.

IESVS

Magnifici Domini Patroni,

Agnosco inprimis humanitatem et beneuolentiam erga me vestram, pro qua etiam gratias ago, quod respondere scripto meo nequaquam sitis dedignati. Nunc meum est ad ea quae proposuistis [1], pauca dicere, ut aperta et explicata sint inter nos omnia, quae iussu Illustriss. Principis tractanda suscepimus.

Primum caput est de Collegio studiosorum Theologiae, quod ego constitui magnis de causis cupiebam. Nunc quia sumptus, ut audio, non suppetunt ad illud integre exaedificandum, respondeo mihi satis uideri, ut penes nostros maneat optio alterum e duobus eligendi tempore suo, nimirum ut studiosi quidam certo numero comprehensi et sacris studijs destinati, nostraeque, id est, Catholicae institutioni subiecti aut eodem aedifitio nobiscum contineantur, interstitio tamen aliquo separati, aut in Collegio nouo Principis [2] alantur commorenturque. Quod si primum nostris placuerit, rogo vt saltem horti libertate nostri priuatim gaudeant, et ut studiosi illi suum habeant Oeconomum, neque aliud expectetur a nobis in illis curandis, quam quod ad pietatis, morum ac studiorum rectam disciplinam spectat: in temporalibus (ut vocant) alios ministros habeant. Si alterum uero quod posterius est, elegerimus, liceat hoc etiam a Regente noui Collegij obtinere, vt stipendiarios suos ad sacras lectiones mittat, eosdemque Theologorum dicto audientes reddat, si quando de illis bene mereri uel monendo, uel docendo uelimus. Ego interim committere non possum, quin iterum

[1] Quae proposuerint illi, ex hac epistula satis elucet.

[2] Seminarium georgianum nunc vocare solent; de quo supra p. 346 etc.

atque iterum causam vicini collegij[1] uobis commendem, cum non ignorem sane, quanti referat, bonos praeparare operarios, qui cito in messem dominicam extrudantur, et exemplum proponere, quod alijs imitandum uideatur, et uicinis Episcopis ansam praebere, vt scholae huic faueant, et multis calumniandi finem imponere, vt desinant Principi obtrectare.[2] etc.

Secundum caput est de templo, cuius ut dixi, vsu carere proprio non potest non esse nostris graue, et alijs dispendiosum. Respondetur autem, templi noui structuram eo spectare, ut praeiuditium hinc adferatur parochijs et monasterijs ciuitatis, nos meditari nouam quasi parrochialem ecclesiam, si sacramenta quoque conferre incipiamus. Hic primum uellem satis esse cognitam instituti nostri rationem, ita constaret statim, nos esse procul ab hac sententia, quasi parochias aut monasteria nobis sumere cupiamus, cum certe nec pastores, nec monachos usquam agamus, hac sacerdotalis uitae simplicitate[a] contenti, sicut Canones postulant. Multo minus timendum est, ne praeiuditium alijs templo nostro faciamus, cum nihil magis habeamus in votis, quam diuinum cultum in omnibus templis conseruare et augere, nostrique templi structura faceret credo, vt habitis illic[b] contionibus populus ad alia templa frequentanda magis ac magis extimularetur ac animaretur. Deinde cum de sacramentis dispensandis loquor, tantum duo, confessionis scilicet seu poenitentiae et communionis sacrae, intelligo, quae tamen neque ipsa penes nostros esse cupimus, nisi saluis ecclesiae parochialis iuribus, quae uolunt certis diebus populum offerre[3], confiteri[4],

[a] simplicate *autogr.*
[b] *Prius scriptum erat:* illis; *Canisius ipse id correxisse videtur.*

[1] Aut Georgianum significat, aut (quod mihi magis probatur) novum illud seminarium, de quo supra p. 570—571.

[2] Dicebant eum decumas in profana impendisse, Lutheranis nimium indulgere et similia.

[3] Hae pecuniarum vel rerum naturalium „oblationes" inter missam faciendae nonnumquam pro decumis quibusdam habebantur; et sane fieri poterat, ut earum faciendarum verum exstaret debitum, ex diuturna consuetudine, sacerdotum egestate etc. contractum. „Statuta synodalia" ratisbonensia anno 1512 edita haec habent: „In praecipuis festivitatibus, per anni circulum occurrentibus, ad oblationes et offertoria omnes et singulos nostros subditos in suis Parochialibus Ecclesiis, Sacerdotibus suis Curatis juxta consuetudinem earundem Ecclesiarum teneri praesentibus declaramus" (*Ios. Hartzheim* S. J., Concilia Germaniae VI [Coloniae 1765], 92). Albertus V. in „statutis", quae 29. Decembris 1556 universitati ingolstadiensi dedit, hoc praescripsit: „Statuimus etiam et praecipimus, ut omnes digniores huius studii personae doctores licentiati magistri ac nobiles statis diebus festis maxime solemnibus oblationes suas iuxta sacrosanctae ecclesiae constitutiones ad altare religiose offerant ne quisquam sc. in conspectu dei vacuus appareat, in contemptores poena 16 nummorum animadversuri" (*Prantl* l. c. II, 218—219).

[4] Concilium lateranense quartum (cap. 21) fideles „saltem semel in anno proprio sacerdoti" peccata confiteri iussit. Ac „proprii sacerdotis" nomine parochum notatum esse „nemo audet inficiari" (*Benedictus XIV.* De synodo dioecesana l. 11,

et adesse sacris[1]. Verum quid obstat, quominus reliquo tempore qui uelint, in nostro quoque templo uersentur, et cum alibi non docetur, apud nos discant pietatem, et cum quidam aut nolunt, aut non possunt afflictis prouidere conscientijs, id a nostris impetretur? Equidem hic nolim contendere, sed me illorum miseret, quos uideo in nostro templo multum spiritualis fructus, ut alibi solent in collegijs, accepturos, qui certe non ita libenter in alijs templis uersarentur, praesertim si confessuri veniant. Magnificam templi structuram non exquirimus, consolationem pro nobis, et scholasticis petimus spiritualem, et locum desideramus, ubi citra cuiusquam molestiam pro Jllustrissimo Moecenate, pro Excellentijs uestris, pro tota prouintia Deo supplicare Opt. Max. et sacrificare libere liceat infirmis ac sanis. Vestrae iam pietatis est aut annuere, aut abnuere. Vtinam templi usum legittimum et nosceremus, et promoueremus omnes.

Tertium est caput de dotando prouentibus collegio, mihique non iniquum videri potest, quod audio, eatenus optimum Principem suam in nos munificentiam constitutis annuatim reditibus collaturum, quatenus nos et quamdiu in offitio erimus, vt ne frustra Moecenatis gratiam experiamur. Hic optarim articulos scripto comprehendi, quos uelit Patronus Jllustriss. nobis propositos esse in Collegio, vt sciamus quid exigat[a] singulatim. Nam quod ad Professores Theologiae constituendos attinet, non erimus difficiles, et domi adesse curabimus, qui priuatim doceant, et communia quae sunt professorum aliorum munia, non recusabimus, nihil antiquius habentes, quam Episcopo, Principi et Rectori nos simpliciter submittere, atque uti par est, religiose parere. Coeterum si quae sunt societati nostrae priuilegia, non arbitror hac ratione aboleri[2]: nostrum erit nihil tentare, quod merito Principem clementiss. offendat, qui si etiam contra priuilegium quale-

[a] *Sequitur* nomi, *linea deletum.*

c. 14, n. 2 [Tom. II, Venetiis 1793, p. 71]). At iam *S. Thomas* adnotavit (quod et Benedictus XIV. l. c. repetiit): „Sacerdos proprius non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa. . . Unde qui confessus est Episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio sacerdoti“: Contra impugnantes Dei cultum et religionem, cap. 4 (Opera XV [Parmae 1864], 21). Propterea hodie quoque confessio annua cuilibet sacerdoti ab episcopo vel summo pontifice approbato fieri potest.

[1] Canisius ea sacra dicere videtur, in quibus oblationes fieri debebant, vel alias consuetudines particulares illius temporis significare. Nam ceteroquin et Leo X. 13. Novembris 1517 edixerat omnes fideles „in ecclesiis fratrum ordinum mendicantium dominicis et festis diebus“ posse „satisfacere praecepto ecclesiae de missa audienda“, et Paulus III. 18. Octobris 1549 concesserat, ut omnes fideles, qui contionibus hominum Societatis Iesu „in ecclesiis, ubi ipsi concionabuntur, interfuerint, diebus huiusmodi missas et alia divina officia audire . . . valeant, nec ad id ad proprias parochiales ecclesias accedere teneantur“: *Bullarium* Romanum V (Augustae Taurinorum 1860), 710; VI (ibid. 1860), 396.

[2] Ita e. g. Paulus III. 18. Octobris 1549 concesserat, ut Socii curae monialium obligari non possent (*Bullarium* l. c. VI, 397).

cunque cupiat, modo queat honeste concedi, certe non Praepositum modo nostrum, sed etiam totam hanc IESV societatem sibi obsequentem habiturus est. Sed[a] ut paulo ante dicebam, in articulos referri expediet illa, quae a Praeposito nostro concedi atque impetrari Princeps uolet. Ego si quid ad eam rem praestare possim, me uobis totum polliceor cupioque si licet, pro Bauaria uestra uitam huius corpusculi Christo reddere. Ipsi honor et gloria in secula seculorum Amen[1].

Seruus in Christo uester Pet. Canisius.

† Excellentiss. dominis Illustriss. Ducis Bauariensis Consiliarijs. Jngolstadij.

Canisius tempus non ascripsit; sed Hundt inscriptioni adnotavit: „praesentatum vltima Nouembris 1555."

184.

CANISIUS[2]

WIGULEO HUNDT, SIMONI THADDAEO ECK, CHRISTOPHORO A RAINDORFF, HENRICO SCHWEICKER.

Ingolstadio 30. Novembris vel 1. Decembris 1555.

Ex autographo (2°; $2^1/_2$ pp.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I", f. 39—40.
Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 30^a—31^b.

Pactionem proponit de collegio ingolstadiensi faciendam: Collegium „theologicum" dicetur et in Societatis potestate erit. Certa pecunia domus et templum certae formae aedificabuntur. Fornaces quoque, hortus, viatica a duce providebuntur. Socii aliquot ilico mittentur, quibuscum de firmo reditu statuetur. Socii 18 saltem alumnos habebunt et georgiani quoque collegii alumnos instituent.

†

Vt exequutioni seriae demandetur CHRISTO duce, quod annis abhinc aliquot propter causas rationabiles Jllustriss. Princeps Clar. mem. D. Guilhelmus, ac huius deinde filius Jllustriss. D. Albertus, vtriusque Bauariae Duces etc. secum pie statuerunt, verum ob multa grauiaque turbulentissimi temporis impedimenta perficere hucusque distulerunt, de fundando scilicet ac dotando collegio Theologico in ciuitate et academia sua Jngolstadiensi, tandem anno Domini 1555, mensis Decembris die[b]   post maturam deliberationem tum Dominorum

[a] *Sequitur* Coeterum, *a Canisio ipso deletum.*
[b] *Quae hic et infra sunt intervalla vacua, in ipso etiam autographo comparent.*

[1] Rom. 16, 27. 1 Tim. 1, 17.
[2] Non subscripsit quidem Canisius; sed res ipsae, quae scribuntur, atque etiam scribendi genus sive ratio Canisium horum capitum patefaciunt auctorem.

Consiliariorum et Commissariorum ex parte dicti Jllustrissimi Ducis Alberti, tum Doctoris Canisij ex parte Societatis de nomine IESV (qui simul vtrinque ad promouendum et absoluendum hoc negotium Ingolstadij conuenerunt) sunt haec infrascripta communi eorundem consensu conclusa atque determinata.

1 Collegium hoc Theologicum vocabitur, eaque ratione constituetur, vt usui sit Patribus Societatis de nomine IESV, qui potestatem habeant ac ius secundum professionem suam illic habitandi, manendi, docendi ac uiuendi in posterum, relicta penes eorundem Praepositum omni facultate, quam is[a] in similibus collegijs habere solet ad regendum atque gubernandum.

2 Curabit Jllustrissimus Princeps apud ciues Ingolstadienses, vt consentiant in alienationem fundi, et erectionem nouae structurae Collegio necessariae circa domum cereuisiariam ciuitatis[b]. Praeterea, vt fundi et hortorum, qui huc applicabuntur, domini ac possessores libere cedant, integreque renuntient iuribus suis, ne ullus de praeiuditio sibi uel suis[c] facto conqueri possit.

3 Ex parte uel nomine Jllustrissimi Ducis numerabitur summa pecuniae promptae aureorum [1]

et ita commendabitur .N.

ut eandem eroget ad usum solum emendorum fundorum[d], ac futurae structurae secundum occurrentem necessitatem.

4 Jus exigendae et applicandae huius pecuniae non erit penes alios quam Architectum Ingolstadiensem [2] et D. Camerarium [3] et N.

Qui statim attendent ad praeparanda et colligenda materialia, ne quid desit ad fundamenta in Martio uel Aprili proximo iacienda, non obstantibus alijs siue priuatis, siue publicis, etiam Jllustrissimum Ducem tangentibus aedificijs quibuscunque.

5 Quantum ad formam structurae spectat, vna domus ex fundamento aedificabitur[e], longitudo erit pedum latitudo autem pedum demum altitudo pedum Jn qua domo conficientur, quantum ad partem inferiorem, culina cum fenestris et habitatio

[a] *Vocabulum supra versum scriptum.*

[b] *Quattuor postrema verba a Canisio in margine addita sunt.*

[c] *Haec duo verba a Canisio in margine addita sunt.*

[d] *Sic Canisius ipse correxit; prius scripserat:* ad usum fabricae futurae.

[e] aedicabitur *Can.*

[1] „Ad structuram obtulerunt nomine Principis quatuordecim milia florenorum“: *Cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 3[a].

[2] „Formam futuri aedifitij pinxit Architectus stella“: *Antiqu. l. c. Consiliarii in relatione sua (de qua infra) eum „Jörgen Stern“ vocant; ipse litteras Ingolstadio 20. Septembris 1560 ad Erasmum Fendt, Alberti V. secretarium, datas sic subscripsit: „Jörg sterren“. *Litterae archetypae sunt in Cod. monac. „Ies Ing. 1359/I“, f. 114–115.

[3] Ioannes Agricola, medicinae professor, id munus in universitate administrabat.

oeconomi, et hypocausta[1] ut minimum quorum vnum seruiat scholae, et alterum Refectorio. Hypocausta tum in superiore, tum in inferiore parte domus erunt ad minimum

6 Structurae huic adhaerebit templum, cuius longitudo sit pedum et latitudo pedum et altitudo pedum Tectum habebit pedes

7 Iuxta Collegium ac templum vicinus erit hortus, qui suo muro a vicinorum aedibus distinguatur.

8[a] Scribetur statim de his omnibus ad Praepositum, qui admonebitur de mittendis Ingolstadium quibusdam de Societate, ut praesentes illi structuram magis magisque promoueant. Qui ut citius etiam atque commodius accedant, viaticum accipient ab Jllustrissimo Duce, et quousque collegium non erit aedificatum, victum habebunt atque hospitium in monasterio Franciscanorum, ita tamen ut[b] horum pace id fiat, a quibus etiam separati pro suo more illi uictitare atque habitare possint.

9 Cum praesentibus autem illis tractabitur nomine Illustrissimi Ducis, ut sicut alia collegia societatis, sic etiam hoc suos habeat fixos reditus ac prouentus annuos.

10[c] Praeter collegium hoc Societati assignatum alentur studiosi ad minimum 18, qui sub societatis eiusdem disciplina uicinis in locis alentur tum in studiorum, tum in morum, ac praecipue in pietatis Catholica institutione, sed ut non grauentur tamen Patres circa temporalia studiosis illis[d] prouidenda atque dispensanda.

11 Curabitur etiam apud academiae Rectorem et Collegij noui Regentem, ut stipendarij [*sic*] Jllustrissimi Ducis, praesertim qui adhoc idonei uidebuntur, lectiones frequentent Theologicas, et Societatis dictae Patres reuereantur, audiant ac bene monentes sequantur in cursu uerae pietatis.

12 Dabit operam Doctor Canisius, ut quae desideranda sunt ex parte suae societatis, bona fide praestentur, statimque super his omnibus responsum et confirmatio habeatur ex Vrbe, nomine Praepositi D. Jgnatij.

Canisius tempus non ascripsit; sed altera manu, quae Wigulei Hundt esse videtur, in p. 4. scriptum est: „praesentatum prima Decembris 1555."

Consiliarii rescripserunt 1. vel 2. Decembris 1555; vide quae epistulae proxime secuturae adnotabuntur.

[a] *Sequuntur verba:* Jnterea dum in aedificando, *a Canisio postea (linea inducta) deleta.*

[b] *Sequuntur verba:* consentiant hi, *a Canisio postea deleta.*

[c] *Sequitur:* Statuit, *postea deletum (ut supra).*

[d] *Sequitur:* necessaria, *linea deletum.*

[1] Propria quidem huius verbi significatio est „vaporarium", „Heizgewölbe"; sed hic certe fornaces sive camini (Oefen) significantur.

185.

CANISIUS
WIGULEO HUNDT, SIMONI THADDAEO ECK, CHRISTOPHORO A RAINDORFF, HENRICO SCHWEICKER.

Ingolstadio 2. vel 3. Decembris 1555.

Ex autographo (2°; pp. 2). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359./I" f. 41—42.
Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606", f. 26a—28a.

Exponit, quae in litteris pactionis pridie a consiliariis propositis mutanda sibi vel addenda videantur: Pecuniam ad supellectilem et libros emendos assignandam. Leonardum ab Eck Sociis bibliothecam suam promisisse. Collegium disertis verbis Societati tradendum esse. Non convenire Socios ilico philosophiam quoque tradere. Quid in collegio georgiano praestituri sint, accurate statuendum esse. Aliqua in eo reformari oportere. Contionatores non esse postulandos nimios; domum brevi aedificandam; 14 saltem Socios ab Ignatio petendos.

IESVS.

Magnifici Domini Patroni,

Fretus iterum humanitate et benignitate erga me uestra, cuius multa quidem et certa extant argumenta, praesertim in scripto heri tradito[1], paucis nunc agam de nonnullis, quae in eodem scripto uel obscurius dicta, uel a me non satis intellecta, uel in sensum improprium forte ab alijs qui legerint, torquenda uideri possunt. Distinxi uero scriptum illud per numeros, ut in conferendo minus negotij exhiberetur. Tres igitur priores paragraphi non displicent, nisi quod explicatius forte addi potuerit, Jllustriss. et clementiss. Principem[a] non defuturum in ijs, quae ad primum ingressum in Collegium, id est, ad supellectilem domesticam inhabitaturis necessariam primum omnium coëmenda erunt. Hic enim primo saltem anno, praeter sumptus ordinarios multa insumuntur, nullosque libros nostri adferent, quibus tum ad docendum, tum ad discendum indigebunt. Promiserat quidem piae mem. D. D. Leonardus ab Eck suam nobis bibliothecam, sicut et in testamento legauit: sed nos forte indigni tanta liberalitate. Certe necessitas postulat, ut noui hospitij onera, quae incident proculdubio, beneficentia quadam Moecenatis pauperibus subleuentur. Qua de re uellem fieri mentionem in scripto.

[a] *Sequitur:* in, *a Canisio postea deletum.*

[1] Sicut Canisius Societatis nomine (supra p. 576—578), ita et consiliarii nomine ducis pactionem quandam conscripserant et proposuerant de collegio ineundam. Quae periisse quidem videtur, sed ex hac Canisii epistula satis cognosci potest, praesertim si epistulae quoque inspiciantur, quae eam antecesserunt, et pactio, 7. Decembris facta; de qua infra, in epistula Canisii 18. Decembris 1555 S. Ignatio missa.

Veniam ad numerum 4. Vt hic ordo congruus obseruetur, quia primo dictum est de forma struendi collegij, 2° de eius loco et structurae sumptibus, 3° de dote seu sustentatione collegij, proximum uideretur adijcere nonnihil de vsu et applicatione superiorum omnium ad certas personas, his fere aut similibus uerbis. Quod quidem Collegium sic extructum ac dotatum, conuerteretur statim in vsum uenerabilis societatis de nomine IESV nuncupatae, ut haec potestatem ac ius deinde in illud, sicut in alia quae sunt eiusdem instituti, habeat secundum suam professionem, relicta penes Praepositum generalem eiusdem Societatis facultate, Collegium hoc legittime per se et suos regendi atque gubernandi.

Praeterea quae dicuntur in hoc 4 [*sic*] paragrapho, nonnullam immutationem ferre possunt, ne uerba nimium generaliter sumpta sensum hunc reddant, vt obligati videamur non solum ad exhibendos duos Theologos Doctores, verum etiam ad constituendos tot praeceptores, quot erunt in Collegio fratres aut Patres. Nam hi omnes uix opinor suffecerint, si ex professo docere cogamur non literas tantum humaniores, sed etiam linguas tres, et artes liberales, speciatim uero Logicam et Physicam. Quare uideant Domini, ne quid incommodi hinc redeat tum ad academiam, quae ordinarios habet in artibus professores, his non licet, neque expedit praeiudicare, tum ad nostros qui mittentur non solum ad docendum, sed etiam ad discendum, quique ad minorem sibi conflandam in gymnasijs inuidiam satis primum habent, in schola collegij sui praeparare iuuentutem, omnesque gratis ita instituere, ut lectiones deinde publicas in gymnasijs ijdem audiant. Postea uero, cum nostri erunt notiores, poterunt aliquando, publicis professoribus praesertim impeditis uel absentibus, substitui.

Circa numerum uel paragraphum 5 placet, nobis occasionem dari de stipendarijs [*sic*] Illustrissimi Principis[1] bene merendi, licet in spetie fortasse cupient Romae nostri cognoscere, quo se extendat huiusmodi superintendentia nostris iniuncta, exigatne corporalem praesentiam et quotidianum conuictum, sit ne coniuncta cum administratione et cura temporalium, etc. Cupio enim rem omnem luculenter explicari, et fideliter obseruari secundum mentem Jllustriss. Principis. Et vtinam curaretur, vt Stipendarij [*sic*] cum posthac recipientur, sedulo admonerentur offitij sui, praesertim de studio Theologico sectando, de sacris ordinibus suscipiendis, de obedientia Theologis praestanda, etc.[2] Qua in re plurimum nobis commodare posset Regens Collegij noui[3].

[1] Alumnis collegii georgiani.

[2] Id factum est in „reformatione" universitatis, quam Albertus V. 19. Decembris 1555 decrevit (*Prantl* l. c. II, 210).

[3] M. Ioseph Schütz, nobilis stugartianus, a Februario anni 1555 usque ad Aprilem 1556 id munus administrabat; cui M. Stephanus Reittmair de Rohr successit (*Mederer* l. c. I, 239. 246. *Andr. Schmid,* Geschichte des Georgianums in München [Regensburg 1894] p. 94).

Quod ad 7 paragraphum attinet, cupio sensum hunc verborum excludi, quasi nostri obligentur ad suppeditandos tot Contionatores, quot praesens uel utilitas, uel necessitas uarijs in Bauariae locis requiret. Jllud uero recte a nobis expectabitur, vt quot quot erunt in collegio, seruiant Jllustrissimo Principi ac Moecenati, ubi et quomodocunque possunt in Religione sacrosancta tum conseruanda, tum uindicanda. Idque magis propterea dixerim, ne opus sit ad vnum hoc collegium nostros mittere Contionatores, qui in hac JESV societate nondum ita frequentes sunt, praesertim Germani, et quorum opera quibusdam etiam alijs Germaniae in locis ad magnam Dei gloriam praestanda est.

In paragrapho 9 innuitur, multis forte annis collegij structuram non esse absoluendam. Cum uero multa uno saepe anno conficiantur, et nostri non sine incommodo[a] uersari in alieno debeant hospitio[b], uellem adhiberi studium, et structuram omnem architectis ita commendari, ut non sit in mora, tantoque plures coniungant operarios ad futuram aestatem, vt saltem principalia construantur. Interea certo uelim constitui, ubi nostri cum venerint, sint hic demoraturi. Si apud Franciscanos, inspiciantur statim cubicula ad hoc necessaria, transigatur negotium cum P. Guardiano, et si quae sint impedimenta, in tempore amoueantur, dum hic adsunt vestrae praestantiae.

Circa 9 paragraphum, priusquam nostri veniant, ut hic requiritur, statuat Jllustrissimus Princeps[c], velit ne rata isthaec quae nunc tractamus, haberi omnia, suamque sententiam et confirmationem in Vrbem mittat quaeso, et petat mitti ad se nostros, qui non pauciores quam 14 esse solent ad collegium repraesentandum, curetque Romae uiaticum venturis paratum esse. Nam quod ad me attinet, polliceri plura non habeo, quam in nobis nihil defuturum, cur jllustriss. Princeps queri possit de nostra uel ingratitudine, uel negligentia. Solum ad Praepositum nostrum isthaec nunc referenda, et deinde tum ex Jllustrissimi Principis, tum ex illius arbitrio cuncta concludenda[d] et expediunda esse sentio. Dominus IESVS in gloriam suam conatus nostros uertere dignetur.

Seruus in Christo vester Canisius.

Canisius tempus non ascripsit; sed in p. 4. altera manu antiqua, quae Wigulei Hundt esse videtur, notatum est: „Presentatum 3. Decembris 1555."

---

[a] *Sequuntur verba:* se alibi debe, *linea deleta.*
[b] *Sequitur:* ubi, *linea deletum.*
[c] *Sequuntur verba:* quid certo, *a Canisio postea deleta.*
[d] *Sequitur:* esse, *postea deletum.*

186.

CANISIUS

WIGULEO HUNDT, SIMONI THADDAEO ECK, CHRISTOPHORO A RAINDORFF, HENRICO SCHWEICKER[1].

Ingolstadio sub initium mensis Decembris 1555.

Ex autographo (2°; 1 p.); cui tamen nomen Canisii subscriptum non est. In altera huius folii pagina manu altera eiusdem temporis, quae consiliarii alicuius vel secretarii ducalis esse videtur, haec scripta sunt: „Memorialia[a] ad Reformationem faciendam D. Hieronimi leicht et D. Canisij. — Erlediget." Eadem manu singulis huius scripti capitibus aliqua adnotata sunt, quae infra suis locis proponentur. Cod. „Ingolstadt Universit. Sachen, Anno 1555 bis 1584. Tom. III.", f. 97, Monachii in archivo provinciae Bavariae superioris („Kreisarchiv von Oberbayern", „Archiv-Conservatorium").

Canisii hoc scriptum primum editum est a *Prantl* l. c. II, 197—198, idque ex autographo, omissis adnotationibus antiquis. Ex Prantl transcriptum est a *Verdière* l. c. I, 496—497, et a *Pachtler* l. c. I, 355—356, atque ex huius libro transiit in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 621—622.

Quae in universitate corrigenda vel mutanda esse videantur. Spectat autem Canisii consilium: „superintendentem", „visitationes", Aristotelem, ferias, orationum et librorum censuram, promotiones, religionem professorum, sumptus, arma, vestes, collegium georgianum.

Ad gymnasium[2] rite constituendum promouendumque

1 Addatur Rectori et Concilio[3] Superintendens more et exemplo gymnasij Viennensis idque propter grauissimas causas[4].

---

[a] *Prantl falso:* Memorabilia.

---

[1] Albertus dux, cum consiliarios suos Ingolstadium mitteret, hoc quoque iis mandavit, ut serio inquirerent, quae in universitate corrigenda ac mutanda viderentur. Supersunt, quae hac de re conscripserunt Canisius et Hieronymus Leucht, medicinae professor (*Prantl* l. c. II, 195—197. *Verdière* l. c. I, 493—495. *Pachtler* l. c. I, 351—355. Cartas de *San Ignacio* VI, 623—627). Dux itaque Monachii 19. Decembris 1555 „formulam reformationis" germanicam subscripsit (edidit *Prantl* l. c. II, 198—212); quae tamen nequaquam statim ad effectum adducta est (*Mederer* l. c. IV, 296. *Prantl* l. c. I, 282); eandem „reformationem" postea latine versam et paululum mutatam Albertus dux mense Februario anni 1562 promulgavit (typis exscripta est a *Mederer* l. c. IV, 295—317). Ex iisdem consiliariorum et professorum consultationibus leges academicae „revisae et correctae" prodierunt, quae ab Alberto Monachii 29. Decembris 1556 in lucem emissae sunt (typis exscriptae a *Prantl* l. c. II, 212—232).

[2] Universitatem significat; cf. supra p. 580.

[3] Senatum academicum nunc dicere solent.

[4] Id exeunte anno 1560 factum est; „superintendentis" erat, pro legibus academicis vigilare atque observare, qua ratione scholae haberentur, collegium georgianum et bona universitatis administrarentur, denique omni academiae saluti consulere (*Prantl* l. c. I, 284; II, 232—234).

2 Ad uisitandum gymnasium et singulas eius facultates constituantur 4 tempora, singulis scilicet Angarijs [1], ut cum Rectore et Superintendente conueniant 4 Decani, certoque ordine ac modo inquirant de praesenti statu totius gymnasij. Examinent studia et praelectiones. quae fiunt in singulis facultatibus, quoties professores cessauerint, quousque peruenerint, [a] conscribatur in communi coetu omnium, eademque semper ad Principem ac Patronum mittantur [2].

3 Redeat in scholam Dialectica Aristotelis tot annis turpiter intermissa, et lectiones magistrandis necessariae compleantur [3],

4 Vacationes imminuantur fere ad exemplum gymnasij Viennensis, cum vtrinque perperam consulatur et professoribus et auditoribus tam longa et frequenti cessatione [4].

5 Declamandi munere nullus publice fungatur, nisi orationem suam Theologiae Decano comprobarit [b] [5].

6 Libri noui praesertim in sacris, neque vendantur, neque imprimantur Jngolstadij, nisi primum consensus accesserit eiusdem Decani [6].

---

[a] *Comma sequitur verbum:* publice, *postea deletum.*
[b] *Haud recte Prantl et qui eum sequuntur:* comprobavit.

---

[1] Singulis „quattuor temporibus" nunc dicimus.

[2] Huic capiti altera manu eiusdem temporis adnotatum est: „Jn statutis visitatio." In „reformatione" universitatis 19. Decembris 1555 constituitur huiusmodi „visitationem" singulis „quattuor temporibus" („cottemerlich") faciendam esse; a. 1562 dux statuit eam saltem semel vel bis singulis annis fieri debere (*Prantl* l. c. II, 201. *Mederer* l. c. IV, 301).

[3] Altera manus (ut videtur) hoc caput lineis inductis delevit et in margine notavit: „Artisten Jn reformatione." Albertus V. anno 1555 in „reformatione" sua „artistis" mandat, ut „statutis" suis nuper „renovatis" accurate pareant. Artistarum autem statuta anno 1539 „renovata" haec habent: Praeter „professorem Dialecticae Caesarii" (Ioannes Caesarius iuliacensis, † 1550) praesto esse debere „dialecticae Aristotelicae professorem", qui, delectu quodam ex illis libris facto, omnem dialecticam singulis annis absolvat. Eadem statuta de „lectionibus complendis" sive plene et integre, nulla omissa, audiendis, habent: „Ordinamus, quod omnes scholares debent complere ad baccalaureatus et omnes baccalaurei ad magisterii gradum singulas lectiones ordinarias per tres integras mutationes, nec ulla hic admittatur dispensatio pro pecunia, sed pro eruditione" (*Prantl* l. c. II, 184). „Mutationes" singulis annis bis fiebant (ibid. I, 203).

[4] Hoc quoque caput deletum est, sicut supra, et in margine eadem ratione adnotatum: „Statu:" In reformatione a. 1555/62 facta cavetur, ne plures fiant vacationes, quam statuta renovata permittant. Statuta a. 1556 in lucem emissa: „Festum Jovis integra septimana dumtaxat celebretur" (*Mederer* l. c. IV, 297—298. *Prantl* l. c. II, 199—220).

[5] Caput deletum, ut supra. In margine: „Jn genere Refor:" „Reformatio" anno 1555 facta in capite primo („Die universitet in gemein betreffendt") aliqua ex parte hoc Canisii consilium secuta est (*Prantl* l. c. II, 200. *Mederer* l. c. IV, 299—300).

[6] Haec sancita sunt in reformatione a. 1555/62 facta (*Prantl* l. c. II, 211. *Mederer* l. c. IV, 316).

7 Jmmodici et inutiles quidam sumptus circa promouendos sustollantur. Exemplum egregium praebet Reformatio Viennensis[1].

8 Non ita leuiter admittantur ad gradus promotionum, qui solide ac diu non sunt in disciplina sua exercitatj[2].

9 Non recipiatur professor publicus, nisi sit antiquae Religionis, sicuti fit Viennae cum solenni protestatione[3].

10 Turpitudo et licentia gestandi arma, militaresque togas prohibeatur[4].

11 In Ducali collegio sit frequens et sedula Visitatio, quae certis personis et praesertim Theologis iniungatur, vt circa Regentem et Collegiatos recte gerantur omnia. nullusque illic permittatur, qui sit suspectus in Religione[5].

Canisius tempus non ascripsit. Ducis consiliarii, quibus Canisius scriptum hoc Ingolstadii tradidit, sub 26. Novembris Monachio Ingolstadium venisse et 12. Decembris iterum Monachii apud ducem fuisse videntur[6].

---

[1] „Reformatio" illa significatur, quam Ferdinandus I. 1. Ianuarii 1554 instituit; typis descripta est a *Kink* l. c. II, 373—402. — Hoc quoque caput modo supra scripto deletum est, et in margine adnotatum: „Refor:" Hi sumptus reformatione a. 1555/62 facta et statutis a. 1556 editis aboliti sunt, „excepto frugali et mediocri prandio professoribus exhibendo" (*Prantl* l. c. II, 200. 229. *Mederer* l. c. IV, 299).

[2] Caput deletum, ut supra. In margine: „Refor:" Hoc et a. 1555/62 „reformatione" et a. 1556 „statutis" cautum est (*Prantl* l. c. II, 200. 229. *Mederer* l. c. IV, 298).

[3] In margine adnotatum est: „Nõ." Quod nescio, utrum significet „non" an „notandum" an aliud. Nec „reformatio" nec „statuta", quae scripsimus, sollemnem hanc „protestationem" exigunt. Professores catholicos esse debere non tam decernitur quam sumitur. Ita reformatio a. 1555/62: „Veram catholicam nostram doctrinam nemo . . . in dubium revocet. . . Professores . . . festis diebus Ecclesiam visitent, in concionibus et sacro audiendo perseverent" etc. (*Prantl* l. c. II, 200—201. *Mederer* l. c. IV, 300—301).

[4] Huic capiti idem adnotatum est quod proxime antecedenti. „Turpitudinem", cuius Canisius mentionem facit, Albertus dux in reformatione a. 1555/62 facta graviter queritur variisque legibus cohibere conatur (*Prantl* l. c. II, 203—208. *Mederer* l. c. IV, 304—311). „Statuta" anno 1556 „renovata": „Volumus vestitum decentem et honestum gestari et cuique aetati aptum atque idoneum non decurtatum, sed iustae et decentis longitudinis, et quo tandem litterarum atque morum cultores ab aliis laicis opificibus et militibus dignosci atque discerni queant. . . . Praesertim autem [ne] illis, quas vulgariter vocant „die ploderhosen" more satellitum et eorum, qui castra sequuntur, incedant. . . Gladios quoque sublongos atque crudeles, id quod carnificum atque lictorum proprium est, ne posthac portent, prohibemus." . . Iuvenum „arma moderatores huius aetatis ad se recipiant" (*Prantl* l. c. II, 225). Ceterum eadem atque etiam turpiora saeculo XVI. fiebant v. g. in provincialibus illis Saxoniae scholis („Fürstenschulen"), quae a protestantibus miris modis laudabantur (cf. *Janssen* l. c. VII, 49—52).

[5] In margine altera illa manu adnotatum est: „Refor:" Eiusmodi „visitatio" ipso mense Decembri anni 1555 facta esse videtur (*Prantl* l. c. I, 338—339). „Reformatio" a. 1555/62 facta proprium caput idque copiosius habet, quo de collegio hoc georgiano multa statuuntur, v. g. de stipendiariis saepe „visitandis", de ratione ab oeconomo reddenda etc. (*Mederer* l. c. IV, 312—316).

[6] Vide supra p. 569 et infra p. 585.

Si hoc Canisii scriptum et quae ei adnotata sunt, cum universitatis ingolstadiensis legibus anno 1556 „revisis“ et cum eiusdem „reformatione“ anno 1562 promulgata conferuntur, clare patet Albertum V. eiusque consiliarios sententiam Canisii maximi fecisse et cuncta fere eius consilia secutos esse.

187.

HENRICUS SCHWEICKER,

Alberti V. Bavariae ducis secretarius,

CANISIO.

Monachio circiter 15. Decembris 1555.

Ex apographo eiusdem temporis (12°; p. 1), in cuius pagina altera scriptum est: „Ex literis Secretarij ducis Bauariae ad P. Canisium.“

Canisium rogat, ut Socios quam primum Ingolstadium mittendos curet.

— — Curabit Paternitas tua pro ardentissimo zelo suo erga residuum et reliquias plane abiectas dominij istius in Catholica et orthodoxa Religione: ut quam primum veniant desideratissimj Patres istius sanctae societatis, qui constantes consolentur, Dubios confirment, lapsos erigant, Errantes reducant: perditos requirant, si adhuc inueniri queant: Et operarios nouos in ultimam messem mittant[1]. Ante faciem illius, qui uenturus est Judicare uiuos et mortuos[2]. — —

His litteris (vel potius litterarum reliquiis) tempus ascriptum non est. Litterae autem Alberti ducis, Monachio 12. Decembris 1555 ad S. Ignatium datae, quas a Schweickero Alberti secretario scriptas esse certum fere est, easdem preces simillimis etiam verbis conceptas continent[3]. Propterea hanc Schweickeri epistulam eandem esse censeo atque illam, ad quam Canisius 19. Decembris 1555 rescripsit. Quam Canisius Romam miserit; apographum enim nostrum antea in archivo Societatis romano fuit.

188.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 18. Decembris 1555.

De iis, quae cum consiliariis ducis de collegio Ingolstadii condendo constituerit.

a) Ex *Pachtler* l. c. I, 348.

Pacti, quod Alberti V. consiliarii Ingolstadii 7. Decembris 1555 de ratione collegii constituendi cum Canisio fecerunt, postremum caput haec continet:

---

[1] Cf. Matth. 9, 38. [2] 1 Petr. 4, 5. 2 Tim. 4, 1.

[3] „Ita enim praesens sacrosanctae religionis nostrae afflictissimus status, et populorum istorum, proh dolor! miserrime errantium, salus postulant, exigunt et efflagitant. Accelerate igitur pro vestris officio votoque oves perditas quaerere et ad gregem dominicum reducere; operarios bonos, (qui in praesenti seculo paucissimi sunt, et ubique locorum desiderantur) educare, atque in messem tam copiosam mittere“ (Cartas de *San Ignacio* VI, 617).

. . . *„Operam citissime dabit D. Canisius, ut una cum Illustrissimi Principis literis ad Praepositum ipse quoque scribat et impetret plenam praedicti superioris super his omnibus approbationem atque confirmationem, praeterea* [a] *ut certo respondeatur, quando et quot patres uenturi sint Ingolstadium.“*

Pactum ipsum hic non ponitur; iam enim typis exscriptum est a: *Mederer* l. c. IV, 282—285; *Fel. Jos. Lipowsky*, Geschichte der Jesuiten in Baiern, 1. Theil (München 1816), p. 69—74; *M. v. Freyberg*, Pragmatische Geschichte der bayerischen Gesetzgebung III (Leipzig 1838), 226—228; *Pachtler* l. c. I, 345—349; in „Cartas de *San Ignacio*“ VI, 617—621. Pacti summa haec est: Dux Societati „collegium theologicum“ cum sacello et horto tradet eidemque reditum annuum providebit, qui erit 800 florenorum rhenensium, schaffſorum tritici 6, siliginis 2, avenae 2. Societas duos theologiae professores academicos et scholam puerorum gratuitam constituet, ac scholasticos etiam ad bonos mores, maxime verbi divini explicatione, instituet. Duci quoque in religione conservanda et vindicanda serviet, quotiescumque is requisierit. Universitatis privilegiis Socii utentur atque episcopo „ordinario“ (eystettensi) et universitati parebunt sicut ceteri. „Cum propter multas graves et urgentes rationes, de quibus D. Canisio satis constat“, collegium aedificari nondum possit, Socii interea in collegio veteri sive domo universitatis sedem habebunt, quae „cum omnibus necessarijs quam primum et iamiam apparatur, quemadmodum D. Canisius ipse ordinabit, ut cum eo conuentum est“ [1]. Primo vere anni 1556 Ingolstadii aderunt; dux deinde cum iis reliqua constituet. Haec omnia Sociis tam diu a duce praestabuntur, „quousque ipsorum officium in academia Ingolstadiana diligenter sufficienterque exercebunt.“

b) *Ex archetypo.*

Epistula Alberti V. exstat in „*Actis Sanctorum* Iulii“ VII (Antverpiae 1731), 502; *Menchacae* epistulis S. Ignatii p. 550—552; Cartas de *San Ignacio* VI, 616—617.

Albertus V. S. Ignatio, Monachio 12. Decembris 1555: Quid ipse per consiliarios suos cum Canisio constituerit, Canisium ipsum „latissime“ significaturum esse, ac „ex Articulis nonnullis, inter dictos . . . Consiliarios et Canisium conscriptis et subsignatis . . ., quos vna transmittet copiosius“ cognitum iri. Rogare se itaque, ut Ignatius omnia rata habeat et summo pontifici commendet ac quam primum Socios Ingolstadium mittat, quorum saltem unus apud populum quoque orationes sacras habere possit.

c) Ex epistula archetypa S. Ignatii, quae est in cod. monac. „Scriptt. coll. Ingolst.“ f. 7—8.

S. Ignatius Alberto V. duci, Roma 20. Ianuarii 1556: . . . „Per literas .E. T. XIJ Decembris, et alias .D. Canisij XVIIJ eiusdem, cum articulis utrin-

---

[a] *Sic cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 4*[a]*; cod. monac. „Lat. 1606“ f. 8—9; Mederer l. c. IV, 285. Pachtler:* propterea.

---

[1] Primo quidem consiliarii Canisio domum sive collegium ilico exstruendum obtulerant; sed postea „mutarunt . . . sententiam, quod ad structuram attinet, quia sumptuosior uideretur, nec decere putarunt, ut princeps male propter nostros audiret, si uelut in Monachorum gratiam nouum extruere Monasterium uulgo diceretur, cum alia passim, uel diruantur, uel deserta iacere conspiciantur, expectandam aliam esse temporis occasionem, fortasse alibi paulatim locum nostris commodum dari posse, et principium hoc a modicis inchoandum viderj. Collegium vetus posse ad habitationem sufficere, quoad rei progressus aliquis maiorque oportunitas cerneretur“ (* Cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 3[a]. Haec confirmantur et explicantur relatione consiliariorum, quam vide infra, inter monumenta ingolstadiensia.

que subsignatis, ad me missas, intellexi quae de instituendo Ingolstadij collegio ac seminario bonorum ac fidelium ministrorum, catholicae Religionis, ibi parando, sancte ac pro catholici ac optimi Principis dignitate, T. E. constituerit" . . .

Ex hac epistula plura proferentur infra, ad epistulam Canisii 16. Februarii 1556 ad Schweickerum datam.

189.

CANISIUS

HENRICO SCHWEICKER.

Ingolstadio 19. Decembris 1555.

Ex autographo (2°; 1½ pp.; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I" f. 47—48.

Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 10ᵃ—11ᵃ.

Partem epistulae germanice vertit *Riess* l. c. p. 158—159.

Schweickero gratias agit eumque rogat, ut ecclesiae catholicae et Societatis patronus esse pergat. De Georgii Wicelii libris ac de opere, quod ipse compositurus sit. Se „curam pastoralem" in universitate docere et saepe contionari.

IESVS.

Magnifice et generose Domine.

Gratia domini nostri IESV CHRISTi, et pax quam mundus nec dare, nec accipere potest [1], nato iam pacis authore, sit, maneatque nobiscum Amen. Benedictus Dominus, cuius gratia de immerentibus etiam bene mereri studet humanitas tua, nihil intermittens, quod ad Christianum, et Societati huic deditum pectus declarandum spectat [2]. Agnosco sane quantum debeam huic in nos amori ac beneuolentiae: Christumque Opt. Max. precor, vt quod Spiritu suo in te coepit, id prouehat atque confirmet [a] ad sacrosanctae fidei et Religionis Orthodoxae defensionem, decus et augmentum. Vtinam huiusmodi zelum in pluribus pro tuenda et conseruanda domo Dei experiremur, minus fortasse laboraret Bauaria Germaniaque. Jgitur quod operam tuam non solum polliceris, sed praestas etiam nobis, et Ecclesiae Dei, non possum non magnifacere, ac rogo maiorem in modum, vt nouam istam Romae acceptam dignitatem [3], quae non ambienti contigit, quamdiu viues, ad pios promouendos iuuandosque conuertas, fidelis semper Patronus fidelium in vinea dominica operariorum, qui nobilitatis tuae benefitio aduersus istas pestes, mundique corruptelas, et errorum tenebras defendantur ac illustrentur. Dixi, nec pudet repetere, sic

[a] *Sequitur:* non, *linea deletum.*

[1] Cf. Io. 14, 27.

[2] Schweicker Canisio scripsisse videtur se effecisse, ut dux probaret, quae Ingolstadii de collegio condendo constituta erant, ac collegium ab Ignatio peteret.

[3] Ordini equestri („equitum auratorum" ?) ascriptus esse videtur.

mihi prorsus videri diuino nutu futurum[a], vt posthac instituti nostri, et Societatis huius minimae Patronum agas apud Jllustrissimum principem, eoque studiosiores erimus in te colendo et obseruando, praesertim cum neminem habeamus, qui rectius isthic norit et explorarit totius instituti huius rationes[1]. Quocirca lubens quod mones faciam, vt Monachij non alias quam Patroni aedes petam cliens, tuamque operam ubi ubi opus erit, audebo sane postulare, quando sic iam inter nos conuenit, vt communibus animis et studijs tum Christi gloriam, tum Bauariae vtilitatem, tum Religionis conseruationem ambo uindicemus, ut ut mundus demum de nobis statuat garriatque.

Literas ad R. P. Praepositum transmittendas, et eleganter pieque scriptas, ita ut iubes, in Vrbem perferri curabo, addita totius negotij commendatione. Fortasse tamdiu hic manere sinar, quoad responsum ex Vrbe adferetur, quod mihi certe non posset non gratissimum, et ipsi causae (ni fallor) conuenientissimum esse. Quanquam et me absente, si reuocer a Serenissimo Rege[2], tua fide et cura perfici facile posse confido, quod a me desiderandum sit. Scribemus interea, si placet, mutuas literas, et quae temporis occasio dabit, nos inuicem submonebimus, ne Sathan iterum hoc pium[b] institutum aut interturbet, aut remoretur. Non abs re fuerit opinor, si Princeps Jllustriss. aliquo scripto testetur, vt Architectus in tempore prouideat, quae opus sint ad veteris collegij structuram instaurandam, nostrisque accommodandam.

Perquiram libellum Wicelij[3], et alium quem mittis, ad usum noui operis[4], si Deus faueat, conuertam, expectaturus etiam promissas

[a] *Sic Canisius ipse correxit; antea scripserat:* factum.
[b] *Sequitur:* forte, *linea deletum.*

[1] Schweicker Romae ipsum S. Ignatium cognoverat eiusque opera propius inspexerat. V. supra p. 502. [2] Ferdinando I.

[3] Georgius Witzel sive Wizel „senior" († 1573), ex Vach vel Vacha (nunc Saxoniae vimariensis) oppidulo ortus, Lutheri et Melanchthonis discipulus, postquam ab episcopo catholico sacerdotio initiatus est, uxorem duxit et ministrum lutheranum egit; at haud multo post ad catholicam fidem rediit eamque libris fere 100 explicare et propugnare conatus est; quamquam Protestantibus nimias concessiones fieri volebat et varias reprehensiones merito incurrit (*Pastor*, Reunionsbestrebungen p. 140—162. *Janssen* l. c. VII, 473—476). Schweicker Canisium de recenti quodam Wicelii libro certiorem fecisse videtur. Anno 1555 is Moguntiae ediderat: „Exercitamenta sincerae pietatis" et „Christliche gute annotata vber Luthers deutschen Psalter (*Fr. Falk*, Zu Witzels Monographie, in „Katholik", 71. Jahrg., I [Mainz 1891], 132. *Andr. Räss*, Die Convertiten seit der Reformation I [Freiburg i. Br. 1866], 154—155).

[4] Canisius anno 1556 Ingolstadii aliquot libros edidit (de quibus infra) et inprimis „Lectiones et Precationes Ecclesiasticas" „in usum scholarum Catholicarum, omniumque pietatis uerae studiosorum". Ac satis probabile est eum etiam similem precationum librum germanicum edere voluisse, ut evangeliorum versiones lutheranas submoveret, atque etiam cantica lutherana repelleret; huiusmodi enim cantica germanica ac psalmos captiose expositos introduci anno 1553 synodus provincialis muhl-

cantiones[1]. Cupio me commendari inprimis Excell. Domino et Patrono nostro Hundio, cui gratificari uelim perpetuo, ac deinde Magnifico Domino Christophoro a Raindorff. Coepi docere Curam, ut vocant, pastoralem, et accedunt ad lectionem hanc Stipendiati omnes Jllustrissimi Ducis[2], praeter alios studiosos, quibus percupio in Christo dum hic adsum, prodesse atque consulere. Festis diebus bis habetur mihi contio, quoniam alteram iussu vestro susceptam in aede B. Virginis habere coepi. Vtinam his laboribus et diuina gloria et utilitas publica promoueatur. Bauariae quidem me totum impendere ac deuouere iamdiu desiderabam.

Faxit Deus Opt. Max. ut ad hanc [*sic*] Christi natalem integros tantoque festo dignos adferamus animos, angelis collaetantes, cum pastoribus simplices, cum Magis fideles, cum Maria et Joseph irreprehensibiles. Foelix cui natiuitas Domini spiritualem adfert natiuitatem, quae et gloriam Deo, et animae bonam voluntatem, et mundo pacem adferat[3]. Renascendum est prorsus[4]: non fert beata illa patria sordes ueteris hominis: nascitur Christus, ut renascendi mundo sit author et causa.

Bene ualeat Magnificentia tua, meamque in scribendo praecipitationem boni consulat rogo. Jngolstadij 19 Decembris 1555.

Seruus in Christo Pet. Canisius.

† Generoso et nobili uiro, D. Henrico Schweychler [*sic*] Secretario Jllustrissimi Ducis Bauariae, Patrono suo fidissimo Monachij.

Schweicker inscriptioni epistulae adnotavit: „Presentatum: 21. Decembris 1555. Respondj 7. Januarij Anno 155[6]".

---

dorfensis questa erat (*Knöpfler* l. c. p. 6—7). *Orlandinus* asserit vere vel aestate huius anni 1555 Hieronymum Natalem visitatorem Canisio et Goudano „opera multa" proposuisse, quae vel „de nouo cuderent, vel expurgata ab haereticorum maculis ederent", atque inter haec evangelia et epistulas per totum annum in sacra liturgia recitari solita cum adnotationibus (l. c. l. 15, n. 27. Cf. etiam *Sacchinum*, Canisius p. 100).

[1] Canisius hos Wicelii libros vel alterum eorum fortasse significavit: „Odae Christianae. Etliche Christliche Gesenge, Gebete vnd Reymen, für die Gotsfürchtigen Läyen" (Moguntiae 1541). „Psaltes Ecclesiasticus. Chorbuch der Heiligen Chatolischen Kirchen, Deutsch, jtzundt new ausgangen" (1550; typis exscripsit Fr. Behem Moguntiae sumptibus I. Quentel coloniensis). De quibus *Wilh. Bäumker*, Das katholische deutsche Kirchenlied I (Freiburg i. Br. 1886), 66. 129—132.

[2] Ii in collegio georgiano habitabant.

[3] Canticum illud angelorum significat: „Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis" (Luc. 2, 14).

[4] Cf. Io. 3, 3—7. 1 Petr. 2, 1. 2 etc.

190.

CANISIUS
HENRICO SCHWEICKER.

Ingolstadio 10. Ianuarii 1556.

Ex autographo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I".

Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 12.

Integram fere epistulam germanice versam posuit *Riess* l. c. p. 159—160.

Schweickerum in studio Societatis protegendae et adiuvandae confirmat. Excusat se, quod quaedam construi voluerit, et architectum ac camerarium paululum incusat. De Austriacis a fide catholica deficientibus dolet. Parochum quendam ingolstadiensem severe coerceri cupit. Se quaedam typis exscribenda curare.

JESVS

Magnifice domine Secretarie.

Gratia domini nostri JESV CHRISTI nouum hunc annum tibi, Coniugi, familiaeque tuae, ac toti Ecclesiae sanctae prosperet. amen. Gratae iterum mihi fuere literae tuae, quibus tuum in me amorem studiumque confirmas, ut nisi ualde sim ingratus, non possim Seruatori nostro non ingentes pro te gratias agere, quum societatis huius, quantulacunque demum ea est, fautorem ac propugnatorem te semper exhibeas et offeras singularem. Augeat Christus hunc suae charitatis in te spiritum, vt seruos Christi, sicuti coepisti, et ames, et defendas, et promoueas diligenter. Nam est hoc quoque, ni fallor, amicos facere de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis inquit, recipiant uos in aeterna tabernacula[1]. Sic profecto seminamus temporalia, non opum tantum profusione, sed etiam fauoris, offitij et ministerij cuiusuis exhibitione: nec frustra, quia spiritualia et aeterna metemus in Christo Jesu domino nostro.

De maturanda structura vidi scriptum Principis ad architectum[2]. Vereor ne Magnificus Patronus[3] in me culpam aliquam reijciat, uelut qui dissenserim temere a consilio D. Camerarij[4] et Architecti in gradibus nouis ordinandis. Possem rationem dare sententiae meae, quam forte non improbaretis, mihique iniunctum putabam, vt cum Camerario et Architecto libere conferrem de ijs, quae construenda esse in hoc collegio viderentur. Nunc illi nescio quid ad Patronum detulerunt, atque quod uellent, persuaserunt statim, quia minoribus sumptibus quod uolunt conficient, sed vellem tamen prudenter et commode, collatisque hinc inde rationibus isthaec institui, consilia non praecipitari.

[1] Luc. 16, 9. [2] Georgium Stern; cf. supra p. 577[2].
[3] Wiguleus Hundt. [4] Ioannis Agricolae.

ne[a] quod minimo constet, id optimum uero statim existimetur. Scio praesentes aliquid obseruastis, iterumque praesentes plus forte obseruaretis, quod non ita in mentem venit absentibus. Verum isthaec non spectant eo, vt jllustrissimi principis scriptum et mandatum architecto propositum oppugnetur, sed vt apud Magnificum Patronum Canisius tuus excusetur, quod praeter expectationem suam isti scripserint, quae hic mecum tractare ac maturius deliberare potuisse uidebantur, ne alioquin in suspicionem rapiar, me sumptuosius praeter rationem agere, et principis aerarium grauare uelle.

Tristia prorsus de Austria nuntias, vtinam flagellum non sibi parent illi hac noua defectione [1]. Scilicet Regi erunt fideles, qui Christo et Ecclesiae fidem datam violant. Turcas vincent, qui sectarum serui in Sathanae castris esse coeperunt. Defendent Austriam, qui diuinis praesidijs in Ecclesiae arce collocatis iam destituti sunt. Restituent Vngariam, qui se et suos in vnitate fidei nec retinere, nec restituere curant. Quid uero, si et illi in sensum reprobum dati sunt [2], habet ne Christus et Regnum Christi Ecclesia populos, gentes, insulas et regna? Vae mundo a scandalis [3], quae nunc etiam vexant electos [4]. Sed nouit dominus qui sunt eius [5]. nos curemus ut Petrus Apostolus monet, per opera bona certam uocationem et electionem nostram facere [6]. Tempus breue est [7], et hi dies mali [8]; uideat vnusquisque, quomodo superaedificet aurum et argentum [9]. Nam sat non est fundamenta fidei in Christo iecisse [10].

Expecto aduentum Reuerendissimi D. Nuntij [11], et oro, si per tuas graues occupationes licebit, ad Canisium scribat humanitas tua, Hoc

---

[a] *Sequitur:* ut, *linea deletum.*

---

[1] *Fr. Krones* asserit mense Octobri a. 1555 Austriae inferioris ordines sive „status" per delectos suos Viennae congregatos („Ausschusslandtag") fidei libertatem vel potius Lutheranismi exercendi potestatem a Ferdinando rege postulasse (Handbuch der Geschichte Oesterreichs III [Berlin 1879], 252). De „dominis" et equitibus ducatus Austriae inferioris scribit *Bucholtz* l. c. VIII, 197. Hoc sane certum est eosdem delectos exeunte fere anno 1555 a Ferdinando ob bellum turcicum Viennam accersitos, ibidem mense Ianuario anni 1556 professos esse: Flagellum turcicum Austriae immissum esse eo quod ipsa superstitiones antiquae religionis nondum prorsus abolevisset; rogare se regem, ut novum purumque evangelium sequi liceret, neve parochi, contionatores, magistri, qui eucharistiam sub utraque specie laicis praeberent vel „purum evangelium" proferrent, caperentur vel alias vexarentur. Ferdinandus certis cum condicionibus promisit se mitius acturum (*B. Raupach*, Evangelisches Oesterreich [Hamburg 1732] p. 46—47. *Wiedemann* l. c. I, 140—144. *Alf. Huber*, Geschichte Österreichs IV [Gotha 1892], 143—144).

[2] Rom. 1, 28. [3] Matth. 18, 7. [4] Cf. Matth. 24, 24. Marc. 13, 22.
[5] 2 Tim. 2, 19. [6] 2 Petr. 1, 10. [7] 1 Cor. 7, 29. [8] Eph. 5, 16.
[9] 1 Cor. 3, 10—12. [10] Cf. Hebr. 6, 1. 1 Cor. 3. 11.

[11] Paulus IV. Roma 18. Decembris 1555 Ferdinando I. scripserat se Zachariam Delfinum iterum ad eum mittere nuntium (*Raynaldus*, Annales ecclesiastici XXI ad a. 1555, n. 51. Vide etiam infra, monum. 72).

vnum addam de D. Zasio D. Mauritij pastore, seriam admonitionem vestram apud eum, vt uidere cogimur, parum effecisse. Nosti quantum inde scandalum et populo, et gymnasio accedat, et si uelint aedificare nonnulli, plus saepe vnus destruit, quam decem construant[1]. Dolet me sane sic quosdam peccare, vt nisi coacti nunquam resipiant, trahi volunt non duci, lenitate nostra deteriores efficiuntur. Dominus Jesus gratiam suam nostris addat conatibus, vt quae ad animarum profectum et aedificationem spectant, pure et sedulo urgeamus, diuinumque honorem suum optima fide vindicemus.

Ego dum hic adsum, adero lubens autem, quamdiu et Principis gratia et Superiorum authoritate licebit, pergam in praelegenda Cura, ut uocant, pastorali, in munere contionandi alijsque nonnullis hic excudendis ad Ecclesiae utilitatem[2]. Quod superest, me tibi iterum

[1] Anno 1555 consiliarii ducis questi sunt Ioachim Zasium (qui Udalrici Zasii, praeclari illius iuris consulti, filius erat) pigrum esse, cum mulieribus ea ratione, quae pios offenderet, conversari, contiones habuisse, quae Lutheranismum saperent. Zasius postea Friburgum Brisgoviae profectus est ibique capituli basileensis contionator et canonicus factus est (*Mederer* l. c. I, 237. *Prantl* l. c. I, 305).

[2] Duo nunc novimus opera, quae Canisius anno 1556 Ingolstadii, tacito tamen nomine suo, evulgavit: 1. „Lectiones & Pre- | cationes Eccle- | siasticæ. | Opus nouum & frugiferum planè, | in usum scholarum Catholicarum, | omniumque pietatis ueræ studio- | sorum: ut statim ex Indice | & præfatione cog- | noscetur. | Cum Gratia et priuilegio Cæsareæ Maiestatis. | INGOLSTADII. | M. D. LVI." Versus 1, 2, 3, 10, 12 rubri sunt. In folio extremo: „Ingolstadij Alexander et Samuel Vueyssenhornij, ediderunt Mense Aprili post Christum natum Anno M. D. LVI." 8° min.; ff. 308 et praeterea in initio 16 ff. non signata (incl. tit.); complures figurae in lignum incisae. Continet epistulas et evangelia, quae diebus dominicis et festis in ecclesia recitari solent, cum brevibus summariis, quo melius intellegi possint; accedunt solitae hominis christiani preces, ac „collectae", hymni, antiphonae et similia ex libris liturgicis deprompta. *Sacchinus* ea de re: „Epistolas et Evangelia", inquit, „quia non inueniebantur, nisi ab Erasmo Roterodamo conuersa, ex editione probata . . . excudenda curauit. Precationes selectas adiecit, vt quasdam excluderet per vulgum sparsas, quae nullum Catholicae pietatis saporem habebant" (De vita Canisii p. 104 ad 105). De posterioribus huius libri editionibus in voluminibus huius operis posterioribus scribetur (cf. *Zeitschrift* für katholische Theologie, 14. Jahrg. [Innsbruck 1890], p. 731—733. *Sommervogel* l. c. II, 667—668. Editionis principis unicum novi exemplum; quod Eystadii in bibliotheca regia exstat. 2. Eodem anno Canisius Hannibalis Codretti S. J., quem Messanae aliquando in pueris docendis socium habuerat (cf. supra p. 275[5]), grammaticam latinam, aliquantulum tamen in Germanorum usum accommodatam, Ingolstadii in lucem emisit cum hoc titulo: „PRINCIPIA | *GRAMMATICES*, | *Libellus planè nouus, et ad eius artis* | *rudimenta plenè tum tradenda,* | *tum percipienda, ut nullus* | *ferè alius, maximè* | *commodus iu-* | *uentuti.* | INGOLSTADII APVD | Alexandrum & Samuelem | Weyssenhornios. | 1556." Versus 2, 10, 11 rubri sunt. 8° min.; ff. 78 non signata (incl. tit.). In hoc libello praecepta linguae latinae sequuntur preces mane, vespere, ad mensam dicendae, et deinde (f. G 8[a] — H 7[b]) brevissimum quoddam doctrinae christianae compendium (59 quaestiones), ex Canisii „Summa" excerptum, atque haec editio princeps est illius catechismi canisiani, quem nunc „minimum" vocant, quique in multas linguas translatus saepissime prelum subiit et usque ad nostrum hoc saeculum in plurimorum manibus fuit; in prima hac editione inscribitur: „Summa Doctrinae Christianae, per Quaestiones tradita, et ad captum rudiorum accommodata. Cf. *Zeitschrift* für

iterumque commendo Patrone fidissime. Jngolstadij 10 Januarij 1556. Magnificum D. D. Hondium salutatum ex me cupio.

Seruus in Christo Petrus Canisius.

† Magnifico Domino Henrico Schweyckher, Jllustriss. Bauariae Ducis Secretario, et Patrono. Monachij.

Haud recte igitur *Riess* (l. c.) asserit hanc epistulam kalendis Ianuariis datam esse.

Inscriptioni epistulae autographae manu antiqua adnotatum est: „presentatum 12. Januarij Anno 1556 N. 12."

191.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Ingolstadio 17. Ianuarii 1556.

Ex apographo, saeculo XVII. vel XVIII. scripto. Cod monac. „Lat. 1606" f. 87a [1].

Ferdinandum regem augustanae confessionis refutationem a Sociis conscribi velle. Canisius Societatis institutum scripto aliquo explicari et defendi cupit. Bullam Coenae ignorari et haereticorum libros passim legi.

— — Quoniam Viennae nunc agit R. P. Alphonsus et ex difficili peregrinatione colligit sese, magna frigoris iniuria debilitatus [2], et quia Rex nostram desiderat operam in confutanda confessione Augustana [3],

---

katholische Theologie l. c. p. 733—736, et *editoris* „Katechismen" p. 98—106. Ibidem ostenditur, quid sentiendum sit de *Agricola* (l. c. Dec. 1. n. 180) asserente Canisium anno 1550 Codretti Rudimenta „in linguam germanicam vertisse" et una cum catechismo minimo edidisse. De posterioribus horum opusculorum editionibus in aliis huius operis voluminibus disseretur (vide etiam *Zeitschrift* etc. l. c.; *Katechismen* etc. p. 106—112; *Sommervogel* l. c. II, 655—656). Editionem principem minimi huius catechismi latini ex unico, quod superesse videtur, exemplo nuper iterum in lucem emisit, prooemio germanico addito, *Ioannes Baptista Reiser*, Summa doctrinae christianae per quaestiones traditae etc. Passau 1894. 12°; pp. X et 21. De prima minimi huius catechismi editione germanica, nuper a N. Paulus inventa, vide, quae adnotabuntur ad epistulam Canisii 17. Iunii 1556 S. Ignatio missam. — Praeterea sat probabile est Canisium, qui anno 1557 in „Confessione" Hosii Dilingae denuo edenda „correctorem" egit (quod in secundo huius operis volumine ostendetur), hoc anno 1556 aliquam saltem operam navasse novae editioni „Enchiridii" a Ioanne Eccio conscripti, quae eodem anno Ingolstadii a Weissenhorniis facta est quaeque describitur a *Theod. Wiedemann*, Dr. Iohann Eck (Regensburg 1865), p. 545.

[1] Sat verisimile est Canisium ipsum has litteras italico sermone conscripsisse; quarum pars tantum postea latine versa sit; cf. supra p. 495. 544.

[2] P. Alphonsus Salmeron anno 1555 a Paulo IV. comes additus erat Aloysio Lipomano episcopo veronensi, qui nuntius „extraordinarius" in Poloniam proficiscebatur. Inde rediens Salmeron 22. Decembris 1555 Viennam advenit (*Boero*, Salmerone p. 54—57).

[3] Haec Lutheranorum „confessio," ubi (a. 1530) in comitiis imperii augustanis Carolo V. tradita est, a theologis catholicis (Eccio, Cochlaeo, Wimpina etc.) refutata est.

consultum certe, nobisque et religioni ualde profuturum uidetur, si nobiscum Viennae commorari idem R. Pat: queat. Habet enim in promptu quae nullo studio nos consequi possemus, et judicem aget eorum quae per nos in praesentem rem conferentur. Quare literis quaeso R. P. Vestrae confirmetur, vt lubentius hoc tempore maneat, et in re summi momenti quae in comitijs tractanda est[1], nobis et regi suam locet operam in Christo[2]. Quod si quid habet contra hanc confessionem R. P. Olauius[3], vehementer illo iuuari possemus[4]: et rogo ut idem breui uel suo uel alieno nomine scribat ad amicum aliquem de rebus nostrae Societatis, saltem in genere tractando, quae infirmos stabilire, bonos aedificare, haereticos nescio quae de me et nostris spargentes, aliqua ex parte conuincere possint[5]. Quod ad casum dispensationis attinet circa legendos haereticos libros rogo vt S. D. N. confirmet et explicet magis iam acceptam antea facultatem. Hic omnia ubique plena sunt praesentis periculi, absoluuntur facile, Bulla ignoratur[6], periculum non timetur, Nos male audire coepimus, quod cogimur esse scrupulosiores. Ingolstadij 17 Jan. [1556].

R. P. Vestrae Seruus inutilis et filius
Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo Patri in Christo, Magistro Ignatio de Loyola Praeposito Generali Societatis Jesu Romae.

192.

CANISIUS
OTTONI CARDINALI TRUCHSESS,
episcopo augustano et imperii principi.

Ingolstadio 17. Ianuarii 1556.

Ex apographo, saeculo XVII. vel XVIII. scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 81[b]—82[b].

[1] Anno 1552 in „pace religionis" passaviensi constitutum erat, ut comitia imperii haberentur, ad rationes inveniendas, quibus religionis concordia obtineri posset. Quod cum anno 1555 in comitiis augustanis effici non posset, in iisdem decretum est, in proximis comitiis iterum de religionis concordia agendum esse, ac Carolus V. tum huius rei gratia tum ad subsidia pro bello turcico impetranda comitia indixit. quae Kalendis Martiis Ratisbonae inciperent; quorum initium tandem 13. Iulii 1556 factum est. [2] Salmeron in Italiam rediit (*Boero* l. c. p. 57).

[3] P. Martinus Olavius de quo supra p. 298[3]. [4] Quidnam Societatis homines tunc contra confessionem augustanam scripserint, ignoramus.

[5] Olavius sub initium anni 1556 ad Sorbonam parisiensem — erat et ipse doctor sorbonicus — litteras misit, quibus Societatem contra „censuram" Kalendis Decembribus a. 1554 a facultate theologica parisiensi latam defendebat (*Orlandinus* l. c. l. 15, n. 33—61). Eodem hoc anno 1556 Ingolstadii in lucem prodiit apologia Societatis in formam epistulae redacta et sic inscripta: „De Societatis Iesu initiis, progressu rebusque gestis nonnullis"; de qua in secundo huius operis volumine copiosius disseretur.

[6] Bullam „Coenae" dicit, qua fideles Lutheranorum libros legere vetebantur; vide supra p. 309[3].

Epistulam primus edidit germanice versam *Riess* l. c. p. 179—181. Eadem usus est *Drews* l. c. p. 62.

Beneficiorum in se universamque Societatem a cardinali collatorum meminit. Quae germanicarum rerum condicio sit, Romae commoranti exponit. Austriam et Bavariam Lutheranismi libertatem a principibus suis poscere. Hos ferme desperare. Etiam catholicos in iurisdictionem et bona ecclesiae irrumpere. Quanti momenti sit, Austriae et Bavariae succurrere. Episcopos cum legato pontificis de remediis adhibendis conferre debere. Quae potissimum adhibenda sint.

Reuerendissime et Illustrissime in Christo Domine[1].

Et si post obitum R. P. Claudij Jaij[2] (uiuat is, ut haud dubie uiuit Deo!) ad Reuerendissimam et Illustrissimam celsitudinem tuam ego rarius scripserim, tamen obliuio interea apud me nulla fuit illius humanitatis, ac beneuolentiae singularis, qua me saepe multumque complecti dignata est Clementia tua, primum quidem Wormatiae, tum Vlmae, Dilingae itidem, ac Tridenti. Post ubertim accesserunt officia, quibus Amplitudo tua et me et Societatem hanc Jesu totam ita sibi deuinciuit, ut non possimus de talis tantique Patroni, certe semper benignissimi accessione nobis non gratulari, ac pro eodem Patri Misericordiarum[3] gratias ingentes agere, lubentissimeque supplicare. Id quod, ni simus ingrati, tanto iustius facimus, quanto certius constat in hac dignitate, et authoritate nominis vestri plurimum esse situm cum ad Ecclesiam Dei aedificandam[4], tum ad Germaniam nostram illustrandam, restituendamque. Hinc et ego quamuis inter obscuros obscurissimus, inter [in]doctos[a] indoctissimus, ausus sum tandem aliquid scribere, et de Germanicarum rerum statu, ad summum Germaniae Patronum[5] ea referre quae mihi hoc tempore, nec tacenda nec dissimulanda ullo modo uidebantur.

Austria et Bauaria, ne multis agam, urgent et infestare pergunt Principes suos, nec desistent vt sapientes putant, hoc mouere saxum, nisi quam moliuntur religionis innouationem id est Augustanae confessionis aut potius confusionis libertatem communem omnibus factam impetrauerint[6]. Jam etsi Principes ipsi, ut non dubito, Catholici esse

[a] doctos *cod. mon.*

[1] Cardinalis Otto anno 1555 Romam ad eligendum pontificem venerat. Inde 11. Ianuarii 1556 Guilielmo patri scripsit Paulum IV. a se petiisse, ut aliquamdiu Romae maneret seque in clero reformando et germanicae ecclesiae vulneribus curandis adiuvaret (*Bern. Duhr* S. J., „Die Quellen zu einer Biographie des Kardinals Otto Truchsess von Waldburg", in „Historisches Jahrbuch" VII [München 1886], 196—197. [2] Obiit 6. Augusti 1552. Cf. supra p. 406.

[3] 2 Cor. 1, 3. [4] Cf. 1 Cor. 14, 12. Eph. 4, 12 etc.

[5] Otto per complures annos in curia romana officium „cardinalis protectoris nationis germanicae" habebat.

[6] De Austria vide supra p. 591 [1]. In Bavaria complures nobiles parochos catholicos expulerant et ministros lutheranos in eorum locum subrogaverant; populus etiam aliquot locis sacra catholica impediverat; sacerdotes nonnulli caerimonias ecclesiae atque ipsam etiam peccatorum confessionem catholicam aboleverant; ac

ac manere velint, doleantque non parum se hac subditorum importunitate vexari, tamen metu aliquo debilitantur, et iactura bonorum, et iniuria temporum, increbrescens ac inualescens passim haeresis, raritas, contemptus, et abusus hominum Ecclesiasticorum, dissidium Monarcharum, successus aduersariorum, dormitantia[a] praelatorum, euentus, et exitus infelices comitiorum, Synodi sera progressio, longaque procrastinatio[1], ut reliqua praeteream, augent sane curas illorum, nec sollicitos modo, sed fere desperantes in his tantis motibus reddunt. Et fouet interea laetus Sathan miserandum incendium, dum per haereticos abstrahit ab ouili Christi oues indies magis ac magis, dumque per magistratus qui sibi Catholici uidentur Ecclesiasticam Jurisdictionem eneruat, et opprimit, ut nesciam sane quid satis usquam in Germania tutum sit a graui periculo Maioris Excommunicationis[2].

Quid autem non audeant, quibus tam parum fidei, obedientiae, et conscientiae nunc super est, postquam credendi, et agendi in religione impunita licentia nullos non deteriores, et a iugo Ecclesiasticae disciplinae quodammodo abhorrentes fecit.

Morbos indicaui nec frustra, ut spero, apud fidelem medicum: qui remedia duce Christo inuenire et adhibere nouerit, praesertim ad mitigandum, si non ad depellendum hoc malum inueteratum. Neque tam sollicite nunc ago de curanda tota Germania, quae utinam bonos et patientes medicos undique accersitos accipere possit, quam diligenter consultum cupio duabus prouintijs, quae hactenus uel solae, uel praecipuae Catholicum nomen retinuerunt, atque apud vicinos etiam Episcopos conseruarunt. Illae si praedae fiant sectarijs (de Austria et Bauaria loquor) aut si non praesenti ratione quadam ab hoc furore abducantur, quo minitari etiam audent Principibus, liberumque sibi uolunt Calicis vsum, ut vinum hauriant impietatis[3], equidem non video, quid in vicinia tutum et integrum diu manere possit:

---

[a] *Altera manu antiqua hoc vocabulum, linea inducta, deletum et supra illud scriptum est:* somnolentia.

---

cum initio anni 1556 Bavariae ordines Monachium convocati essent, status saeculares, quos vocant, de auxilio argentario a duce petito ne consultare quidem voluerunt, priusquam communio sub utraque specie, licentia carnium semper manducandarum, matrimonia sacerdotum etc. sibi concessa essent (*C. M. v. Aretin,* Geschichte des bayerischen Herzogs und Kurfürsten Maximilian des Ersten I [Passau 1842], 79—80. *Knöpfler* l. c. p. 6—20. *W. Schreiber,* Geschichte Bayerns I [Freiburg i. Br. 1889], 525. 542—543).

[1] Concilium tridentinum anno 1552 propter bella et maxime propter rebellionem a Mauritio Saxoniae electore adversus Carolum V. factam ad duos annos suspensum erat neque resumi potuit (licet Paulus IV. annis 1556 et 1559 id tentaret) ante annum 1561.

[2] Bulla „Coenae" excommunicatio irrogabatur iis, qui iurisdictionem vel bona ecclesiae usurparent vel ea constituerent, quibus ecclesiae libertas laederetur etc. Cf. supra p. 479.

[3] „Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt": Prov. 4, 17.

planeque uereor ne hac defectione via Turcis, aut alijs tyrannis muniatur ad abominationem desolationis[1]. Audiui vel consilium uel remedium in hoc praesenti discrimine profuturum, si communi consensu vicini Episcopi iungerent sese, suaque consilia cum Legato ad hoc misso Pontificis Maximi conferrent, omniaque tentarent, primum de arcendis lupis istis, qui pro dolor in Ecclesia et schola passim cathedras tenent, deinde de Ministris Ecclesiarum paucis potius et bonis, quam multis et discolis constituendis, praeterea de repurgandis scholis et bibliothecis, demum de promouenda aliqua Reformationis formula, veluti qualem S. D. N. per Reuerendissimum et Illustrissimum Cardinalem Campegium aliquando edidit Ratisbonae[2]. Huiusmodi Congregatio Episcoporum (Synodum esse prouincialem forte non expedit[3]) eo maiorem in Christo successum acciperet, quo plus fauoris ac studij accederet ab Austriae, et Bauariae Principibus; quos credo haud grauatim tam pio quam necessario religionis conseruandae instituto suffragaturos. Atque vtinam cum ijsdem serio tractaretur, vt bona Ecclesiasticorum a tot Harpyarum iniuria vindicarentur, staretque immota Jurisdictio vtriusque Magistratus. Quod nisi conficiatur, nudum breui nomen Catholicorum apud Catholicos inueniemus, et sacra profanis prorsus, ut multis est in locis videre, horrendum in modum commiscebuntur. Scio me non incognita scribere, sed prodest tamen uel saepius Medicum interpellare, uulnera detegere, et Pharmacis [*sic*] admouere[4]. Qua in re prolixior non ero sperans plane hanc meam in scribendo audaciam, aequi bonique consulendam, et communi patriae optimisque principibus aliqua ex parte profuturam[a] esse. Christum ex animo precor, Reuerendissimam et Illustrissimam Celsitudinem tuam ut ingenti religionis vindicandae zelo semper ornet augeatque. Ingolstadij 17 Ian. 1556.

Reuerendissimae et Illustrissimae Celsitudinis tuae

seruus in Christo Pet. Canisius Theolog.
de societate Jesu.

---

[a] profuturum *cod. mon.*

---

[1] Dan. 9, 27.

[2] *Laurentius cardinalis Campegius* (Campeggio), „legatus a latere" in Germaniam missus, hanc reformationem („Reformation wie es hinfürter die Priester halten sollen") anno 1524 Ratisbonae ediderat; quam Ferdinandus archidux Austriae, Guilielmus et Ludovicus Bavariae duces, duodecim Germaniae superioris episcopi receperant (*Janssen* l. c. II, 341—345). Typis exscripta est compluries, v. g. in opere „Concilia ad regiam editionem exacta" cur. *Nic. Coleti* XIX (Venet. 1732), 1079—1092.

[3] Ad concilium provinciale ex iure canonico etiam capitula cathedralia convocanda erant, atque, nonnumquam saltem, abbates, praepositi, priores etc. At imprimis inter canonicos haud pauci ex inscitia et vitiis laborabant.

[4] [Dies Schreiben] „mag als das Programm des Canisius für seine, an der Seite der geistlichen Reichsfürsten beginnende kirchlich-politische Thätigkeit gelten" : *Riess* l. c. p. 179.

Reuerendissimo et Illustrissimo Principi ac Domino D. Otthoni S. R. E. Cardinali et Episcopo Augustano Patrono clementissimo et in Christo obseruandissimo[a] Romae.

193.

CANISIUS

FERDINANDO I.,

Romanorum regi.

Vienna 1. Februarii 1556.

Ex *Wiedemann* l. c. II, 82.

Canisius, inquit Wiedemann, „unterstützte in seiner Eigenschaft als Bisthumsverweser am 1. Februar 1556[1] *den Bruder Gabriel, Guardian der Franziskaner bei St. Nicola, in seinem Gesuche um ein Fässlein Wein, ‚weil die Brüder Mangel an Trank haben und die Sammlung beim Lesen sehr gering ausgefallen sei'".*

Wiedemann (l. c.) indicat se haec Viennae in actis archivi supremae vectigalium curiae utriusque Austriae („Archiv im gemeinsamen k. k. Finanzministerium", etiam „Hofkammerarchiv") invenisse. Editor autem, cum mense Augusto anni 1889 archivum illud perscrutaretur, hanc quidem Canisii epistulam non repperit, sed litteras vidit[2], quas Vienna Kalendis Februariis a. 1556 frater Gabriel, fratrum minorum „observantium" conventus S. Nicolai guardianus, suo et ceterorum fratrum nomine ad Ferdinandum regem dedit, scribens: Tum fratribus viennensibus tum multis illis peregrinis fratribus, qui per civitatem transirent, potum (ein „trunk") deesse; propterea se a rege petere, ut potum sibi praeberet. Quae in litteris guardiani aversis altera manu eiusdem temporis notata sunt, ostendunt Ferdinandum fratribus dolium vini (einen „Dreiling Wein") donasse.

194.

CANISIUS

FERDINANDO I.,

regi Romanorum.

Vienna mense Februario 1556.

Ex *Sacchino,* Can. p. 106—107.

„Ferdinandus", inquit Sacchinus, „vrgebat vt Canisius Viennam primo quoque tempore se referret. Instabat enim conuentus Imperij Ratisbonae, et agendum de religione opinio erat. Qua de causa Viennensi Academiae mandauerat Rex, vt quasdam propositiones vtiles ad eam rem colligeret. Igitur, cum

---

[a] observantissimo *cod. mon.*

---

[1] Cf. infra, ep. 194.
[2] „Franziskaner-Kloster in Wien": Lit. W. Fasc. 36. 1556—1719.

et Canisij vellet manum accedere, is non nulla obiter bonae frugis semente Augustae quoque Vindelicorum facta, ipsis Februarij Kalendis anni recentis [1556] Viennam peruenit . . . Eo perfunctus opere, cuius maxime gratia venerat, aliisque raptim compositis rebus, eiusdem exitu mensis cum literis Regis Pragam discessit.“

Hoc Canisii scriptum periisse videtur.

195.

CANISIUS
HENRICO SCRIBONIO,

archiepiscopatus pragensis administratori et ecclesiae metropolitanae praeposito [1].

Praga inter Februarium et Iulium 1556.

Ex *Thomae Pessina* libro „Phosphorus septicornis, stella alias matutina“ etc. (Pragae 1673) p. 323.

Clem. Borový in opere bohemice scripto „Iednání a dopisy konsistoře katolické i utrakvistické“ [i. e. Acta et litterae consistoriorum catholici et utraquistici] II. díl. (v Praze. 1869), p. 389—390 hanc epistulam edidit ex exemplo ab ipso Scribonio a. 1564 ex epistula autographa descripto, quod nunc Pragae in archivo capituli metropolitani asservatur. Exstat etiam in libello periodico bohemice scripto: „Časopis katolického duchovenstva“ (1875) p. 6.

S. P. [?][a] Reverende D. Praeposite.

Duos tantum talleros in fabricam necessarios peto, et alios jam duos debemus [2]. Scio, nihil superesse[b] regiae pecuniae; mutuo dari fide bona velim. Dominus suos non deseret, nisi ad tempus, ut probentur.

Servus in Christo
Canisius.

---

[a] *Borový hanc litteram non ponit.* [b] esse *Bor.*

---

[1] Henricus Píšek († 1586), vulgo Scribonius, ex Bischofteinitz (Bohemiae oppido) ortus, utriusque iuris doctor, Carolum Austriae archiducem educavit et Annae reginae per duodecim annos a confessionibus fuit. Propter eloquentiam suam et doctrinam „oraculum“ capituli pragensis vocabatur. Multum laboravit, ut Societas Iesu in Bohemiam introduceretur et ut archiepiscopalis sedes pragensis tandem vacare desineret; at ipse dignitatem illam constanter recusavit (*Ant. Frind,* Die Geschichte der Bischöfe und Erzbischöfe von Prag [Prag 1873] p. 178—189). A *Gothein* „archiepiscopus“ perperam vocatur (Ignatius p. 736. 737).

[2] Canisius Pragae in area monasterii S. Clementis prae vetustate fere collapsi Societatis collegium aedificare conabatur ac partem unam reapse aedificavit, quam postea „Canisianum“ appellabant (*Schmidl* l. c. 1, 82—83). Cf. epistulam Canisii 17. Maii 1556 datam.

196.

CANISIUS
HENRICO SCHWEICKER.

secretario ducis Bavariae.

Vienna 16. Februarii 1556.

Ex archetypo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr. et sigillum integrum). Canisius solum subscripsit; cetera Martinus Gotfridius S. J. scripsisse videtur. Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I.“ f. 52. 53.

Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 14a—15a.

Partem epistulae, germanice versam, edidit *Riess* l. c. p. 160—161, et ex Riess transcripsit *Drews* l. c. p. 56—57.

Ignatium praestiturum quidem, quae de collegio ingolstadiensi constituta sint, sed Societatis constitutionibus impediri, quominus ad ea praestanda pactione se astringat. Canisius Schweickerum rogat, ut ea duci explicet comprobetque. Quot Socii mittendi? Se, episcopatus metu liberatum, coram rege contionari, mox autem Pragam et Ingolstadium proficisci velle, Sociis eo venturis necessaria paraturum. Schweickerum ad religionem magno animo defendendam excitat. Preces pias promittit.

†

Magnifice Domine Secretarie et Patrone.

Gratia Domini nostri IESV christj et pax nobiscum aeterna.

Cum his diebus literas ex vrbe accepissem, quae non ad me tantum, sed etiam ad Jllustriss: Ducem et Excellentiam Tuam mittebantur, intelligerem porro, easdem alia quoque via isthuc recta perferrj, non existimaui operepretium, ut ad me missas istis adiungerem[1]. Summa erat literarum omnium, Reuerendum Patrem et Praepositum nostrum haud reluctarj, quominus praeclaro et uere pio Christianissimi

[1] Ignatius ad epistulam Alberti 12. Decembris 1555 datam et pacti exemplum sibi missum Roma 20. lanuarii 1556 latine rescripsit Alberto; quarum litterarum summa haec est: Se suosque, quae in pacto illo continerentur, pro virium suarum tenuitate praestituros. „Cum tamen haec sit nostri instituti ratio, vt quae gratis accepimus gratis omnino demus: Cumque nec consuetudo, nec constitutiones nostrae ferant, ut dotationem alicuius collegij cum obligatione praedicandi uel Theologiam docendi admittamus, quamuis ad ea praestanda simus parati: ratione tamen pacti uel obligationis ad ea obstringi non possemus: vt nec uice uersa ex parte T. E. obligationem ullam requiremus.“ „Affectus obseruantiae“, quo Socii in Albertum eiusque domum, „catholicae fidei in Germania columnam firmissimam“, ferrentur, et mutuam charitatem „omnium articulorum et obligationum instar“ fore. Quia autem Socios Ingolstadium mittendos e diversis locis haud sine aliqua difficultate educere oporteret, a duce summum pontificem per litteras rogandum esse, ut Ignatium iuberet statim Socios Ingolstadium mittere. Eodem die S. Ignatius eadem de re litteras italicas ad Schweickerum dedit, in quibus haec quoque addidit: 1. Summopere convenire proprium Sociis templum dari; 2. bonos theologiae auditores non fore, qui in philosophia non essent exercitati; philosophiae ergo magistros et auditores providendos esse. Utraque epistula primum edita est in „Cartas de *San Ignacio*“ VI, 441—445. 99—107. Epistulam ad ducem datam posuit etiam *Pachtler* l. c. III, 456—458.

Ducis instituto, nostrisque de Collegio Jngolstadij constituendo collatis sententijs satisfieret. Nam reliqua quae adijciuntur, talia mihi esse uidentur, quae facile probarj et isthic expedirj cito queant. Habenda enim nostris est ratio suj institutj [1], ut sicutj ab omni ambitione et dignitate Ecclesiastica, sic etiam ab obligationum istarum vinculis liberi maneamus, quj non nostra certe, sed CHRISTI honori et Ecclesiae vtilitatj seruientia, libere praestare desideramus [2]. Qua in re

[1] *Sacchinus:* „Ignatius cum edocuisset Albertum, quid rationes condendorum Collegiorum ferrent Constitutionum de ea re misso capite, maluit de cetero rem totam consilio eius, pietatique permittere liberali fiducia, quam in conciliandis pactis odiosius altercari“ (De vita Canisii p. 105). Quoniam autem ipsae Ignatii epistulae ad ducem eiusque secretarium datae usque ad annum 1889 in archivo monacensi sepultae iacuerunt, unum Sacchinum secuti sunt, quotquot hac de re scripserunt (atque etiam Paulus Drews, qui anno 1892 scripsit), ideoque rem haud ita accurate enarrarunt. Ita v. g. scripserunt Ignatium „partem illam“ — vel „caput illud“ — constitutionum Societatis misisse, „quod de collegiis condendis scriptum est“ („il capo“ etc. *Longaro degli Oddi;* „das Kapitel“ *Riess;* „den Theil“ *Genelli;* „quella parte“ *Boero*, etc.). At constitutionum (quae 10 partibus et multis capitibus constant) partes et capita complura ad collegiorum institutionem spectant. Ignatius vero duci haec scribit: „Mitto tamen E. T. quae ex instituto nostrae Societatis fundatoribus collegiorum, etiam non id exigentibus, praestare, non pactis ullis, sed nostris constitutionibus obstricti (quae, antequam ullum collegium ex plurimis, quae iam habet nostra Societas inter fideles et infideles, erigeretur, definita et rata apud nos habebantur) tenemur.“ Ipsi autem epistulae Ignatii archetypae etiamnunc additum et coniunctum est folium, in quo legitur: „Ex secunda parte constitutionum. Cap. 2.m de memoria praestanda erga Fundatores collegiorum et bene de ipsis meritos. Quoniam id maxime rationi“ etc.; sequitur latine versum constitutionum caput illud (sine „declarationibus“ suis), quod nunc quartae partis primum est, quoque statuitur, quae preces, quae sacra — sunt autem plurima — pro „fundatoribus“ facienda sint, simulque decernitur, eos omnium bonorum operum, quae in Societate fiant, peculiariter participes esse, ac Socios omnibus officiis eos eorumque propinquos prosequi debere, quae, salvis legibus suis, praestare possint. Ac mirum certe, hoc caput „secundae partis constitutionum“ „secundum“ hic vocari, cum et in primo illo constitutionum exemplo, quod S. Ignatius sub initium anni 1551 patribus Romae a se congregatis proposuit, et in emendato illo, quod anno 1552 ad omnes Societatis domos misisse videtur, et in illis, quae a primis Societatis congregationibus generalibus approbata sunt, caput hoc primum locum obtineat in parte quarta. Versio latina a vulgata illa et communi, quae iussu congregationis secundae a S. Francisco Borgia anno 1568 curata et a congregatione tertia anno 1573 probata est (typis descripta etiam a *Pachtler* l. c. I, 11—14), locis permultis differt, ac fortasse partem constituit primae illius versionis constitutionum, quae a Polanco confecta et a. 1558 a prima congregatione generali probata atque eodem anno Romae „in aedibus societatis Iesu“ primum typis exscripta est, opus nunc rarissimum. Cf. „*Constitutiones* latinas et hispanicas“ VI—IX. XI. 108—111. 312—313. 373; *Sommervogel* l. c. V, 175—176. Verba ipsa hic non ponuntur, quia posita sunt a *Mederer* l. c. IV, 292—293.

[2] Ex iis, quae supra scripta sunt, intellegi potest, quam false *Prantl* (l. c. I, 224) asserat Ignatium ideo pactum illud reiecisse, quod ex eo nemo in collegium Societatis recipi potuisset, nisi duce probante. Gravioribus rationibus Ignatius movebatur. Neque, quod Prantl scribit, universim constitutum erat a consiliariis, sed de iis tantum, qui ducis sumptibus in collegio georgiano alebantur, sacerdotes saeculares aliquando futuri; ceterorum recipiendorum potestas in eodem pacti capite

tua quidem prudentia permultum ualebit, ut synceram Praepositj nostri mentem et explicet et comprobet tum Jllustrissimo Principi, tum reliquis eius consiliarijs, et inprimis Magnifico Domino Patrono Doctorj Hundio, quem meo etiam nomine salutatum uelim officiose.

Promittit Dominus Jgnatius, ut haud dubie intellexistis, ante aestatis initium, sj Christus faueat, nostros Jngolstadium esse uenturos. Et quoniam ex meis cognoujt literis, talem tantamque Principis erga nos humanitatem existere, ut ex Octingentis illis promissis florenis fere[a] octodecim uel .20. nostrorum ali frugaliter posse uideantur, hinc est quod suis etiam literis ad tuam Excell: datis Praepositus noster hoc agat, an tam multi statim mitti debeant. Ego quominus ita fiat, parum impedimenti reperire possum, sed cupio tamen consilium tuum ac D. Doctoris Hundij sententiam audire simul et sequj.

Magnopere laborandum uidetur, ut Architecto Jngolstadiensj Dominoque Camerario rursus demandetur munus instaurandj et absoluendj cubicula, quae nostris in Veteri Collegio sufficere possint. Nec dubito uobis esse cordj hoc institutum, quo[d] sicutj per uos praeclare coepit, sic etiam ut spero perficiet Deus Opt: Max: ad suam aeternam gloriam, et ad communem tum Jngolstadianae Academiae, tum totius Bauariae utilitatem.

Equidem sperarim haud prorsus inutile fore, sj mihi Jngolstadium redire, et ante nostrorum aduentum ad tempus ibidem commorarj liceret, non quod Architecti fidej diligentiaeque diffidam, sed ut reliqua etiam praepararem, quae ad lectos, suppellectilem et id genus alia nostris necessaria maxime uidentur. Eodem certe consilio nunc Pragam Duce CHRISTo reuertor, quando breuj post eo uenturj sunt, quos nunc propediem ex vrbe Patres expectamus. Quod si Regia Maiestas mea utj opera in Comitijs uelit, haud difficile fuerit de his aliquid certius constituere Ratisponae. Alioquin ex Praga etiam Jngolstadium properare possem, et paucis diebus ni fallor conficerem, quae nostris id est nouis hospitibus paulo post ex vrbe secuturis apparanda esse uidentur. Nunc postquam saluus huc Dej gratia redij, Maiestas Regia in concionatorio munere uti me uoluit, et quod summj quidem beneficij loco interpretor, ab Episcopatus Viennensis onere quod ualde reformidabam, liberum me prorsus securumque reddidit. Jnstant quidem, ut nostj, ad impia quaedam impetranda hic Austriacj, sed stat persistitque immotus Regis animus in fidej et religionis orthodoxae synceritate[1]. Dabit spero Misericors Deus aliquando prouentum

[a] *Sic Canisius ipse correxit; prius scripserat:* pene.

Societati diserte sancita erat. Vide pacti cap. 7 apud *Mederer* l. c. IV, 283—284, et *Pachtler* l. c. I, 346.

[1] Quae tunc ordines Austriae inferioris per delectos suos Viennae congregatos a rege poposcerint, et quomodo hic iis responderit, copiose enarrat *Wiedemann* l. c. I, 140—148.

cum hisce tentationib:[1] ut etiam pudefiant aduersarij veritatis, et christi agnoscatur gloria, quj suam dilectam et fidam sponsam Ecclesiam potenter defendit, quantumuis res nostrae alijs desperatae nimiumque afflictae uideantur. Oro interim maiorem in modum humanitatem tuam, ut quamprimum fierj possit, ad me scribat Viennam. Hinc enim Pragam quoque, sj discessero, eaedem literae cito perferentur[a] et a nostris mittentur. Nec erit quicquam gratius, quam ut libere mecum semper agat, aperteque me moneat, ubi ubi uel in me uel in nostris desiderarj et culparj aliquid posse iudicauerit. Expectamus hic quotidie Reuerendissimi Domini Nuncij[2] aduentum, et magnopere cupimus in hisce motibus pacatum Bauariae uestrae statum manere, praesertim quod ad Religionem spectat. Precabimur certe Christum Opt: Max: pro inclyta Principum Bauarorum familia, pro reliquijs Jsraëlis[3], pro ministris Ecclesiarum, pro Consiliarijs et Patronis omnibus Dominij uestrj, et in his pro tua etiam Excellentia, quae de nobis et de catholica fide tam praeclare meretur. Dominus IESVS fidej suae zelum ac verae pietatis spiritum in nobis conseruet augeatque semper. AMEN. Viennae XVI. Februar: Anno CHRISTI M. D. LVI.

Seruus in Christo Petrus Canisius Theologus.

Magnifico Domino Henrico Schweicher Illustrissimi Principis Bauariae Secretario, et Patrono in CHRISTO fidissimo. Monachij in aula Jllustrissimi Ducis Bauariae. Zue dem Herren Secretario des Fürsten von Bairn.

197.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Vienna [?] 17. Martii [?] 1556.

Ex apographo, saeculo XVII. vel XVIII. scripto. Cod. monac. „Lat. 1606“ f. 85^{b}—86^{a} [4].

Particulam germanice versam edidit *Riess* l. c. p. 157.

De collegio pragensi optima sperat. Rogat, ut pro Ferdinando I. collegii illius conditore preces et sacrificia offerantur. De impressione a Turcis facta. Collegio ingolstadiensi multa obstare; sed tanto maiora speranda esse. Viennae Societatem multis odio esse. De libro a Ioanne Wigando Lutherano contra catechismum suum edito.

Infinitas R. P. V. grates habeo, quod Charissimos Fratres nostros, tamdiu desideratos miserit in Bohoemiam[5], confido fore vt propter

[a] perferrentur *archet.*

[1] 1 Cor. 10, 13. [2] Zachariae Delfini; cf. supra p. 591[11].

[3] Mich. 2, 12. Soph. 3, 13 etc.

[4] Epistula archetypa italice scripta esse videtur; nam inter apographi huius sermonem latinum et Canisii latinitatem nonnihil discrepat.

[5] Vide supra p. 602.

selectos hos suos amicos [Deus opituletur][a] corruptissimo Regno uti et Serenissimo Regi, si vnquam antehac, aduersis rebus vndique ingruentibus afflicto prorsus et iacenti, vt merito omnes compati debeamus. Itaque humillime[b] R. V. P. obsecro, velit communes Societatis nostrae preces et sacrificia, pro optimo Principe tanquam Collegij Pragensis fundatore, singulis sacerdotibus indicere[1], cum incredibile dictu sit, quantum illius salus et incolumitas Religionis in Germania intersit. In Hungaria res pessimo loco sunt. Etenim a paucis hebdomadibus Turca, facta in illud Regnum impressione[2], praeter pecora, et alias manubias, secum mille viros mancipatu durissimo ni in foeda Machometis Sacra concedere velint, premendos abduxit[3]. Per Bauariam et Austriam haeresis magis magisque indies incrementa sumit, spero paulo post praeclaram affore occasionem sanguinem pro Christo fundendi. Imminentes istae procellae non me parum incitant ad promouendum Collegium Ingolstadiense, quod tanto ardentius ad finem perduci cupio, quanto grauiora conatibus nostris occurrunt obstacula, et inimicus humani generis acrius se opponit; qui nihil aliud, Deo dante, tot structis insidijs obtinebit, quam vt eo maiori cum gaudio, messem in ea uinea longe vberrimam videamus, quam syluescentem, et incultam prorsus tot laboribus et sudore excoluimus. Hic Jesuitarum nomen in omnium ore circumfertur, monstramurque digito haud secus ac si Acherontici genij derepente in theatrum prorupissent. Et cum ante aduentum nostrum, nulli alij reperti [sint] Religiosi aut Theologi, qui aut possent aut auderent impia haereticorum dogmata refutare, et explodere, nos sumus spectaculum mundo facti, et peripsema[4]. Prodijt hic [?][c] in lucem Germanico Idiomate conscriptus in Cathechismum nostrum[5] et Iesuitarum nomen liber, tot ca-

[a] *Hoc vel simile supplendum est.*

[b] humilime *cod. mon.*

[c] *Vitio interpretis vel librarii factum esse videtur, ut cod. mon. habeat:* hic. *Legendum esse puto:* nunc; *cf. infra p. 605*[1].

[1] De his sacrificiis et precibus cf. supra p. 601[1].

[2] Ali Pascha a Suleimano Budae satrapes constitutus et Sigetum (hungarice „Szigetvár"), munitissimam Hungariae urbem, capere iussus est; qui initio anni 1556 cum Veli Ianicerorum tribuno et multis equitibus praetorianis in Hungariam profectus est. Cum eo Turcarum praefecti, qui in Bosnia, Dalmatia, Illyrico etc. erant, se coniunxerunt (*Nic. Isthuanffius*, Regni Hungarici historia l. 19 ad a. 1556 [Coloniae 1724] p. 221—223).

[3] „Mille viros" fortasse hic = sescentos viros, quamplurimos viros. Ceterum etiam Austriae inferioris ordines anno 1557 Ratisbonae in comitiis imperii questi sunt multa Christianorum milia a Turcis in captivitatem abduci (*Janssen* l. c. IV, 61).

[4] 1 Cor. 4, 9. 13.

[5] Anno 1556 Viennae tertia facta est editio latina „Summae" canisianae; quae eodem anno Lovanii a Ioanne de Winghe edita est cum hac „approbatione" Ruardi Tapperi: „Pius est, vtilis, et catholicus hic Catechismus." Cf. *Sommervogel* l. c. II, 619—620; *editoris* „Katechismen" p. 46[2].

lumnijs maledictis, et splendidissimis compactus[1] mendacijs, vt partus mendaciorum parente[2] dignissimus esse uideatur[3], nec vlla alia refutatione quam proprio contradictionis spiritu, et immoderato liuore egens. Benedictus Jesus pro cuius nomine digni habiti sumus contumeliam pati[4]. Sanctis R. P. Vestrae precibus me plurimum commendo. [Viennae?] 17 [Martij?] 1556[a].

Seruus inutilis et filius
Petrus Canisius.

Admodum Reuerendo Patri in Christo Magistro Ignatio de Loyola Praeposito Generali Societatis Jesu. Romae.

Apographum monacense in fine huius epistulae habet: „Pragae 17 Maij 1556". Neque Riess (p. 157) id improbavit. Attamen videtur delendum esse ac scriben-

---

[a] *Vide, quae post epistulam ipsam dicuntur.*

---

[1] Ioannes Wigand (1523—1587), Lutheranorum magdeburgensium „superintendens", anno 1556 Magdeburgi edidit librum: „Verlegung aus Gottes wordt, des Cate- | chismi der Jhesuiten (Summa | doctrinæ Christiauæ [*sic*] ge- | nand) newlich im | druck ausgan- | gen. | Durch M. Johannem Wi- | gandum. | Joh. X. Meine schefflein hören meine stimme, | aber einem frembden folgen sie nicht nach, | denn sie kennen seine Stimme nicht." In extrema libri parte: „Gedruckt zu Magdeburgk durch Michael Lother. 1556." 8° min., 104 ff. non signata. Qui librum typis exscripsit, Michael Lother, antea cum Melchiore fratre Vitembergae habitaverat et Lutheri libros complures ediderat. [2] Cf. Io. 8, 44.

[3] Pauca exempla id probabunt: Missae sacrificium in eo libro dicitur blasphemia et Christi domini vexatio summa, quae umquam in terra visa sit. De sacramento extremae unctionis („die letzte Schmiere") asseritur: „Foetente" illo oleo potius robiginosum currum, quam hominem aegrotum ungendum esse. Ecclesia papistica idololatriis magnis, crudelibus, manifestis, innumeris, plus quam ethnicis inundata est. „Doctor Canis" est „homo insolens", „summe blasphemus", „rusticissimus" („ein grober tölpel"), „lupus", „asinus papisticus" („Bapstesel"), „idolorum cultor", „impudens ac miser diabolus", qui „Christum non novit", sacram Scripturam non solum canino, sed cainitico modo tractat. „Caninus ille monachus („hundsmünch") animum induxit omnia summi pontificis sive antichristi stercora et scelera vorare eaque suaviore sapore esse censet, quam saccharum." Turca gladio corpora, Canisius vero catechismo animas trucidat. Societatis homines, a diabolo extremis hisce temporibus instituti, ideo „Iesuitae" vocantur, quia nequissimi et callidissimi Christi proditores et persecutores sunt; sicut olim Romani quidam proceres „Germanicus", „Asiaticus", „Africanus" appellabantur, non quod populis illis bene fecissent, sed quod eos diripuissent atque exspoliassent. Quod blasphemo eorum catechismo demonstratur. Verlegung f. G3[a]. J7[b]—J8[a]. J6[a]. C8[b]. C5[b]. D5[a]. H8[a]. D3[b]. D5[b]. M3[b]. F3[b]. H3[b]. B5—C[a]. N3[b]—N4[a] (cf. *Janssen* l. c. IV, 424—425, et *editoris* „Katechismen" p. 56—59). *Flacius Illyricus*, qui Wigando amico et in „Centuriis magdeburgensibus" conscribendis adiutore utebatur, Magdeburgo 16. Septembris 1556 quasi triumphans de Canisio scripsit: „Refutavimus hoc anno eius Catechesin, licet R. M. autoritate ac praefatione tanquam Achilleo quodam clypeo munita ornataque esset" (Phil. Melanchthonis Epistolae etc. ed. *H. E. Bindseil* [Halis Saxonum 1874] p. 579). Wigand, qui postea „episcopus" lutheranus Pomesaniae et Sambiae factus est, „multorum christianorum rogatu et suasu" opus suum denuo in lucem emisit anno 1570 Ienae. Cf. „Katechismen" p. 92. [4] Act. 5, 41.

dum: „Viennae 17 Martij 1556". Altera enim superest Canisii epistula archetypa eaque italice scripta, quam Praga 17. Maii 1556 datam esse certo constat; ac licet per se absurdum non sit dicere Canisium pro illorum tempore more eadem die duas epistulas diversis viis ad S. Ignatium misisse, quo certior esse posset saltem alteram in eius manus perventuram esse, ipse tamen, si id fecisset, in alterutra saltem significasset se altera quoque via scribere; quod non significavit. Atque haec epistula et italica illa adeo inter se differunt, ut probabile non sit eadem die ad eundem a Canisio eas datas esse. In italica autem Canisius S. Ignatio scribit (versionem latinam pono): „Iam duo menses transierunt, ex quo discedens Vienna postremas ad R. P. V. literas dedi, quibus inprimis de rebus Ingolstadiensibus ac de praesenti Viennensium conditione retuli." Quae ostendunt Canisium Vienna circiter d. 17. Martii ad S. Ignatium dedisse literas. Huic autem tempori ea, quae in hac epistula continentur, sat bene congruunt. Facile sane fieri poterat, ut epistularum italicarum interpres, vel scriba, qui codicis monacensis apographa scripsit (quem haud ita diligentem fuisse etiam lectiones variae supra scriptae probant), tempus, quo una epistula scripta est. in altera quoque ascriberet.

Extremam huius epistulae partem *Sacchinus* melius fortasse et plenius quam interpres monacensis ex italico in latinum sermonem vertit. Ita enim Sacchinus de Canisio scribit: „Cum aduersus editum a se Catechismum quidam scripsisset maledicentissime, Gratias, aiebat, sancto Iesu nomini agamus, pro quo nomine digni sumus, et vtinam digni, maiora pati, non solum contumelias verborum, sed etiam rebus ipsis iniurias vsque ad mortem in testimonium illis pro gloria ipsius nominis IESV amen." [1] Sed fortasse haec ad posteriorem aliquam Canisii epistulam pertinent; nam etiam postea complures libri acerbissimi contra catechismum canisianum editi sunt.

198.

CANISIUS
MARTINO CROMER,

canonico cracoviensi et regis Poloniae secretario.

Praga 9. Aprilis 1556.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. cracov. „Cromeri epistt." n. 18.

Primo edita est a *Hipler* et *Zakrzewski* in „Hosii Epistolis" II, 1026—1027.

Pragae brevi collegium Societatis exstiturum esse. Dolet, quod in Polonia religio magis magisque decrescat. Cromerum hortatur, ut libros conscribat ad ecclesiam catholicam defendendam. De libro quodam a Hosio edito. Animum demittendum non esse.



Reuerende domine Cromere gratiam et pacem in Christo p.

Redit isthuc nobilis adolescens, per quem scribere aliquid non solum oportunum, sed etiam legittimum puto. Pragae iam dego. nostros propediem ex Vrbe excepturus, qui ut alias indicaui, ope diuina et Regia liberalitate suffulti, scholam hic publicam instruent. Vnde boni uiri magnam spem concipiunt fore, ut Pragenses et Boëmi per nostros paulatim instituti, rectius sentiant de Religione, et in

[1] De vita Canisii p. 355.

literis magis ac magis promoueantur[1]. Expectamus aduentum Regis, qui hac Ratisbonam properat, noua et vtinam foelicia Comitia inchoaturus[2]. Quo in statu autem Religio nostra versetur, triste dictu. et hanc calamitatem auget rumor peracerbus, quem audire cogimur de statibus Polonicis[3]. Ve hominibus istis, qui funestam apud uos telam ordiuntur atque contexere pergunt, posito vt mihi videtur, pudore, et sensu pene communi postposito. Deplorabit haec primordia sequens aetas, et quod nunc seminatur, maximo cum malo suo demetet: perit interim iustus et populus [*sic*], nec est qui recogitet[4] proh dolor et pudor. Scripsi nuper, cum ex Vienna discessum pararem, operae pretium videri mihi, vt prudentia tua post tot annos in aula consumptos ad defendendam Christi et Ecclesiae causam sese componeret, nulloque aduersariorum habito respectu scriptis publicis, quoad eius liceret, pro veritate aperto Marte pugnaret: tantum hic DEI et Religionis habendam esse rationem, eos uero quibus noua nimium placent, contemni prorsus oportere. Jn hac sum adhuc sententia doctiss. Cromere, et per communem dominum oro, ne uelis tua defraudari opera praesentes et posteros, Polonos et exteros, qui proculdubio in tanta scriptorum inopia non parum per te, tuique similes hoc tempore adiuuabuntur duce Christo. Scriptum Reuerendissimi D. Varmiensis laudant qui Romae uiderunt, mihi nondum licuit adspicere, non dubito, quin aduersum Andream Friccium praeclare multa excogitarit, et dextre conscripserit[5]. Audio in Jtaliam reuocari Apostolicum illum Legatum[6], qui si adhuc isthic demoratur, salutari illum ex me reuerenter, ut par est, percupio, sicut et antistitem Varmiensem, cui ualde in Christo gratificari, si possem, totus sane vellem. Nosti credo nobilem dominum Boemiae Mareschalcum, ad quem perlatae literae tuae mihi facile reddentur[7]. Nunc breuibus agam, hoc vnum adijciens, vt

---

[1] Duodecim de Societate, Pauli IV. benedictione et fervida adhortatione confirmati, circiter 12. Februarii 1556 Roma Pragam profecti sunt (Cartas de *San Ignacio* VI, 450—453. 127—131. *Orlandinus* l. c. l. 16, c. 19). De initiis collegii pragensis scripsere etiam *Fr. Pubitschka,* Chronologische Geschichte Böhmens 6. Thl., III (Prag 1801), 179—184, et *Herm. Zschokke,* Die theologischen Studien und Anstalten der katholischen Kirche in Oesterreich (Wien und Leipzig 1894) p. 173—177.

[2] Cf. supra p. 594 [1].

[3] Anno 1555 Piotrcoviam ad comitia regni polonici e Maiore Polonia primi fere haeresiarchae „nuntii" missi sunt. Haeretici postularunt, ut caerimoniae ecclesiasticae mutarentur, ac iurisdictionem episcoporum impugnarunt. Attamen reiecti sunt.

[4] Is. 57, 1.

[5] Hosii dialogum de communione sub utraque specie Canisius dicere videtur; qui primum editus est Dilingae anno 1558 (*Eichhorn*, Hosius I, 288—289. *Hosii* Epistolae II, 309. 603). [6] Aloysium Lipomanum.

[7] Supremus regni Bohemiae mareschallus Bertholdus von der Leip in Krumau fuisse traditur. Neque tamen hunc Canisius significare videtur, sed Ladislaum II. Popel de Lobkowitz (1502—1584), qui curiae regis Bohemiae mareschallus, primus „praeses appellationis", supremus regni praefectus fuit. Nam ab historiographo provinciae bohemicae S. J. inter nobiles catholicos, qui Societatem in Bohemiam

in tantis procellis nos meliori aurae seruemus: dormit Christus, quatitur nauis, desperata fere habentur omnia[1]: sed non dormit neque dormitat qui custodit Jsrael[2]: ad hunc igitur nos et Ecclesiae[a] causam omnem fidenti pectore referamus. Jpsi cura pro nobis[3], ipsi laus et gloria in sempiternum. Pragae 9 Aprilis anno Christi 1556.

Seruus in Christo Petrus Canisius.

† Colendiss. uiro .D. Martino Cromero Canonico Cracouiensi et Secretario Regis Poloniae.

Cromer in pagina quarta epistulae huius scripsit: „21. Jun." [recepi?]. Canisio rescripsit 9. Iulii 1556.

199.

CANISIUS
HENRICO SCHWEICKER,

Bavariae ducis secretario.

Praga 25. Aprilis 1556.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 4. inscr. et sig.). Cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I." f. 54. 55.

Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 16.

Totam fere epistulam, germanice versam, edidit *Riess* l. c. p. 161—162.

Schweickerum rogat, ut collegium ingolstadiense maturandum curet. Wiguleum Hundt Pragae secum fuisse. Primos collegii pragensis Socios iam adesse. Vehementer reprehendit, quod in Bavaria nimio pacis studio et pecuniae accipiendae gratia haereticis quaedam temere concessa sint. Schweickerum ad patientiam et constantiam adhortatur.

IESVS

Gratia Christi IESV nobiscum aeterna.

Jamdiu nihil ad me scribitur fidiss. Patrone, vnde cognoscam ubi sis, qui valeas, et quo in statu res uestrae ac nostrae uersentur. Scripsit ex urbe Pater Jgnatius ad charitatem tuam, et rogauit offitium quod hactenus sedulo praestitisti, huic minimae Christi societati, quae tua est pietas, exhibere porro ne cesses[4]. Ego meam sententiam aperui de re tota, cum hic adesset optimus patronus D. D. Hondius, et iam ad eum scribo, quae ad negotium collegij maturandum spectant.

---

[a] Ecclesia *autogr.*

---

ingredientem adiuverint, Leipenses non recensentur, „Lobkowicii omnes" religionis studiosissimi fuisse traduntur. Quos Societati ab initio valde favisse etiam aliunde constat (*Hosii* Epistolae II, 1027. *Schmidl* l. c. I, 67. *I. W. Imhof*, Notitia sacri Romani Germanici Imperii Procerum ed. 5. cur. *I. D. Koeleri* [Tubingae 1732], p. 394—395). [1] Cf. Matth. 8, 23—27. Marc. 4, 36—40. Luc. 8, 22—25.
[2] Ps. 120, 4. [3] 1 Petr. 5, 7. [4] Vide supra p. 600[1].

Fauebit huic instituto nihil dubito, prudentia tua, quam rogo vt ad me breui scribat quae maxime opus esse censuerit, ut Jngolstadij in tempore nostri praeparata quaedam habeant. Hoc offitio plurimum de nobis, ut saepe alias, merebitur dignitas tua, quae sui perpetuam memoriam in hoc Collegio relinquet gratia Christi. De me non habeo quod dicam aliud, nisi satis hic esse occupationum quae in messe multa et deserta operarium Ecclesiae in Domino exercere possint. Accesserunt ex Vrbe nostri Serenissimo Regi bene grati, de quorum profectu in hoc Pragensi collegio magna sperare possumus, diuina illis gratia fauente, quod et ipsi praeclare de multis mereri et uelle, et posse uideantur [1]. De statu Bauariae uestrae plura et ingratiora quam uelim audio [2]. pergit mundus aduersus Christum et sponsam eius nihil non moliri, habetque paratos iam pseudoprophetas, qui defendant omnem innouationem et mutationem in Religione. Tempori concedendum putamus et paci studere volumus, nobis omnia permittentes, Ecclesiae authoritatem detrahentes, suumque Christo decus et honorem adimentes. Jta curantur temporalia, ut spiritalia postremum semper locum habeant, et frigidissime tractentur. Sed iam locus non est haec nostra mala deplorandi, quae utinam non indies augeat Sathan, cum sine pastore passim oues aberrant [3] et nolunt intelligere, Sit vnus pastor et vnum ouile [4]. Rogemus dominum IESVM pro hisce tantis malis tum depellendis, tum superandis. Depellentur uirtute et

---

[1] Primi Socii Pragam missi quae nomina habeant, quos gradus academicos assecuti sint, quod litterarum genus tradere possint etc., ab Ignatio exponitur in litteris commendatitiis Roma 25. Ianuarii 1556 datis et potissimum in „informatione", quam Ignatius litteris suis 12. Februarii 1556 ad Ferdinandum regem missis adiunxit: in quibus litteris scribit: „Hos ergo duodecim offero V. M., de quibus unum dicam, quod non tantum labore et industria sed sanguine etiam et vita sua animarum, ad quas mittuntur, salutem iuvare omnes expetunt" (Epistulas illas et „informationem" [nunc primum editam] vide in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 446. 452 ad 454). „Roma profecti", scribit *Orlandinus*, „quod et quadragenarium agebatur ieiunium, ac fere pedites ibant, plurimum exhausere incommodum, praesertim in Germaniae terris. . . Homines passim, vbi cateruam illam aduenarum non satis noto cernebant habitu, Eremitas, Monachos, Papistas, alijsque id genus nominibus per ludibrium appellabant, haud sine minis. . . Itaque pessime affectis, prostratisque viribus Viennam inclinato ieiunio peruenere" (l. c. l. 16, n. 19. 20). Cf. etiam *Schmidl* l. c. I, 85—88 et *Io. Flor. Hammerschmid*, Prodromus gloriae Pragenae (Pragae 1717) p. 86.

[2] Vere anni 1556 ordines Bavariae („praelatis" exceptis) Albertum V. pecuniae inopia laborantem eo adduxerunt, ut 31. Martii famosam illam faceret „declarationem", cuius summa haec fere erat: Se, usque dum controversiae religionis compositae essent, eos non puniturum, qui sacram communionem sub utraque specie sumerent vel ministrarent, secluso tamen unius speciei contemptu, vel qui valetudinis servandae vel familiae alendae gratia diebus esurialibus carnes manducarent; acturum se etiam cum episcopis, ut ipsi quoque eadem impune fieri paterentur. Attamen (quod bene notandum est) Albertus diserte edixit ea ita intellegenda non esse, ac si ipse subditis suis haec concedere atque ita agendi facultatem tribuere vellet; hoc enim sui non esse muneris (*Knöpfler* l. c. p. 19—23).

[3] Cf. Marc. 6, 34. 1 Petr. 2, 25 etc. [4] Io. 10, 16.

fortitudine illorum, quibus commissus est in Ecclesia magistratus. Superabuntur patientia et constantia, quum in medio nationis prauae[1] hoc peccatorum nostrorum flagellum diuinitus immissum agnoscimus et humilibus animis toleramus. Ego si quid unquam tuo nomine potero, perlubens efficiam duce Christo, qui humanitatem tuam et uxorem chariss. incolumem diu conseruet. Hic breui responsum ut spero, aliquod accipiam, et tuam de rebus nostris sententiam sequar, vt collegij huius Jngolstadiensis principium tuae prudentiae consilio et iuditio prouehatur. Pragae 25 Aprilis 1556.

Seruus in Christo Pet. Canisius.

† Amiciss. Domino Henrico Schweickhert [*sic*], Jllustrissimi Ducis Bauariensis Secretario et Patrono bene merito. Monachij.

Inscriptioni epistulae manu antiqua adnotatum est: „Praes: 11. Maij 1556 Jm hailprunnen. Nro 14."

200.

MARTINUS GOTEFRIDIUS [?][2] S. J.

CANISIO.

Vienna 11. Maii 1556.

Ex *Gothein* l. c. p. 725 et 794, n. 77: qui scribit se ex „Köln Arch." ea hausisse.

In his litteris „bricht", inquit Gothein, „die Klage los, dass die protestantischen Prediger, von denen in Wien selbst die alte Kirche offen befehdet werde, sich des Schutzes Maximilians erfreuen".

201.

CANISIUS

HENRICO SCRIBONIO,

administratori pragensi.

Praga mense Maio (ante 18. Maii) 1556.

Ex opere „Iednání a dopisy" etc., a *Cl. Borový* edito (cf. supra p. 599), qui in archivo capituli metropolitani pragensis epistulae exemplum repperit ab ipso Scribonio anno 1564 ex autographo Canisii descriptum.

De aere alieno solvendo, quod in aedificando collegio conflatum erat. De catechismis.

Pax Christi nobiscum aeterna! Reverende Domine praeposite! rationes dati et expensi, de quibus saepe actum est, ad manum esse

[1] Phil. 2, 15.

[2] Gothein: „Stevord". Nomine „Stevordiani" Martinus Gotefridius designari solebat; praeter hunc autem sub id tempus in collegio viennensi degebat etiam „Guilielmus Stephordianus". Vide supra p. 366[3]. 451. 414.

percupio, quia nunc de solvendis debitis serio agitur. Itaque Thomae curam hanc demandari velim, ut quam primum colligat, et in promptum [*sic*][a] habeat omnia, ne sit nobis in mora — — de Catechismis etiam subduci rationes posse puto[1]. — —

Quando haec epistula data sit, ex litteris Scribonii 12. Augusti 1564 datis cognoscitur, in quibus refertur Canisium et „Wismarum" [i. e. Ursmarum Goissonium] rectorem Ferdinando regi pecuniae in collegii aedificationem impensae [Pragae] rationem reddere debuisse[2]. Ferdinandus mense Maio Pragae fuit et 20. Maii iterum Viennam advenit[3].

202.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Praga 17. Maii 1556.

Ex apographo, quod circiter annum 1865 a *Boero* ex archetypo (Canisius solum subscripsit) in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I." p. 204 posito descriptum et postea cum eodem archetypo collatum est.

Versio latina, saeculo XVII. vel XVIII. scripta, exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 84_b—85^b; sed in ea versione pars epistulae postrema omissa est; multa etiam nonnihil immutata et aliqua amplificata sunt; nec sine aliqua veritatis specie quis dixerit Canisium ipsum tum latinam hanc epistulam Romam misisse tum italicam illam, diversis tamen viis, quo certior esset ad Ignatium perventura, quae eum scire volebat[4].

Epistulae italicae particulam edidit *Boero*, Canisio p. 137, particulam latinae *Python* l. c. p. 109, aliquas epistulae latinae partes, germanice versas, *Riess* l. c. p. 138—139; cf. etiam *Janssen* l. c. IV, 401.

Pragae in collegio parando magnum aes alienum contractum esse; regem et archiducem velle quidem pecuniam suppeditare, sed non posse. Se ad archiducem saepe e suggestu dixisse et aulae bene satisfecisse. Quid Utraquistae pragenses de Canisio et ceteris Iesuitis sentiant. Se ex monasterio Oybin multa Pragam transtulisse; regem monasterii administrationem Zittaviensibus tradere velle. Quantam ex eo pecuniam collegium pragense accepturum sit. Eius rei facultatem per Ignatium

[a] *Sic; sed legendum esse videtur:* promptu.

[1] Haec ostendunt in usum iuventutis pragensis catechismos canisianos emptos esse, sive Canisius „Summam doctrinae christianae" significet sive catechismum suum minimum (de quo supra p. 592[2]).

[2] *Borovy* l. c. [3] *Stälin* l. c. p. 393.

[4] Attamen hoc valde probabile esse non videtur. Certe sermo latinus in hac epistula comparet haud ita politus, ac suspicari licet interpretem aut italicae linguae imperitiorem fuisse aut apographum italicum ante oculos habuisse vitiosum; v. g. ubi epistula italica habet Bohemum quendam, qui sacerdotem sacrilege invaserat, ex ecclesia eductum esse per „il nostro Gasparo servendo alla messa e un altro vecchio", in latina epistula solus Casparus eum expulisse refertur „partim minis, partim regis interposita auctoritate"; ac si interpres legisset: „il nostro Gasparo servendosi di minaccie e dell' autorità regia." Latinae huius epistulae vel versionis particulae aliquae ex apographo a P. *Flor. Riess* circiter a. 1862 Monachii confecto subiungentur.

a pontifice petendam esse. Socios pragenses in magna rerum inopia gaudio et spe abundare. Qua ratione schola incipienda esse videatur. Canisium et alium Societatis sacerdotem sacrilege impeditos esse. De amicis.

Pax Christi. Molto Reverendo in Christo Padre mio.

Sono adesso due mesi, che io partendo da Vienna scrissi alla R. P. V. ultimamente, massime circa le cose d' Ingolstadio et dello stato presente di Vienna. Et perchè tra questo tempo non ho scritto poi cosa alcuna, chiedo umilmente perdono della grande negligenza in scrivere ogni mese almanco una volta, secondo l' ordine datomi da R. P. V.

Or prima per dire con poche parole quel che mi ricorderò et che paia più notabile circa quello che è accaduto dopo l' arrivata mia in Praga, et innanzi che giungessero li fratelli. Sappia V. R. P. ch' io trovai quì molti debiti contratti per la fabbrica; et era ben necessario di apparecchiar molte cose in casa per li nostri fratelli. Et tutto questo insin' a quì si fa con gran difficoltà [1], massime non giovando la commissione del Serenissimo Re [2] et dell' illustrissimo Archiduca, li quali ci vogliono ogni bene, ma eseguire non possono cio è di prestarci denari in usum hujus collegii [3]. Et così insin' a quì non hauemo altro se non grandi promesse, et in effetto niente di denari, etiam pel vitto quotidiano et per le vesti nuove et per altre cose necessarie tanto per la fabbrica, quanto per la casa [4]. Di modo

Pax Christi. Admodum reverende in Christo pater.

Iam duo menses transierunt, ex quo discedens Vienna postremas ad R. P. V. litteras dedi, quibus inprimis de rebus ingolstadiensibus ac de praesenti Viennensium condicione rettuli. Et quia postea nihil litterarum misi, demisso animo R. P. V. oro, ut gravem hanc neglegentiam ignoscat; minimum semel enim singulis mensibus R. P. V. scribere iussus eram.

Iam ut de iis, quae acciderunt postquam Pragam ego adveni et antequam fratres eo pervenissent, paucis ea referam, quae mihi in memoriam redibunt et memoratu digniora videbuntur, sciat R. P. V., me hic multa debita invenisse aedificando contracta; ac valde necessarium erat, in fratrum usus multa domi parare. Quae omnia usque adhuc magnis difficultatibus obstructa sunt [1], iisque ideo maxime, quia serenissimi regis [2] et illustrissimi archiducis mandatis parum iuvamur; hi enim, licet erga nos optime affecti sint, nequeunt tamen ullo modo efficere, ut pecuniae in usum huius collegii expendendae nobis praesto sint [3]. Itaque usque adhuc nil accepimus nisi magnas pollicitationes; pecunias autem nullas habemus, neque eas quidem, quas in victum cotidianum et in vestes novas et in cetera tum aedificationi tum domui necessaria expendere oporteret [4]. Mutuari igitur nos pecunias necesse

[1] Epistula latina: „Quae tamen difficulter impetrari poterunt, iis negligentibus quorum esset maxime rem nostram promovere. Serenissimus Rex" etc.

[2] Ferdinandus rex tunc Pragae morabatur; vide supra p. 611.

[3] Ferdinando saepissime pecunia deerat: vectigalium maior pars oppignerata erat; bella turcica, castrorum hungaricorum praesidia, tributa imperatori turcico facienda etc. pecunias immensas devorabant (*Alf. Huber,* Geschichte Österreichs l. c. p. 201—203).

[4] Dominicanis patribus bona sua, quae extra monasterium habebant, integra

che siamo sforzati di pigliar denari ad imprestito insin' a tanto che Sua Maestà concluda o determini, siccome ha promesso di fare innanzi la sua partita, la quale sarà prestissima, et di farci padroni di tutti li beni di quell' altro monasterio Oibenense, il quale con tutte le sue entrate s' incorporerà a questo Collegio. Et così io sono sforzato in questa necessità di cercare di qua et di là denari, e di fare spesso istanza appresso Sua Maestà et ricorrere a diversi. Il Signore mi dia la pazienza del R. P. Pietro Codacio felicis memoriae [1].

Quanto alli miei esercizi della quaresima passata, sono arrivato quì a buon tempo per predicare all' Illustrissimo Arciduca [2], il quale subito mi richiese per questo ufficio, anchorche inanzi hauessi un' altro predicatore [3] alle feste et a qualche giorno della settimana. Et per le frequenti prediche sono stato impedito di sentire confessioni di molti a questa pasqua; avendo etiam una volta di predicare in latino il giovedì santo [4]. Benedetto Dio, che ci ha dato la grazia sua per contentare li Signori della Corte. Et credo che molto più l' Illustrissimo Arciduca et altri che desideravano sentirmi. Spesse volte ho sentito, che li più perversi giudicavano a questo modo: il Dottor Canisio conosce la verità, ma non vuole esplicarla et confessarla liberamente [5]. Et così, credo, giudicano tutti questi delli Gesuiti, riputando-

---

est, dum rex decernat vel constituat (sicut se ante profectionem suam constituturum promisit; proficiscetur autem proxime), et omnia bona alterius illius monasterii oibinensis nobis assignet; quod cum omni suo reditu collegio huic attribuetur. Itaque in hac necessitate variis locis nummos conquirere cogor, regiaeque maiestati saepe instare et ad diversos confugere. Dominus patientiam illam mihi tribuat, qua R. P. Petrus Codacius foelicis memoriae pollebat [1].

Ad labores quod attinet, quos per quadragesimam obii, sat mature huc advectus sum, ut coram illustrissimo archiduce contionari possem [2]; qui licet antea alterum habuerit contionatorem [3], statim a me petiit, ut id officium tum sacris, tum aliquot singularum hebdomadarum diebus sibi praestarem. Ac contionum multitudine a multorum confessionibus hoc paschatis tempore excipiendis impeditus sum; unus etiam sermo latinus e suggestu mihi habendus fuit feria quinta in coena domini [4]. Deo grates agantur, quo adiuvante aulicis hisce satisfacere potui; et multo etiam magis me illustrissimo archiduci aliisque satisfecisse existimo, qui audire me voluerant. Saepe audivi, maxime perversos ita sentire: Doctor Canisius veram religionem novit quidem, sed proferre non vult nec libere profiteri [5]. Atque ita illos omnes de Iesuitis existimare puto: doctos et doctrinis

---

manserunt. Immo et rex eorum reditum auxit, et Canisius in monasterio S. Agnetis, antequam patres immigrarent, regis sumptibus cellas aptandas et novas aliquot exstruendas curavit (*Schmidl* l. c. I, 81).

[1] Is domus professorum romanae primus „procurator" et quasi parens fuerat; cf. supra p. 306 [2].

[2] Anno 1556 „Quadragesima" die 19. Februarii incepta est.

[3] Epistula latina: „Ecclesiasten non vulgarem."

[4] Die 2. Aprilis.

[5] Epistula latina: „Fatentur ultro Doctorem Canisium agnoscere veritatem, sed metu, Pontificis gratia excidendi, nolle amplecti.

ci per dotti et fondati nelle cose sacre[1], ma volendoci male, perchè li paremo troppo fedeli alla Sede Apostolica et inimici delle novità. Pur questi Hussiti molto ci temono, et quanto manco sono fondati nella verità, tanto più aborriscono questo Collegio, il quale da gran consolazione a tutti li cattolici[2].

Item in questa quaresima sono andato a quell' altro monasterio Oibinense, et hauendo la commissione Regale ho trasferito di là molte cose utili per la chiesa, per la libraria[3] et per la casa: ancorchè quel grandissimo et ricchissimo monasterio majori ex parte sia spogliato[a] et ora malamente inhabitato dalli secolari et donne. Ora Sua Maestà vuole che noi in questo modo godiamo delli beni del detto monasterio, non come amministratori, ma come recettori di una certa somma di denari, la quale summa da pagarsi ogni anno si obliga una città la più vicina a quel monastero[4], promettendo darci mille et quattrocento taleri[5] senza dispesa nostra. Et così Sua Maestà vuole concedere a questa città l'amministrazione di tutti li beni del

---

sacris[1] bene instructos nos ducunt, sed male nobis volunt, quia sedi apostolicae nimis addicti et rebus novis inimici esse iis videmur. Verumtamen Hussitae isti valde nos timent, et quo minus in veritate nituntur, eo magis ab hoc collegio abhorrescunt, quod catholicis omnibus magno est solacio[2].

Hac quadragesima etiam monasterium illud oibinense adii et regis iussu multa ex eo huc transtuli, ecclesiae, bibliothecae[3], domui usui futura; quamquam amplissimi et ditissimi huius monasterii maior pars exspoliata est[a] et ab hominibus saecularibus et mulieribus male incolitur. Vult autem rex nos monasterii illius bonis uti non administrando, sed ita, ut certam pecuniam accipiamus, cuius solutionem urbs monasterio maxime vicina in se suscipit[4]; promittunt cives, se mille quadringentos taleros[5] singulis annis absque nostro impendio nobis daturos. Rex igitur omnia illius monasterii bona civitati illi ad certos annos vult tradere admini-

---

[a] ancorchè la maggior parte di quel grandissimo et ricchissimo monasterio majori ex parte sia spogliato *apogr.*

---

[1] Epistula latina: „Existimant Iesuitas omnes prophanis et sacris literis apprime imbutos."

[2] Epistula latina: „Idcirco Hussitis non parum adventus noster displicet, et quo minus, errorum suorum conscii, fluctuanti haeresi et paulo post ut speramus expiraturae confidunt, tanto magis collegium nostrum oderunt, quod non parvo est huius loci catholicis solatio et calcar ad rem catholicam diu iam calcatam strenue promovendam."

[3] Alteram bibliothecae oybinensis partem postea a P. Hurtado Perez S. J. Pragam translatam esse postea videbimus. Complures libri oybinenses saeculo XVIII. Pragae ex bibliotheca collegii clementini in caesaream translati sunt ibique adhuc exstant; quorum aliqui recensentur a *Pescheck*, Cölestiner des Oybins p. 26—27.

[4] Zittavia sive Zittau, quae nunc regni saxonici urbs est.

[5] *Achilles Pirminius Gasser*, medicus augustanus († 1577) in „Annalibus" suis augustanis refert anno 1560 „unciales Taleros" et taleros argenteos, quos Carolus V. ante decem annos in usum induxerit, abolitos esse; atque hos 18, illos 17 bacios aequasse (Batzen = 11—12 nummi [„Pfennige"] germanici = 14—15 „centimes"). Epistula latina: „mille quadringentos Philippicos". Cf. *Schmidl* l. c. I, 92.

detto monasterio a certi anni: di modo che essi avranno la cura di esiggere debiti, di coltivare li territori, di edificare le case ecc.[1] Et tutto questo si fa per nostra comodità, essendo quello monasterio tanto lontano, et perchè sarebbe una fatica insopportabile, massime in questi luoghi et tempi, di governare con le nostre spese tutto quello che appartiene al detto monasterio. Ora tuttavia sollecitiamo, che questa convenzione per l' autorità del Serenissimo Re sia espedita insieme con la supplica, la quale si manderà a Sua Santità per aver la dispensa circa l' incorporazione di quel monastero in questo Collegio Praghense. Et perchè mi pare aver sentito dalla bocca del R. P. Natale[2], che sia tanto applicar una cosa alla Compagnia, quanto alla Sedia Apostolica[3], spero che in queste faccende et procure io son fuora d' ogni pericolo della coscienza, ancorachè innanzi la dispensa sia fatta questa incorporazione Reale per l' autorità della Maestà Regia, la quale sono tanti anni che ha governato per un Capitanio[4] quel monastero et applicato li beni alla camera Boemica. Ora Sua Maestà si contenta, che per mezzo della R. P. V. cerchiamo la dispensa di Sua Santità, che quelli beni in perpetuo siano incorporati a questo Collegio. Pur temo che Sua Maestà avendo tanto qui da far et stando tanto poco tempo in Praga, perchè molto festina alla Dieta imperiale et Ratisbonense, non potrà per adesso espedire del tutto

stranda, ita ut ipsorum sit, debita exigere, agros colere, construere quae construenda erunt etc.[1] Atque haec omnia nostrae utilitatis et commoditatis gratia fiunt; monasterium enim illud longissime a nobis distat, et labor foret intolerabilis, hisce praesertim locis et temporibus, nostris impensis colere et curare, quaecunque ad monasterium illud pertinent. Nunc assidue urgemus, ut pactum hoc serenissimi regis auctoritate ad summum pontificem mittatur una cum libello supplici, quo facultas petitur monasterii illius collegio pragensi attribuendi. Et quia ex R. P. Natali audivisse mihi videor[2], idem esse Societati aliquid attribuere ac sedi apostolicae dare[3], me in negotiis hisce et pactionibus ab omni conscientiae periculo immunem fore spero, etiamsi reapse auctoritate regia bona illa nobis attributa sint, antequam pontifex dispensasset. Ex multis annis per centurionem quendam rex monasterium illud administravit eiusque bona camerae bohemicae attribuit[4]. Nunc autem ei placet nos per R. P. V. a summo pontifice dispensationem petere, qua bona illa collegio huic in perpetuum attribuantur. Attamen timeo, ut rex, plurimis hic occupationibus distentus et per brevissimum tempus Pragae mansurus — valde enim festinat ad comitia imperii Ratisbonae habenda — hoc negotium nunc absolvere possit, quod in collegio

[1] Epistula latina: „exigere debita, locare subditos, agros colere et pro arbitrio rem oeconomicam administrare".

[2] Epistula latina: „Et quoniam ex Pat. Natale coram intellexi, quae applicantur auctoritate saecularis Principis nostrae Societati, perinde se habere, ac si sedi Apostolicae adjudicata fuissent."

[3] Hoc certe haud ita plane est dictum; quod accuratius explicare longum est. Ceterum quid iuris ac potestatis Ferdinandus in monasterio illo, a Carolo IV. imperatore et Bohemiae rege olim condito, habuerit, nunc exacte definire difficile fuerit. Ceterum vide, quae infra scribentur in epistula Canisii 11. Iunii 1556 data.

[4] Ferdinandus inde ab a. 1551 id fecit, opera utens Iacobi de Haag „capitanei". Vide infra, epistulam 11. Iunii 1556 ad S. Ignatium datam.

questo negozio, cioè di dotare et fondare questo Collegio. Non mancherò[a] pur della parte nostra di sollecitare quanto sarà più possibile, et così circa li debiti già fatti nella fabbrica, li quali potessino arrivare a mille fiorini[1].

Quanto all' arrivo delli carissimi fratelli, il[b] quale è stato a 21. di aprile[2], vero è che loro hanno avuto materia et occasione di esercitare la pazienza[3]: prima, avendo lasciate le vesti et anchora fatto debiti in Vienna[4]; secondo, trovando quì nel monasterio anchora li Frati di S. Domenico, li quali anchora non sono usciti, benchè il Re li habbia di ciò ammoniti et avvisati con la propria bocca[5]: terzio [?][c], non trovando recapito di letti[6] et massime di denari, siccome ho detto di

nostro dotando et constituendo versatur. Nec tamen nos omittemus rem urgere, quantum poterimus, ac solvendo quoque aeri alieno instare, quod in aedificando iam conflatum est et ad mille ferme florenos pertingit[1].

Quod ad carissimorum fratrum adventum attinet — advenerunt 21. Aprilis[2] — copia sane et occasio patientiae exercendae ipsis non defuerunt[3]; primo enim Viennae vestes reliquerunt et aes alienum denuo contraxerunt[4]; secundo, in monasterio hoc fratres dominicanos invenerunt; qui nondum emigraverunt, licet rex eos appellaverit et coram cohortatus sit[5]; tertio, nec lectulos hic invenerunt[6], neque etiam pecuniam; quod iam ante rettuli. Ideo multis diebus nemo eorum domo egredi potuit

[a] *Sic;* mancherà? [b] la *apogr.* [c] *Sic apogr;* tertio?

[1] 1000 floreni rhenenses ferme = 1715 „Mark" vel 2140 „Francs".

[2] Hunc diem et *Orlandinus* (l. c. l. 16, n. 20) et P. *Georgius Crugerius* S. J. pragensis (Sacri Pulveres mensis Aprilis [Litomisslii 1669] p. 119) habent. *Schmidl* l. c. I, 81 scribit 18. Aprilis et Socios advenisse, et Canisium monasterii clementini „plenam possessionem adiisse", atque ideo diem illum „Fundationis titulo celebrari". Prius certe falsum est.

[3] Epistula latina: . . . „21 Aprilis appulerunt, adversis casibus non paucis in via exercitati, puto ut fortiori animo, jam ad dura eruditi, similia hic perferrent."

[4] Superest pars epistulae hispanicae, inscriptione carentis (primum edita in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 155—158), in qua *Polancus* refert Socios pragensi collegio destinatos Romae viaticum, quod Ferdinandus rex iis suppeditare voluisset, frustra exspectasse, ideoque se ab amicis romanis 110 ducatos mutuos sumpsisse. Epistula Polanci P. Nicolao Lanoio, collegii viennensis rectori, inscripta esse videtur vel P. Ioanni Victoriae hispano (qui Viennae annis 1558—1562 rector fuit), non vero Canisio; huic enim Polancus hispanice scribere non solebat; ac Canisius certe in hac epistula aliquid rescripsisset, vel saltem significasset se litteras illas accepisse.

[5] „Solam . . . aream monasterii potissimam partem desolati et rudera exigua Clementini templi vel potius capitularis sacelli . . . superiores Praedicatoriae familiae . . . Patri Petro Canisio cesserunt." Aliqui eius ordinis fratres in monasterio S. Clementis habitaverunt usque ad a. 1562, quo Fr. Fridericus Borzekowsky, prior postremus, totum aedificium Societati tradidit. Ita quidem *Hammerschmid* l. c. p. 85. 86. *Schmidl* vero l. c. I, 81 refert: Anno 1556 patres illos „non modo volentes, sed et laetos ad S. Agnetis Coenobium properasse, idque ipsum una omnes suis testatos esse chirographis, quae Canisius, in futurum providens, dari sibi postularat."

[6] Epistula latina: „coguntur hic de nocte absque lecticis humi cubare".

sopra. Onde per molti giorni nissuno ha potuto uscire fuora per mancamento delle vesti, le quali ora si fanno di nuovo, perchè il P. Lanoy ci scrive di volere ritenere le altre già fatte per li suoi. Pur con tutto questo ci troviamo allegri nel Signore, non dubitando della divina providenza et bontà [1], la quale ha commosso alcuni Signori di mandarci vino et cervosa, carne et pesci. Non si sente nissuno [a] rumore, come innanzi temevamo, per la venuta delli nostri [2], et per molte ragioni ci confidiamo nel Signore d' hauere una scuola molto principale et eccellente in questo regno, siccome molti ci promettono, offerendo anco i loro figliuoli et volendoli mandare di lontano, avendo in gran conto questi nuovi dottori et maestri di Sua Maestà, venuti tanto di lontano etc. Faccia Iddio che tutti rispondano all' espettazione di questa venuta. Per molti rispetti [3] ci è parso più conveniente et al proposito di cominciar questa scuola dalle classi più basse, non dubitando che la V. R. così consigliarebbe, vedendo quì la disposizione degli uditori tanto poco et malissimo fondati et molto lontani dall' istituto di questa scuola [4]. Item li libri tuttavia ci mancano tanto per

ob vestium defectum; quae nunc de integro conficiuntur; P. Lanoius enim nobis scribit, se eas, quae iam factae sint, in suorum usum retinere velle. Verum etsi haec ita sunt, laeti tamen sumus in domino, nil dubitantes de providentia et bonitate Dei [1]; quo auctore proceres quidam vinum, cerevisiam, carnes, pisces nobis miserunt. Rumores, quos ante timebamus, adventu nostrorum excitati non sunt [2], ac multis de causis in domino confidimus, scholam in hoc regno nobis fore valde praecipuam et eximiam; quod multi nobis promittunt, filios nobis offerentes atque etiam e longinquo ad nos mittere parati; permagni enim novos hos doctores et magistros regios faciunt, qui e tam dissitis regionibus huc venerint etc. Efficiat Deus, ut nemo eorum spem fallat, quae eorum adventu excitata est. Nobis multas ob causas [3] melius et utilius visum est, hanc scholam ab inferioribus classibus incohare, nec dubitamus, quin reverentia vestra idem nobis suasura esset, si videret, quam rudes sint hi auditores quamque male instructi ac longe distantes ab huius scholae ratione atque instituto [4]. Accedit, quod libros nondum accepimus et nobis et auditoribus

[a] nissino *apogr.*

[1] Epistula latina: „In tantis rei domesticae angustiis hilares in Domino vivimus, semper freti illius providentia, qui coeli pascit volucres, et lilia agri induit decore."

[2] Vide relationem de Sociorum adventu ab *Hussita* quodam scriptam apud *Schmidl* l. c. I, 102.

[3] Epistula latina: „post longam hac super re habitam inter nos disceptationem".

[4] S. Ignatius Romae 12. Februarii 1556 Sociis Pragam profecturis copiosam dedit institutionem italice scriptam; in qua etiam haec constituit: „Se vi sarà disposizione di uditori, leggano le cose della teologia scolastica. . . Potrà farsi una lezione di S. Scrittura . . . . Vedasi se sarà a proposito una lezione di casi morali. Delle scuole pare che per adesso basterebbero tre; una per li mediocri che intendessero il maestro in latino; un' altra per li più provetti dove si leggesse rettorica e libri maggiori; e la terza dove si leggesse il greco e l' ebreo. . . Per li minimi per adesso non pare che si diano maestri, nè classe" (Tota institutio primum edita est in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 455—464. 137—155).

noi, come anche per li uditori [1]. Et questi Signori et Patroni nostri avrebbeno grande dispiacere vedendo tanto poca gente venire alla schola, se attendessimo solamente alle classi più grandi. Sua Maestà non ci ha dato, come speravamo et desideravamo, il suo aiuto et favore a pubblicare questa scuola [2]; ma si mostra più contenta che cominciamo con quanta si potrà modestia et humiltà, per non movere questi cervelli della città et Università Praghense, la quale ogni dì più procede per via delli heretici [a] [3].

Credo che V. R. saprà per altre lettere delli nostri, sicome alla domenica, otto dì sono [4], quando io celebrava nell' altare maggiore, mi salutarono con una pietra [5] gittata per la finestra. Et dopo nella festa dell' Ascensione [6], stando il P. Cornelio [7] alla messa dopo la consecrazione, venne un Boemo a lui, parlandogli con parole male, et reprehendendolo quasi per la sua idolatria, et al fine levò la mano

---

necessarios [1]. Dominis autem his ac patronis nostris valde displiceret, si tam paucos scholam frequentantes viderent; venirent autem valde pauci, si solis superioribus classibus operam navaremus. Regis auxilium et favorem exspectabamus et exoptabamus ad scholam hanc Bohemis promulgandam et indicendam; at spes nos fefellit [2]; praeoptat enim rex, ut nos quam maxima cum modestia et demissione incipiamus, ne civium istorum atque academiae pragensis iram concitemus; quae in dies magis in via haereticorum amplius progreditur [3].

Puto nostros reverentiae vestrae iam scripsisse, me octo abhinc dies, dominica die [4] in altari summo missae sacrificium offerentem, lapide [5] salutatum esse per fenestram iacto. Postea, die festo ascensionis domini [6], ad P. Cornelium [7] sacrum facientem, consecratione peracta Bohemus quidam accessit, contumelias in eum dixit, obiurgavit, tamquam idololatriam perpetrantem, manum denique sustulit, ut eum

[a] heresici *apogr.*

---

[1] Multos quidem libros, etiam hebraicos, Socii pragenses Romae collegerant; sed Ignatius volebat eos, Dei providentiae confidentes, solum libellum „De imitatione Christi" secum asportare. Quae copiosius enarrantur a *Schmidl* l. c. I, 87.

[2] Epistula latina: „Ma. sua ut exspectabamus fore, nondum publicas scholas nobis aperuit." Quod *Riess* (l. c. p. 139) vertit: „Wie wir voraussahen, hat Seine Majestät uns noch keine öffentlichen Schulen übergeben."

[3] Attamen Scribonius praepositus et capitulum metropolitanae ecclesiae pragensis 4. Iulii 1556 omnibus contionatoribus urbis pragensis mandarunt, ut proxima die dominica e suggestu ludum Societatis 8. Iulii aperiendum fidelibus indicerent et commendarent. Mandatum hoc primum in lucem emissum est a *Pachtler* l. c. I, 150; exstat etiam in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 642—643. Orlandinus, Crugerius, Schmidl ludum 7. Iulii apertum esse scribunt.

[4] 10. Maii. [5] Epistula latina: „praegrandi lapide".

[6] 14. Maii. Epistula latina: „pridie Ascensionis Domini".

[7] De P. Cornelio Brogelmanno v. supra p. 272 [1], et instructionem peculiarem, quam S. Ignatius Pragam profecturo dedit, in *„Cartas"* VI, 462—463. 153. Ei officium „ministri et confessarii domus" Pragae obtigisse refert P. *Georgius Varus* (Ware) S. J. (Anglus, ex dioecesi roffensi ortus, † Pragae anno 1582; *De Backer* l. c. III, 1487) in *„Historia fundationis Collegii Pragensis", cuius unum tantum superest folium, in bibliotheca universitatis pragensis, Cod. „I. A 1".

per dargli un pugno, et a batterlo, dicendo in lingua Boema, Non mihi respondes? Et Iddio pur diede la sua grazia: che il nostro Gasparo servendo alla messa[1] et un altro vecchio ritirassero quell' uomo dall' altare et il menassero murmorando di fuori senza aver procaduto a cosa alcuna di male. Donde V. R. può intendere la disposizione della gente, massime essendo tra questi Boemi tanti Piccardi, Anabattisti, Giudei, Zuingliani, Hussiti et altre sette. Pur hauemo concluso di cominciar ad aprire la schola circa l' ottava della SS. Trinità[2], et[3] faranno li suoi principii[4] li RR. dottori Enrico[5] et Tilia[6] insieme col Retore seu Rethorico[7], li quali facendo le loro orazioni

---

pugno caederet ac percuteret, bohemice dicens: Non mihi respondes? Sed Deus nobis adfuit; Gaspar noster, sacerdotis minister[1], et senex quidam hominem ab altari abstraxerunt et murmurantem eduxerunt, priusquam mali quicquam executus esset. Ex his rebus R. V. cognoscere potest, quam male Bohemi hi affecti sint, inter quos permulti sunt Picarditae, Anabaptistae, Iudaei, Zwingliani, Hussitae, aliorum haereticorum sectatores. Attamen scholam nostram circiter octavam sanctissimae Trinitatis[2] primum aperire decrevimus[3]; „principia", quae vocant[4], sua reverendi doctores Henricus[5] et Tilia[6] simul cum rhetore sive rhetorico[7] facient;

---

[1] Hic „Casparus Conger" a *S. Ignatio* vocatur in litteris commendaticiis 25. Ianuarii 1556 datis, quarum apographum, XVII.° vel XVIII. saeculo scriptum, exstat Viennae in archivo aulae caesareae: Oesterr. Akten, geistl. Archiv, Iesuitica 418; cf. *„Cartas"* VI, 446. *Varus* scribit (l. c.) „Casparum Kongum Labacensem Carniolum" „in postrema" classe collocatum esse.

[2] Eo anno dies festus sanctissimae Trinitatis fuit 31. Maii.

[3] Vide supra p. 618[3]. „Ordinem lectionum" cum catalogo librorum explicandorum etc. posuit *Pachtler* l. c. I, 150—152, atque inde transcriptus est in *„Cartas"* VI, 643—645.

[4] Id est: scholas suas sollemniore disputatione incipient; quae etiam „inceptio" dicebatur.

[5] P. Henricus Blyssem epistulam ad Romanos et Nicolai Clenardi grammaticam hebraicam expositurus erat (*Ordo lectionum* l. c.). Is anno 1526 Bonna ortus, P. Leonardo Kesselio auctore a. 1552 Romam in collegium germanicum venit et ex eo in Societatem transiit („Henricus Blissemius Bonnensis" : * Catalogus collegii germanici, ad a. 1552, p. 3; cf. supra p. 445[2]). Pragae catecheta ecclesiae metropolitanae et contionator Ferdinandi archiducis fuit. Collegio pragensi a. 1561—1570, graeciensi 1570—1575, provinciae austriacae Societatis 1578—1586 praefuit; obiit Graecii 24. Aprilis 1586 (Card. *Steinhuber* l. c. I, 38. *Sommervogel* l. c. I, 1550 ad 1551. *Fr. Mart. Pelzel,* Boehmische, maehrische und schlesische Gelehrte und Schriftsteller aus dem Orden der Jesuiten [Prag 1786] p. 1. *Georg. Weis* S. J., Gloria Universitatis Carolo-Ferdinandeae Pragensis [Pragae 1672] p. 110—111. *Alfr. Hamy* S. J., Galerie illustrée de la Compagnie de Jésus I [Paris 1893], n. 42).

[6] Ioannes de Tilia (Tilianus, van der Linden) gelrus (Romae doctor theologiae creatus, mortuus Laureti a. 1559), „porphyrianam Isagogen et Logicam Aristotelis" ac „Grammaticam Nicolai Clenardi graecam" explicaturus erat, atque etiam aliquid „ex Mathematicis", „siquidem librorum et auditorum commoditas ita ferret" (*Ordo lectionum* l. c. *Delplace,* L'établissement etc. p. 4*).

[7] „Magister Guilhelmus" „libros ad Herennium", Ciceronis orationem pro Milone, „Horatium de arte poetica vel simile quiddam" expositurus erat. In „ordine lectionum" „Antverpianus", in litteris autem commendaticiis „Geldrensis" vocatur. Sunt, qui censeant eum esse Guilielmum illum Brochaeum (von dem Broch, Bro-

mostreranno bene, come spero, che non manca niente ex parte sua per leggere a bastanza nelle loro professioni. Vero è che sarebbero più aiutati per questo, se fussino innanzi introdotti et versati in leggere alcuna cosa pubblicamente. Del P. Tilia si potrà haver più dubbio, se sarà sufficiente a portar questo peso in filosofia et matematica (perchè la scolastica non pare quì niente a proposito) massime lamentandosi egli della debilità sua nella sanità corporale, et hauendo ancho il consenso del medico che andasse alli bagni, et così almanco avrebbe da perder un mese. Del resto scriverà diffusamente il R. P. Rettore [1]. Io raccomando me et tutto questo Collegio alle sante orazioni della R. P. V. Et secondo che il Re m' ha dato ordine, non mi partirò di qua insin a tanto che le schole sieno in ordine et le stanze fornite et li debiti ridotti a qualche buon fine.

Quanto alla fondazione perpetua di questo Collegio, ci rispose il fedelissimo padrone nostro Vececancellario di Sua Maestà [2], che siccome li nostri in Vienna a poco a poco sono arrivati alla finale risoluzione di Sua Maestà per hauer una lettera della perpetua fundazione

---

quos orationibus suis probaturos esse spero, ex sua quidem parte nil deesse ad suum litterarum genus sat bene tradendum. Facilius certe haec praestare possent, si antea ad publicam aliquam scholam habendam instituti et exerciti essent. De patre quidem Tilia magis dubitari potest, an onus hoc philosophiae et mathematices tradendae ferre possit (scholastica enim theologia huic loco minime convenire videtur), praesertim cum queratur, se valetudine imbecilliorem esse; atque etiam medico placuit eum ad aquas proficisci, sicque unius minimum mensis iactura ei facienda esset. Cetera R. P. Rector copiose exponet [1]. Ego me totumque hoc collegium sacris reverendae paternitatis vestrae precibus commendo. Regi ut morem geram, hinc non discedam, antequam scholae bene constitutae sint et cubicula parata atque aes alienum ad bonum aliquem terminum reductum.

Quod ad stabilem huius collegii constitutionem attinet, regis vicecancellarius [2], qui patronus noster est fidissimus, sic nobis respondit: Sicut viennenses fratres nostri pedetentim ad diploma regium accipiendum pervenissent, quo reditus collegio

---

chens) vel Limburgium (quia ex oppido Dolhain-Limbourg vel saltem ex ducatu limburgensi ortus erat), qui, anno 1551 Romae in Societatem admissus, „disputationes de orationis vi ac necessitate“ et alia nonnulla conscripsit, Moguntiae theologiam tradidit, anno 1583 Treveris decessit (*Delplace* l. c. p. 3*. *Cartas* VI, 133. *Sommervogel* l. c. II, 194).

[1] Ursmarus Goisson, Bellomontio (Beaumont, regni belgici oppidum) ortus, canonicus thuniensis (Thuin), a. 1556—1558 collegii pragensis rector fuit; a. 1565 seminarii romani „superintendens“ constitutus est; a. 1567 dioecesim beneventanam lustravit; per multos etiam annos Romae eorum, qui ad sacros ordines promovendi essent, tentaminibus praeerat; Lovanii a. 1578 decessit (*Hammerschmid* l. c. p. 103. Card. *Steinhuber* l. c. I, 82². *Delplace* l. c. p. 2*. *Franc. Sacchinus* S. J., Historiae Societatis Iesu pars tertia [Romae 1649] l. 1, n. 52; l. 3, n. 42. 43; p. 20. 99—100, et pars quarta [Romae 1652) l. 4, n. 151, p. 190). Thunium tunc ad agrum leodiensem pertinebat, et hinc factum esse videtur, ut P. Goisson nonnumquam „Leodiensis“ diceretur, v. g. in *„Synopsi chronologica Rectorum Collegii S. J. Pragae ad S. Clementem“ (1556—1709), quae Viennae in archivo aulae caesareae exstat: Oesterr. Akten, geistl. Sachen, les. 422. [2] Iacobus Ionas.

circa la entrata, che così anchora quì bisognaria aspettare un poco. Et certo mi par che sia molto per adesso hauer impetrato quelli detti mille et quattrocento daleri. Benchè non sappemo anchora quanto habbiamo di applicar di questa summa alla sustentazione delle tre o quattro persone ecclesiastiche, le quali secondo l'ordinazione di Sua Maestà hanno di stare in quel monasterio Oibinense, siccome scriveremo dappoi più diffusamente.

Speriamo che il dottor Enrico comincierà a predicar in tedesco alle feste di Pentecosta nella nostra chiesa con la grazia di Cristo. Dimane si partirà di quì il Serenissimo Re per Vienna et alla Dieta; et heri mi disse che ci guardassimo quanto fusse possibile di non far troppe spese, essendo tanta carestia delli denari; dandomi anchora licentia d'andare in Ingolstadio per aiutar quel Collegio, quando le cose fussero quì bene conciate. Oggi il Magnifico Vicecancellario ha menato con seco il R. P. Dottor Gaudano[1] in Vienna, perchè Sua R. qui è stata tre o quattro settimane, et ha guadagnato non poco di sanità per la grazia di Cristo nostro Signore.

Dirò una cosa del detto Vicecancellario, acciò sia più conosciuto et honorato questo padrone della Compagnia, il quale quasi tutto ha fatto et fa circa il Collegio di Vienna et questo di Pragha per conservar et difendere li nostri. Vedendo egli gran difficultà et dilazione in espedire le cose nostre appresso di questi Signori, alli quali Sua Maestà ci ha rimessi, lui andò stesso al principale et dopo anchora a tutti non solamente facendo istanza per hauer la spedizione pel

---

perpetuus constitueretur, ita hic quoque aliquantulum exspectandum fore. Mihi sane multum modo videmur esse assecuti, mille et quadringentis taleris illis impetratis. Sed nondum cognovimus, quantam illius pecuniae partem in tres quattuorve homines ecclesiasticos impendere deberemus, quos rex in monasterio illo oibinensi iubet commorari; qua de re postea uberius scribemus.

Speramus, doctorem Henricum festo die Pentecostes primum sermonem germanicum in ecclesia nostra Deo iuvante habiturum esse. Cras serenissimus rex hinc discedet, Viennam et ad comitia profecturus; is heri mihi dixit, cavendum esse nobis, quantum fieri posset, a nimia pecuniae impensa facienda, in tantis pecuniae angustiis; qui etiam mihi concessit, ut rebus huius collegii bene dispositis Ingolstadium proficiscerer ad collegium illud adiuvandum. Hodie magnificus vicecancellarius R. P. doctorem Gaudanum[1] secum Viennam reduxit; qui pater reverendus per tres quattuorve hebdomades hic degit ac Christo domino nostro iuvante multum convaluit.

Unum addam de vicecancellario illo, quo magis patronus hic Societatis nostrae cognoscatur et honoretur, qui quasi cuncta praestitit ac praestat, quae ad fratres nostros viennenses et pragenses conservandos et defendendos spectant. Is cum res nostras ab iis, ad quos rex nos remiserat, aegre et admodum lente curari videret, ipse eum, qui principem inter eos locum tenet, ac postea etiam omnes adiit, nec solum institit, ut negotium collegii nostri conficeretur, sed et aperte iis dixit ac

---

[1] P. Nicolaus Goudanus eo tempore theologiam scholasticam in universitate viennensi tradebat (*Wappler* l. c. p. 377).

nostro Collegio, ma anchora dicendo chiaramente et altrove poi ripetendo, che volesse più presto lasciare il suo officio, la Corte et il Re medesimo, che vedere restar li nostri senza la spedizione circa il Collegio. Pensate voi, diceva, che Sua Maestà chiamò quì questi Padri per morire della fame? et con altre parole anchora li diede buoni ribbuffi, niente curandosi che li heretici et altri gli vogliono tanto male etiam per noi altri.

V. R. mi perdonerà, s' io sono stato troppo lungo. Li cattolici Signori di Boemia, essendo stati in questa Boemica Dieta, si mostrano affezionati a noi altri, et spero che ci manderanno gente per la schola. Non altro, se non che V. R. ci abbia sempre per raccomandati. Ex Collegio Praghense [*sic*] apud Sanct. Clementem xvij Maii[1] 1556.

Figliolo indigniss. Piedro Canisio.

† Al molto Reverendo Padre mio in Christo il Padre Maestro Ignatio de Loyola preposito generale della Compagnia de Giesú. Roma.

Epistulae archetypae manu eiusdem temporis adnotatum est: „Receuuta alli 21 di Giugno."

---

postea alibi repetiit, malle se officio se abdicare et ab aula et rege ipso discedere, quam collegii nostri res infectas videre. An existimatis, aiebat, patres hos a rege huc evocatos esse, ut fame perirent? Aliis quoque verbis eos probe obiurgavit, nihil moratus, haereticos et alios sibi etiam propter nos esse infensissimos.

R. V. mihi ignoscet, si prolixior fuerim. Bohemiae nobiles catholici, qui comitiis his Bohemicis interfuerunt, erga nos bene affectos se exhibent; spero, pueros, qui scholam nostram frequentent, ab iis missum iri. Aliud non habeo, nisi quod R. V. rogo, ut nos semper sibi habeat commendatos. Ex collegio pragensi apud S. Clementem XVII Maii[1] 1556.

Filius indignissimus Petrus Canisius.

† Admodum reverendo in Christo patri meo, patri magistro Ignatio de Loyola, praeposito generali Societatis Iesu. Romae.

203.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma 7. Iunii 1556.

Ex „Cartas de *San Ignacio*" VI, 492—493; editores usi sunt exemplo, quod antea in archivo Societatis Iesu romano asservabatur; cf. l. c. p. 281, adnot. 1.

Epistulam eandem edidit *Riess* l. c. p. 166 ex exemplo Monachii invento.

Canisium primum praepositum provincialem per superiorem Germaniam constituit.

Ihesus.

Ignatius de Loyola, Societatis Jesu Praepositus Generalis, Dilecto in Christo Fratri, Doctori Petro Canisio, Sacerdoti ejusdem Societatis, Salutem in Domino sempiternam.

[1] Epist. lat.: „III Maii"; quod falsum esse ex epistula ipsa patefit.

Quum crescente in dies numero eorum qui nostrum Institutum sequuntur et Collegiorum quae variis in locis[a] Societati nostrae fidelium erigit devotio, crescat etiam rebus multis providendi [et consequenter administrationis onera dividendi][b] necessitas: visum est in Domino expedire, ut iis qui sub nostrae Societatis obedientia in regno Bohemiae, in archiducatu Austriae, in ducatu Bavariae, et in universa superiori Germania sunt et pro tempore erunt, Praepositum Provincialem, qui seorsim eis praesit, constituamus. Quum igitur de tua probitate, doctrina et prudentia, quae est in Christo Jesu, plurimum confidamus, Te Praepositum[c] supradictarum regionum cum omni ea auctoritate quam nobis Apostolica Sedes et Constitutiones nostrae concedunt, instituimus; rogamusque Deum Altissimum, ut ad hoc munus utiliter ad animarum auxilium et ipsius honorem obeundum gratiam suam uberem dignetur praestare.

Datum Romae in aedibus Societatis Jesu, VII Idus Junii MDLVI [1].

L. † S. Ignatius.

His S. Ignatii litteris in Societate Iesu constituta est „provincia Germaniae superioris", quae, separatis postea ab ea provinciis Austriae, Bohemiae, Rheni superioris, Bavariae, usque ad suppressionem Societatis anno 1773 factam perstitit et nostro saeculo in „provincia Germaniae" aliqua ratione revixit. Integram seriem praepositorum provincialium Germaniae superioris edidit *Pachtler* l. c. I, XV—XVI.

Canisius S. Ignatio rescripsisse videtur Praga sub medium mensem Iulium a. 1556.

Falsa prorsus sunt, quae *Gothein* scribit de Canisio ab Ignatio, ubi primum hic praepositorum provincialium officium instituerit, totius Germaniae provinciali constituto [2]. Ignatius primum in Societate praepositum provincialem iam creavit anno 1546 [3], quo Canisius vix noviciatu egressus erat, neque umquam ante saeculum XIX. tota Germania unica Societatis provincia comprehendebatur. Ignatius, cum initio Socios germanos ipse rexisset, anno 1556 simul provincias Germaniae superioris et Germaniae inferioris constituit iisque Patres Canisium et Bernardum Oliverium praeesse voluit [4]. Si quis vel obiter legerit litteras Ignatii supra positas, plane intelleget Canisium anno demum 1556 primum ornatum esse praepositi provincialis potestate eaque in sola superiori Germania fungi iussum.

[a] variis locis *Riess*.

[b] *Haec ex Riess suppleta sunt; in „Cartas" enim solo librarii vel typographi vitio omissa esse videntur, cum versio hispanica ibidem p. 281—282 posita habeat:* y consiguientemente de repartir las cargas del gobierno.

[c] te in Praepositum *Riess*.

[1] *Vitus Ludovicus a Seckendorf* asserit Ignatium anno 1541 provinciam „Germaniae" constituisse eique Petrum Canisium praefecisse (Commentarius historicus et apologeticus de Lutheranismo [ed. 2., Lipsiae 1694] l. 3, p. 324). Seckendorfium sequitur *Raupach* l. c. p. 43. Sed anno 1541 Canisius Societatem Iesu ne ingressus quidem erat.

[2] Ignatius p. 760. [3] Cartas de *San Ignacio* I, 397—398.

[4] Cartas de *San Ignacio* VI, 488. 492—493. *Manareus* l. c. p. 38—39. *Orlandinus* l. c. l. 16, n. 2.

204.

SANCTUS IGNATIUS

CANISIO.

Roma 7.—9. Iunii 1556.

Ex epistula S. Ignatii archetypa, quae est in cod. monac. „Scriptt. coll. Ingolst." f. 11.

Ignatii epistula est etiam apud *Raderum*, Can. p. 76—79; *Agricolam* l. c. I, D. 2, n. 26; *Menchacam* l. c. p. 557—559; *Lipowsky* l. c. p. 65—67; in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 495—496. 290—292.

Iubet Canisium Ingolstadium proficisci.

S. Ignatius Alberto V. Bavariae duci Roma 9. Iunii 1556: Se, ubi ducis litteras acceperit, effecisse, ut Socii, pontificis benedictione accepta, in Bavariam proficiscerentur. „Quod D. Canisius initijs Collegij Ingolstadiensis intersit, bona cum uenia Sereniss. Regis Romanorum, pergratum nobis fuit, et eidem iam scripsi, ut primo quoque tempore Ingolstadium se conferat, et ut solicitius[a]*, de ijs cogitet, quae ad promouendum nouum collegium pertinent*[b]*. Praepositum Prouincialem nostrae societatis in Germania superiori, Boëmia, et Austria, eum constituo."* [1]

Haec ostendunt Ignatium Canisio cum diplomate (litteris „patentibus"), quo eum praepositum provincialem creavit (supra p. 623), alteram quoque epistulam misisse. Quam reperire non potui.

205.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Praga 11. Iunii 1556.

Ex apographo, circiter annum 1865 a Boero ex archetypo descripto, quod postea cum eodem collatam est. Archetypum, quod Canisius solum subscripsit, est in cod. „Epistt. B. Petri Canisii 1." p. 209.

---

[a] solicitus *Rad.*

[b] *Ita archetypum. Raderus, Agricola, Mederer, Menchaca, Lipowsky, „Cartas" comma hic posuerunt.*

---

[1] Ignatius duci haec quoque scribit: „Bonus ualde odor ex hac profectione, in alma Vrbe sparsus est, ut referet Magnificus D. Henricus Sweijcker Secretarius V. C. cui paulo latius ea de re scribo." In litteris autem illis ad Schweickerum 8. Iunii datis (in cod. „Antiqu. Ingolst." f. 5[b]—6[a]; etiam apud *Raderum* l. c. p. 80—83, in „*Cartas*" VI, 493—494 etc.) Ignatius scribit: „Inter alias causas, cur properauimus Collegium Ingolstadium mittere, ante feruorem aestatis, illa etiam fuit, ut sinister quidam rumor, qui post Augustanam Diaetam in urbe coepit increbrescere, ac suspitiones non uulgarium hominum, contrario ueritatis experimento statim sopirentur" (cf. supra p. 609). Polancus quoque eodem die ad Schweickerum epistulam dedit italicam, quae nondum edita est; eius apographum est in cod. „Antiqu. Ingolst." f. 6[a].

Se cum tribus regis commissariis monasterium oybinense adiisse, inventarium fecisse, praefectum a munere amovisse. Zittariensibus ad decennium administrationem monasterii traditam esse. Quid collegio pragensi ex eo obveniat. Quid a collegio praestandum sit ad cultum divinum conservandum etc. Ferdinandum supremum monasterii dominium sibi excepisse. Zittavienses et eiusdem regionis nobiles fere Lutheranos, sacerdotes paucissimos esse. Duos sacerdotes officio a se privatos esse. Pragae nobilium puerorum contubernium a Sociis instituendum atque etiam Utraquistas in illud recipiendos esse. Ingolstadium bonos ab Ignatio philosophos mitti oportere. Se sola oboedientia ab uno loco ad alterum transferri velle, Austriacis invisum esse.

Ihesus. Maria

Molto Reverendo in Christo Padre mio.

Pax Christi.

Essendo io oggi tornato di quello monasterio di Oibino Ordinis Celestinorum, il quale per volontà di Sua Maestà ora sta incorporato a questo Collegio, salvo che bisogna con le spese nostre nutrire in quello luogo quattordici o sedici persone id est due o tre preti con tutta la famiglia necessaria a conservare quel monastero et castello convicino, non posso far manco se non esplicare tutto quell che m' occorre circa questo monasterio, pel cui rispetto Sua Maestà primieramente si muove a fondar et dotare questo Collegio nostro Praghense.

Sappia dunque la V. R. che tre grandi Signori della Corte sono stati deputati da parte [di] Sua Maestà per andare meco a quel detto monasterio con una certa informazione, o per dir meglio istruzione a disporre delli beni et entrate del detto monasterio, acciò di quelli fosse più servito il nostro Collegio. Onde è stato ordinato, che un capitanio o governatore, il quale insin' a quì ex parte di Sua Maestà ha avuto il reggimento sopra tutto il monasterio desolato, ora fosse per mezzo delli detti tre commissarii et signori di quell' offizio privato

---

Iesus. Maria.

Admodum reverende in Christo pater.

Pax Christi.

Hodie ex monasterio illo oibinensi, ordinis Coelestinorum, redii, quod regis iussu collegio huic nunc attributum est, ita tamen, ut nostris sumptibus loco illo quattuordecim vel sedecim homines alere debeamus, id est duos tresve sacerdotes cum omni familia, quae ad monasterium illud et castellum vicinum conservanda erit necessaria. Facere igitur non possum, quin omnia exponam, quae ad monasterium illud spectant; cuius intuitu potissimum rex pragense hoc collegium nostrum condere et dotare in animum inducit.

Sciat itaque R. V., tribus aulae proceribus a rege commissum esse, ut mecum monasterium illud adirent cum informatione quadam vel, ut melius scribam, cum litteris, quibus de bonis ac reditu monasterii ea constituere iubebantur, quae collegio nostro quam commodissima forent. Decretum igitur est, ut centurio quidam sive praefectus, qui usque ad illud tempus regis nomine toti illi monasterio deserto praefuerat, modo per tres commissarios et proceres illos a munere suo et praefectura

et supertendenzia sua[1]. Item, che in loco suo fossino subrogati li signori et senatorii della città vicina, la quale si chiama Zittavia, acciò costoro infin a diec' anni pigliassino l' amministrazione delli beni et entrate del monasterio[2]. La causa di questa translazione è, che Sua Maestà avendo informazione circa il mal governo del detto capitanio, et vedendo che per via degli altri signori Zittaviensi li predetti beni sarieno governati et administrati più fedelmente che dagli altri gentiluomini, et movendosi anchora per quella grande offerta della summa mille et quattrocento daleri, la quale non si potria così hauer d' altri, finalmente si risolse etiam secondo li nostri prieghi, che quelli Zittaviensi avessero l' assicuramento quanto alli dieci anni prossimi di poter godere di quello monasterio con queste condizione. Prima, che ogni anno sieno obbligati pagar in mano del Rettore del nostro Collegio quella somma di mille et quattrocento daleri, numerando la mezza parte di sei mesi in sei mesi. Seconda condizione è, che habbino di resarcire et conservar li tetti di tutto il monasterio di Oibin. Item, che due volte nell' anno con le loro spese condurranno alcuni de' nostri a quello monasterio per visitarlo, lasciando a noi altri la superintendenzia et ogni podestà in spiritualibus, massime circa le persone ecclesiastiche, le quali secondo la nova ordinazione di Sua Maestà haueran di stare quivi. La terza è, che per la sustentazione delle dette persone ecclesiastiche con le loro famiglie id est, per intertenere quatuordici o sedici persone saranno reservate certe entrate et case più vicine al monasterio. Acciò habbino la sufficienzia di legni, di pane, latte ecc.

---

amoveretur[1]. Decretum est etiam, ut in eius locum substituerentur civitatis vicinae, quae Zittavia vocatur, domini et senatores; qui monasterii bona ac vectigalia per decem annos administranda susciperent[2]. Haec autem administratio ideo in Zittavienses translata est, quod rex centurionem illum male praefuisse cognoverat simulque intellegebat, bona illa per Zittavienses illos fidelius curatum et administratum iri quam per alios viros nobiles; movebatur etiam rex mille quadringentis taleris, quos singulis annis se soluturos Zittavienses pollicebantur; tanta enim pecunia ab aliis accipi non poterit; tandem nostro quoque rogatu rex Zittaviensibus illis de monasterii usu fructuque ad decem proximos annos cavere deliberavit his condicionibus: Prima est, ut singulis annis in manus rectoris collegii nostri mille quadringentos taleros illos solvere debeant, dimidiam partem sexto quoque mense solventes. Secunda est, ut totius monasterii oibinensis tecta resarcire et conservare debeant, atque ut bis singulis annis aliquos ex nostris ad monasterium illud inspiciendum suis impensis advehant, et ut rerum sacrarum supremam curam potestatemque omnem nos exerceamus, inprimis in homines ecclesiasticos ex recente regis mandato ibi moraturos. Tertia condicio haec est, ut ecclesiasticis illis eorumque servis alendis sive quattuordecim sedecimve hominibus sustentandis vectigalia quaedam et domus monasterio viciniores reserventur, ne ligna, panes, lac, cetera eis desint.

[1] Inde ab anno 1551 Iacobus de Haag in monte Oybin „capitaneus" arcis sive castelli regii et administrator bonorum monasterii erat. De quo *Pescheck* l. c. p. 81 ad 82, et *Alfr. Moschkau*, Oybin-Chronik (Böhmisch-Leipa 1885) p. 251—256.

[2] Litterae oppignerationis vel elocationis illius iam mense Aprili (die festo

Ora con queste condizioni hanno accettato li detti Signori Zittaviensi il governo di questo monasterio per dieci anni. Et in questo pensa Sua Maestà di haver fatto gran favore et grazia a noi, poichè non siamo obbligati alla administrazione delli beni temporali in quello loco; perchè sarebbe un assunto insupportabile a questi tempi et in queste bande. Item anchora che noi fossimo immediati amministratori di tutte l' entrate, tamen Sua Maestà vuole il dominio et giudicio supremo essere reservato alli Re di Boemia secondo la prima fondatione di Carlo IIIJ Imperat.; et così anchora fa exceptione circa questo caso nella lettera di nuovo fatta et data alli Zittaviensi sopra il predetto contratto di mille et quattrocento daleri.

Pur acciò V. R. non si meravigli del termino di dieci anni fra li quali dura questo contratto, Sua Maestà vuole esparmentare come questi Zittaviensi saranno fedeli a dispensar li beni sopradetti, di modo che non facendo loro circa la indennità del monasterio il debito officio, possino essere privi della lora [*sic*] amministrazione. Et per salvar tutto il monasterio in suo buon essere, molto ci[a] hanno sforzato li sopradetti tre commessari con meco in questa peregrinazione, distinguendo li termini delle possessioni et facendo inventare di tutto quello che si à [*sic*] potuto trovare de villis, de bestiis, de piscinis, de silvis, de supellectile etc. Et questa diligenzia in scrivere et notare tutte le cose et comandare poi la procurazione a quelli Signori Zittaviensi, per se ci ha tolto quattordici dì. Sia lodato Iddio il quale ha dato tanta pazienza et buona volontà di eseguire tutto in particolare et di andare a piedi per tanti luoghi aspri et selvatici et montosi.

Iam hisce condicionibus domini illi zittavienses monasterium hoc per decem annos administrandum susceperunt. Qua re magnum rex censet se nobis praestitisse favorem et gratiam, ab onere bonorum illorum eo loco administrandorum liberatis; quod his temporibus et in his regionibus intolerabile esset. Atque etiamsi nos ipsi vectigalia omnia administraremus, tamen rex supremum dominium et iudicium penes Bohemiae reges esse vult, id quod etiam Carolus IV. imperator in ipsa prima monasterii constitutione decreverit, ideoque haec etiam in litteris excepit, quae nuper de mille quadringentis taleris factae et Zittaviensibus traditae sunt.

Ne miretur R. V., pactum hoc ad decem tantum annos factum esse; rex diserte significavit, velle se videre, quam fideles Zittavienses illi in bonis illis administrandis se praestarent, eosque ab administratione submoveri posse, si monasterii indemnitati haud recte consulerent. Atque ut totum monasterium in bono statu permaneret, tres illi commissarii una mecum in hoc itinere multum laboraverunt, possessionis fines terminantes et distinguentes, atque inventarium conscribentes omnium, quae inveniri poterant, villarum, iumentorum, piscinarum, silvarum, supellectilis etc. Sic singulas res accurate scribentes et notantes earumque curam Zittaviensibus illis committentes quattuordecim dies consumpsimus. Deo grates agantur, quod patientiam bonamque voluntatem tribuerit, qua singillatim cuncta exsequi et plurima loca aspera, mon-

[a] *Ita apogr.*; si? *Ceterum cf. supra p. 436*[a].

S. Georgii) 1556 datae sunt. Praeter 1400 illos taleros Zittavienses etiam alias quasdam pecunias Ferdinando suppeditare debuerunt (*Moschkau* l. c. p. 256).

Conciosia cosa che questo monasterio, il quale anche è detto Mons Paracleti, sia sopra una altissima montagna et in mezzo delli monti et selve, talmente che non si podria quasi desiderar megliore luogo per far una vita eremitica et penitenziale, massime nell' invernata, quando il freddo lì è grandissimo et tutto il luogo orribilissimo et quasi inacessibile.

Or dirò breve le difficultà, le quali si ci rappresentano circa la predetta commissione et traslazione fatta ex parte di Sua Maestà. Il primo gravame mi par esser, che habbiamo de pigliar la somma dei denari da quelli Signori Zittaviensi, li quali forse per venti anni sono stati in communione et partecipazione con li Luterani in dottrina et in Sacramentis. Ma io m' ho curato manco di questo, vedendo dall' altra banda, che loro sieno più tollerabili degli altri gentiluomini, alli quali avrebbe potuto venire et accadere quella amministrazione, massime essendo tutti in queste bande Luterani et mancando ogni dì più et più quelli pochi, li quali vogliono col nome solamente essere chiamati cattolici. Iddio ci dia sempre la grazia della Santa Chiesa.

Il secondo gravame è, che Sua Maestà richiede da questo Collegio, che vogliamo essere visitatori delle persone ecclesiastiche, le quali staranno nel monisterio, et che in caso che non si trovassero due o tre preiti [*sic*] seculari cattolici et honesti per intertenere il culto divino in quel luogo, ch' allora alcuno o alcuni di noi altri auesse d' andare di questo Collegio per stare lì. Io sopra ciò replicai chiaramente innanzi Sua Maestà dicendo, che questa obbligazione sia pregiudiziale alla Sua Maestà et all' Instituto nostro per rispetto, che le persone di questo Collegio, anchora che fossino più, non potrebbono

---

tuosa, silvosa pedibus peragrare possemus. Hoc enim monasterium, quod etiam mons Paracleti dicitur, in altissimo monte atque mediis in montibus et silvis situm est, ac locus vix desiderari potest, qui vitae solitariae et piaculari aptior sit, inprimis hieme, cum frigus ibi maximum est totusque locus maxime horribilis et aditu quasi carens.

Nunc difficultates breviter proponam, quae commissioni illi ac translationi a regi factae obici posse videntur. Primum impedimentum mihi videtur esse in eo, quod pecuniam a dominis istis zittaviensibus accipere debeamus, qui per viginti fere annos doctrinae et sacramentorum lutheranorum socii et participes fuerunt. Attamen hanc ego rem minus curavi, quod ex altera parte viderem, eos magis tolerabiles esse, quam nobiles illos, quibus haec administratio obvenire poterat, praesertim cum in his terris omnes lutherani essent et magis magisque in dies paucorum illorum numerus minueretur, qui vel solo catholicorum nomine appellari vellent. Deus gratiam nobis tribuat, qua semper in sancta ecclesia perseveremus.

Secundum impedimentum est, quod rex ab hoc collegio exigit, ut visitatores, quos vocant, hominum ecclesiasticorum in monasterio moraturorum agamus, utque, si duo tresve saeculares sacerdotes catholici, honesti, cultui divino illic sustinendo idonei non reperiantur, aliquis vel aliqui nostrum ex hoc collegio illuc transmigrare debeant. Ego ad haec coram rege plane respondi, hac conditione tum regiae maiestati tum societatis nostrae instituto praeiudicium afferri; huius enim collegii homines, etiamsi plures forent, in deserto illo monasterio tantum praestare non posse

in quello monasterio deserto far tanto frutto et promuovere la gloria del Signore, si come facciono nelli Collegii fondati et appresso la gente in luoghi più convenienti. Rispose Sua Maestà che noi altri stando nel monasterio, o che fosse uno o che fosse[a] più, non mancherebbe occasione di transcurrere alli luoghi vicini, ubi vere est messis multa, et operarii[1] nulli, talmente che per la esperienzia io ho già conosciuto, che sono molte città qui vicine, ubi neque sacerdos neque sacrificium, et ubi neque catholicos, neque lutheranos in Ecclesia ministros invenire possunt. Ora partendosi Sua Maestà di quà volse Iddio che nelle lettere autentiche circa il predetto contratto non si facesse menzione alcuna di questo obligo. Ma io avviso[b] alla R. V. che Sua Maestà mi ha mostrato l'animo suo, com'ho detto, et mostrerà anchora più chiaramente senza dubbio nella lettera della fondazione. Ma, come s'è scritto per altra volta, parve al Magnifico Signor Vicecancellario[2] d'aspettare altra occasione del tempo circa sollecitare questa fondazione perpetua.

Ultimo ch'e il terzo e, che mancando la sustentazione et sufficienzia temporale a quelle quattordici o sedici persone, le quali hanno ad essere sustentate in quello monasterio, il Collegio ha da supplire quello che mancherà, etiam circa gli edificii et altri accidenti. Però io desiderava di liberarci da questo carico et d'assegnare una certa somma, forse di ducento o trecento daleri pel subsidio di quelli; acciò il Collegio non fosse obbligato se non a quella certa somma annuale. Ma parve meglio per ora alli commissari di aspettare insino che aves-

ad communem utilitatem et dei gloriam augendum, quantum in collegiis bene constitutis et apud homines praestent, qui loca magis conveniētia incolunt. Respondit rex, nostris in monasterio commoraturis, sive unus illic degeret, sive plures, occasionem non defuturam excurrendi ad loca vicina, ubi vere est messis multa et operarii[1] nulli, atque ego experiendo iam didici, multas in vicinia esse civitates, ubi neque sacerdotes, neque sacrificium, et ubi neque catholicos neque lutheranos in ecclesia ministros invenire possunt. Cum autem rex hinc discessisset, dei providentia factum est, ut in ipsis pacti illius litteris nulla fieret mentio oneris illius nobis impositi. Ego vero R. V. certiorem facio, regem ea, quam scripsi, ratione voluntatem suam mihi significasse atque sine dubio etiam apertius eandem significaturum esse in diplomate, quo collegium hoc in perpetuum constituetur. Sed (quod alias scriptum est) magnificus dominus vicecancellarius[2] aliud tempus opportunum nobis exspectandum esse censuit, quo litteras illas expeteremus.

Tertium et ultimum impedimentum hoc est: Cum quattuordecim vel sedecim homines illi, qui in monasterio alendi erunt, alimentis et victu sufficiente carebunt, collegium supplere debebit, quae deerunt, etiam in aedificiis et si quid aliud forte adversum acciderit. Equidem eo onere nos eximere volebam et adiuvandis illis certam pecuniam, quae fortasse ducentorum vel trecentorum talerorum esset, assignare ita, ut collegium singulis annis plus quam certam illam pecuniam solvere non deberet. At commissariis consultius visum est nunc exspectare, donec usu cognovissemus,

[a] *Sic archet.;* fossero? fossino? [b] avvisa *apogr.*

[1] Matth. 9, 37. Luc. 10, 2. [2] Doctorem Iacobum Ionam significat.

simo pigliato la esperienza di quanto bisognerà a quelle dette persone del monasterio, et che forse si sustenteranno sufficientemente con quello che li è stato reservato dalle entrate, come è sopradetto.

Doveva dire circa il secondo gravame, che sarà quasi impossibile a noi altri di trovar sacerdoti secolari per conservare ivi il culto divino, secondo la mente di Sua Maestà; perchè li sacerdoti per nessuni denari si possono acquistare più in queste parti. Et noi in questa commissione siamo stati sforzati di deponere due sacerdoti obligati a quello monasterio, privandoli della cura pastorale, perchè hebbero pigliato donne in matrimonio, et secondo la setta luterana vanno con li sacramenti [1]. Et pur non hauemo alcuno a subrogare in luogo di loro. Faccia Iddio che il popolo ora non diventi peggiore, che era di prima; hauendo occasione di ricorrere alla dottrina delli pseudoprofeti vicini da ogni banda.

Tutto questo si dice per dare piena informazione di quello monasterio; acciò la R. V. voglia ordenare sopra ciò quello che conviene a gloria del Signore et a profitto di questo Collegio, il quale fin a quì non ha potuto cominciare la scuola per impedimento della fabbrica, la quale presto si finirà, et per mancamento di denari necessarii a pagare alli creditori, li quali non ci lasciano vivere in pace. Spero che con la grazia di Cristo congregarò [?][a] presto tre millia daleri; et così questo Collegio avrà non poca comodità de giardini, di stanze et fabbrica, piacendo al Signore. Molto ci molestano etiam

quid hominibus illis necessarium esset; fore enim fortasse, ut eo monasterii reditu, quem iis exceptum esse supra scripsi, sat bene sustentarentur.

De secundo impedimento hoc mihi scribendum erat: ferme fieri non posse, ut nos sacerdotes saeculares inveniremus, qui e regis voluntate cultum divinum illic sustinerent; in his enim terris iam sacerdotes conduci non possunt, quamvis magnum offeratur salarium. Et nos in hoc itinere duos sacerdotes monasterio huic addictos a munere removere iisque cura animarum interdicere debuimus, quia mulieres in matrimonium duxerant et sacramenta more lutherano administrabant [1]. Nec tamen habemus, quem in eorum locum substituamus. Faxit Deus ne populus nunc peior, quam antea erat, evadat, ansam nactus perfugiendi ad doctrinam pseudoprophetarum ab omni parte sibi vicinorum.

Haec omnia scribo, ut R. V. monasterii huius res perspiciat atque ea constituat, quae divinae gloriae et huius collegii utilitati convenient. Ludum aperire nondum potuimus tum propter aedium exstructionem, quae tamen brevi absolventur, tum propter defectum pecuniae creditoribus solvendae, qui nos in pace vivere non sinunt. Spero me Christo iuvante mox tria milia talerorum congesturum esse, atque ita Deo propitio horti, cubicula, aedificia huic collegio sat commoda erunt. Multis etiam nos fatigant precibus nobiles et barones, filios non solum scholae sed etiam domui

[a] *Hoc vel simile in archetypo scriptum esse puto;* di congregare *apogr.*

[1] Monasterium complures possidebat vicos: Herwigsdorf, Drausendorf, Olbersdorf, Wittgendorf, Oderwitz, Jonsdorf etc. (*Moschkau* l. c. p. 156—172. 253—254). Circiter a. 1524 ipse prior monasterii Coelestinorum „Königstein", qui monachus oybinensis fuerat, ad Lutherum defecerat (*Moschkau* l. c. p. 155. *Pescheck* l. c. p. 48).

li gentiluomini et baroni offerendo li suoi figlioli non solamente alla schola, ma anchora alla casa, talmente che le [*sic*] suoi figliuoli avessero il vitto et dormire qui dentro al Collegio. Credo io di non potere fare maggior servizio a Dio et a Boemia, se non che accettiamo questi figlioli nelle stanze vicine, quando saranno presto aggiunte al Collegio. Et per questa via si podria non solamente godagnare gran favore del regno, ma anchora mettere bonissimi fondamenti a restaurare la religione nelli giovani Boemi. Pur siccome nelle schole per adesso non pare espediente di fare alcuna distinzione di quelli sub una, et degli altri sub utraque specie [1], così anchora forse sarà più conveniente di ricevere d'ogni sorte di giovani alle stanze vicine, purchè stessero a spese loro. E per meglior governo non penso saria difficile trovarli un economo o maestro di casa, et dipoi aggiungere uno delli nostri, quasi continuo sopraintendente et direttore nelle lettere et nelli costumi. Altramente se non ci conformiamo in questo alla bona volontà delli Signori etiam padroni nostri, la schola non anderà tanto bene innanzi, nè si puo sperare tanto frutto. Anzi perchè li vicini nostri intorno intorno sono Hussiti, et però non molto amici nostri, potrebbono più destruire loro, che noi edificar nelli giovani, li quali starebbono appresso di loro. Modo preghiamo d'hauere sopra ciò risposta di V. R.

---

nostrae offerentes, ut iidem in ipso collegio nostro alantur et dormire possint. Equidem existimo, maius Deo et Bohemiae officium praestari non posse, quam si pueros illos in cubicula vicina, collegio brevi coniungenda, recipiamus; atque hoc modo non solum magnam apud hoc regnum gratiam inire, sed etiam religionis in iuventute bohemica restaurandae optima initia ponere possemus. Sicuti autem nunc quidem expedire non videtur, in scholis ullum eorum, qui sub una specie eucharistiam sumunt, et eorum, qui sub utraque, facere discrimen [1], ita etiam fortasse magis conveniet, omnis generis pueros in vicina cubicula recipere, dummodo suis impensis ibi degant. Neque difficile fore puto, eorum quam optime instituendorum gratia oeconomum vel dispensatorem invenire eique aliquem e nostris adiungere, qui puerorum studia litteraria et mores perpetuo moderetur ac regat. Quod si hac in re procerum atque etiam patronorum nostrorum bonae voluntati non obsequemur, schola haud ita bene progredietur nec spes est, eam valde utilem futuram. Immo quos in omni parte vicinos habemus Hussitas nobis haud valde amicos, plus fortasse ipsi in adulescentibus apud se habitantibus destruerent, quam nos aedificaremus. Rogamus modo, ut R. V. hac de re nobis rescribat.

---

[1] Hac de re S. Ignatius 12. Februarii 1556 Socios Pragam proficiscentes sic instituerat: „Accetteranno nelle scuole ogni sorte di persone, che vogliano osservare la modestia e disciplina conveniente. . . Quelli che dicono di communicare sub utraque specie per concessione della chiesa, se si vedesse che dicono il vero, e che nel resto sono cattolici, non se gli negherà l'assoluzione; ed essendo scolari, sarà bene far loro osservare l'usanza di confessarsi ogni mese, e sentir la messa ogni dì, e le altre regole delli collegi nostri, che pareranno convenienti per loro: ma non se gli darà la communione nella nostra chiesa, se non si lasciassero persuadere di pigliarla sotto una specie, come i nostri. Se fossero in qualche errore contro la cattolica religione, ovvero non si vedesse che hanno licenza, che li scusi da peccato, nel communicarsi sub utraque specie, non se gli darà l'assoluzione; benchè nel resto

Dirò al fine del Collegio Inglostadiense, il quale, sia lodato il Signore, non ha più impedimento nissuno ex parte dell' Illustrissimo Duca, siccome mostrerà la copia del Signore Padrono di quella Università [1]. Onde mi pare di seguitare la sua bona volontà et quella del Duca; di modo che io desidero nel Signore di promuovere questo Collegio con la mia presenza, subito che le cose di questo Collegio Praguense saranno un poco meglio introdutte. Et questo con la grazia d' Iddio si farà in questo mese. Poi cercherò ogni occasione di partirmi per Inglostadio siccome anche Sua Maestà ha consentito. Pur in questa peregrinazione per esser più libero et sicuro di coscienzia, dirò una cosa: che io anchora stando in Roma, se ben mi ricordo, fece un voto speciale et semplice di non volere mai mostrare alcuni segni ó volontà di muovermi di un luogo a un altro, se non per espressa obbedienza [2]. Ora sapendo la volontà et ordinazione di V. R., che io mi conformi alla volontà [del Duca] quanto può essere possibile, non penso fare contra il voto detto, anchora che io mi partessi senza avere altra risposta da V. R.

Io mi ricordo di non hauere havuto nessuna risposta a tutte le mie lettere di quest' anno, se non una volta in risposta di quello ch' io scrissi nel mese di gennaio d' Inglostadio [3]. Credo, che li miei peccati impediscono, che non mi posso godere delle lettere et avvisi di V. R.

Postremo loco de collegio ingolstadiensi scribam; cui — Deo laudes et grates agantur — ab illustrissimo duce amplius non fieri moram, exemplum epistulae a patrono illius universitatis missae demonstrabit [1]. Quare ipsius et ducis bonae voluntati morem gerendum esse puto; collegium itaque illud ipse adiuvare in domino cupio, ubi primum pragensis huius collegii res paulo melius institutae erunt; quod Deo iuvante hoc mense assequemur. Postea qualemcunque occasionem quaeram, qua Ingolstadium proficiscar; cui profectioni et rex consensit. Ut autem in eo itinere maiore libertate et securitate conscientiae fruar, hoc fateor: Romae cum degerem (si bene memini), Deo voto speciali et simplici promisi, numquam me ulla ratione declaraturum, velle me ab uno loco in alium migrare, nisi praefecti diserte praecepissent [2]. Sciens autem, R. V. velle et iussisse me [duci], quantum fieri posset, obsequi, me votum illud violaturum non censeo, etiamsi proficiscar, antequam R. V. denuo ad me rescripserit.

Memini, responsum me non accepisse ad omnes litteras hoc anno reverentiae vestrae missas, nisi quod semel mihi rescriptum est ad epistulam Ingolstadio datam mense Ianuario [3]. Peccata mea obesse existimo, quo minus reverentiae vestrae epistulis et consiliis fruar. Quare in commercio, quod mihi cum terribilibus hisce est

si usi loro ogni carità e per ogni mezzo possibile si procuri guadagnarli" (Cartas de *San Ignacio* VI, 457—458).

[1] Canisius in epistula 17. Iunii 1556 ad S. Ignatium data clarius significat Wiguleum Hundt, universitatis curatorem, ea de re scripsisse; de litteris, quas Albertus V. dux de eadem re Monachio 5. Maii 1556 ad S. Ignatium misit, vide infra, monumenta ingolstadiensia.

[2] Canisius votum illud significare videtur, quod Romae 5. Februarii 1548 litteris consignaverat; quod vide supra p. 263.

[3] Eam epistulam vide supra p. 593—594.

Et così vado troppo secondo il mio giudizio et cervello in pratticare con questa gente terribile, confidandomi delli meriti, sacrifici et orazioni di V. R. et degli altri carissimi fratelli. Et certo ben bisogna di grand' aiuto spirituale a uno, il quale vuole entrare in Dio et uscire al prossimo di una tale disposizione, come sono li Boemi et Tedeschi. Credo, che spesso mi manca sindacatore, come Antonio Rione[1], il quale spesso mi deponerebbe le corna, se fosse presente, et farebbe Canisio andare in molte cose con maggiore considerazione. Il Signore mi dia la sua grazia di riformarmi da dovvero dentro et di fuori, et di seguitare direttamente lo spiritu della Compagnia, fra tante sette et in mezzo delli uomini tanto dediti alla carne, che sono grossi in spiritualibus tanto, come le bestie. V. R. specialmente m' habbi per raccomandato alle sue sante orazioni: et voglia indirizzare le sue lettere in Inglostadio, se non ha comandato per altre lettere, che fossero già in viaggio, di mandarmi per altre bande.

Quanto a Sua Maestà, non penso che mi revocherà presto per Vienna, siccome ho scritto per altre; massime vedendo quanto mi vogliano male li Austrici et provinciali suoi, prima pel Catechismo et secondo pel predicatore di Massimiliano[2]. Li amici nostri più fedeli qui dicono che io farebbe bene stando quì per dare più autorità al

---

hominibus, meis iudiciis nimis ducor, meritis, sacrificiis, precibus reverentiae vestrae et ceterorum carissimorum fratrum confidens. Magno sane huiusmodi auxilio is valde indiget, qui in Deum ingredi et ad homines egredi velit tales, quales Bohemi et Germani sunt. Censorem Antonii Rionis similem saepe mihi deesse puto[1]; qui si hic adesset, saepe superbiam meam frangeret et Canisio multarum rerum consultius faciendarum auctor esset. Dominus gratiam suam mihi tribuat, qua intrinsecus et extrinsecus vere me reformem et Societatis nostrae rationem recta via sequar inter tot sectas et in mediis hominibus, qui carnis voluptatibus deditissimi et rerum divinarum tam ignari sunt quam bruta. R. V. sacris suis precibus peculiariter me commendatum habeat, et litteras Ingolstadium mittat, nisi forte aliis litteris, quae iam in via sint, alio me proficisci iusserit.

Quod ad regem attinet, ab eo me Viennam brevi revocatum iri (quod alias scripsi) non opinor, praesertim cum videat, quam infensis in me animis austriacarum provinciarum suarum homines sint, primo propter catechismum et dein propter Maximiliani contionatorem[2]. Qui hic nobis amicissimi sunt, suadent ut hic maneam,

---

[1] De fratre Antonio Rion, qui Romae in domo professorum Societatis degebat, P. *Oliverius Manareus* († 1614) exeunte fere saeculo XVI. scripsit: „In reprehensionibus publicis acer erat et ob acumen gratiosus" (Commentarius p. 128); quae reprehensiones vulgo „cappelli" (petasi, Hüte) dicebantur. S. Ignatius Rionem nonnumquam inter epulas in refectorii suggestum ascendere et viros etiam graviores obiurgare iubebat (*Acta Sanctorum* Iulii VII [Parisiis et Romae 1868], 592. Cartas de *San Ignacio* III, 62–63).

[2] De Ioanne Sebastiano Phauser, Maximiliani regis contionatore lutherano, v. supra p. 526—534. Is Canisii catechismum „summam foedi papismi" dixit, quae tamen, pro meretricis romanae more, fuco illita esset (*Fontes* rerum austriacarum l. c. p. 132—133. *Bernh. Czerwenka,* Geschichte der Evangelischen Kirche in Böhmen II [Bielefeld und Leipzig 1870], 317).

Collegio. Et hauendo adesso pigliato buona famigliarità di questi Boemi ex parte mia saria contento d' andare in Inglostadio et di tornare quà per la invernata, benchè non mancherà di fare in Inglostadio per li primi mesi. Prego molto la R. V. che li professori duo teologi per Inglostadio sieno di buona apparenza et che menino seco buoni disputatori in filosofia: perchè se fossino alcuni buoni lettori di filosofia, più facilmente tirano a se la gioventù et la disponeranno meglio per la teologia. Item V. R. mi potrà scrivere, s' hauemo di fare alcuna istanza pel Collegio di Ispruc. Non altro; che mi rincresce della longhezza: et prego molto che il Serenissimo Re dè Romani sia raccomandato alle orazioni di tutta la Compagnia per le sue grandissime necessitati.

Di Praga a XI. di giugno 1556.

Della R. P. V.

Figliuolo Piedro Canisio.

Al molto Reverendo in Christo Padre mio il Padre Maestro M. Ignatio da Layrola [*sic*] Preposito generale della Compagnia di Giesu. Roma.

Epistulae archetypae manu eiusdem temporis adnotatum est: „Recepta Romae die 4 Julii 1556."

Canisio nomine S. Ignatii rescriptum est 22. Iulii 1556.

---

quo maior collegio auctoritas accedat. Et cum in magnam horum Bohemorum familiaritatem iam venerim, bene paratus sum, quantum in me est, Ingolstadium proficisci et inde ante hiemem huc reverti, quamquam Ingolstadii primis mensibus labores mihi non deerunt. Vehementer a R. V. peto, ut duo illi, qui Ingolstadii theologiam tradituri sunt, honesta sint forma et eos secum ducant, qui de rebus philosophicis bene disserere possint; si enim aliqui ex nostris philosophiam bene docebunt, iuvenum animos facilius sibi conciliabunt et melius ad theologiam disponent. Scribat etiam, quaeso, R. V. mihi, num collegium Oeniponte condendum aliquo modo urgere debeamus. Aliud, quod scribam, non habeo, nisi me dolere, quod longior fuerim; ac magnopere rogo, ut serenissimus rex Romanorum propter maximas necessitates suas precibus totius Societatis commendetur. Praga 11. Iunii 1556.

Reverendae paternitatis vestrae

filius Petrus Canisius.

Admodum reverendo in Christo patri meo, patri magistro M. Ignatio de Loyola, praeposito generali Societatis Iesu. Romae.

206.

CANISIUS

HENRICO SCRIBONIO,

administratori archiepiscopatus pragensis.

Praga mense Iunio (post 10.) vel Iulio 1556.

Ex *Th. Pessinae* „Phosphoro" (cf. supra p. 550[1]) p. 323; qui ipsam Canisii epistulam superesse scribit.

Ex apographo, ab ipso Scribonio a. 1564 ex epistula archetypa descripto, quod nunc in archivo capituli metropolitani pragensis exstat, epistulam edidit *Cl. Borový*, Iednání a dopisy etc. (cf. supra p. 599) II, 389. Eadem epistula est in „Časopis katolického duchovenstva" (1875) p. 5—6.

De monasterio Oybin. Pecuniam mutuo petit.

Reverende in Christo Domine.

S. P. Gratias debemus Deo Opt. Max., quod confecta sint tandem negotia nostra. Jussu Regiae Maj. Zitavienses habent, quod voluerunt. Prioris causa expedita est [1], et debita unde solvantur, constitutum.

Quoniam vero die hesterna [a] Thomas vester pater familias emit ligna pro nobis [b], et nunc mane solvenda promiserat, oro Dignitatem tuam, providere dignetur, et mutuo dare sedecim argenteos seu talleros [c]: ego ex iis, quae debet Bartholomaeus, et alii [d] pro Catechismis [2], bona fide reddam [e] [3].

Spero etiam prorsus fore, ut post hac nunquam sit opus aes alienum contrahere: quia sumptus suppetent constituti [4].

Dominus Jesus nobiscum.

Tempus huic epistulae ascriptum non est, sed ex rebus, quae scribuntur, cognoscitur. Zittavienses enim monasterii Oybin administrationem mense Iunio a. 1556 acceperunt [5]; Canisius 11. Iunii 1556 ex eo monasterio Pragam rediit et sub initium mensis Augusti inde discessit [6].

207.

FRIDERICUS STAPHYLUS,

Ferdinandi I. consiliarius et scholae nissensis rector,

CANISIO.

Nissa 14. Iunii 1556.

Ex archetypo (2°; p. 1; in p. 4. inscr.), quod Staphylo dictante ab amanuensi ignoto scriptum est; inscriptioni Canisius adnotavit: „Staphili 1556." Cod. monac. „Scriptt. coll. Ingolst." f. 40 et seq. non signato.

[a] heri *Bor.* [b] *Bor. haec duo verba non posuit.*
[c] dare, sedecim talleros *Bor. idque fortasse rectius.* [d] aliis *Bor.*
[e] *Bor. ante* bona fide *etc. haec habet:* deinde solvet ex pecuniis quas statim Zitaviensibus.

[1] Balthasar Gottschalk inde a mense Septembri anni 1555 monasterii oybinensis „prior" vocabatur, neque vero alius praeter eum supererat monachus (cf. supra p. 496 [2]; plura in secundo volumine). Ex diplomate quodam pragensi cognoscitur eum iam anno 1552 pecuniam annuam a Ferdinando accepisse (*Schmidl* l. c. I, 91—92. *Moschkau* l. c. p. 143—144. 155). [2] Cf. supra p. 611 [2].
[3] Scribonius 12. Augusti 1564 consiliariis camerae regiae scripsit se hanc pecuniam Canisio ex proprio privatoque aere suo dedisse (*Borový* l. c. p. 388—390).
[4] Collegium pragense postea sat bene dotatum est (*W. Wl. Tomek,* Geschichte der Prager Universität [Prag 1849] p. 159—161).
[5] Supra p. 626—627. [6] Vide infra, monumenta ingolstadiensia.

Maiorem epistulae partem germanice versam edidit *Riess* l. c. p. 372, adnot. 1.

De morbo suo. De Flacio et Melanchthone in Canisium et Staphylum ira incensis. Lutheranos in ipsa episcopi aula sedem fixisse. Cum Canisio congredi ab eoque doceri cupit, quomodo ecclesiam adiuvare debeat.

Salutem Plurimam. Tardius forsitan mi Canisi, planeque secus, ac uolebam nunc rescribo. Quod quidem accidit partim ex inopia eorum qui hinc uel hac Pragam proficiscuntur: partim propter satis molestum morbum meum, incidi enim in ophtalmiae [*sic*] aegritudinem sane grauem plenamque doloris: cuius inuasione aliquot Hebdomadas assueta studia mea inuitus intermisi, tametsi ne nunc quidem calamo uti possum. Scribo autem nunc Amanuensis opera usus, Post uero, si Deo ita placuerit, ut conualescam, ipse scripturus tum fusius tum explanatius. Quamquam haec negotia, de quibus inter nos tractari consuetum, eiuscemodi sunt ut coram praestaret plenius de ijs constantiusque possimus statuere [*sic*]. Audio Mathiam Illiricum contra te furore motum[1]: contra me Philipum et alios Wittenbergenses[2]: quorum factio non modo in vicinis sedem fixit sed domi etiam apud nos et in penetralibus quidem Eleusine[a] [3]. Sed de his non epistola ut (inquit) Aristoteles[4]. Nihil ardentius cupio mi Canisi, quam coram posse nos de his alijsque eiusdem generis conferre. Eueniunt enim mihi hic pleraque talia, quae me fortasse cogent γῆν πρὸ γῆς[5]. Quam

[a] *Sic; sed legendum esse videtur:* Eleusinis *(graece: Ἐλευσῖνος).*

[1] Matthias Flacius Illyricus (1520—1575), unus ex acerrimis „Lutheranismi puri" propugnatoribus, Magdeburgi tunc morabatur. Is anno 1564 contra catechismum Canisii edidit libellum: „Ethnica Iesuitarum doctrina de duobus praecipuis christianae fidei articulis." Atque etiam aliis quibusdam libris, annis 1559, 1565, 1570 editis, Canisium in suspicionem adduxit et incusavit; quod in posterioribus huius operis voluminibus exponetur. Ac fortasse Canisium etiam adortus est in libellis, quos annis 1555 et 1556 in lucem emisit; qui multi et nunc sat rari sunt (recensentur a *W. Preger*, Matthias Flacius Illyricus und seine Zeit II [Erlangen 1861], 554—556). An forte „Dialogum contra impia Petri Canysii dogmata" (de quo infra, in monumentis viennensibus) Flacius conscripsit? Cf. etiam supra p. 605[3].

[2] Philippus Melanchthon tunc in universitate vitembergensi philologiam et theologiam tradebat.

[3] Eleusis vel Eleusin oppidum erat Atticae, in quo praeclarum Cereris templum erat et „sacra Eleusina" fiebant. Staphylus idem fere significare vult, quod Nissa (quae episcopi vratislaviensis sedes erat) 22. Februarii 1555 Bonaventura Thomas Hosio scripsit: „Reverendissimi Episcopi aula tota Lutheranismo est referta" (*Hosii* Epistolae II, 518). Ac 13. Decembris 1555 Sebastianus Schleupner (Sleupner) parochus nissensis cathedrali capitulo vratislaviensi rettulit „in parochia esse sacellanos, qui sacramentum eucharistiae laicis sub utraque specie porrigunt" (*Aug. Kastner*, Archiv für die Geschichte des Bisthums Breslau I [Neisse 1858], 85—86).

[4] *„Τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοι· οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν": Aristoteles* in epistula incerta, apud *Pseudo-Demetrium,* De elocutione § 230.

[5] Staphylus timet, ne alio sibi migrandum sit (*„Γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι": Aeschylus,* Prometheus v. 682; et horum verborum memor *Cicero: „Γῆν πρὸ γῆς* cogito" [Epistulae ad Atticum l. 14, ep. 10]).

ob rem peto significes de statu Collegij Pragensis, qui procedat, quando fratres Roma expectes tuos, et quam diu te isthic speres mansurum. Si quo modo possem, cuperem omnino te Pragae inuisere. Nihil itaque nunc ad ea, quae scripsisti, respondeo, quam quod omnia uelim aut in praesentiam vtriusque nostri, aut certe in occasionem scribendi pleniorem, differre. Rescribas tu quidem mi Canisi non quid sentire me uelis (nihil enim nisi Catholicum spopondi) sed quo in loco et quo uirium connexu nos agere deceat ea quae Ecclesiae succurrant laboranti et sectis queant[a] crescentibus obsistere. Tametsi non ignoro quam sim imbecillus, tamen ut robur non magnum sit, fidem possum non inconstantem polliceri. At vero utinam coram haec aliquando. Commendabis me Amicis tuis et quos nosti, Patronis communibus. Inprimisque M. D. Jone[1]. Vale et rescribe, si huc non poteris recta semper, poteris certe Wratislauiam quottidie uel ad Archidiaconum Paulum[2] uel ad alios necessarios nostros. Datum Nissae 14 die Mensis Junij Anno Domini 1556.

T. R. D.
addictiss. Frid. Staph.

Reuerendo ac Doctissimo uiro D. Petro Canisio Theologo etc. Pragae in Coenobio D. Clementis amico et fautori suo.

208.

CANISIUS

SANCTO IGNATIO.

Praga 17. Iunii 1556.

Ex apographo, circiter a. 1865 a *Boero* scripto, et postea collato cum archetypo (Canisius tantum subscripsit) in cod. „Epistt. B. Petri Canisii I.“ p. 216 posito.

Huius epistulae versio latina, saeculo XVII. vel XVIII. facta, sed manca et sat vitiosa, exstat in cod. monac. „Lat. 1606“, f. 81.

Epistulae partem edidit *Boero*, Canisio p. 120—121. Vitiosa illa versione usus est *Riess* l. c. p. 163, adnot. 1.

Se paratum esse, Ottoni cardinali augustano inter comitia imperii ratisbonensia servire. De collegiis pragensi et ingolstadiensi. In Germania legem ecclesiasticam, qua fideles libros haereticorum legere vetentur, neglegi. Sociis eorum legendorum potestatem valde necessariam esse. Librum acerbissimum contra catechismum suum in lucem emissum esse. Num confutandus sit. Eundem catechismum germanice versum esse.

[a] *Staphyli amanuensis:* quae iam; *qui dictantem non intellexit.*

[1] Iacobo Ionae, Ferdinandi regis vicecancellario.
[2] Archidiaconatum vratislaviensem, quae capituli illius tertia „dignitas“ erat, Paulus Craeneus ab anno 1553 ad 1571 habuit (*Kastner* l. c. p. 279).

Ihesus Maria

Pax Christi. Molto Reverendo in Christo Padre mio.

Ho ricevuto la lettera de 23. di maggio, et credo che nissuna altra, dopo Gennaio, siccome io scrissi pochi giorni fà a V. R.[1]. Essendo così ordenato da Sua Sant. et della R. P. V. ch' io mi lassi governare per questa Dieta dal Reverendissimo et Illustrissimo Cardinale d' Augusta, prego specialmente l' aiuto delli sacrifici et orazioni di V. R. per fare debitamente la obbedienza in questo caso; et so per certo che questo assunto mi sarà grande et difficile, siccome il R. P. Claudio felic. mem. bene ha al tempo suo esparmentato[2]. Ma perchè qui si dice et crede, che quella Dieta Ratisbonense di nuovo sia prorogata almanco in sin' ad Augusto, non parve necessario di scrivere subito al detto Cardenale per offerirmi et mettermi nelle sue mani. Conciosia cosa ch' io non so dove si trova, et penso di fare meglio servizio alla gloria divina et alla nostra Compagnia di partirmene presto, id est subito che sarà un poco introdutta la scola di questo collegio[3]; et così piacendo al Signore darò ordine in Ingolstadio delle cose più principali et necessarie alli nostri, li quali, siccome spero, circa il settembre o ottobre potranno di Roma arrivare in Ingolstadio[4]. Perchè il Duca per questo effetto di nuovo m' ha richiesto, siccome io scrissi anchora ultimamente, mandando sopra ciò la lettera del

---

Ihesus. Maria.

Pax Christi. Admodum reverende in Christo pater.

Epistulam 23. Maii datam accepi, neque aliam post mensem Ianuarium me accepisse puto; quod paucis diebus ante reverentiae vestrae scripsi[1]. Cum summus pontifex et reverentia vestra mandaverint, ut ego reverendissimo et illustrissimo cardinali augustano per haec imperii comitia servirem, R. V. singulariter rogo, ut sacrificiis et precibus me iuvet, quo sanctae oboedientiae hac in re satisfaciam; persuasum enim mihi est, opus hoc grande et difficile fore; quod et R. P. Claudius foelicis memoriae suo tempore satis expertus est[2]. Cum autem hic dicant et credant, comitia illa ratisbonensia iterum idque minimum in mensem Augustum reiectum iri, necesse esse non videbatur, statim ad cardinalem illum litteras dare, quibus ei me offerrem ac permitterem. Neque enim scio, ubi commoretur, et existimo, magis me tum divinae gloriae tum Societati nostrae profuturum, si cito hinc proficiscar, id est, ubi primum scholae huius collegii initium aliquod positum erit[3]. Ingolstadii igitur, si domino placuerit, paranda curabo, quae maioris momenti et nostris magis necessaria erunt; quos circiter mensem Septembrem vel Octobrem Roma Ingolstadium venturos esse spero[4]. Dux enim denuo id a me petiit; quod et postremis litteris scripsi et epistulam misi ab universitatis ingolstadiensis patrono

---

[1] Scripserat 11. Iunii 1556.

[2] P. Claudius Iaius anno 1542 comitiis spirensibus interfuerat, et Ottoni Truchsess episcopo augustano a consiliis fuerat anno 1545 in vormatiensibus et anno 1550 in augustanis comitiis (*Boero,* Iaio p. 40—42. 74. 167).

[3] V. supra p. 618[3] et *Schmidl* l. c. I, 102.

[4] Societatis homines 18, die 9. Iunii Roma profecti, 7. Iulii Ingolstadium advenerunt (*Cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 8ᵃ).

signor Padrono di quella Università Ingolstadiense [1]. Adunque stando io così in Ingolstadio, et spero in poco tempo far molte cose et molto più facilmente che in Praga fin' a qui s' è fatto, per mancamento delli denari. Pare che sarà commodo di là scrivere et praticare col detto Cardenale, massime se sia in Dilinga, la quale città è lungi d' Ingolstadio cinque miglia, siccome Ratisbona nove o undici. Et perchè mi dicono della difficoltà che fa Sua Sant. circa la facoltà di leggere libri heretici et d' assolvere in ca. hæresis, quasi si fosse rivocata questa grazia e facoltà a noi data [2], io desidero specialmente d' hauere sopra ciò la certezza, siccome per altra volta anchora ho scritto. Perchè non vorrei mettermi in periculo in tal caso, massime, per dire la verità, hauendo sempre havuto quasi una aversione di sentire le confessioni tedesche, sapendo quanta fatica sia di fare li confessanti capaci di questa scommunica; et si sono capaci, non vogliono lasciare li libri, et restano molto tentati et murmuranti dopo la confessione. Item se non vogliono che leggiamo gli heretici, come faremo con li libri degli scholari per esaminarli et d' altri libri per confutarli, quando per questo officio siamo richiesti da Sua Maestà, dalli Reverendissimi et altri amici catholici?

Item hora si è stampato uno libro contra il nostro catechismo et si legge tuttavia [3], perchè senza alcuno rispetto si comprano et leggino questi libri quì et in tutta l' Alemagna. Et insin a quì li vescovi non publicano in questo caso la scommunica. Hora li nostri amici vorrebbono che facessimo la risposta a quello libro virolen-

---

ea de re datam [1]. Cum igitur Ingolstadii sic degam, brevi tempore multa a me effectum iri spero eaque multo facilius, quam pecunia deficiente Pragae usque adhuc effecta sunt. Atque inde commode litteras mihi videor mittere posse ad cardinalem illum cum eoque agere, praesertim cum Dilingae morabitur; hoc enim oppidum quinto, Ratisbona autem nono vel undecimo miliario ab urbe Ingolstadio abest. Potestatem librorum haereticorum legendorum et hominum ab haeresi absolvendorum difficulter a pontifice concedi mihi dicunt, perinde ac si revocata esset gratia haec et facultas, quam antea acceperamus [2]. Maxime igitur rogo, ut de hac re certiorem me faciatis; quod alias quoque scripsi. Periculo enim me committere hac in re nolo, praesertim (ut verum dicam) cum semper a Germanorum confessionibus audiendis quasi animi aversionem senserim, sciens, quam difficile esset, confitentes de excommunicatione hac edocere; edocti autem nolunt libros dimittere et post confessionem irritatis sunt animis ac murmurant. Quod si nolunt nos haereticorum libros legere, quomodo scholasticorum nostrorum libros perscrutari et quomodo alios libros confutare poterimus, cum rex, episcopi, alii amici catholici id a nobis requirent?

Nunc liber editus est contra catechismum nostrum et perpetuo legitur [3]; hic enim et in tota Germania libri isti nulla interposita dubitatione emuntur et leguntur, neque episcopi adhuc poenam excommunicationis promulgant, quae huiusmodi lectione

---

[1] Vide supra p. 632. [2] V. supra p. 319. 320. 341. 342.
[3] Ioannis Wigand „Verlegung aus Gottes wordt, des Catechismi der Jhesuiten"; cf. supra p. 605 [1].

tissimo[a], stampato contra la Sedia Apostolica, et nominatim contra Catechismum[b] Iesuitarum, benchè in tedesco[c]; et in progresso tutta la battaglia casca sopra il dottore Canisio[1], qui mille modis flagellatur nec secus tractatur quam qui sedeat in cathedra pestilentiae[2]. Veda dunque la R. V. si almanco noi non hauemo di conoscere quello che tutti leggino et sentino per via di questi libri. Et certo per dar conto della dottrina catholica et della fama et autorità necessaria a noi altri pel servizio divino, non credo che possiamo fare altro in questi tempi et luoghi, ut saltem propter nos non scandalizentur simplices, neque blasphemetur magis ac magis nomen Domini[3]. Tutto questo si dice per exonerare la mia coscienza et per rimettermi nelle mani di V. R. la quale mi voglia per l'amore di Dio mostrare come in questo caso m'ho diportare [*sic*].

Il Catechismo ora si stampa in tedesco in Vienna, et così ad alcuni pare conveniente che al fine si facesse una breve[d] risposta in tedesco alli principali argomenti di quello grande heretico, il quale ha impugnato quella dottrina del Catechismo. Volesse Iddio che Alemagna havesse alcuni teologi della Compagnia, per succorrere a tali et simili accidenti et impugnationi heretice[4].

---

contrahitur. Amici nostri cupiunt nos acerbissimo[a] huic libro respondere, qui contra sedem apostolicam et nominatim contra catechismum Iesuitarum (germanico tamen sermone) editus est; et libro procedente totus impetus contra doctorem Canisium vertitur[1], qui mille modis flagellatur nec secus tractatur quam qui sedeat in cathedra pestilentiae[2]. Videat igitur R. V. an nobis saltem ea non sint cognoscenda, quae ceteri omnes ex his libris legunt et audiunt. Sane si doctrinae catholicae rationem reddere et famam auctoritatemque ad Dei servitium nobis necessariam conservare velimus, non video quid aliud hisce temporibus et locis facere possimus, ut saltem propter nos non scandalizentur simplices neque blasphemetur magis ac magis nomen domini[3]. Haec omnia scribo, ut conscientiam exonerem meque totum reverentiae vestrae permittam, quae propter Deum me doceat, quomodo hac in re me gerere debeam.

Catechismi mei versio germanica nunc Viennae typis exscribitur. Sunt, qui censeant, in eius extrema parte praecipua argumenta brevi[d] commentatione germanica refellenda esse, quibus homo ille in primis haereticus catechismi doctrinam impugnavit. Utinam Germania aliquot Societatis nostrae theologos haberet, quae in his et similibus eventibus et impugnationibus haereticis ei succurrerent[4].

---

[a] *Ita apogr.; Boero, Can. p. 120:* violentissimo.
[b] catachismum *Canisii scriba.*
[c] *Boero, Can. p. 120—121:* . . . dei Gesuiti. È scritto in Tedesco.
[d] buona *Boero, Can. p. 121.*

---

[1] Cf. supra p. 605[3]. [2] Ps. 1, 1. [3] Lev. 24, 16. Apoc. 16, 9.

[4] Nuper clar. vir *Nicolaus Paulus* Monachii in bibliotheca regia minimi catechismi canisiani editionem antiquissimam invenit, cui titulus est: „Catechismus oder die Summa Christlicher leer für die ainfeltigen in fragstuck gestellet" (ff. 28; 4°); ubi et quando editio haec facta sit, in ipsa quidem non indicatur; sed „declaratio" ab Alberto V. 31. Martii 1556 de rebus religionis facta cum ea coniuncta est ita, ut

Quanto a questo collegio hora mi manca tempo di scrivere delle cose, ma presto mi stenderò sopra ciò secondo il mio poco giudicio. Spero d' hauere la risposta sopra questo in Ingolstadio innanzi il fine

---

De rebus huius collegii scribendi non mihi est tempus; mox autem pro animi mei imbecillitate copiose eas exponam. Litteras, quibus ad hasce rescribetur, ante

---

utriusque scripti paginae una et continua numerorum serie signentur („Katholik" 74. Jahrg., II [Mainz 1894], 191). Nec tamen Canisius verbis supra scriptis hunc catechismum significat; nemini enim in mentem venire poterat libello pueris et rudibus destinato commentationem adiungere, qua Wigandi argumenta contra catechismum Canisii maximum prolata refellerentur. Praeterea ex catechismi illius minimi typis coniectare licet eum Dilingae prelum subiisse (eundem libellum ibidem a. 1558 typis descriptum esse certo constat; cf. *editoris* „Katechismen" p. 108); Canisius autem hic de catechismo scribit, qui Viennae typis describatur. Praeterea Canisius Ratisbona 11. Februarii 1557 P. Iacobo Laynez scribit: „Io faccio stampare adesso certe cosette in tedesco, e un catechismo per li putti." Hunc autem „catechismum pro parvulis" quaerenti alius non occurrit quam minimus ille, qui Monachii nuper inventus est; ad quem in secundo huius operis volumine redibimus. Hoc vero loco considerare oportet ea, quae Bonaventura Thomas, nissensis, Catharinae Poloniae reginae contionator, Vilna 14. Iulii 1556 Stanislao Hosio, episcopo varmiensi, de „Summa" Canisii scripsit: „Catechismi Christiani libellum", a „Romanorum Regis piissimis doctissimisque theologis" „tantum latine" editum „Germanice ex Latino qua potui diligentia transcripsi." Atque idem eidem Vilna 30. Augusti 1556: „Scripsit mihi D. Staphilus, Cathechismum Serenissimi Romanorum Regis in vulgari idiomate non extare; videri sibi igitur ex re esse piorum, ut typis submittatur, qui per me ex Latino est versus" (*Hosii* Epistolae II, 733. 748—749). Fortasse igitur Bonaventura Thomas germanicam illam „Summae" canisianae versionem fecit, quae anno 1556 Viennae a Michaele Zimmermann typis exscripta est. Cuius titulus hic ponitur, quia usque adhuc nemo tam accurate eum descripsit: „Frag vnd ant= | wurt Chriſtlicher Leer in | den haubtſtucken | yetz neulich | auß beuelch der Römiſchen zu Hung= | ern vnd Behaim rc. Khü. May. vnſers | allergenedigiſten Herrn, der Chriſt= | lichen Jugent vnnd allen ainfal | tigen zu nutz inn Druckh | außgangen, | Vnd iſt jrer Khü. May. Ernnſtlicher | will vnd maynung, das diß Büchlein allain | auſſerhalb an= derer die man Catechiſmen nen= | net, durch alle jrer Khü. May. Niderösterrei= | chiſche Land, vnnd Fürſtliche Graffſchafft, | Görtz in gemeinen vnd ſunderbaren Schülen | ſolle geleſen, vnd von kainem Puechdrucker od' | Puechfüerer one zu laſſung Michaeln Zimer= | mans in den nechſten zehen jaren von Newem | gedruckt noch verkaufft werden." Versus 1, 2, 3, 8 rubri sunt. In pagina posteriore folii titularis imago in ligno incisa conspicitur, in cuius altero angulo inferiore annus „1556" comparet. 8^0 min.; ff. 255 (incl. titul.) numeris non signata. F. 𝔄 2^a—𝔄 7^b litterae germanicae, a Ferdinando I. Vienna 23. Aprilis 1556 ad omnes Austriae inferioris et comitatus goritiensis homines datae, per quas catechismus ille „a piis et orthodoxis viris conscriptus et a doctis honestisque viris probatus" commendatur et eius typis describendi et vendendi privilegium Michaeli Zimmermann, typographo viennensi, in decennium tribuitur. Canisii et Societatis Iesu neque in his litteris neque in ipso catechismo fit mentio. Interpres non est usus editione latina „Summae" a. 1556 Viennae facta, sed editione principe (Viennae 1555), ratione etiam habita „erratorum", quae in eius extrema parte posita erant; cf. etiam infra, monum. 100. Duo tantum exempla catechismi huius, qui inter catechismos Canisii germanicos antiquissimus est, equidem vidi, unum, quod folio titulari caret, Viennae in bibliotheca universitatis (Theol. past. I. 325), alterum idque integrum in monasterio gotvicensi (Göttweig) ordinis sancti Benedicti, in Austria inferiore (sign.: XXXIII. K 76^3).

di giuglio piacendo al Signore nostro, il quale ci conservi sempre nella sua santa grazia.

Io molto specialmente mi raccomando alle orazioni et sacrifici di V. R. et di tutti li Padri et fratelli, et massime di quelli che hanno da venire in Ingolstadio. Di Praga a 17. di giugno 1556.

Servo et figliolo indigno
Piedro Canisio.

Al molto Reverendo Padre mio in Christo il Padre Maestro Maestro [*sic*] Ignatio de Layola [*sic*] Preposito generale della Compagnia di Giesu. Roma.

Epistulae archetypae manu eiusdem temporis adnotatum est: „Riceuuta alli 23 di Luglio."

---

finem mensis Iulii Ingolstadii me accepturum esse spero, domino nostro iuvante, qui nos in gratia sua sancta semper conservet.

Valde singulariter me commendo precibus et sacrificiis R. V. et omnium patrum et fratrum ac maxime eorum, qui Ingolstadium venturi sunt. Praga 17. Iunii 1556.

Servus et filius indignus
Petrus Canisius.

Admodum reverendo in Christo patri meo, patri magistro Ignatio de Loyola, praeposito generali Societatis Iesu, Romae.

209.

MARTINUS CROMER,

canonicus cracoviensis et secretarius regius,

CANISIO.

Vienna 9. Iulii 1556.

Ex autographo (2°; 2½ pp.; in p. 4. inscr. et sig.). In superiore parte paginae quartae Canisius 9 capita breviter notavit, quae ad parabolam quandam evangelicam e suggestu explicandam pertinere videntur. Cod. monac. „Scriptt. coll. Ingolst." f. 41—42.

Se a Poloniae rege ad regem Romanorum legatum esse. Excusat se, quod id officium administrare maluerit, quam libros pro ecclesia componere. Sperat Sigismundum regem haereticis iam acrius obstiturum esse. De Hosii operibus. De conciliis, generali Romae, provinciali in Polonia habendis.

Reverende pater S. P.

Literas tuas nona die mensis Aprilis Praga ad me datas [1], vicesima prima Junij Cracoviae accepi eo ipso tempore, quo mihi rursus legatio a rege meo [2] ad regem Rom. iniuncta est praeter omnem expectationem meam. Pertaesus enim Litvanici domicilij, ex aula me paulo

[1] Has litteras, 9. Aprilis datas, vide supra p. 606—608.

[2] Sigismundo Augusto, Poloniae rege.

ante Cracoviam receperam, ut deo mihique viverem [1]. Jamque inter amicos et libros svaviter acquiescere coeperam, cum hanc mihi felicitatem nescio qvae Nemesis invidit. Qvare motoriam rursus fabulam ago [2]. Heri huc adveni magnis itineribus: Hodie regis mei mandata exposui. Qvo onere levatus, calamum statim in manus sumpsi, ut tibi ad tuas illas literas responderem, teque laetiore nuncio, quam huc nuper istinc perlatus erat, de me ipso exhilararem. Laborare te istic in vinea Christi gaudeo: Vtinam qvidem cum fructu: Verum svaviore tamen, qvam qvem adhuc decerpsisti: Si modo verum est, te pugno a nescio qvo contusum esse [3]. Qvod tamen si est, non dubito te gaudere, qvi pro Christi nomine dignus habitus sis contumeliam pati [4]. Qvod doles de nostratibus hominibus [5]: Insaniunt illi qvidem, sed non omnes: Ac ne tam proterve qvidem, ni fallor, et effrenate, qvam coeperant. Cohibent eos aliqvantum edicta regia, multo nunc, qvam ante severiora. Sane is nunc mirificus esse videtur, et acer propugnator veteris et orthodoxae religionis, offensus improbitate novatorum [6]. Deus nobis orandus est, ut eum nobis talem diu conservet. Qvod me ad scriptionem defensionemque religionis hortaris, etsi [a] non currentem tu [b] qvidem, currere tamen gestientem incitas: Sed qvid faciam, si fatis alio abripior? Mos gerendus est principi, et qvidem sine ulla iniuria religionis, ut ne dicam cum aliqva etiam utilitate. Qvid enim, si tantum operae precij fit a [c] nobis, dum sumus ad aures principis, aut eorum certe, qvibus princeps pro auribus et oculis utitur, qvantum si ingentia conscriberemus volumina, qvae in tanta librorum omnis generis copia, tantaque hominum impiorum arrogantia vix, ac ne vix qvidem fortassis leguntur! Non debes autem existimare, mi Canisi, aliqvid emolumenti vel honoris me venari in aula regia. Libenter acqviesco in hac mea conditione et fortunis non omnino contemnendis. Varmiensis episcopi scriptum iure optimo laudatur a doctis et pijs viris. Et brevi id denuo excudetur, spero, altero tanto auctum [7]. Scripsit idem hortatu meo dia-

[a] *Super versum scriptum* [b] *Super versum scriptum.*
[c] *Super versum scriptum.*

[1] Aula regia tunc Vilnae erat, quod Lithuaniae caput est (*Hosii* Epistolae II, 688).

[2] Comoediae „statariae“ veteres opponunt „motoriam“, quae motibus sive affectibus abundat et tumultuarie agitur.

[3] Falsus hic rumor fuisse videtur ac natus fortasse ex eo, quod 14. Maii 1556 Pragae ad P. Cornelium Brogelmannum in ecclesia collegii sacrum facientem Bohemus quidam accessit ac minaciter pugnum sustulit; mature tamen prohibitus est, ne sacerdotem percuteret. Canisius in eadem ecclesia 10. Maii lapide per fenestram iacto petitus erat. Vide supra p. 618—619.

[4] Act. 5, 41. [5] Cf. supra p. 536.

[6] Promisit quidem rex ille haud pauca episcopis minatusque est haereticis poenas graves; sed in exsecutione segnem se praestitit.

[7] Priorem partem „confessionis“ dicit (cf. supra p. 537 [2]); eadem pars anno 1557

logum: qvo cavillis Fricij de utraque specie, de coelibatu sacerdotum, ac de ritibus ecclesiasticis vernacula lingua peragendis [respondet]. Eum ego hic mecum habeo: Verum describi is tam celeriter, et ad te mitti non potest: Nisi forte diutius hic mansero.

Episcopus Veronensis, nuncius apostolicus[1] haeret adhuc apud nos, nec sane ociosus. Oratorem regis mei revertentem a pontifice vidi in itinere[2]. Refert nobis spem concilij Romae aperiendi: Qvam certam autem et optabilem, tute ipse ex loco eius potes conijcere. Sat sapienti. Nuncius qvidem cum archiepiscopo[3] episcoporum et sacrorum collegiorum conventum ad sextam diem Septembris instituent[4]. Indicunt ijdem supplicationes implorandae opis divinae causa. Qvarum rerum si me svasorem fuisse putaveris, non erraveris. Nuncius qvidem ipse agnoscit manu sua ad me scribens. Sub idem autem tempus rex revertetur in Poloniam; qvi si vel in uno atque altero reipsa praestabit, qvod edictis minatur, spero nos cito aliam rerum faciem visuros esse. Sunt enim flexibiles nostri homines, modo ne desint officio suo speculatores[5]. Hic qvae de filio regis[6] audio, mira, si vera sunt. Et facile causam conijcio. Sed confusi sunt, inqvit ille[7], qvoniam deus sprevit illos. Haec ego amanter et familiariter ad te Canisi, qvando hic mihi aspectu et colloqvio tuo frui non licet. Vale. Vienna 9. die Jul. 1556.

Tuus
M. Cromerus[a].

Reuerendo patri D. Petro Canisio theologo insigni de societate Iesu amico suo honorando Pragae.

[a] *Sequitur signum quoddam obscurum.*

Dilingae in 4° et in 8° edita est. Eodem anno Moguntiae ex officina Francisci Behem, „I. Patruo bibliopola Posnanien. imprimi procurante", tota confessio primum in lucem prodiit (*Hosii* Epistolae II, 1007). Dialogum autem illum Hosius mense Februario 1556 absolvit; eius exempla manu scripta amicis misit recognoscenda, ut Cromero, Ioanni Pikarski, contionatori regio, Aloysio Lipomano, nuntio apostolico. Anno 1558 typis primum exscriptus est (*Hosii* Epistolae II, 667. 685. 714. 809. 946. *Eichhorn*, Hosius I, 289. Exstat etiam inter „opera omnia" *Hosii*, e. g. in editione Antverpiae a. 1571 facta f. 332—346).

[1] Aloysius Lipomanus.

[2] Albertum Kryski, subcamerarium plocensem et secretarium regium, significare videtur; qui sub initium a. 1553 orator regius Romam venerat (*Hosii* Epistolae II, 262. 323. 899).

[3] Nicolao Dzierzgowski, archiepiscopo gnesnensi.

[4] Synodus haec ecclesiasticae provinciae gnesnensis reapse mense Septembri a. 1556 habita est Lovicii (Łowicz), ubi archiepiscopi arx erat (*Eichhorn*, Hosius I, 267—269).

[5] Is. 56, 10. Ier. 6, 17 etc.

[6] Maximiliano, Lutheranorum patrono. [7] Ps. 52, 6.

210.

CANISIUS
SANCTO IGNATIO.

Praga sub medium mensem Iulium 1556.

Ex *Sacchino,* De vita Canisii p. 109—110. Cf. *Orlandinum* l. c. l. 16, n. 2.

Impense rogat, ne praepositi provincialis vel rectoris munus sibi imponatur.

Cum „per aestatem“ anni 1556 „Ingolstadium“ Socii „peruenissent, accipit Canisius a B. Patre literas“, quibus Sociorum praepositus provincialis per Germaniam superiorem constituitur. „Confestim“, inquit Sacchinus, „rescripsit, se quidem paratum esse, quacunque posset ope sociis vniuersis famulari in rerum aeque diuinarum procuratione, et humanarum. Ceterum per Deum obtestatur, nullum vt sibi Prouincialis, siue Rectoris munus imponat; sed plane omnium postremum, vt re ipsa sit, numeret. Enimuero periculosum esse, hominem perturbationibus agitatum, arrogantem, nullo iudicio praeditum id officij suscipere; fierique aliorum ducem, qui necessario careat lumine, et idonea cum facultatis subsidia, tum experimenti requirat. Non deesse (et nominatim appellabat quosdam), qui commodius multo praefici possent. ‚Denique‘, *inquit,* ‚existimaui Pater, cunctos mihi fratres rogandos, vt suam de me quisque sententiam scripto explicent, et ad te mittant[1]. Nam profecto, si mea cum interiora nosses, tum exteriora vitia, quantumque haec Germania obtuderit me, ac secularem effecerit, potius misereris mei, maioremque susciperes curam mei subleuandi precibus tuis; quas indignissimus licet assidue cupio.‘“ *Addit Sacchinus: Canisius „vouerat olim, . . . quod ad suum commodum, deque vno in locum alium profectionem*[a] *attineret, nihil vnquam moturum*[2]. *Eius sponsionis ita memoriam, ita custodiam retinebat, vt subierit religio, simul ac renuntiatus est Prouincialis, ne contra eam facere aliquo pacto videretur, si quando pro suo munere quopiam accurrendum esset, antequam profectionis iussum ab Vrbe perferretur. Itaque rem omnem aperiendam beato Patri [Ignatio] censuit“.*

Canisio Roma rescriptum esse videtur a Polanco ineunte vel medio mense Augusto a. 1556. De qua re in secundo huius operis volumine agetur.

Riess (l. c. p. 165—166) censet epistulam hanc iam aestate anni 1555 datam esse; Socherum enim referre Canisium sub id tempus Viennae a P. Hieronymo Natali certiorem factum esse provincialis officium brevi sibi suscipiendum fore[3].

---

[a] profectione *Sacch.*

---

[1] „Scripsere“, inquit *Sacchinus* l. c., „testimonia socij, sed qualia ille merebatur potius, quam volebat, plena commendationis. et laudis.“

[2] Sponsionem hanc vide supra p. 263.

[3] Cf. *Socherum* l. c. p. 55. 63.

Neque id quidem sua caret probabilitate; Natalis enim Ignatio intime utebatur atque eius nomine Societatis res in Austria disponebat et constituebat; accedit, quod Socherus ex historia collegii viennensis a Magio conscripta ea hausisse videtur. Attamen magis mihi placet Canisium anno, qui proxime secutus est, scripsisse. Nam Sacchinus, qui ipsam Canisii epistulam ante oculos habuit et res sat accurate narrat, perspicue testatur Canisium epistulam illam Romam misisse, postquam Socii Ingolstadium advenerunt et diploma illud ipsi Canisio traditum est, quo Germaniae superioris praepositus provincialis nominabatur. Sic etiam facilius intellegitur, cur in epistulis anno 1555 et priore parte anni 1556 a Canisio Romam missis (quae quidem supersunt) nulla huius officii imponendi vel recusati fiat mentio.

S. Ignatius diploma illud 7. Iunii 1556 subscripsit. Socii 9. Iunii Roma discesserunt et 7. Iulii Ingolstadium venerunt[1]. Dubium non est, quin diploma in Bavariam ipsi attulerint indeque Pragam miserint, cum Canisium ibi morari audissent. Sub medium igitur mensem Iulium Ignatio rescribere potuit.

Boero haud recte scribit Canisium Ignatii litteras Viennae accepisse[2]. Canisius enim mense Februario a. 1556 inde discessit neque eo anno Viennam rediit.

Polancus nomine S. Ignatii Canisio rescripsisse videtur circiter d. 20. Iulii 1556.

211.

CANISIUS

SOCIIS INGOLSTADIENSIBUS.

Praga sub medium mensem Iulium 1556.

Ex cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 8b.

Aliquis ex 18 illis Societatis hominibus, qui 7. Iulii 1556 Ingolstadium advenerunt[3]*, haec refert: Invenimus Ingolstadii „quorundam professorum animos erga societatem parum synceros, vt etiam Reuerendus Pater Canisius ex Praga per litteras hortaretur abstinendum esse ab illorum consortio donec ipse aduentu suo, de his omnibus certiores faceret. . . Tandem diu expectatus adest R. P. Canisius 4.º Augusti ex Praga.“*

---

[1] Cf. supra p. 638[4]. [2] Canisio p. 132.

[3] Horum praecipui erant: Thomas Lentulus (van Lenth) noviomagus, qui collegii rector a S. Ignatio constitutus erat, Doctor Ioannes Cuvillonius (Couvillon) insulensis, Doctor Hermannus Thyraeus novesianus, M. Theodorus Peltanus (van Pelt) leodiensis. De quibus in sequentibus huius operis voluminibus plura scribentur. Cum S. Ignatius mense Iunio a. 1556 18 illos Socios Roma Ingolstadium mitteret, simul etiam catalogum latinum misit, ex quo tum Albertus dux tum Canisius cognoscere possent, quae eorum essent nomina, quae patriae, quae officia, ad quae singuli idonei esse viderentur. Catalogus ipse hic non ponitur, quia editus iam est ab *Agricola* l. c. I, Dec. 2. n. 26; *Mederer* l. c. IV, 291—292; *Lipowsky* l. c. I, 74—77 (germanice versus); *Freyberg* l. c. III, 227*—228*; *Verdière* l. c. I, 303—305 (gallice); *Pachtler* l. c. I, 349—350; Cartas de *San Ignacio* VI, 497—498. 293—295 (latine et hispanice). *Prantl* scribit (l. c. I, 225) 6 Iesuitas et 12 alumnos („6 Jesuiten und 12 Alumnen“) Roma Ingolstadium missos esse!

212.

CANISIUS

et

HENRICUS SCRIBONIUS,

administrator archidioecesis pragensis,

FERDINANDO I.

Praga mense Iulio 1556.

Ex archetypo (2°; pp. 2), quod Canisius et Scribonius ipsi subscripserunt; in p. 4. alia manu scriptum est: „Jesuiter zu Prag. Supplication 1556." Exstat Viennae in archivo camerae aulicae (Hofkammer-Archiv, Archiv des gemeinsamen k. k. Finanzministeriums), „Boehmen P. Fasc. 5/2, Jesuiten."

Regi rationem proponunt, qua aes alienum, a collegio pragensi contractum, solvi possit, eundemque rogant, ut quinque monasteriorum desertorum bona in profanos usus conversa pauperibus scholasticis alendis destinentur, qui postea archidioecesis pragensis sacerdotes futuri sint.

Serenissime Rex et clementissime domine.

Duo sunt impedimenta quae Collegium et studium Pragense ad S. Clementem a S. R. M. [V.] nuper errectum [*sic*], et nobis deinde concreditum ualde perturbant. Vnum est de soluendis debitis, quae pro structura Collegij creditores multi et pauperes iure suo iamdudum petunt. Cui incommodo si placet S. M. V, subuenire poterunt Zitauienses, qui cum nunc adsint Ratisbonae[1], non difficulter permouerentur, ut consentiant in 2000, uel ut minimum ad mille taleros statim mutuo dandos praedicto Collegio, accepturi deinde solutionem ex bonis quae in decennium administrant, Monasterij Oybinensis, tantum absit usura, quae et ipsis, et Collegio Societatis IESV non possit non esse ignominiosa.

Alterum quod praeclaro Collegij huius instituto deest, ad scholasticos pertinet pauperes, qui frequentes ad scholam hanc Regiam confluunt, et ibidem frugifere admodum possent institui, donec sacris ordinibus iniciarentur, et Pragensis diocesis [*sic*] ministerijs nunc certe necessarijs adhiberentur. Cum autem obstet inopia, quo minus illi in studijs perseuerare, et ad frugem peruenire, nostraeque et Catholicae Ecclesiae deseruire possint, praeclare de illis et hac tota schola mereri uidebitur S. M. V. si pro Regia benignitate et pietate sua consentiat, ut in usum et sustentationem pauperum scholasticorum huiusmodi conuertantur[a] bona quaedam uacantium Monasteriorum, quae, ut

[a] couertantur *archet.*

[1] Ratisbonam ad comitia imperii venisse videntur. Ferdinandus comitia ipse quidem mense Iunio exordiri volebat; sed propter bellum hungaricum Viennae manere statuit, et Albertus V. Bavariae dux Ferdinandi nomine 15. Iulii 1556 comitiorum initium fecit (*Fr. D. Häberlin,* Neueste Teutsche Reichs-Geschichte III [Halle 1770], 134—137).

uidemus, in prophanos usus abeunt, et misere passim alienantur. Tantum pauca e multis loca et domicilia Religiosorum, quae nunc diserta [*sic*] atque distracta sunt, et scholasticis ad usum Ecclesiae applicari possent, hic breuiter ostendemus.

Primo est Monasterium in ciuitate Tustae seu in Domażlicz, germanice Tauz uocant[1], non ita procul a Thina[2], quod monasterium ordinis est Heremitarum .S. Augustini, aliquot abhinc annis desolatum, pratis et agris dotatum, et nuper admodum a Ciuibus Tustae impetratum ad reuocationem usque .S. M. V.

Secundum Monasterium est situm in Ciuitate Tachouiae[3] ordinis Carmelitarum multis ab hinc annis desolatum, etiam a Ciuibus illius Ciuitatis impetratum.

Tertium Monasterium Skalicze non procul a Ciuitate Kürimen[4], ordinis Cystersiensium [*sic*], quod a nullo etiam Religioso inhabitatur, et Nobili cuidam elocatur[5].

Quartum Monasterium est in oppido Chiss[6], ordinis Carmelitarum, suis etiam fratribus destitutum, quod nunc manet penes pupillos Domini a Guttenstein.

Quintum est in pago Tenionicze[7] Monasterium, primum quidem a Domino Czizkonecz fundatum pro quibusdam fratribus religiosis, Deinde uero conuersum in usum trium aut quatuor sacerdotum, sed quod nomine tutelae nunc a quodam occupatur.

Ex his aliqua sufficient ad unius uel duorum, alia ad plurium sustentationem. Ita fiet, ut .S. R. Maiestas V. non solum de collegio suo Regio quantum ad professores attinet, uerum etiam quantum ad discipulos et auditores praeclare mereri, et aeternam sui nominis gloriam in Christo et Ecclesia Boemica relinquere possit, amputatis interim scandalis et occasionibus ecclesiastica bona prophanandi et alienandi.

S. R. Maiestatis V.

Humiles sacellani.

Henricus Praepositus
Ecclesiae Pragensis.
Petrus Canisius Theologus
de societate JESV.

---

[1] Nunc germanice „Taus“ (Tauss) et bohemice „Domažlice“, oppidum Bohemiae, in regione pilsnensi. [2] Germanice Thein.

[3] Germanice Tachau, bohemice Drzewnow. [4] Curimium, bohemice Kauřim.

[5] Monasterium „Gratia B. Mariae virginis“ Scalicii (bohemice Scalic vel Scalice) anno 1357 conditum erat. De quo *Leop. Janauschek* O. Cist., Origenes Cistercienses I (Vindobonae 1877), p. 272, n. 709.

[6] Nunc Chiesch, in archidioecesi pragensi.

[7] Fortasse Těnovice, Tienowic, ubi Ioannes Hiřowec anno 1520 monasterium „fratrum minimorum“ (ordinis S. Francisci de Paula) condiderat. Nam Frind asserit hoc monasterium sub id tempus ex invidia illius, qui conditoris erat heres, fratribus orbatum fuisse et Scribonium Ferdinando commendasse, ut ex eius bonis aliisque similibus seminarium clericorum instituendum curaret (*Ant. Frind,* Die Geschichte der Bischöfe und Erzbischöfe von Prag [Prag 1873], p. 180).

Tempus quidem huic epistulae non est ascriptum; sed ex epistula ipsa cognoscitur, datam esse, cum collegium Societatis Iesu pragense „nuper erectum“ et eius ludus litterarius iam apertus esset; qui 8. Iulii 1556 apertus est [1]. Canisius vero exeunte eo mense Praga discessit neque anno 1556 eodem rediit.

213.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma circiter 20. Iulii 1556.

Ex *Sacchino,* Can. p. 110—113.

Canisius, cum ad litteras Roma 7. Iunii 1556 datas, quibus a S. Ignatio Societatis praepositus provincialis per Germaniam superiorem constituebatur [2], *„confestim rescripsisset“, per Deum obtestans, ne eiusmodi munus sibi imponeretur* [3], *a S. Ignatio „iussus est, Dei bonitate confisus ceruicem iugo submittere. Nihil enim inde negotij plus habiturum, quam ad hoc tempus habuisset: cum re quidem munere eodem fungeretur, sed accessuram duntaxat ex ipso titulo potestatis opem aliquam, et praecipuum diuinitus auxilium“. Ac cum Canisius olim spopondisset, se, quod ad commodum suum deque uno loco in alterum profectionem attineret, nil umquam moturum, cumque metueret, ne in eo munere contra sponsionem hanc facere aliquo pacto videretur, iam a S. Ignatio „omni liberatus est scrupulo“.*

Hanc epistulam Polancus significare videtur, 22. Iulii 1556 Canisio scribens: „Questi giorni si è scritto a V. R. et a quelli di Praga assai diffusamente.“ Vide epistulam proxime ponendam.

214.

P. IOANNES DE POLANCO S. J.

nomine S. Ignatii

CANISIO.

Roma 22. Iulii 1556.

Ex „Cartas de *San Ignacio*“ VI, 519. 355—356; quarum editor apographo usus est, in cuius margine Polancus ipse quaedam scripsit, quodque antea Romae in archivo Societatis asservabatur. Adnotatum est: „Ingolstadio, Al Doctor Canisio.“

Partem epistulae latine versam edidit *A. v. Druffel,* Ignatius von Loyola an der Römischen Curie (München 1879) p. 40, adnot. 49.

Summum pontificem potestatem monasterii cuiusdam vel monasteriorum aliquot Societati attribuendorum voce concessisse; nec litteras apostolicas necessarias esse.

---

[1] Supra p. 618 [3]. [2] Positae sunt supra p. 623.
[3] V. supra p. 645.

Ihesus.

Pax Christi, etc.

Questi giorni si è scritto a V. R. et a quelli di Praga assai diffusamente, e dopoi non abbiamo avviso alcuno nè anche sappiamo se sono arrivati li nostri d'Ingolstadio.

Questa è per fare intendere alla R. V. che si è supplicato a Sua Santità per via del Reverendissimo Cardinale Morone[1] quello che contiene il memoriale dell' altra pagina[2]; et Sua Santità è contenta, et dette sua benedittione etc.[3] Se pur bisognasse Breve o Bolle, si potrebbono expedir adesso, o quando il Re volesse far la tale applicatione perpetua; et non pare che ce sarà difficoltà a questo spaccio[4]. E vero che ci contentiamo vivae vocis oraculo perche basta per satisfar alla conscientia; et nel foro exterior poco mi pare sono necessarie simili Bolle, facendosi colla auctorità regia il tutto, et senza scrupulo potremmo aiutarci di quella, havendo la mente di Sua Santità[5].

Ihesus.

Pax Christi, etc.

Hisce diebus reverentiae vestrae et Sociis pragensibus copiosius scriptum est, nec postea nuntium ullum accepimus, neque etiam scimus, an Socii nostri ingolstadienses advenerint.

Haec scribo, ut R. V. certiorem faciam, summo pontifici per reverendissimum cardinalem Moronum[1] supplicatum esse pro iis, quae libellus in altera huius epistulae pagina descriptus continet[2]; et pontifex concessit, et benedictionem dedit, etc.[3] Si tamen breve aliquod vel bullae necessariae essent, aut nunc effici mittique possent, aut cum rex applicationem illam perpetuam reddere voluerit; neque ea res difficultatem habitura esse videtur[4]. Quamquam nos quidem vivae vocis oraculo contenti sumus; id enim ad conscientiam securam reddendam sufficit; in externo autem foro huiusmodi bullae vix necessariae esse videntur, cum omnia regis auctoritate fiant, qua sine scrupulo uti possumus, cum pontificis mens explorata nobis sit[5].

[1] Ioannes cardinalis Moronus „protector" erat regnorum et provinciarum Ferdinandi I.

[2] *Druffel* scribit supplicatum esse pro monasterio S. Clementis (ordinis Praedicatorum) collegio pragensi attribuendo; unde id hauserit, non indicat. Certe Ferdinandus rex mense Augusto a. 1555 tum Moronum tum Ignatium rogaverat, ut monasterii clementini collegio pragensi, et monasterii Beatae Virginis, ordinis carmelitani, collegio viennensi attribuendorum potestatem a summo pontifice impetrarent (*Cartas* V, 584—588). Ac Canisius 17. Maii 1556 Praga S. Ignatio scripserat litteras regis Romam missum iri, quibus potestas monasterii oibinensis, ordinis Coelestinorum, collegio pragensi assignandi peteretur (cf. supra p. 615).

[3] Paulum IV. monasterium oibinense Sociis concessisse ex litteris Canisii initio a. 1557 ad Lainium datis intellegitur; quae in secundo huius operis volumine ponentur.

[4] Litteras apostolicas in Germaniam mittendas significat. Antiqua versio, a Druffel edita, inepte: „neque videtur fore difficultas in isto spatio."

[5] Ita etiam Ferdinandus I. in „litteris fundationis" collegii pragensis, Pragae 15. Martii 1562 datis, asserit „interveniente Authoritate Apostolica", „summo Pontifice viva voce consentiente" Sociis pragensibus dari monasterium S. Clementis etc. Litteras illas ponit *Bucholtz*, Urkunden-Band p. 668—672.

Non altro per questa senon che staremo con desiderio aspettando qualche avviso del novo Collegio Ingolstadiense.

Tutti ci racomandiamo molto nelle orationi di V. R. et delli altri nostri fratelli. De Roma li 22 di Luglio 1556.

Aliud quod scribam, non habeo, nisi nos avide nuntium exspectare, quo de novo collegio ingolstadiensi edoceamur.

Omnes reverentiae vestrae et ceterorum fratrum precibus magnopere nos commendamus. Roma 22. Iulii 1556.

Nota. Inter epistulas a S. Ignatio vel eius nomine datas haec omnium (quae quidem usque adhuc cognitae sunt) postrema est; novem diebus post, 31. Iulii 1556, sanctissimus ille vir in caelum abiit.

Ex hac epistula intellegitur, qua ratione fieri potuerit, ut litterae apostolicae, quibus monasterium clementinum et 1400 taleri ex monasterio oibinensi quotannis provenientes collegio pragensi attribuebantur vel potius eorum attributio iam multo ante facta probabatur et rata esse iubebatur, Roma non mitterentur nisi Kalendis Iuliis anni 1583 [1].

---

[1] *Synopsis* Actorum S. Sedis etc. p. 128, n. 250. Ceterum, quod ad monasterium S. Clementis attinet, etiam S. Pius V. O. Pr. eius cessionem, Societati a fratribus suis factam, confirmasse traditur (*Crugerius*, Sacri pulveres l. c. p. 119).

X.

MONUMENTA CANISIANA.

A.

MONUMENTA MOGUNTINA CANISII.

1.

Mense Aprili 1543.

Ex apographo totius epistulae, quod fideliter exscriptum esse ex autographo, Embricae (Emmerich) in cubiculo rectoris collegii S. J. deposito, testatur Embricae 20. Aprilis 1651 Winandus Weidenfeld S. J. Cod. colon. „Litt. epistt. var." f. signato „pag. 1" et 3 sqq. non sign.

Tota epistula primum edita est in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*" I, 347—351; 172—178.

Beatus Petrus Faber S. J. Gerardo Hamontano, Carthusiae coloniensis priori, Moguntia 12. Aprilis 1543 inter alia haec scribit: Se de peregrinatione, ad quam Gerardus se hortatus sit, post aliquot septimanas certum quid rescripturum[1].

„Interea autem ego fruor communicatione Magistri Petri[2], quae communicatio quam mihi sit gratissima, ego certe non possem explicare. Sit benedictus, qui plantauit tam cultam arborem et sint benedicti quotquot eam quoquo modo rigarunt, hinc fiet (prout non dubito) vt P. V. aliquid ex hac mea prece sit consecutura, quia tam multis modis hunc iuvenem adiuuerit vt fieret qualis est, et vt ne fieret similis iuvenum huius seculi. Ego sane effectus sum amantior eius ciuitatis vestrae Coloniensis, quae tantam puritatem alere potuerit."

Nec tamen dubium esse, quin similes aliquot „plantulae" Coloniae lateant.

Errant igitur *Riess* p. 29 scribens Canisium Moguntiam profectum esse „in der zweiten Hälfte der Osterzeit des Jahres 1543", et *Boero*, Canisio p. 25 asserens: „In su l' entrare del Maggio del 1543. recossi a Magonza." *Séguin* quoque corrigendus est scribens Canisium mense Maio Moguntiam petiisse (l. c. p. 30).

2.

1543, exeunte mense Aprili.

Ex „Memoriali Beati Petri Fabri", ed. P. *Marcellus Bouix* S. J. (Lutetiae Parisiorum 1873) p. 282—284 (in edit. maiore p. 273—275).

B. Petrus Faber in „Memoriali suo" Moguntiae exeunte Aprili a. 1543 notavit: Se aliquando[3]*, cum „visitasset magistrum Petrum*

[1] Gerardus Fabrum hortatus esse videtur, ut Coloniam veniret, tum ad exercitia spiritualia Carthusianis tradenda tum ad fulciendam in ea urbe fidem catholicam, quam archiepiscopus ipse labefactabat. [2] I. e. Petri Canisii.

[3] Haec Fabri adnotatio incipitur his verbis: „Alio quodam die, dum visitassem."

Gueldriensem[a], *qui exercebatur juxta modum Exercitiorum nostrorum*" [1], *rationes quasdam clare cognovisse, quibus contrarii illi spiritus animos hominum agitantes, bonus et malus, discerni possent. „In quibusdam" autem, inquit, „ideo non agnoscitur spiritus malus, et maxime in piis et diu versatis in devotione et extra peccata, quia non habeant cogitationes extra limites veritatis et bonitatis, neque affectus manifeste inordinatos." At, quantumlibet hi „sancti sint", ubi de altiore aliquo christianae vitae gradu capessendo deliberare coeperint, facile utrumque spiritum in iis apparere.*

Fabri haec scribentis animo Canisium obversatum esse de vitae statu deligendo meditantem facile patet.

3.

Appendix monumentorum moguntinorum.

1540—1555.

De votis a Canisio factis Coloniae a. 1540, Moguntiae 1543, Romae 1549, Viennae 1555. An in Societate Iesu „vota devotionis" et „vota simplicia scholasticorum" fecerit. Quando et quomodo professionem sollemnem emiserit.

Canisius 25. Februarii 1540 Coloniae perfectam perpetuamque Deo castitatem vovit [2]. 8. Maii 1543 votis Moguntiae factis Societati Iesu se addixit [3] eiusdemque tirocinium ingressus est [4]. Quae quidem vota cum iis, quae nunc in Societate Iesu fiunt, „votis devotionis" [5] et „votis simplicibus scholasticorum" [6] similitudinem aliquam habent. Eum autem duobus annis post ingressum vel alio quocumque tempore ipsa illa scholasticorum vota fecisse [7], quae nunc biennio probationis expleto fiunt, voventesque constituunt veros religiosos, prorsus constare non videtur [8]. Nam Ca-

[a] Petrus Qualriensis *Riess. Exemplum Memorialis, quod a. 1858 Vallibus Anicii ex prelo autographico prodiit:* Petrum Qualeriensem; *sed eiusmodi locum geographi non norunt. Bouix in utraque Memorialis editione latina:* Gueldriensem.

Ea autem, quae huic praecedit, a Fabro anno 1543 „in die sanctorum martyrum et pontificum Cleti et Marcellini" facta est, qui est 26. Aprilis; quae vero nostram sequitur, ab eo facta est „in die dominicae quintae post Pascha", quae dies 29. Aprilis tunc erat. Sed fortasse Faber in adnotando ordinem dierum haud accurate servabat.

[1] Petrum Canisium dici omnes agnoverunt; ita v. g. *Riess* l. c. p. 29; *Marc. Bouix,* Mémorial du Bienheureux Pierre Le Fèvre (Paris 1874) p. 347; *Boero,* Fabro p. 431; *interpres anglus* Memorialis (The life of the blessed Peter Favre. From the Italian of Father Giuseppe Boero [London 1873] p. 354—355). Noviomagus, Canisii patria, Geldriae est urbs. [2] Vide supra p. 39.

[3] „Memineris eos, qui illis in initiis Societati nomen dabant, statim ac ad cohabitandum cum aliis de Societate admittebantur, votum Societatem ingrediendi emittere solitos, at non statim permissos esse ut affirmarent se de Societate esse sed solum votum ingrediendi Societatem habere." Ita optime meritus *editor* „Litterarum quadrimestrium" I, 146 [1]. [4] V. supra p. 75—76.

[5] Ea omnino privata sunt et permittuntur, non praescribuntur.

[6] V. infra p. 654 [6].

[7] Asserit quidem *Séguin* (l. c. p. 43) eum 8. Aprilis 1545, biennio tirocinii expleto, illa vota fecisse; sed nulla ratione id probat.

[8] Nisi forte quis dicere malit ipsa vota 8. Maii 1543 a Canisio facta fuisse „vota devotionis" et, biennio expleto cum renovarentur, facta esse „vota scholasti-

nisius, cum in scriptis suis vota illa annis 1540 et 1543 facta plus quam semel commemoret, itemque vota sollemnia anno 1549 nuncupata [1], nullam usquam facit mentionem votorum aliorum, quae inter annos 1543 et 1549 ediderit. Ac S. Ignatius in constitutionibus quidem suis praecepit, ut omnes biennio tirocinii finito vota simplicia paupertatis, castitatis et oboedientiae, eaque ex ipsorum parte perpetua, facerent, ac bis singulis annis, donec ad vota sollemnia aut ultima coadiutorum pervenissent, eadem renovarent [2], formula etiam simplicium horum votorum proposita [3]. At constitutiones S. Ignatii promulgari non sunt coeptae ante annum 1552, quo in Siciliam primum illatae sunt [4]; et vim legis, ipso Ignatio sic disponente, anno demum 1558 obtinuere, quo a prima ordinis congregatione generali, post conditoris mortem habita, approbatae sunt [5]. Neque tamen dubitari potest, quin Canisius, docilis ille Ignatii Petrique Fabri discipulus, vota illa, quibus Moguntiae primum Societati nomen dederat, saepius renovarit, sive omnino privatim sive communiter cum aliis, qui similibus votis se adstrinxerant [6]. Nam et Ignatius cum sociis prima illa vota, quae anno 1534 Parisiis in monte Martyrum nuncupaverat, duobus annis proxime

eorum". In *catalogo, quem collegium S. J. ingolstadiense anno 1564 aut uno ex sequentibus annis Romam ad praepositum generalem misit, de P. Theodorico Canisio dicitur: „Societatem ingressus est Coloniae die 9. Martij. Anno 1554 et eodem die uota Scholasticorum fecit" (Cod. „Germ. Sup. Cat. 1566. 1599." f. 373[a]). Ac tunc complures paulo post ingressum vota „devotionis" faciebant, quae, verborum significatione aliquantum amplificata, vota „scholasticorum" dici poterant: Reinerius v. g. Fabricius, leodiensis, 4. Iunii 1559 Societatem Iesu ingressus est et „vouit eodem tempore statim" (*Catalogus collegii S. J. monacensis, Romam missus 1. Ianuarii 1565, l. c. f. 376[b]); Richardus Flemingus, hibernus, mense Martio anni 1563 Lovanii Societatem ingressus, 24. Iunii 1563 Romae vota nuncupavit (*Catalogus collegii dilingani, Romam missus 1. Novembris 1567, l. c. f. 382[a]); Petrus Hernath, hungarus, 26. Septembris 1558 eam ingressus, 26. Octobris eiusdem anni Romae vota fecit (*Catalogus dilinganus, 1. Ianuarii 1565 Romam missus, l. c. f. 375[a]); Thomas Gallus, fridbergensis, anno 1560 Romae ingressus, 6. Ianuarii 1561 „vota scholasticorum" edidit (*Catalogus dilinganus, 31. Decembris 1566 Romam missus, l. c. f. 402[a]). Ceterum v. supra p. 653[3]. [1] V. supra p. 9. 15. 39. 42. 44. 56.

[2] Ex. c. 1, n. 10. 12; P. 4, c. 4, n. 5; P. 5, c. 4, n. 3.

[3] De votis devotionis agitur P. 3, c. 1, T etc. [4] *Orlandinus* l. c. l. 12, n. 34.

[5] *Ios. Iuvencius* S. J., Epitome Historiae Societatis Iesu II (Gandavi 1853), 17—18.

[6] P. *Ioannes de Polanco* 8. Octobris 1549 Roma Lovanium scripsit ad Adrianum Adriani: „Non omnino consonat formula votorum simplicium" in Societate: ideoque se illam mittere affirmat, „quam sic approbari pre ceteris video." Ea hic subicitur ex *apographo eiusdem temporis, a Sociis lovaniensibus ad colonienses misso, quod nunc est in cod. colon. „Litt. Epistt. var." f. 57. In locis, qui uncis includuntur, scriptio nimis obscura coniecturis suppletur, atque etiam ponitur „rationibus" loco verbi „rebus" et „constitutiones" loco verbi „conditiones": sic enim legendum esse manifestum est.

„Creator meus et deus meus et pater sempiterne ego .n. licet omnibus rationibus me diuino tuo conspectu indignum videam fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita et impulsus tibi seruiendi desiderio pro[mitto] ac voueo coram sacratissima Virgine Maria et curia tua celesti vni[uersa] diuinae maiestati tue me religionem societatis Jesu ingressurum ita vt quantum in me est vitam in ea perpetuo degam in qua societate si re[ceptus] fuero promitto paupertatem castitatem atque obedientiam me perpetuam [iuxta] ipsius societatis constitutiones seruaturum. a tua ergo immensa bonitate a[tque] clementia per Jesucristi sanguinem peto suppliciter vt hoc holocaustum in odorem suauitatis admittere et vt dedisti ad hoc desiderandum et offerendum sic etiam ad explendum gratiam conferre vberem digneris."

Alia formula a S. Ignatio proposita et praescripta est in constitutionibus, P. 5, c. 4, n. 4. Quae etiamnunc adhibetur.

secutis renovavit [1], et in provincia S. J. lusitanica iam anno 1546 renovatio votorum in communi conventu fieri coepta est [2].

Quattuor sollemnia Societatis vota a Canisio Romae facta esse mense Septembri a. 1549 inter omnes fere convenit. Dissentiunt autem de die: septimum fuisse Sacchinus asseruit [3]; quem secuti sunt Iacobus Fuligatti [4], Longarus degli Oddi [5], Riess [6], Alet [7], Garcia [8], Ed. Marcour [9], Verdière.[10]. Econtra Python [11], Séguin [12], Boero [13], I. M. S. Daurignac [14] affirmant Canisium die 4. Septembris professum esse. Et recte. Nam P. *Paulus Hoffaeus* Societatis per Germaniam superiorem praepositus provincialis in *catalogo omnium provinciae suae professorum et „coadiutorum formatorum", quem anno 1570 confecit et Romam ad praepositum generalem misit, haec sua manu scripsit: „R. P. Doctor Petrus Canisius professus est quatuor vota, quarto Septemb. anno 1549. Romae in templo nostrae Societatis in ipsis manibus R. P. N. Jgnatij primi Praepositj." [15] Atque, id quod etiam maius est, penes Societatem nostram folium adhuc exstat, in quo Canisius ipse vota sua sollemnia forma consueta [16] scripsit („Ego Petrus Canisius professionem facio et promitto" etc.), et haec professio ita finitur: „Romae in templo Societatis apud S. Mariam de Strada, die quarto Septembris, anni 1549. in manibus beati Patris IGNATII primi Praepositi nostri generalis. Jdem P. Canisius manu propria ·⁝·." [17] Eadem vota iisdem verbis Canisius sua manu scripsit in „Libro Professionum et Votorum Coadiutorum, Prouintiae Superioris Germaniae", anno 1572 a P. Paulo Hoffaeo, praeposito provinciali, facto; postrema Canisii verba haec sunt: „Romae IIII Septemb. anno M. D. XL. IX in ecclesia Societatis." [18] Tertium quoque Canisii autographum habemus, cuius una pagina vota simplicia professorum continet et his verbis terminatur: „Scriptum factum et sancte promissum Viennae Dominica Sanctissimae et Individuae Trinitatis 9 Iunii anno post Christum natum 1555"; in altera pagina Canisius vota sollemnia secundum formam ordinariam scripsit eaque sic finivit: „Ita solemnem professionem iam ante factam confirmo atque renovo, gratia Dei et Domini nostri Iesu CHRISTI: Viennae Dominica Sanctissimae Trinitatis anno post humanam redemptionem 1555. Sic mea manu subscribens etiam atque etiam confirmo. idem Pet. Canisius." Causa autem huius renovationis haec erat: Paucis annis ante Ignatius firmam quandam atque uniformem rationem votorum sollemnium faciendorum praescripserat iisque quinque vota simplicia addiderat; cum igitur P. Hieronymum Natalem ad constitutiones promulgandas per provincias Societatis mitteret, eidem mandavit, ut omnium professorum vota sollemnia renovanda et simplicia illa addenda curaret [19].

---

[1] Testantur id *B. Petrus Faber* in „memoriali" l. c. p. 13—14 (ed. mai. p. 12 ad 13) et *P. Simon Rodriguez,* qui et ipse e primis Ignatii sociis fuit, in „Commentario de origine et progressu Societatis Iesu", primum edito Romae 1869, p. 14.

[2] *Orlandinus* l. c. l. 6, n. 98; quamquam renovationis illius formula, a P. Simone Rodriguez composita, a praesenti satis differt; est in „Synopsi Annalium Societatis Iesu in Lusitania ab Anno 1540 usque ad Annum 1725", authore *P. Ant. Franco* S. J. (Augustae Vindel. et Graecii 1726) p. 19, n. 12.

[3] De vita Canisii p. 49.

[4] Vita del P. Pietro Canisio (Roma 1649) p. 30.

[5] Vita del Venerabil Servo di Dio il Padre Pietro Canisio I (Torino 1829 [primum edita Neapoli 1755]), 58—59.

[6] Canisius p. 79. [7] Canisius p. 73. [8] Canisio p. 118.

[9] Der selige Petrus Canisius (Freiburg i. Br. 1881) p. 20.

[10] Université d'Ingolstadt I, 200. [11] Vita Canisii p. 56.

[12] Canisius p. 56—58. [13] Canisio p. 59.

[14] Histoire du Bienheureux Pierre Canisius (Paris 1866) p. 73.

[15] Cod.: „Germ. Sup. Cat. 1566. 1599" p. 363.

[16] Haec a S. Ignatio praescripta est in constitutionibus S. J. P. 5, c. 3, n. 2—4.

[17] *Cod.: „Ital. Prof. 4. Vot: — 1542. 1582", f. 7a.

[18] *Cod. „XIII. Y." f. 5a. [19] *Boero,* Canisio p. 59.

Neque tamen ex priore illo, quod dixi, Canisii autographo concludendum est Canisii primam etiam professionem iisdem verbis conceptam fuisse, quae nunc usurpantur. Nam annus 1549 in scripto illo ad ipsam quidem illam professionem spectat, non vero tempus significat, quo Canisius scriptum seu testimonium illud de ea confecerit; quod ipsa eiusdem conclusio comprobat; si enim Ignatius († 1556) tum superstes fuisset, Canisius eum non appellasset „beatum“, scribens: „in manibus beati Patris IGNATII primi Praepositi nostri generalis.“ [1]

Qua autem ratione Canisius 4. Septembris 1549 Romae coram S. Ignatio professionem fecerit, id, quia primum illud Canisii ipsius scriptum non superest, coniecturis tantum assequi possumus, antiquas professionis formulas aliorum, quae supersunt, inspicientes. Conferri possunt imprimis: 1. ea, qua ipse S. Ignatius cum quinque Sociis professus est Romae anno 1541 [2]; 2. ea, qua B. Petrus Faber 9. Iulii 1541 Ratisbonae usus est [3]; 3. ea, quae inter primas constitutionum adumbrationes reperta est [4]; 4. ea, quae addita est epistulae, quam P. Polancus 17. Novembris 1551 Roma „de mandato“ S. Ignatii Coloniam ad P. Leonardum Kessel dedit, praecipiens eidem, ut Coloniae professionem emitteret, atque addens: „Mittitur formula emittendi, de solemnitatibus nil scribo quia necessariae non sunt, sed voluntarie [5]. P. Adrianus [6] monere poterit, quibus ipse fuerit usus.“ Formula haec, quia vulgata nondum est, hic subicitur ex apographo, quod P. *Iacobus Kritzradt* S. J. (1602—1672) Coloniae fecit [7].

„Forma seruanda in emittenda Professione haec est. Postquam ille, in cuius manibus vel praesentia est professio emittenda, Missam absoluerit, in loco aliquo publico et ubi complures de Fratribus adsint, accepta hostia consecrata vertet se sacerdos ad populum, tunc qui professionem solemnem emissurus est, ante ipsum genibus flexis dicta confessione generali et ter domine non sum dignus etc. ante Communionem alta voce ex scripto recitabit sequentia:

Ego Leonardus Kessel solenniter promitto omnipotenti Deo, coram eius Virgine Matre et tota celesti curia, ac in praesentia Societatis,

---

[1] Vota simplicia professorum, a Canisio in eodem folio post sollemnia scripta, sic terminantur: „Actum Viennae ni fallar, anno 1555. coram R. P. Hieronymo Natale Commissario.“ Ex hoc intellegitur complures annos inter eorum nuncupationem et hanc scriptionem interfuisse; quam a Canisio factam esse puto, cum Romae esset, anno 1565 vel etiam anno 1568. Vota ipsa simplicia hic non ponuntur, quia eorum forma ab ea, quae nunc adhibetur, vix differt; nisi quod promissio de ambitione manifestanda votum secundum sequitur (reposita post tertium ex decreto 46. congregationis generalis tertiae, anno 1573 habitae); prior illa est in „Instituto Societatis Iesu“, Congr. 1, decr. 102.

[2] Typis descripta in opere „Constitutiones Societatis Jesu latinae et hispanicae“ (Matriti 1892) p. 313—314.

[3] In „Memoriali“ p. 22—23 (ed. mai. p. 21) et, nonnihil tamen diversa, in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 100.

[4] In „Constitutionibus latinis et hispanicis“ p. 379. Ibidem p. 177 formula exstat ordinaria.

[5] Apparatum illum externum caerimoniasque illas Polancus significat, quae non requiruntur quidem, ut professio valeat, sed ad eam magis ornandam adhiberi solent.

[6] Adrianus Adriani, Societatem ingressus anno 1545, Sociis lovaniensibus praefuit 1549—1558.

[7] Kritzradt transcripsit „ex M. S. in folio P. Leonardi Kesselij ab 1550. ad 1553“. Exstat nunc in cod. colon. „Litt. Epistt. var.“ f. non sign., quod est 4. ante 80.

et tibi admodum Reuerende Domine loco Praepositi Generalis eiusdem Societatis JEsu perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam iuxta formam viuendi in bulla Societatis [1] et in eius Constitutionibus declaratis seu declarandis contentam. Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici. Rursum promitto me obediturum circa eruditionem puerorum in Rudimentis Fidei iuxta eandem Bullam et Constitutiones. tali die, mense et anno.

His pronuntiatis accipiet Sanctissimum Sacramentum et scriptum suum votum Chirographo apposito transmittet ad Praepositum Generalem."

B.

MONUMENTA COLONIENSIA CANISII.

a) Studia litteraria.

1536–1546.

Quo anno studiorum causa Coloniam venerit. In matriculam inscribitur. In artibus baccalarius, licentiatus, magister nominatur. Orationem habet. Disputat. Facultas theologica postulat, ut Coloniae honores academicos in theologia sibi comparet. Baccalarius in theologia fit. Scripturam explicat.

4.

18. Ianuarii 1536.

Ex cod. ms. „Matricula quarta vniuersitatis Studij Coloniensis" f. 147[b]. Coloniae, in archivo historico urbis.

„Anno domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto in profesto D. Thome apostoli [2] iuxta antiquam consuetudinem" congregatio universitatis habita et rector constitutus est „Christianus Glen Coloniensis artium magister et sacre theologie Licentiatus Collegiate ecclesie .s. Seuerini Canonicus et Scholasticus. . . . In cuius Rectoratu hi qui sequuntur sunt intitulati et inscripti [3].

In Januario

. . . .

18 — Petrus Canes [a] de Nouimagio ad artes — Iurauit [4] et soluit." [5]

[a] Kanes *Ennen locis proxime memorandis.*

[1] Bulla „Regimini militantis" significatur, qua Paulus III. Romae 27. Sept. 1540 Societatem approbavit.

[2] „Profestum" sive vigilia S. Thomae apostoli fit 20. Decembris.

[3] Rectores ipsi scholasticos in matricula universitatis inscribere solebant.

[4] Formulam huius iuramenti proponit *Bianco* l. c. I, 158.

[5] *Frid. Paulsen* opinatur aetatem, qua exeunte medio aevo adulescentes studia academica incipiebant, fuisse fere annum XV. vel XVI. Heidelbergensi matriculae tum Ioannes Eccius tum Philippus Melanchthon inserti sunt, cum 12 annos nati essent („Organisation und Lebensordnungen der deutschen Universitäten im Mittelalter" in „Historische Zeitschrift", herausgegeben von *H. v. Sybel,* XLV [München und Leipzig 1881], 421).

Inter historicos controversia est de anno, quo Canisius studiorum gratia Coloniam primum venerit. Radero si credimus, anno 1534 „in album contubernij Montani inscriptus legitur" [1]. Agricola „tredecennem" „fluentis tum seculi anno trigesimo quarto" Coloniam missum asserit [2]. Qua in re etiam Reiffenbergio [3] magis placet Agricolam sequi, quam Sacchinum (de quo infra). Iosepho quoque Boero annus 1534 probatur [4]. Leonardus autem Ennen, qui urbis coloniensis archivista et historiographus erat, affirmat Canisium die 18. Ianuarii 1535 in matriculam universitatis relatum esse [5]. Similia asserit Henricus Milz, professor coloniensis [6]. Paulus Drews eum asserit 12. Ianuarii 1535 matriculae bursae montanae inscriptum esse [7]. Sacchinus vero Canisium Coloniam venisse scribit „sub annum aetatis quintum decimum" [8]; Riess affirmat eum eo venisse a. 1536, verique simillimum putat ineunte aestate id evenisse [9].

Vidimus in matricula universitatis Canisium inscriptum esse die 18. Ianuarii 1536. Sed licet „bursa montana" ceteraeque omnes bursae colonienses partes quodam modo necessariae („integrantes", si ita dicere fas est) essent ipsius universitatis [10], interdum fiebat, ut adulescens aliquis in bursam reciperetur, in matriculam universitatis non statim referretur, tum demum in ea inscribendus, cum iurium et privilegiorum ipsius universitatis particeps fieri vellet [11].

An de Canisio ita actum? Matriculam montanam non esse visam ab ipso Radero, sermonis eius ratio suadet. Neque eam vidit, qui historiam gymnasii trium coronarum coloniensis circiter annum 1638 accurate conscripsit, P. Iacobus Boyman S. J., neque Reiffenberg, neque huius operis editor; neque etiam Coloniae nunc exstare videtur.

Canisium ipsum audiamus! Is in „Confessionibus": „Annos", inquit, „fortasse decem aut iis amplius Coloniae vixi, postquam aetatis annum decimum quintum essem ingressus." [12] Et in „Testamento": „Postquam nuces reliqui, et annos quindecim aetatis attigi, adolescens Coloniae Agrippinae tali sum traditus praeceptori, qui ut pius erat ac religiosus admodum, Nicolaus nimirum Eschius" etc. [13] Canisius, cum natus esset die 8. Maii 1521 [14], aetatis annum 15. explevit die 8. Maii 1536. Omnia itaque satis inter se conciliabuntur, si dicemus Canisium exeunte anno 1535 vel initio anni 1536 Coloniam adductum et paulo post in album ipsius universitatis coloniensis relatum esse. Nam et Bianco testatur posteriore eius academiae tempore hanc praevaluisse sententiam: Omnes bursarum alumnos statim in matricula universitatis inscribendos esse [15]. „Statuta" certe „studii generalis" coloniensis, anno 1392 promulgata [16], haec habent: [I.] „Statuimus et ordinamus, quod quilibet. . . Scolaris ad predictum studium veniens ipsiusque membrum fieri et eius libertatibus perfrui cupiens presentet se infra primam quindenam Rectori universitatis et prestet iuramentum solitum et registro studii inscribatur, quodque . . . nec aliquis de gremio universitatis non intitulatum, quem sciverit causa studii venisse Coloniam, teneat in hospicio ultra quindenam, nisi se faciat intitulari." [17]. Quae „intitulatio" non ob-

[1] De vita Canisii p. 7.

[2] L. c. P. 1, Dec. 1, n. 48. Agricola non aperit, unde id acceperit.

[3] L. c. p. 7. [4] Canisio p. 16.

[5] Geschichte der Stadt Köln IV, 498[3], et „Allgemeine deutsche Biographie" III (Leipzig 1876), 750.

[6] [Canisius] „war im Januar 1535 in die artistische Facultät eingetreten" (Programm des Gymnasiums an Marzellen zu Köln 1885—1886. Geschichte dieser Anstalt 1. Thl. [Köln 1886], p. 6—7). [7] Canisius p. 140.

[8] De vita Canisii p. 12—13. [9] Canisius p. 6[3]. [10] *Bianco* l. c. I, 257.

[11] *Bianco* l. c. I, 254. *Herm. Keussen,* Die Matrikel der Universität Köln 1389 bis 1559 I. Bd., 1. Hälfte (Bonn 1892), p. XVIII. [12] Cf. supra p. 16.

[13] Supra p. 36. [14] Supra p. 6. 9. 34. [15] *Bianco* l. c. I, 254.

[16] Edita a *Wilh. Schmitz,* Mittheilungen aus den Akten der Universität Köln 1. Forts. (Programm des Kaiser Wilh.-Gymn. [Köln 1879] p. 24—32).

[17] Ita etiam Pragae haec lex vigebat: „Rectores scholarum et eorum scholares

stabat, quominus in ipsis etiam bursis scholae quaedam haberentur; immo vero facultas „artium“ multo plura in bursis quam in auditorio suo communi praestitisse videtur.

Neque tamen certi quicquam statuere velim; in antiquissimo enim, qui apud nos est, codice Canisii manu scripto (in quo tamen etiam complures alii complura scripserunt) manu, quae canisianae manus certe similis, immo fortasse Canisii ipsius est, hymnus „A solis ortus cardine — Ad usque terrae limitem“ transcriptus est, atque eadem manu extremae hymni parti adnotatum: „Laus deo scripta anno .1.5.3.5. Coloniae kalend. ianu.“ [1]

5.

2. Novembris 1536.

Ex cod. colon.: „Lib. fac. Art. quartus“ [2] f. 203ᵃ—204ᵃ.

Anno a natiuitate domini supra sesquimillesimum tricesimosexto in vigilia annunciationis deiparae virginis [3] facta congregatione solito more in scholis artium [4] a prandio, electus est omnium quorum intererat consensu, Decanus, Ioannes Noepel Lypiensis theologie baccalaurius formatus [5] in cuius decanatu acta sunt que sequuntur [6]: . . . . . .

Postridie omnium sanctorum [7], rectores, et praeceptores gymnasiorum facultatis artium loco et hora solitis conuenientes elegerunt examinatores ad gradum Baccalaureatus promouendorum, sunt autem quorum nomina supposita sunt,

Magistri {
Joann. Noepel. Lypien., Decanus
Hermannus Schotten. Hessus. theolog. Baccalaureus formatus.
Godefridus Wilich, Canonum et theolog. Baccalaureus
Ioann. Neomagus ab Brunchorst [8],
Ioann. Reclinchusanus.

Sequuntur nomina examinatorum et admissorum ad Baccalaureatum in artibus [9],

. . . .

Gymnasij Montani

Henricus Xanctensis,

---

subditi sint rectori [universitatis] et iurent et promittant eidem ac intitulentur“ (Monum. hist. univ. Prag. III, 7; apud *Paulsen* l. c. p. 401).

[1] Cod. „Scripta Can. X. A.“ ff. 4 et 3 ante ult., non signatis.

[2] In hoc libro decani ipsi notabant, quae tempore suae administrationis accidebant. [3] Die 24. Martii 1536.

[4] In auditorio artium. De nomine plurali „scholae“ vide *H. Denifle* O. Pr., Die Universitäten des Mittelalters I (Berlin 1885), 9—10.

[5] De eo vide supra p. 157 [8]. 163. 215 [3] etc.

[6] Ad haec clarius intellegenda conferunt „statuta reformata“ facultatis artium coloniensis, a. 1522 condita (apud *Bianco* l. c. 1. Thl., Anl., p. 288—316).

[7] Die 2. Novembris 1536. [8] De hoc vide *Hartzheim*, Bibl. p. 190.

[9] Universitates medii aevi simul etiam id praestabant, quod nostra „gymnasia“ et „scholae latinae“. In facultate artium potissimum quidem philosophia tradebatur. Prior autem artium cursus, qui potius praeparatio quaedam erat, grammaticam, rhetoricam, dialecticam et fortasse etiam elementa mathematicae et physicae complectebatur, alter logicam, physicam, psychologiam, metaphysicam, ethicam, politicam, geometriam, astronomiam. Prior cursus examine „baccalaureatus“, alter examine „magisterii“ finiebantur (*Frid. Paulsen*, Geschichte des gelehrten Unterrichts an den deutschen Schulen und Universitäten [Leipzig 1885] p. 17—18).

D. Arnoldus Stralensis,
Petrus Nouiomagus[a]

. . . . .

Inter bursas sive gymnasia coloniensia celeberrimum erat „Montanum“; nomen habebat a Gerardo Terstegen, qui in vico Heerenberg natus ideoque Gerardus de Monte appellatus est. Is enim a. 1431—1480 scholae illi magna cum laude et munificentia praefuit[1]. Hoc autem notatu dignum: Cum complura Coloniae exstarent gymnasia, divina providentia primum Societatis Iesu hominem germanum ac provinciae Societatis Iesu germanicae quasi patriarcham in illud perduxit gymnasium, in quo ex ipsa conditoris constitutione doctrina Sancti Thomae Aquinatis specialiter colenda erat et reapse colebatur. Nam qui gymnasii montani praecipuus benefactor, immo et parens fuit, Valentinus Engelhart „de Geltersheym dioecesis herbipolensis“, in ipsis „litteris fundationis“ die 7. Iulii 1504 datis exposuit se domos suas colonienses bursae illi donare ea condicione, ut doctrina S. Thomae in iis proponeretur[2]. Ac Iacobus Middendorpius testatur: [Laurentiani gymnasii] „alumni doctrinam Alberti Magni sequuntur, sicut Montani S. Thomae Aquinatis: vnde vulgo hos quidem Thomistas, illos Albertistas appellant“[3].

6.

3. et 21. Februarii et 15. Martii 1538.

Ex cod. colon. „Lib. fac. Art. quartus“ f. 208.

[Anno 1538] Altera Purificationis[4] congregata facultate pro tentatoribus eligendis baccalaureorum[5] electi sunt hi

Magistri {
Theodoricus gelrie sacrae theologiae licentiatus[6]
Jacobus Hoochstratanus sacre theologie baccalaureus formatus pro tempore decanus[7]
Hermannus schottenius[b] Hessus theologiae bacca. formatus
Joannes Noepel Lippiensis sacre theologie bacca. formatus.
Joannes rechelinchhuissensis[8] [bacc.] biblicus.

[a] *Manu paulo posteriore inter haec duo vocabula insertum est nomen:* Canisius.
[b] schattenius *cod.*

[1] *Hartzheim,* Bibl. p. 100—101.

[2] „Darin zu leren die lere des heyligen lerers Sancti Thomae von Aquinen. Ind dat alle zo eren, nutz, urbar ind behoef facultatis artium der wirdiger Universität der Stede Köllen“ (*Bianco* l. c. I, 266; Anlag. p. 248).

[3] Academiarum orbis christiani libri duo (Coloniae 1572) p. 280.

[4] Die 3. Februarii 1538.

[5] Baccalarii artium, antequam cancellario universitatis ad examen pro „licentia“ obtinenda „praesentarentur“, praevium quoddam et magis privatum subire debebant examen, quod „tentamen“ dicebatur (Statuta facultatis artium coloniensis: *Bianco,* l. c. I, Anl. 67. 306—308). „Tentamen“ hoc, cui soli „magistri tentatores“ intererant, maius momentum habuisse videtur, quam „examen“, quod coram cancellario vel vicecancellario fiebat, et cui alii quoque interesse poterant (*G. Kaufmann,* Zur Geschichte der academischen Grade und Disputationen, in „Centralblatt für Bibliothekswesen“ 11. Jahrg. [Leipzig 1894] p. 214).

[6] Theodoricus Alardi, gelder, „artista“, regens bursae cucanae, anno 1541 rector universitatis (*Kritzradt* in *cod. „Hist. gymn. tr. cor.“ etc. in fine).

[7] Alius est hic ac praeclarus ille Iacobus de Hoogstraet, dominicanus et inquisitor († Coloniae 21. Ianuarii 1527).

[8] Alias „Reclinchusanus“; ex Recklinghausen, Westphaliae oppido, ortus esse videtur.

Et sunt hec nomina presentatorum

Petrus nouiomagus[a] de domo montis[b].

Christianus Heresbachius Laurentianus.

. . . .

Pridie Petri ad cathedram[1] presentati sunt domini Baccalaurei citati domino vicecancellario magistro Hilgero born artium et legum professori doctissimo et constituti sunt examinatores

Mgr. Adrianus de Breda }
Mgr. Mathias aquis[2] } sacrae theologiae licenciati

Mgr. Hermannus monasteriensis

Mgr. Joannes brunchhorst nouiomagus[3].

Feria sexta ante dominicam Reminiscere que erat 15 martij celebrauit Licentiam in artibus Honorabilis et Prestantissimus vir artium et legum doctor expertissimus mgr. Hilgerus born vniuersitatis vicecancellarius acceperuntque Licentiam domini examinati et admissi illi nouendecim[4] quorum nomina habes folio superiori. Et loco prandij date sunt presentiae[5], fuit autem primus de domo Cuyckana.

Falso igitur Ennen in biographia sua canisiana affirmat Canisium 3. Februarii 1538 „licentiam in artibus" accepisse sive licentiatum philosophiae creatum esse[6].

---

[a] *Hic quoque manu paulo posteriore inter vocabula* Petrus *et* nouiomagus *nomen* Canisius *insertum est.*

[b] *Canisius inter omnes „praesentatos" primo loco nominatur.*

---

[1] Die 21. Februarii 1538. Cf. supra p. 66[1].

[2] Matthias Cremers, aquensis, annis 1526—1557 praeses collegii montani.

[3] Vide, quae monum. 7. subicientur.

[4] Inter hos Canisius erat.

[5] „Praesentiae" = salaria sive munera pecuniae, quae ex aerario facultatis artium desumebantur (Statuta l. c. p. 309).

[6] Allgemeine deutsche Biographie Bd. III. Auf Veranlassung und mit Unterstützung seiner Maiestaet des Königs von Bayern Maximilian II. herausgegeben durch die historische Kommission bei der Königl. Akademie der Wissenschaften (Leipzig 1876), 749—756. Mirum sane, quam multis vitiis haec Canisii biographia laboret. Ita, ut aliqua proferantur exempla, scribitur: Canisium anno 1543 in manum Petri Fabri emisisse votum Societatis Iesu [omnino privatim emisit votum ingrediendi Societatem]; Canisium universitatis ingolstadiensis rectorem electum esse 18. Octobris 1549 [electus est 18. Octobris 1550]; Viennae sermones sacros habuisse in templo „Maria zur Wiege" [habuit in aliis templis marianis]; Pragam collegii constituendi gratia profectum esse mense Maio a. 1555 [profectus est Iulio]; ibidem ludum litterarium Societatis apertum esse 7. Iunii 1556 [apertus est 8. Iulii]; Canisium in suggestu ecclesiae cathedralis augustanae successisse doctori „Faber" [successit doctori „Fabri"]; catechismum suum „parvum" inscripsisse „Institutiones christianae" [inscripsit „Institutiones christianae pietatis"]; „Summam" suam senatui coloniensi dedicasse litteris 8. Septembris 1566 datis [datae sunt 6. Ianuarii 1566]; Ioannem Dorigny vitam Canisii in lucem emisisse anno 1692 [edita est primum 1707]; Friburgi Brisgoviae Societatis collegium conditum esse anno 1586 [conditum est 1620] etc. — Leonardum Ennen nonnumquam in rebus transcribendis vel affirmandis leviorem fuisse ostendit etiam *K. Höhlbaum*, Buch Weinsberg I, 116[3]. 215[7]. Neque aliter de eo sentit *M. Lossen*, Der Kölnische Krieg, Vorgeschichte (Gotha 1882) p. 154. 156[1].

7.

25. Maii 1540.

a) Ex eodem codice f. 215[b]—216[a].

Deinde 25 huius mensis [1] praesidente Magistro Johanne Nouiomago inceperunt pro gradu Magisterij de domo Montana.

Petrus Canisius Nouiomagus [a]

D. Aegidius Coloniensis.

Pro baccalauriatu vero [2] *etc.*

b) Canisius in pagina interiore tegumenti anterioris codicis chartacei, in quo a. 1538 et deinceps varia notabat („Scripta Can. X. A.“), sua manu haec scripsit:

Anno Domini M.D.XL 25 Maij festo Vrbani episcopi 3. fer. post Trinitatis recepi a M. Iohanne Nouiomago insignia Magistralia [3].

Ioannes hic Noviomagus sive Bronchorst complures conscripsit libros, quos Hartzheim recenset [4]. Raderus scribit eum postea „haeresi occaecatum, et Coloniae extinctum, a sepultorum quoque Catholicorum societate exclusum“ esse [5]. Eadem alii affirmant [6]. At sepultura catholica non Noviomago a Coloniensibus denegata est, sed Gisberto Longolio, eius collegae [7]. Certe si — quod aliquibus placet — Noviomagus ex coloniensi universitate in rostochiensem (Rostock), quae lutherana erat, transiit et ibidem mortuus est [8], negari vix poterit eum in lutheranismo obiisse. Hartzheim sic de eo scribit: „Creatus [est] Rostochii magister artium, ubi et publice docuit. Coloniae item . . . Professor fuit . . . Daventriensis scholae Rector institutus fuit.“ Atque Ioannem hunc Noviomagum fortasse significant Socii colonienses, cum Colonia 14. Iulii 1558 Sociis romanis scribunt: [Magister Andreas Boccatius in itinere suo frisio] „Rectorem quoque Dauentriensem allocutus est qui ipsum ad prandium inuitauit et se Canisium Discipulum habuisse gauisus est quem salutari cupit“ [9].

8.

Quaeret quis fortasse, quibus studiis Canisius se dederit, cum a. 1536—1540 Coloniae in „facultate artium“ versaretur, et quibus libris usus sit.

Quod ad litteras humaniores attinet, „statuta reformata“ huius facultatis, anno 1522 composita [10], praescribunt, ut in singulis gymnasiis coloniensibus ars gramma-

[a] *In codice nostro huic nomini posteriore manu quaedam ascripta sunt in laudem Canisii:* clarissimus . . . theologus doctor; *quae tertius quidam, aemulus fortasse, delere conatus est.*

[1] Mensis Maius anni 1540 significatur.

[2] Simul cum his sex baccalarii creati sunt. Interfuit huic caerimoniae clarus ille Arnoldus Tongrensis. Facultatis artium decanus erat Sebastianus Novimola, duisburgensis, pastor ad S. Paulum. *Riess* (l. c. p. 14) haud recte scribit die 23. Maii haec facta esse. [3] „Insigne“ praecipuum erat „birrettum“.

[4] Bibliotheca coloniensis p. 190. [5] De vita Canisii p. 13.

[6] V. g. *Dorigny* l. c. p. 18—19.

[7] *Hartzheim* l. c. p. 102. *Varrentrapp* l. c. p. 162.

[8] Anno 1570 Rostochii eum mortuum esse scribit *A. I. van der Aa*, Aardrijkskundig Woordenboek der Nederlanden VIII (Te Gorinchem 1846), 231.

[9] Apographum harum *litterarum, saeculo XVII. factum, est Coloniae in archivo studiorum fundatorum, cod. „Annuae literae Collegii Soc.[is] Iesu Coloniae ab —1553 . . liber 2“. [10] *Bianco* l. c. I, Anl. p. 297—299.

tica linguae latinae ex „Doctrinali puerorum“ ab Alexandro de Villa Dei O. Min. († 1240) conscripto tradatur. In „conceptu super ordinatione lectionum“ ab artium professoribus coloniensibus a. 1525 facto [1] dicitur adhibenda esse opera „praeclarissimorum grammaticorum“; inter quae recensentur Aldi Manutii veneti „Institutiones grammaticae“, Nicolai Perotti († 1480) „Rudimenta grammaticae“, opera grammatica Antonii Mancinelli († circ. 1506) [2], alia. Legebantur Epistulae familiares Ciceronis, Epistulae Francisci Philelphi († 1481), „libri officiorum Ciceronis et eiusdem opuscula de amicitia, de senectute et paradoxis inscripta“, Vergilii Bucolica, Georgica, Aeneis, Ioannis Baptistae Mantuani (Spagnoli, † 1516) O. Carm. libri tres „De calamitate temporum“ et libri septem „Parthenices“.

Tradebantur etiam et exponebantur „Rhetorica Ciceronis“, Praecepta moralia „Catonis“ [3], duo vel tres primi ex tredecim libris „Elementorum matheseos“ ab Euclide conscriptis, „Sphaera materialis“ Ioannis Halifax de Sacro Bosco († 1256), „Perspectiva communis“ sive Optica Ioannis Peckham O. Min. († 1292), „Theoricae planetarum“ Gerardi Cremonensis († 1184).

In Logica tradebatur: a) „Vetus ars“, i. e. Porphyrii Isagoge, Aristotelis Categoriae sive Praedicamenta, eiusdem opus De interpretatione; b) „Nova Logica“, i. e. Aristotelis libri: Analyticorum priorum et posteriorum, topicorum, de sophisticis elenchis; c) „Parva Logicalia“, i. e. suppositiones, relationes, ampliationes, appellationes, restrictiones, distributiones, syncategoremata, obligatoria, „insolubilia“, consequentiae. Studiis his logicis praecipue „Summulae“ logicales „Petri Hispani“, qui postea Ioannes XXI. papa fuit († 1277), adhiberi solebant. Anno autem 1525 constitutum est, ut artistis nuper advectis cotidie „Logica Fabri“ [4] vel Georgii „Trapezuntii“ († 1486) liber „De re dialectica“ explicaretur [5].

Praeterea exponebantur Aristotelis „Physica“ atque eiusdem libri „De coelo et mundo“, „Metaphysices, Ethicorum [6], de generatione et corruptione, Metheorologicorum et parvorum naturalium“, i. e. De anima, De sensu et sensato, De memoria et reminiscentia, De somno et vigilia, De somniis, De divinatione, De longitudine et brevitate vitae, De vita et morte, De iuventute et senectute, De respiratione, De commotionis animalium causa [liber suppositus], De animalium incessu.

Aristotelis opera legebantur non graece, sed latine versa, atque in usu erant versiones a Boethio, Ioanne Argyropolo († 1486), Georgio Trapezuntio factae.

Notandum praeterea a magistris coloniensibus abhinc a. 1470 proprios libros („Copulata“) editos esse, quibus philosophia tradebatur; v. g. a. 1490: „Copulata

---

[1] *Bianco* l. c. p. 326—328.

[2] Bianco: „Manciani“; sed omnino censeo legendum esse: „Mancinelli“. Hic Pomponii Laeti discipulus fuit ac „Summam declinationum“, „Scribendi orandique modum“, „Donatum meliorem“, alia conscripsit, quae tunc magni fiebant.

[3] De his vide supra p. 558 [5].

[4] Ioannes Faber „de Werdea“ commentarium in Petrum Hispanum composuit: „Exercitata parvorum logicalium secundum viam modernorum“ (Reutlingae 1487, 2°). Iacobus Faber Stapulensis, doctor parisiensis († 1536), composuit: „Paraphrasin in libros logices“ sive in „Organon“ Aristotelis (Parisiis 1525, 2°) et „Introductiones in Suppositiones, Praedicabilia“ etc. (*C. Prantl*, Geschichte der Logik im Abendlande IV [Leipzig 1870], 203. 278).

[5] Anno 1559 Lugduni vulgatus est „Georgii Trapezuntii de re dialectica liber, scholiis Ioannis Neomagi et Bartholomaei Latomi illustratus“ (*Hartzheim* l. c. p. 190. *Prantl* l. c. p. 169 [101]). Cum Canisius Coloniae Ioannem Neomagum magistrum philosophiae habuerit, verisimillimum est eum etiam Dialectica Trapezuntii usum esse.

[6] „Conceptus“ anni 1525: Hora nona pro omnibus gymnasiis communis schola habenda est „in der sittelicher Kunst die man nômbt zu Latein Philosophiam moralem, wie sich Hauss, Stadt, Land und Lûden zu regiren gebûhret“. „Ethicis“ igitur Aristotelis certe adiungebantur eiusdem „Politica“, ac fortasse „Oeconomica“.

pulcherrima diuersis ex autoribus logice in vnum corrogata in veterem artem Arestotelis, cum textu eiusdem secundum viam divi doctoris Thome de Aquino iuxta processum magistrorum Colonie in bursa Montis regentium." [1]

Ac Coloniae singulae bursae suos proprios libros philosophicos sive „processus" habebant; v. g. „Positiones circa libros phisicorum de anima Arestotelis iuxta ordinarium et disputativum processum magistrorum Colonie in bursa montis regentium ad opponendum et respondendum non minus vtiles. quam necessarie" (Coloniae 1493). Canisius autem certe usus est „processibus" illis, quos magistri gymnasii montani ac praecipue Matthias Cremers aquensis anno 1520 Coloniae in duobus voluminibus formae maximae („folio" vocant) ediderunt [2].

9.

31. Octobris 1543. 18. Iulii 1544.

Ex iis, quae P. *Iacobus Kritzradt* S. J. „pro Historia Gymnasij et Collegij" S. J. coloniensis sua manu excerpsit „ex libro Facultatis Theologicae Decanali", „tomo 1°"; quae nunc sunt in cod. „Hist. gymn. tr. cor." in fine, fol. unico numeris non signato.

Eadem exstant etiam in codice bibliothecae nationalis parisiensis „Ms. lat. 2165 des nouv. acquis.", qui f. 1—10 continet apographum vel summarium (saeculo, ut videtur, XVII.) haud ita diligenter factum actorum facultatis theologicae coloniensis a. 1394—1619.

Dolendum valde est ipsa acta facultatis theologicae coloniensis, quae hoc tempus spectant, amissa esse.

1543. Sub Decano 141. Johanne Stempel Tylano Ordinis FF. Praedicator. Jtem in Vigilia omnium SS. [3] habuit orationem latinam [a] ad Clerum in scholis Theologorum M. Petrus Canisius a Nouiomago [4].

1544. Sub eodem . . . 18 Iulij respondit M. Petrus Canisius Nouiomagensis AA. LL. Magister de domo seu Bursa montis, cuius materia [b] erat de authoritate Ecclesiae Romanae, et eius Sedis Episcopi, id est Summi Pontificis [5].

10.

Circiter 17. Decembris 1544.

Ex cod. colon. „Lib. fac. Art. quartus" f. 232.

[A. 1544] Quodlibeticae disputationes inchoatae sunt 15 die Decembris [6] et finitae in vigilia Thomae apostoli [7], et declamatorum nomina in sequenti facie scripta videbis:

[a] Pridie Omnium Sanctorum latine peroravit *cod. par.* [b] thema *cod. par.*

[1] *K. Krafft* und *W. Krafft*, Briefe und Documente aus der Zeit der Reformation im 16. Jahrhundert (Elberfeld 1876) p. 179. [2] L. c. p. 187³. 191.

[3] Die 31. Octobris 1543.

[4] Statuta facultatis theologicae coloniensis (facta anno 1398) inter alia praecipiebant, ut ad gradus academicos promovendi „unum sermonem seu collationem vel plures" facerent „ad clerum universitatis Coloniensis pro exercitio sermocinandi". Statuta illa ponit *Bianco* l. c. I, Anl. p. 34—50.

[5] „Disputatio" in auditorio theologico universitatis coram magistris et discipulis habebatur, in qua Canisius „argumenta" solvebat, quae contra theses propositas „obiciebantur".

[6] Dies 14. Decembris eo anno dominica erat. [7] Die 20. Decembris 1544.

Nomina declamatorum in disputationibus Saturnalitijs[1] anni a virginis partu 1544

. . . .

5 M Petrus Canisius Nouiomagensis[a]:

„Quodlibetariae" hae sive „saturnalitiae" disputationes a facultate artium coloniensi quotannis post festum S. Luciae (13. Decembris) instituebantur et cum sollemnitate laetitiaque fiebant. In quibus, „quod liberet", disputationis argumentum proponi poterat[2]. Post orationem principalem singuli „declamatores" orationem „facetiarum" vel „invectivarum" habere solebant. „Quodlibetarius" secundo die cum „magistris" disputare incipiebat, ac fere quaterni cotidie ei „respondebant", singuli singulis horis[3]. Canisius igitur, cum inter „declamatores" quinto loco ponatur, 17. Decembris respondisse videtur.

11.

Mense Martio 1545.

Ex apographo epistulae, quod est in biographia Canisii a P. *Iacobo Keller* composita et a P. *Iacobo Bidermann* transcripta, cod. monac. „Keller, Can. 1." f. 11. Alia apographa sunt in codd. monac. „Keller, Can. 2." et „Keller, Can. 3." — „Ex antiq. Cod. MS. Collegii Soc. Jesu Colon. p. 12" totam epistulam typis exscripsit *Reiffenberg* l. c. mant. p. 11.

„Decanus et Facultas Theologica"[4] *universitatis coloniensis Colonia mense Martio 1545 P. Nicolao Bobadillae S. J.*[5] *scribunt: Se intellexisse Canisium brevi ad aliam universitatem profecturum esse*[6]. *At totam facultatem censere „tam uniuersitati, quam Ciuitati" fore „proficuum, ut eundem qui suae pietatis et doctrinae specimen non semel nobis dedit" ad aliquot annos Coloniae „reservare" omnibus modis conentur. A Bobadilla itaque se petere, ut „commodissimum adolescentem" Coloniae relinquendum curet et „ad promotionis Theologicae gradus cohortetur"*[b].

---

[a] *Hic aliqua ascripta, sed postea erasa sunt.*

[b] *Lectiones falsae apud Reiffenberg:* nostrae Societati, uoluntate nostra. *Apographa nostra:* uestrae Societati, uoluntate uestra.

---

[1] Tempore antiquorum imperatorum romanorum festa „Saturnaliorum" a die 17. ad 21. (vel 23.) Decembris celebrabantur.

[2] *Bianco* l. c. I, 119—121. 169.

[3] Vide, quae de his disputationibus optime disserit *H. I. Liessem*, Die quodlibetischen Disputationen an der Universität Köln (Progr. des Kaiser Wilh.-Gymn., Köln 1886) p. 58—70.

[4] Ioannes Stempel tilanus O. Pr. a 30. Iunii 1542 ad 3. Iulii 1545 facultatis theologicae coloniensis decanus fuit (*Kritzradt*, *Notabilia excerpta ex Libro Actorum Facultatis sacrae Theologiae Vniuersitatis Coloniensis, in cod. „Hist. gymn. tr. cor.", in fine). Praecipui eius facultatis viri fuisse videntur Everardus Billick O. Carm., Tilmannus Smeling sigeburgensis O. Pr., Caspar Doroler prior Carmelitarum, Hermannus Blanckfort pastor ecclesiae S. Columbae, Theodorus „Hake ab Halveren" pastor ecclesiae S. Petri, Henricus Buschers tungrensis pastor ecclesiae S. Martini.

[5] Bobadilla ineunte mense Februario a. 1545 per Coloniam transierat, Hieronymum Verallum nuntium Bruxellas ad caesarem comitatus, et promiserat se in reditu Coloniae aliquamdiu mansurum. V. supra p. 142.

[6] V. supra p. 139.

Similes litterae, si historicis quibusdam credi potest, a Coloniensibus ad S. Ignatium datae sunt aut anno 1545 aut ineunte 1547 aut utroque anno [1]. Nunc vero neque eiusmodi litterae neque Ignatii rescripta videntur superesse.

12.

26. Iunii et 8. Iulii 1545.

Ex excerptis *Kritzradti*, de quibus supra monum. 9.

Etiam in codice parisiensi, de quo ibidem.

Apud *Hartzheim*, Bibliotheca p. 267 „ex Lib. II. Actorum sacrae Facultatis Theologicae pag. 56.", et apud *Riess* l. c. p. 53—54 in adnot.

a) 1545 [a]. Sub M. Euerardo Billik Decano Prouinciali FF. Carmelitarum 26 Junij indicta Congregatio. M. Theodoric. ab Halueren Pastor S. Petri praesentauit ad lecturam Bibliae 2 Artium Magistros Ewaldum a Nouesio, et Petrum Canisium Nouiomag. extra tempus et praeter consuetudinem admissi gratiose propter spem eruditionis quae in eis apparebat futura, denique et cum M. Petro Canisio super aetate quam statuta Facultatis requirunt [2] fuit dispensatum [b]. Haec 26 Junij.

Hartzheim ex actis supra scriptis profert congregationem hanc facultatis theologicae „in Conventu Fratrum Praedicatorum per Vice-Decanum" indictam esse. Errat autem scribens id anno 1543 factum esse; nam, id quod et ipse Hartzheim concedit, Everardo Billick decano id evenit; decani autem officium annis 1543 et 1544 Ioannis Stempel fuisse et anno demum 1545 ad Everardum Billick delatum esse et Kritzradt et Brewer [3] ex actis facultatis theologicae excerpserunt.

Consulebant in ea congregatione de Ewaldo et Canisio ad baccalariatum „biblicum" admittendis. Baccalarii enim per aliquod tempus, uno vel pluribus „cursibus" — ideo „cursores" vocabantur — sacram Scripturam et deinde „sententias" Petri Lombardi interpretari debebant, ut „licentiati" theologiae fieri possent; propterea baccalarii alii „biblici", alii „sententiarii" appellabantur.

Canisius igitur, facultatis leges servans [4], Theodoricum Hake „ab Halveren" magistrum sibi elegerat, „sub quo inciperet primum cursum, et alios actus consequenter".

b) [1545] 8 Julij exorsus est jam suam lectionem seu principium in Biblia Magister Petrus Canisius [c].

Haec ex „Annal. [facultatis theologicae coloniensis] II. fol. 56 p. 2" etiam excerpta sunt exeunte fere saeculo XVIII. a P. *Nicolao Brewer* O. Er. S. Aug. [5]

[a] 1645 *Kritzradt.*

[b] *Cod. paris. haec acta non tam ad verbum reddit quam ad sententiam.*

[c] 8 iulii Petrus Canisius exorsus est principium in Biblia *cod. paris.*

[1] *Orlandinus* l. c. l. 4, n. 40. *Sacchinus*, Can. p. 35. *Dorigny* l. c. p. 59—60. *Python* l. c. p. 46. *Reiffenberg* l. c. p. 24—25. *Positio* super virtutibus [Canisii] (Romae 1833) Summ. p. 77.

[2] „Iuramenta communia a cursoribus, Biblicis et Sententiariis antequam promoveantur juranda: . . . Item quod attigerint vicesimum quintum annum etatis." . . . „Cursores antequam incipiant cursus suos per sex annos audiant theologiam. . . . salvis privilegiis religiosorum" (Statuta facultatis theologicae coloniensis: *Bianco* l. c. I, Anl. p. 37—38. 43). [3] Cf. infra, adnot. 5. [4] *Bianco* l. c. I, Anl. p. 38.

[5] Cod. * „Annal. theol. 1388—1682" p. 70. Coloniae in archivo historico civitatis, sign. „Univ. N. 14".

Ascitus igitur est Canisius inter baccalarios sive cursores „biblicos“. Quibus haec lex lata erat: „Quilibet cursor pro quolibet cursu faciat collacionem preambulam sine questione ad recommendacionem sacre scripture“ [1]. Hanc quidem scholam biblicam Canisius in auditorio theologico universitatis habebat; in bursa autem montana iam mense Septembri anni 1544 evangelium S. Matthaei explicare coeperat [2].

Quia vero ii soli, qui „cursu“ biblico absoluto per aliquod tempus „sententias“ exposuissent, baccalariatum plenum adipiscebantur sive „baccalarii formati“ fiebant, Canisius, qui ante id tempus Colonia discessit, postea vere scribere potuit: „In Theologia nullum Coloniae gradum consequutus sum.“ [3]

13.

Post 9. Octobris 1545.

Ex cod. „Hist. gymn. tr. cor.“, parte priore, a P. *Iacobo Boyman* S. J. (1605 ad 1669) conscripta, f. 21, adnot. a.

[A. 1545] Post 9. Octobris inter Declamatores Quodlibetarios decimo loco M. Petrus Canisius Theologiae Baccalaureus .AA. [4] Sicut et anno 1545. Canisius iam Theologiae Baccalaureus antepenultimo loco dixit in ijsdem disputationibus [5]. Catal. Prouincial [6].

14.

Canisius Georgii Eder magister et patronus [7].

a) Ex *Ederi* „Catalogo Rectorum et Illustrium virorum archigymnasii Viennensis“ (Viennae Austriae 1559) p. 10.

In academia coloniensi, inquit Ederus, „me ad septennium fere Eleemosina educatum, atque Magisterij gradum ope et patrocinio Episcopi cuiusdam Lundinen. exulis, D. Ioan. Cochlaei [a], Andreae Bartuuick, Mathiae Aquensis, Iacobi Hochstrati et Hermanni Schilderi S. Theologiae Licenciatorum, et D. Petri Canisij consecutum esse gratitudinis causa perlibenter fateor et agnosco.“

b) Ex *Ederi* opere: „Partitiones catechismi catholici“ (Coloniae 1582) epist. dedic. f. *A 4[a].

---

[a] Cohlaei *Eder*.

---

[1] Statuta facultatis theologicae coloniensis: *Bianco* l. c. I, Anl. p. 38.

[2] V. supra p. 112.

[3] In *epistula Friburgo Helvetiorum 3. Iunii 1590 ad P. Arluinum Madium S. J. data.

[4] „AA.“ = ex „libro Decanali Facultatis Artium“ excerptum: Cod. „Hist. gymn. tr. cor.“ f. 18[b].

[5] Cf. supra p. 665.

[6] Id est: in „Catalogo Provincialium“ [S. J. rhenanorum] eadem fere de Canisio referuntur, ac in „libro Decanali“.

[7] Georgius Eder (1523—1587) prope Frisingam natus, philosophiae et iuris doctor, theologiae baccalarius, in academia viennensi ius tradidit et undecies rectoris munus administravit. Aulae caesareae consiliarius („Reichshofrath“) fuit et Societati Iesu amicissimum se praebuit. Imprimis autem libris latinis et germanicis egregie conscriptis de ecclesia catholica optime meritus est (*K. Werner*, Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie IV [Schaffhausen 1865], 580. 597—598. *Ios. v. Aschbach*, Geschichte der Wiener Universität III [Wien 1888], 166—179. *N. Paulus*, „Reichshofrath Dr. Georg Eder“ in „Historisch-politische Blätter“ CXV [München 1895], 13—28. 81—94).

Versionem germanicam catechismi romani „iamdudum", inquit Ederus, „absoluissem, nisi mihi a fide dignis relatum fuisset, eundem laborem ante me sibi sumpsisse Reuerendum Patrem Dominum Petrum Canisium Theologum, olim apud vos[1] in Theologicis Praeceptorem meum et Patronum singularem: cui non lubens tantum cessi, sed eo nomine plurimum etiam et mihi et toti gratulatus sum Ecclesiae."

c) Ex *epistula autographa, ab *Edero* ad Everardum Mercurianum, praepositum generalem S. J., data Vienna 26. Martii 1574. Cod. „Epp. Germ. 1574" n. 227.

„Ab ineunte aetate plurimum semper debui sanctissimae societati [Iesu], cuius primi authores aliqui olim Coloniae optime fuerunt cogniti, vt Reuerendi Patres D. Petrus Fabri[2], D. Pobadilla[3], Goudanus et alij a quib. tum in summa paupertate mea plurima accepi beneficia, praesertim a Patre Canisio[4]. Quorum omnium recordatio michi pergrata est atque iucunda."

15.

Aliqui Canisii biographi[5] affirmant eum anno 1547 a coloniensi universitate, quod ecclesiae coloniensi in discrimine illo wedano egregie profuisset, doctorem theologiae nominatum esse. At hic error est. Nam: 1. Canisius autumno anni 1549 Bononiae examen subiit, ut theologiae doctor fieret; 2. Iacobus Laynez, praepositus generalis S. J., quo facilius quidam de Societate munus theologiae tradendae in Germania administrare possent, litteris publicis testatus est eos „Lauream Doctoratus in sacrae Theologiae facultate suscepisse"; inter quos Petrum Canisium recenset, qui Bononiae sit promotus; neque de coloniensi „laurea" quicquam dicit[6]; 3. De eadem promotione acta facultatis theologicae coloniensis silent. Quod, etsi ipsa illius temporis acta non iam exstare videntur, intellegitur ex iis, quae Kritzradt saeculo XVII. ex iisdem actis excerpsit[7]. Hic enim diligenter adnotavit, quos gradus academicos, quando, qua ratione Canisius Coloniae assecutus esset; de illa autem laurea ne verbum quidem scripsit. 4. Canisius ipse Friburgo Helvetiorum 3. Iunii 1590 P. Arluino Madio S. J. scripsit: „In Theologia nullum Coloniae gradum consequutus sum."[8] Fieri quidem poterat, ut Canisius senex multarum rerum oblivisceretur, quae ipsi iuveni Coloniae acciderant. Sed laureae doctoralis acceptae esse oblitum quis crediderit?

b) Societas Iesu per Canisium primum in Germania stabilita.
1543—1546.

16.

Sub initium Februarii 1544.

Ex biographia Canisii, a P. *Iacobo Keller* S. J. sub a. 1612 composita, quae est in cod. monac. „Keller, Can. 1.", f. 7ᵃ—8ᵃ. Keller affirmat se ea „ex ipsis litteris, quae ad manum illibatae supersunt", sumpsisse, et addit: „Coelesti pectore fusae sunt, pari calamo exceptae."

---

[1] Colonienses alloquitur Ederus.
[2] Beatus Petrus Faber. [3] P. Nicolaus Bobadilla.
[4] Haud recte igitur *Aschbach* (l. c. p. 167) asserit Ederum iam ante a. 1540 Colonia discessisse. Faber anno 1543, Bobadilla a. 1545 primum Coloniam venerunt.
[5] *Long. degli Oddi*, Vita di Canisio l. 1, c. 5, n. 5 (in ed. Taurini a. 1829 facta vol. I, p. 47). *Séguin*, Canisius p. 50. *Boero*, Canisio p. 48. *I. M. S. Daurignac*, Canisius p. 58. *Garcia*, Pedro Canisio p. 116.
[6] *Litterae Lainii Romae 13. Augusti 1558 datae sunt. Quae in secundo volumine huius operis proponentur.
[7] V. supra p. 664. 666. [8] Cf. supra p. 667.

Apographa sunt etiam in codd. monac. „Keller, Can. 2.“ et „Keller, Can. 3.“, et in apographo simili, quod apud nos est.

Epistula typis descripta est a *Radero*, Can. p. 26—29; qui (p. 25) scribit hanc esse „partem longioris Epistolae“, et (ex Radero) in „Cartas del *B. P. Pedro Fabro*“ I, 376—377. 228—230; italice edita est a *Boero*, Fabro p. 155—157. Particulas habent *Sacchinus, Reiffenberg, Cornely, Riess* etc.

Beatus Petrus Faber S. J. Wendelinae Canis, viduae et Petri Canisii novercae, Colonia sub initium mensis Februarii a. 1544 litteras misit[a], *quibus se et Canisium contra eius querimonias defendit*[1]*: Se non solum Petrum, Societatis novicium, sed et omnes eius cognatos sincere diligere. Eum a Christo vocatum esse. Eius sacra studia a se iuvari, non pecunias appeti. Merito earum partem ab ipso in pios usus conversam esse. Quam autem secum avexerit „supellectilem“, eam et apud ipsum, et in ipsius esse potestate*[2].

Sub idem tempus res accidit, quae ad has Fabri litteras illustrandas conferre potest. De ea Faber ipse ad S. Franciscum Xaverium Colonia 10. Maii 1544 scribit: „Maestro Pedro Canisio, en volviendo de la tierra donde nasció, trajo consigo tres mancebos para enderezarlos en el servicio de Jesucristo Nuestro Señor, los cuales venidos se confesaron conmigo; los dos de ellos están ya frailes en la Cartuja.“ [3] Tertium iuvenem Societati Iesu nomen dedisse Sacchinus affirmat [4].

Eodem tempore Faber et Canisius decanum quendam [5] aegrotantem nonnumquam visitabant; qui pravos mores, quibus offensionem fidelibus afferebat, mutare serio statuit.

---

[a] *Apographa monacensia cum Radero in minutis tantum rebus discrepant. En praecipuas lectiones variantes:* uelle et optare (velle et peroptare *Rad.*); charissima domina (Christiana Domina *Rad.*); gloriam omnibus modis percupere (gloriari modis omnibus percupere *Rad.*); facere nihil, quam unum (facere nihil quam illum *Rad.*); parcis curae (paucis curae *apogr. mon. 2. et 3. cum Rad.*); ut ne scilicet statuere quem (ut ne quidem statuere queam *Rad.*); quod scis omnibus (quod scis nobis omnibus *Rad.*); auexit supellectilem (aduexit supellectilem *Rad.*); *post verba:* esse potestate scito *in tribus apographis monacensibus haec sequuntur, quae Raderus omisit:* Nostra enim Societas, cui ipse se deuouit quidem, sed nondum usquequaque probauit nihil unquam receptura est quod fuerit M. Petri, aut cuiusquam [et cuiusdam *ap. mon. 1.*] alterius qui ad professionem nostram per sedem Apostolicam approbatam conuolarit; a nobis fides adhibenda (a vobis iis fides adhibenda *Rad.*).

---

[1] Quid harum querimoniarum occasionem dederit, v. supra p. 102. Optimam mulierem Societati Iesu brevi reconciliatam esse intellegitur ex iis, quae supra posita sunt.

[2] „Societas ipsa nullum omnino jus habet in bona eorum, qui ingrediuntur; ipsos tamen certiores reddere de sua indigentia, quando in eo sunt, ut de bonis suis disponant, neque adversatur spiritui religioso, neque est contra mentem Constitutionum.“ Possunt ergo, si velint, bona sua Societati donare. Attamen „omnium quorum pars aliqua est in hoc negotio abdicandi applicandique bona, cura sit et sollicitudo quam maxima, ut omnia cedant in aedificationem tum internorum tum externorum.“ Ita vir instituti Societatis Iesu peritissimus P. *Augustinus Oswald* S. J., Commentarius in decem partes Constitutionum Societatis Iesu. Opus manuscriptum (ed. 2., Brugis 1895) n. 634. 639. [3] Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 238.

[4] De vita Canisii p. 30. Fortasse is fuit Henricus Dionysius noviomagensis, qui Societatem paucis annis post ingressus est.

[5] „Un dean, que es el segundo despues del de la iglesia mayor“ (*Faber* in eadem epistula l. c. p. 237).

17.

Anno 1544.

Ex cod.: „Hist. gymn. tr. cor." f. 20[b].

De domo, in qua Canisius cum Sociis a. 1544 vitam communem agere coepit.

A. C. MDXLIV . . . . . XI Kalendas Februarij cum Aemiliano Lojola, et Lamberto Castrio Leodiensi Theologiae Baccalaureo Faber Coloniam redit, Aluarum Alphonsum incolumem reperit indubie studijs adhuc vacantem . . . ex aere haereditario Canisij, domus conducta auff der Burgmaur, quam paulo ante inhabitauerat Reuerendissimus D. Suffraganeus Quirinus de Wilych[a] Episcopus Cyrenensis . 1537 . pridie S. Martini[1] mortuus[2]. AA.[b] et H. C.[3]

Ita, qui hanc partem historiae gymnasii „tricoronati" scripsit, P. Iacobus Boyman S. J.[4] *Ad haec Kritzradt adnotavit:*

anno 1654 ego Iac. Kritzradt casu in S. Vincentio[5] fui. V. Anna Kramers retulit se a Senioribus intellexisse, primos Nostros Patres habitasse auff der burgmaur prope Lyssloch, postea in Mariae Horto[6] inquirens, cognoui im Lembgen vff der burgmauren[7] esse monialem centenariam, quae procul dubio aliquid certi [ea de re narrare posset]. adij 18 Augusti cum M. Packenio eius materteram Reuerendam Dominam Iudith Cremeriam ex Mercken, quae narrauit se ex ore vetulae, ante 4 annos defunctae centum et duos annos natae, in colloquio multa saepe antiqua sponte narrantis audijsse, Primos Jesuitas habitasse in vicinia, nempe in magna domo prope Lijsloch proximaque a dextris quando ascenditur ex vnctoria in plateam Mariae horti, eamque inhabitasse Suffraganeum nomine Johannem Nopelium magnum amicum et fautorem Societatis, cuius nomine habeant hodieque Casulam. eas aedes hodie duplices, fuisse tunc vnas cum Turri adiuncta. . . . primos Patres nostros per contemptum vocatos die schwartze Meernuss[8] a quadratis [pileis, qui] tunc primum in usu [erant].

---

[a] *Ita Kritzradt correxit; scriptum erat, ut videtur:* Weslich *vel* Weylich.
[b] *Kritzradt adnotavit:* l. 4.

---

[1] 10. Novembris.

[2] At *Hermannus de Weinsberg* scribit se ab eodem a. 1535 minoribus ordinibus initiatum esse „in sinem haus uff s. Maximinenstraissen, da er wonte" (Buch Weinsberg I, 108).

[3] Id est: Ex libro „decanali" quarto facultatis artium, et ex „Historia collegii coloniensis".

[4] Ita et ipse *Canisius* Friburgo Helvetiorum 3. Iunii 1590 Coloniam scripsit ad P. Arluinum Madium S. J.: [P. Petrus Faber] „divertit ad aedes conductitias, in quibus antea Suffraganeus vitam egerat, non ita procul a summo templo. Cum illic haeret, multi Belgae . . . praeter expectationem omnem accesserunt, quibus idem pater M. Leonhardum Kessel praefecit, cum ipse jussus antwerpiam et Portugalliam peteret."

[5] Conventus virginum tertiae regulae S. Francisci, haud ita procul a summo templo; cuius nunc vix vestigium cernitur.

[6] „St. Marien-Garten", monasterium virginum ordinis cisterciensis.

[7] Conventus ordinis S. Augustini; initio saeculi XIX. incendio destructus.

[8] „Trapa natans. L. Gemeine Wassernuss. Jesuitennuss. Wasserkastanie." Quae etiam nunc in stagnis minoribusque lacubus Germaniae aliquando reperiri potest (*Ioh. Leunis,* Synopsis der Pflanzenkunde II [3. Aufl., bearb. von *A. B. Frank,* Hannover 1885], 222. *Ant. Kerner* von Marialaun, Pflanzenleben I [Leipzig und Wien 1890], 566. 576).

Haec confirmantur magisque explicantur litteris Fabri Colonia 10. Maii 1544 ad Sanctum Franciscum Xaverium datis, quae nuper primum in lucem emissae sunt [1]. „Hemos tomado", *inquit*, „una casa alquilada, en la cual estamos al presente ocho personas, teniendo todo lo necesario para mantenernos en ella y hacernos la espesa. De esto podeis colegir muchas buenas obras que por respeto nuestro hacen diversas personas desta cibdad, contribuyendo por solo amor de Cristo Nuestro Señor, quién ajuares, quién paños, quién camas, quién otras cosas necesarias."

18.

Anno 1544.

Ex adnotatione *Canisii* autographa, cod. „Scripta Can. X. A.", f. non sign., quod est 9. ante extrem.

Pecuniae expensae. Bibliotheca primorum Sociorum coloniensium.

In Maio anni 44.

Jtem pro coctione cereuisiae dedi ex meis [2] aureum id est 8 marcas, minus 2 albis [3]. reliquum prior exoluit [4].

Pro lignis dedi ex meis 4 aureos in auro et dalerum [5] et 2 albos [6].

Pro butijro et papijro VII albos

Catalogus librorum Coloniae
6 Augusti 1544 [7].

Paraphrasis Erasmi in nouum testamentum	2 uol.
Moralizatio super Bibliam [8]	1
Opus triuium notabilium praedicabilium [9]	1
legenda aurea [10] et Reuelationes Birgittae	1
Soliloquia Bonauenturae et alia in scripto libro	
Proprietates rerum domini Bartholomei [11]	.1.
Annotatio notabilium dictorum in lib.	

[1] Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 235—238.

[2] V. supra p. 45.

[3] *Hermannus de Weinsberg* coloniensis ad a. 1521: „1 rader gulden galt 24 albus, so vil galt der goltgulden auch." L. c. I, 29 [1].

[4] Gerardus Hamontanus, prior Carthusiae.

[5] „Thaler, je 7 bis 8 Mk. köln., gold. Reichsth. 1572 = 7 Mk. 3 Alb.": *Höhlbaum*, Buch Weinsberg II, 401.

[6] Albus, wysse Pennyng, Weissling, Weisspfennig (duplicis generis: communis, et „rotatus", „Raderalbus", et hic longe maioris pretii) nummus erat argenteus, isque valde frequens. Circiter a. 1495 florenus (Gulden, aureus) novus rhenensis sive marca xantensis exaequabat 4 marcas colonienses vel 24 albos novos (*Steph. Beissel* S. J., Die Bauführung des Mittelalters II [2. Aufl., Freiburg i. Br. 1889], 99).

[7] En primum catalogum primae, quam Societas Iesu in Germania habuit, bibliothecae!

[8] Opus, in quo Scripturae sacrae verba et facta ad mores aptantur (*C. Du Cange*, Glossarium mediae et infimae latinitatis, ed. *L. Favre* V [Niort 1885], 515 in voce „Moralizare"). Fortasse Nicolai Lyrani „Moralitates".

[9] Nescio utrum liber philosophicus hic fuerit an opus aliquod tripertitum, in quod „materiae praedicabiles" sive res orationibus sacris accommodatae fuerint congestae.

[10] Iacobi de Voragine O. Pr., archiepiscopi genuensis; opus tunc usitatissimum.

[11] Bartholomaei de Glanvilla sive anglici, O. Min., „liber de proprietatibus rerum" una erat ex „encyclopaediis" medii aevi; quae iam saeculo XV. compluries typis exscripta est.

Libelli, quibus Canisius juvenis usus est, apud nos supersunt tres, e quibus duo editi sunt ab Hermanno von dem Busche humanista (postea in „Indice" posito), qui etiam in universitate coloniensi aliquamdiu docuerat: a) „Hermanni Buschii Pasiphili Spiciligium. XXXV illustrium philosophorum auctoritates, vtilesque sententias continens. Eiusdem de virtute Oda lyrica" [1]; b) „Dictata pro nominarijs, ab Hermanno buschio collecta ex Prouerbijs et Ecclesiastico" [2]. In hoc libello Canisius adulescens vocabula multa (aliqua etiam in „spiciligio") variasque formas sua manu descripsit. Tertius libellus praecepta de valetudine tuenda continet.

19.

Ab exeunte Iunio usque ad initium Augusti 1544.

Ex cod. ms. (2°): „F. Liber registrationum. Anno 41. 10 Junij biss 2ª Julij 44", f. 237ᵇ (in quo codice acta et decreta senatus coloniensis publica auctoritate descripta sunt), et ex simili omnino cod. ms., qui inscribitur „Anno 44. 4ª Julij biss 17 Septembris A° 46" f. 1ᵇ. 12. Coloniae, in archivo urbano.

Particulae a) et b) typis exscriptae sunt a *Hansen* l. c. p. 196 [4]. 196 [5].

Senatus coloniensis in Canisium eiusque sodales inquirit iisque vita communi interdicit.

a) Fridach XXVII Junij [1544] [3].

. . . .

Nachdem vnder anderen eynem E. R. vur komen ist etzliche sych beromen eyner Neuwer religion ist beuolhen beyden Hrnn Thornmeistern Costin van Lyskyrchen Godert Hittorp vnnd Johann Ryndorp flyslich darna zu forschen [a] vnnd sulchs nae geschener Mohe eynem Ehrs. Raedt anzusagen sich darna am flyslichsten zu ertzien [4].

b) Anno domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto . . . Veneris quarta Julii.

. . . .

Vff dem selbigen dach hait man verzellong gedain: wes sich M. Petrus Fabri sampt die andere dwylche dan eyn Conuentum gemacht haint, hauen laissen vernemen Als nemlich das Sy nichtz Neuwes wyllens weren vurzunemen, dan sich der alder Christlicher Catholische Religion gemeiss zu halden Vnnd waes Sy vurnemen das solchs auss [b] sonderlinger bewyllong pabschlicher hillicheit geschiege. Derhalffen Sy begert haint Sy in yrem Christlichen vurnemen nith zu verhynderen Sondern Jnhn ouch furdeniss breyff yrs gueden leymoitz mit zu deylen.

[a] froschen *cod. col.*

[b] *Sequitur:* alder Christl; *sed linea inducta deletum est.*

[1] 4°; sine loco et anno; 12 ff. non signata. Hoc opus variasque eius editiones describit *H. I. Liessem*, Bibliographisches Verzeichniss der Schriften Hermanns von dem Busche, Forts. (Progr. des Kaiser Wilhelm-Gymnasiums, Köln 1883), p. 13—14.

[2] „Albertus Paffraed" typis descripsit anno 1526. Sine loco. 4°; 12 ff. non sign.

[3] Dialecto coloniensi haec scripta sunt.

[4] Cf. supra p. 103—111. 103 [3].

c) Godestach[1] XXX. Julii. [1544.]

. . . .

Wes dem Canis vurgehalten ist der versamelong halbe ist ouch van dem hern Leemersheym vurgegeben vnnd eyn E. R.[2] hait es darby gelaissen vnnd hern Loemersheym vnnd den anderen ferner befel gedain Jm fael sy sich vngehorsamlich erzien Inhn als dan darby die Stat Coelln ernstlich zu verbeden.

Cum his actis conferenda sunt, quae eadem de re Canisius ipse Colonia 27. Augusti et 27. Septembris 1544 ad B. Petrum Fabrum rettulit; supra p. 103—112.

Goswinus de Lomersheim (Lommersum), cuius hic fit mentio, per 50 annos urbis coloniensis senator fuit[3]. Die 24. Decembris 1543 „Stimmeister" creatus erat[4]. Ad hoc munus, quod a binis administrabatur, pertinebat etiam: mores ac disciplinam in republica tueri, secretas societates tollere, civitatis statum, libertatem, leges sustinere etc.[5]

20.

Initio mensis Augusti 1544.

Ex adnotatione autographa *Hermanni Blanckfort*, rectoris universitatis coloniensis, in cod. ms.: „Liber Actorum matriculae quartae Universitatis studii Coloniensis" f. 142[a]. Coloniae, in archivo studiorum fundatorum.

Etiam apud *Reiffenberg* l. c. p. 23, adnot. 1. et apud *Hansen* l. c. p. 197[2].

Idem argumentum quod monum. 19.

[1544] In principio Augusti voluit senatus quosdam proscribere qui se appellabant Jesuitas, quod facerent conuenticula et niterentur nouum quendam ordinem erigere[6]. Sed quum supplicassent rectori, eo quod essent studentes, obtinuerunt intercedente rectore, vt liceret manere, dummodo habitent separatim et abstineant a conuenticulis.

Leonardus Kessel Colonia 18. Ianuarii 1545 Beato Petro Fabro de ea separatione scripsit: „Obedivimus, ne arguerent nos inobedientiae. Eramus omnes bono animo (laus Deo) exspectantes carcerem vel flagella; tota Colonia loquebatur de nobis; timebant nos alicujus novae sectae homines esse. Separati sumus non sine detrimento studiorum."[7]

21.

Annis 1544 et 1545.

Ex apographo, a P. *I. Eug. de Uriarte* S. J. a. 1884 descripto ex autographo, quod est in: „Varia Historia" etc. (cf. supra p. 102) t. 1, f. 68.

Tota epistula edita est in „Cartas del *B. P. Pedro Fabró*" I, 424—426.

---

[1] Die Mercurii. [2] Ehrsamer Raedt (senatus urbis).

[3] Buch *Weinsberg* II, 114—115.

[4] Cod. colon. „Ratsliste" etc. (v. supra p. 104[1]).

[5] *L. Ennen*, Geschichte der Stadt Köln, Auszug (Düsseldorf 1880) p. 137.

[6] *Polancus:* „Quamvis civitas [coloniensis] catholica semper publice fuerit, constitutionem tamen quamdam habebat de novis congregationibus religiosorum non admittendis" (Chronicon I, 155). Cf. supra p. 107[3].

[7] Cartas del *B. P. Pedro Fabro* I, 426.

„Euerhardus Questenburch" iuvenis coloniensis, litterarum studiosus[1], *Beato Petro Fabro „de societate nominis Iesu, incomparabili Theologo apud Colimbricenses", Colonia 4. Februarii 1545: „Petri Kannegiesser, et Petri Kanisij salubri suasione" se saepe peccata confiteri et ad sacram communionem accedere coepisse et, quamvis hominum ludibriis et diaboli tentationibus vexetur, tamen certum sibi esse coeptis stare et Dei servitio totum se dedere. Margaritam etiam Questenburch, amitam suam, Fabro in memoriam revocat, „quae non immerito gratificari vobis multis modis studuit". Denique licet „Kanisius", „quem fratris loco habere" coeperit, „vbique multum consilij et consolationis" sibi tribuat, rogare se tamen, ut etiam Faber non solum precibus, sed etiam litteris se adiuvet.*

c) Officia, quae Canisius archidioecesi coloniensi in apostasia Hermanni Wedani archiepiscopi praestitit.

1547.

22.

Adolphus de Schaumburg,

administrator archidioecesis coloniensis[2],

Hieronymo Verallo,

archiepiscopo rossanensi et nuntio apostolico apud Carolum V.

Colonia 11. Ianuarii 1547.

Ex apographo (eiusdem temporis) aut commentario (2°; p. 1), quod est Dusseldorpii in archivo regni borussici, Convol.: „A. III. Churcöln I. Erzb. Herm. v. Wied 5."

Canisium legatum suum commendat. Exemplum iuramenti summo pontifici praestiti mittit eidemque oboedientiam spondet.

Reuerendissime in Christo pater et Domine et amice colendissime. Post obsequiorum nostrorum promptam et beneuolam oblationem, mittimus praesentium latorem honorabilem et doctum nobis syncere dilectum .M. Petrum Canisium sacrae theologiae candidatum et Reuerendissimae D. vestrae. vt intelligimus, non vulgariter gratum[3], ob ardua quaedam et grauissima negotia Reuerendissimae D. vestrae exponenda. Cui vt Reuerendissima D. vestra, plenariam fidem super referendis, perinde atque nobis ipsis adhibere dignetur obnixe oramus,

---

[1] Cf. supra p. 140. 144. 155. 157 etc.

[2] De Adolpho de Schaumburg v. supra p. 234[3]. 237—244. De eodem scripserunt *Mich. Mörckens* O. Carth., Conatus chronologicus ad Catalogum episcoporum Coloniae (Coloniae 1745) p. 158—160, et *E. Podlech,* Geschichte der Erzdiözese Köln (Mainz 1879) p. 376—385.

[3] *Ioannes Cochlaeus* Eystadio 2. Augusti 1545 Verallo scripsit: „I. Hofmeisterus . . . . . . Rev. Dominationi tuae et integerrimis doctissimisque viris, piissimisque in S. Societate nominis Iesu Christi fratribus, Bobadilla, Claudio Iaio ac Petro Canisio, qui cum R. D. tua familiarissime conversantur, ac Deo et proximo omni charitatis et pietatis officio famulantur, perquam familiariter notus factus est" (*Nic. Paulus,* Der Augustinermönch Johannes Hoffmeister [Freiburg i. Br. 1891] p. 192[1]).

qui inter caetera quoque Reuerendissimae D. vestrae exemplar auscultatum et collatum iuramentj nostrj Sanctissimo D. N. ratione Pastoralis curae nobis iniunctae, [praestiti][1] necnon acceptationis eiusdem Pastoralis offitij et administrationis exhibebit. Quam vnice oramus vt obedientiam, obseruantiamque nostram debitam, sanctissimo domino nostro diligenter ac fideliter commendet, ac polliceatur, nos confestim post elaboratum Sigillum nostrum, quod sculpitur, iuramentum idem in forma auctentica [sic] ad suam Sanctitatem transmissuros. Nos suae S. humilime commendando. Quod erga Reuerendissimam D. v. sedulis nostris offitijs et obsequijs promererj studebimus. Datum Coloniae xj. Januarij Anno MDXLVII.

Eiusdem Reuerendissimae D. vestrae

Addictissimus
Adelphus [*sic*]
manu propria.

Reverendissimo D. Nuntio Apostolico etc.

Canisius, quid effecerit, ipse narrat supra p. 234—240.

23.

Adolphus de Schaumburg,

administrator archidioecesis coloniensis,

P. Petro de Soto O. Pr.,

confessario Caroli V. caesaris.

Colonia 11. Ianuarii 1547.

Ex apographo (eiusdem temporis) aut commentario (2°; p. 1), quod est Dusseldorpii in archivo regio, loco supra p. 674 scripto.

Se, quae caesari rescripserit, eidem per Canisium mittere. Hunc commendat, et Sotum rogat, ut causae suae apud caesarem patrocinetur.

Reuerende in Christo pater, fautor et amice colende. Confisi de paternitatis vestrae erga nos singularj fauore, etiam reipsa ostenso et exhibito, mittimus ad Caesaream Maiestatem dominum nostrum clementissimum honorabilem et doctum M. Petrum Canisium, sacrae theologiae candidatum. vt suae Maiestati literas nostras responsi[2] [*sic*] ad suae Maiestatis rescriptum nobis praesentatum exhibeat, eiusdemque nostri responsi mentem et sententiam et quae inpraesentiarum occurrunt paternitatj vestrae exponat, Quem vt beneuole audiat, eique plenariam fidem in omnibus referendis perinde atque nobisipsis ad-

[1] *Varrentrapp* asserit Adolphum paulo ante medium mensem Decembrem anni 1546 Leodii coram Georgio Austriaco episcopo in obsequium summi pontificis iurasse (Hermann von Wied I, 272).

[2] Harum *litterarum, 11. Ianuarii 1547 datarum, apographum aut commentarium Dusseldorpii eodem loco exstat, quo huius epistulae ad Sotum missae apographum servatur.

hibeat, et quae causae grauitas et magnitudo, cuius foelix et prospera expeditio in eius manu sita est postulat et requirit, nostrj immo ecclesiae caussa apud Caesaream Maiestatem agere et curare non grauetur, [obnixe oramus][a]. Quod erga pat: vestram quamprimum res nostrae stabilitae fuerint, sic compensare studebimus, vt comperiat quicquid id est offitij se non contulisse in ingratum, Quam deus bene sospitet et incolumet ad communem vtilitatem. Datum Coloniae Die xj. Januarij Anno 47,

Ad Confessorem etc.[1]

Vide, quid Canisius de Soto ad Gropperum rettulerit, supra p. 237.

24.

Circiter 11. Ianuarii 1547.

In exemplo dusseldorpiensi litterarum commendaticiarum, quae modo positae sunt, sub vocabulis „Ad Confessorem etc.“ eadem manu scriptum est:

Ad d. de Granuella
Ad ViceCancellarium Naues.

Haec patefaciunt Canisium etiam Nicolao Perrenot de Granvella, cancellario imperii, et doctori Ioanni Naves, vicecancellario, ab Adolpho de Schaumburg per epistulas commendatum esse.

Canisius, quid ab iis obtinuerit, ipse refert supra p. 235—240.

In domo probationis S. J. trunciniensi (Tronchiennes, in Belgio) pulchra imago, a Fr. Quartier, Societatis Iesu artifice belga, picta, asservatur, in qua Canisius repraesentatur cum Carolo V. et Ottone cardinali augustano agens[2].

Michaël Strunck S. J. in annalibus paderbornensibus: „Adolphus“, inquit, „literis potitus [quibus a Paulo III. 3. Iulii 1546 administrator coloniensis constitutus est], ne quid temere et inconsulte faceret, consilii causa Petrum Canisium e Societate Iesu Colonia misit ad Caesarem, adhuc in comitiis agentem Ratisbonae.“[3] In hac sententia quid verum sit, quid falsum, iam opus non est exponere[4].

Colonienses laborum a Canisio pro se susceptorum eidem gratiam reddidisse posterioribus huius operis voluminibus patefiet. Hic haec tantum notanda esse videntur: Canisii catechismus in ipsa urbe coloniensi plus quam quinquagies typis descriptus est; *universitas coloniensis* summo pontifici scripsit: se „in venerabili Patre Petro Canisio insignem e gremio suo athletam Societati Jesu, Germaniae et toti Europae progenuisse se imprimis gloriari“; cunctas itaque universitatis facultates rogare, ut Canisius quamprimum catalogo beatorum inscriberetur[5]. Ac *Clemens*

[a] *Haec vel similia supplenda esse et res ipsa et epistula ab Adolpho ad Verallum missa (supra p. 674) ostendit.*

[1] Petrum de Soto tunc munus illud administrasse ex ipsis actis dusseldorpiensibus supra memoratis intellegitur.
[2] *Précis* historiques XXXIII (Bruxelles 1884), 631.
[3] Annalium Paderbornensium pars III (Paderbornae 1741), p. 280.
[4] Cf. etiam *Konr. Alb. Ley,* Die Kölnische Kirchengeschichte (Köln 1883) p. 478.
[5] Hae litterae initio saeculi XVIII. datae esse videntur; vulgatae sunt a *Bianco* l. c. I, 649—651.

Augustus archiepiscopus et elector coloniensis in litteris, quas Bonna 25. Maii 1729 ad Benedictum XIII. dedit [1], de rebus contra Hermannum Wedanum a Canisio gestis disserens: „Archiepiscopalem", inquit, „Coloniensem mitram Canisianis laboribus ac sudoribus conservatam, et ad Orthodoxos Antistites propagatam esse profiteri cogor." [2]

C.

MONUMENTA TRIDENTINA CANISII,

quae primum illius concilii tempus (1545—1549) spectant [3].

25.

Otto Truchsess de Waldburg,

cardinalis et episcopus augustanus,

Adolpho de Schaumburg,

administratori et electo archiepiscopo coloniensi.

Ulma 12. Februarii 1547.

Ex archetypo (2°; pp. 2; in p. 4. inscr. et pars sig.); nomen subscriptum est autographum. Dusseldorpii, in archivo regni borussici, „A. III. Churcöln I. Erzbischöfe: Herm. v. Wied." Particulam posuit *Varrentrapp* l. c. II, 118, adnot. 1.

Adolpho novam dignitatem gratulatur et operam suam offert. Se Canisii rogatu ad summum pontificem de pallio et confirmatione concedendis scripsisse et Canisio persuasisse, ut ad concilium tridentinum venire statueret.

Hochwurdigster Furst, vnnser freundtlich Diennst, vnnd was wir liebs vermugen zuuoran, besonnder lieber Herr vnnd freund, Das E. L. auss verleihung Gottlicher gnaden, hieuor zů Coadiutorn dess Ertzstiffts Coln, vnnd yetzund zu Ordenlicher election, Bischoflicher Dignitet geraten, Dess thuen wir vnns hochlich erfrewen, winschen auch E. L. von dem Almechtigen vil Glukhs, vnnd alles, so derselbigen vnnd Irem Stifft zu Ehren, nutzen, vnnd Wolfarth furstenndig sein mochte mit dem Erpieten, warjnn E. L. vnnd dern Stifft wir wissten oder kundten angeneme diennst beweisen, Das wir solchs mit willen zuthun bereit weren,

Zum Anndern, so haben wir auch auff dess wurdigen Andechtigen, vnnsers lieben besonndern, Magister Peters Canisien anbringen, der befurderung halber, so wir von wegen E. L. palio vnnd Confirmation, bey der Bapstlichen Heilichheit thun solten, nicht vnnderlassen,

[1] Exstant in „Positione super virtutibus" [Canisii] (Romae 1833), Summ. p. 285—286.

[2] De rebus a Canisio Coloniae gestis cf. etiam pulchram commentationem a *K. A. Heuser* (postea ecclesiae metropolitanae coloniensis canonico) scriptam: „Der sel. Petrus Canisius in seinen Beziehungen zu Köln" in „Rheinische Volksblätter für Haus, Familie und Handwerk, herausg. von Adolph Kolping" 11. Jahrg. (Köln 1864), p. 785- 828.

[3] Secundae parti (1551—1552) Canisius non interfuit; quae in tertia (1561 ad 1563) egerit, simul cum epistulis eodem tempore a Canisio scriptis proponentur.

sonnder Derselben schon, mit sollichem furpit vnnd befurderung schrifftlichen erslossen, Das wir verhoffen, solchs sol E. L. zu gutem vnnd gedeyen reichen,

Nachdem auch mit dem Concilio zu Triend ymerzu furgeschritten wurdet, alda dann vil treffenlicher gelerter Menner verhanden, die inn puncten vnnsers waren Christenlichen glaubens, Allerley hanndlen vnd disputieren, bey welhem Christenlichem werkh wir disen Canisien, als einen gelerten jungen Man, der auch Ime selbst zu gutem, vnnd zu aufnung[a], vnd pflantzung, vnnsers Heiligen glaubens. der Ennden wol etwas begreiffen, schaffen, vnnd ausrichten mocht, vast gern sehen vnnd darumb Jne dahin persuadiert vnnd vermugt, Das er sich vff sollich Concilium gen Triend zuuerfuegen bewilligt. Freundtlich bittend E. L. wôlle Ine hierjnn. Das er seinen weg nit wider zu derselben genommen, gnedigst entschuldiget halten, Vnnd das auss erzelten Christlichen vrsachen, wollen wir vmb dieselben freundtlicher Weiss beschulden, vnnd seyen E. L. zu angenemem gefallen, inn allweg bereit.

Datum Vlm den XIj[um] Februarij Anno MDXLVIj.

Otho Cardinal zu
Augspurg.

Dem Hochwurdigsten fursten, Herren, Adolpho, Erweltem zu Ertzbischouen zu Coln, dess Heyligen Reichs durch Ytalien Ertzcantzlern, vnnd Churfursten, vnnserm besonnder lieben Herren vnnd Freund.

Haec epistula, praesertim si cum litteris Gropperi supra (p. 242—245) allatis componitur, errorem patefacit, in quo complures Canisii biographi [1] atque etiam Reiffenberg versantur scribentes: Canisium anno 1547 ex aula caesaris Coloniam rediisse, et Colonia ad concilium profectum esse. Ex his plerique (quod et Floriano Riess accidit) legationem hanc suebicam Canisii cum itinere eiusdem vormatiensi (a. 1545) vel cum duabus illis legationibus confundunt, quas Canisius Coloniensium rogatu eodem anno Hermanni Wedani removendi gratia apud caesarem obivit Coloniae et in Belgio [2].

Quodsi Truchsessius scribit se Canisio „persuasisse", ut Tridentum ad concilium proficisci statueret, id fortasse haud facile componi potest cum iis, quae ab aliquibus Canisii biographis [3] affirmantur: Cardinalem Ottonem a S. Ignatio per litteras impetrasse, ut Canisius Tridentum mitteretur. Raderus et Sacchinus, inter biographos antiquissimi, nil ea de re dicunt, neque eiusdem vestigium exstare videtur in epistulis ignatianis, quae hucusque editae sunt. Fortasse Otto anno 1545, quo primum de Iaio et Canisio ad concilium mittendis cogitabat [4], Ignatio ea de re scripsit [5]; aut anno 1547 scripsit et rem impetravit, hac tamen condicione ab Ignatio lata: Si Canisio ipsi id expedire videretur. Sic enim Ignatius, qua erat prudentia, quaestiones nonnumquam solvebat.

[a] *Sic; fortasse legendum:* aufnemung.

[1] Dorigny, Python, Oddi, Alet, Garcia, Daurignac, Boero.
[2] V. supra p. 158—159. 162. 164—165. [3] Oddi, Garcia, Boero, Dorigny.
[4] V. supra p. 159. [5] Cf. *Orlandinum* l. c. l. 5, n. 40.

26.

Otto,

cardinalis augustanus,

Ioanni Mariae de Monte et Marcello Cervino,

cardinalibus, concilii tridentini praesidibus.

Dilinga 16. Februarii 1547.

Ex archetypo (2°; p. 1; in p. 4. inscr. et sig.); ultima epistulae verba (Delle SS. VV. — Augusta) ab Ottone ipso scripta sunt. Florentiae, in archivo regni italici, cod. „Carte Cerviniane XIII." f. 55.

Apographum saec. XVIII. vel XIX. confectum exstat Tridenti in bibliotheca urbana, cod. 96 f. 100[a].

Canisium cardinalibus legatis commendat.

Reuerendissimi et Illustrissimi Signori miei osseruandissimi.

Per hauer scritto con matiolo[1] quanto occorreua sin alhora, et essendomi partito dopoi da la corte e venuto qua per passar al viagio mio per il seruitio di soa maiesta come scrissi alle ss vv. Reuerendissime non m' estendero ad altro che di racomandar[a] loro il presente lator religioso dotto e ben acostumato qual come amico e creato di maestro Claudio nostro[2] vene a star in compagnia soa al concilio per questa quadragesima[3], hauendo pero expedito prima a la corte cesarea quanto era venuto negociar per parte del signor coadgiutor, hora fatto arciuescouo di colonia. E come esso religioso maestro pietro canisio e persona da la qual se ne puo sperar per il tempo, e per la qualita soa, qualche buon frutto, non ho potuto tacerlo alle ss vv Reuerendissime anci di nouo raccomandarglilo, et facendo fine bacio le loro sacre mani pregando a dio le Illustrissime e Reuerendissime persone soe conserui e contenti come desiderano. Da tilinga allj XVj di feuraro 1547,

Delle SS. VV. Reuerendissime e Illustrissime

Humillimo Seruitor
Jl Cardinal d' Augusta.

† Allj Reuerendissimi et Illustrissimi signori mei osseruandissimi li signori legati del concilio etc. A trento.

---

[a] raomandar *archet.*

---

[1] Petrus Andreas Matthiolus (1500—1577) medicus praeclarus erat (*Const. v. Wurzbach,* Biographisches Lexikon des Kaiserthums Oesterreich, 15. Theil (Wien 1866), p. 324.

[2] P. Claudius Iaius S. J. mense Decembri anni 1545 Tridentum venerat, ut Ottonis procuratorem ageret. Cf. supra p. 199[6]. Canisius certe missus est theologus, non procurator futurus.

[3] Dies 16. Februarii, quo Otto litteras has dedit, eo anno dies cinerum sive initium quadragesimae erat.

Haec epistula ostendit Boero (Iaio p. 112) contra temporum rationem peccare, cum de Canisii adventu tridentino scribit: „Ai 13 di gennaio del 1547 si tenne la sesta Sessione . . . In que' giorni medesimi arrivò improviso a Trento il B. Pietro Canisio."

Raderus (Can. p. 41) et post eum alii scripserunt Canisium ab Ottone cardinali Tridentum missum esse una cum Wolfgango Rhem praeposito augustano. At hic iam mense Decembri anni 1545 cum P. Claudio Iaio eo venisse videtur [1]. Neque Otto in litteris modo positis de Rhemio tacuisset, si eum cum Canisio Tridentum mittere voluisset.

D.

MONUMENTA BONONIENSIA CANISII.

a) Prolegomena.

27.

Franciscus Sacchinus (Can. p. 40) scribit: „Quia Cardinales Concilij praesides quaecunque Tridenti, ac Bononiae tractata de Sacramentis erant, iusserant Lainium, ac Salmeronem colligere, disputationesque inde pulcherrimas in ordinem, ac viam ipsi redegerant," Canisius Bononiae „iis disputationibus stylo politiore complectendis, exscribendisque (nam et characteribus scribebat cum quadam dignitate clarissimis) plerumque temporis impendebat magno sane labore". Notum etiam semper fuit Canisium (quod suis ipse litteris testatus est [2]) Bononiae inter theologos concilii sententiam suam dixisse. Quando autem dixerit, qua de re, quid, hucusque ignorabatur. Antequam in hanc rem novi quid proferatur, haec quoque praenotanda esse videntur:

Quia, concilio tridentino ineunte a. 1547 Bononiam translato, hispani praesules et alii quidam in Caroli V. eam translationem improbantis gratiam Tridenti substiterant, Bononiae nullus a concilio de dogmatibus fidei aut de morum reformatione consessus habitus est. Attamen theologi diligenter ea discutere pergebant, quae suis temporibus concilio definienda possent proponi, fiebantque congregationes tum theologorum „maiorum" sive praelatorum tum theologorum „minorum" [3] tum generales. Si *Augustino Theiner* credimus, minorum theologorum conventus 58 fuerunt [4]. De his conventibus aliqua, quae ad Canisium aliquo modo pertinent, ex monumentis hic ponentur, olim congestis vel conscriptis ab Angelo Massarello, iuris utriusque doctore et protonotario apostolico (postea episcopo telesino), qui per totum fere concilium eiusdem secretarius fuit. Theiner, cum acta concilii a Massarello scripta in lucem emitteret, partem illam, quae Bononiam spectat, omisit. Neque ea, quae ponentur, apud ceteros sunt, qui Massarelli acta tridentina (sive genuina, sive pseudepigrapha) typis exscripserunt: Edm. Martène et Urs. Durand [5], Frid. Eberh. Rambach [6], Iud. Le Plat [7], Gen. Calenzio [8], Ign. Döllinger [9]. Quae signis in-

[1] *Polancus,* Chronicon I, 154. 155. *Sf. Pallavicino* S. J., Istoria del Concilio di Trento l. 6, c. 2, n. 7. *Boero,* Iaio p. 96—97. [2] V. supra p. 47. 250.

[3] De munere „theologorum" tridentinorum v. *Ioh. Stoz* S. J., Relatio historica de gestis in concilio Tridentino (Dilingae 1695) p. 80—82.

[4] Acta genuina Concilii Tridentini I (Zagrabiae 1874), p. XII—XIII.

[5] Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectio, tom. VIII (Parisiis 1733), col. 1022—1218.

[6] In appendice tertio ad „Christian August Saligs vollständige Historie des Tridentinischen Conciliums" 3. Theil (Halle 1745), p. 5—360 (ex Martène descripta).

[7] Monumentorum ad historiam concilii Tridentini potissimum illustrandam spectantium amplissima collectio, tom. VII, pars 2 (Lovanii 1787), p. 31—67.

[8] Documenti inediti e nuovi lavori letterarii sul Concilio di Trento (Roma 1874) p. 295—320.

[9] Ungedruckte Berichte und Tagebücher zur Geschichte des Concils von Trient 1. Abth. (Nördlingen 1876), p. 39—326.

cluduntur, ipsius Massarelli verba, cetera ex eius scriptis ab editore excerpta sunt. Plura huius generis fortasse mox cognoscentur, cum Massarelli diarium privatum, italice scriptum, et diarium Herculis Severoli typis exscripta erunt [1].

b) Acta synodalia.

28.

A mense Aprili usque ad Iunium 1547.

Ex diario gestorum in concilio tridentino, manu *Angeli Massarelli* scripto, f. 16[b]. 217. 220—236[a]; quod est (cod. ms. in 8°) in archivo vaticano.

De congregationibus generalibus et particularibus, quibus Canisius interfuit. Quando et qua ratione sententiam dixerit.

29. Martii 1547 [2]. „Hac die in nomine D. N. Jesu christi datur principium congregationibus Theologorum minorum, siue non praelatorum, quibus proponuntur 14. articulj super sacramento poenitentiae examinandi et disputandi [3] .etc. quorum copia prius [4] eis exhibita fuerat: congregatio fit in aula magna palatij de Campegijs, ubi hospitatur Reuerendissimus D. Cardinalis de Monte primus praesidens." [5]

Interfuere Marcellus cardinalis Cervinus, episcopi complures, theologi plus quam 50; sex ex iis sententiam dixere; post tres horas contio dimissa est [6].

31. Martii iidem articuli per 4 horas discussi sunt a 4 theologis coram episcopis compluribus, theologis plus 50, multis „doctoribus saecularibus", 500 fere „scholaribus" [7].

2. Aprilis idem factum per 4 horas a 3 theologis, praesidente cardinali Cervino, cum cardinalis de Monte ex pedibus laboraret.

4. Aprilis idem, eodem praeside, per 3 horas a 3 theologis factum, audientibus episcopis, theologis, plus quam 400 scholaribus, nobilibus bononiensibus permultis.

15. Aprilis. Eodem praeside dixere 3, per 3 horas, coram 14 episcopis etc.

18. Aprilis. Item 3, per 3 horas.

---

[1] V. *Seb. Merkle*, Hercules Severoli etc., in „Historisches Jahrbuch" XVI (München 1895), 749—776.

[2] Canisius 12. Aprilis 1547 Patavio Bononiam profectus est (supra p. 248. 249 [7]). Sed haec praemittuntur, quo melius intellegantur, quae ad Canisium proxime attinent.

[3] Hos 14 „articulos haereticorum" typis exscripserunt *Od. Raynaldus*, Annales ecclesiastici XXI ad a. 1547, n. 58, et ex Raynaldo *Le Plat*, Monumenta etc. III (Lovanii 1783), 608—609.

[4] 25. Martii. *Raynaldus* l. c.

[5] In hoc palatium theologi minores etiam postea semper convenisse videntur; nam in actis sequentibus aliarum aedium non fit mentio; immo hic locus „solitus" dicitur.

[6] Quae sequuntur, congregationes sunt minorum theologorum, nisi aliud dicetur.

[7] A Bologna „successivamente si esaminarono con diligentissimo studio tutte le diffinizioni e molte delle riformazioni dipoi stabilite in Trento; e si raccolsero intorno all' une ed all' altre esquisitamente i sommarj delle sentenze pronunziate nelle congregazioni, i quali furono riportati negli atti autentici del concilio, e contengono il miglior sugo dell' erudizione e delle ragioni che possono arrecarsi in ciascuna delle materie": *Pallavicino* l. c. l. 10, c. 2, n. 3.

19. et 20. Aprilis congregatio generalis habita est.
21. Aprilis sessio concilii oecumenici IX. habita est [1].

23. Aprilis. „Hora. .20.[2] fit congregatio Theologorum minorum super eisdem articulis .14. de sacramento poenitentiae, de quibus supra, loquutique sunt .5. videlicet Petrus Canisius societatis Jesu, Germanus [3], frater Jo. antonius Delphinus Regens Paduanus, frater Augustinus de Montecalcino, ordinis sancti Augustini, frater Paduanus Barletanus, ord. sancti Fr. Conuentualis, Don Jacobus Laynes societatis Jesu, qui cum hora esset iam 23. cum dimidia non potuit perficere uotum suum, sed soluitur congregatio daturque ei locus in futura congregatione. cui congregationi praefuit Reuerendissimus D. Cardinalis sanctae Crucis, interfuerunt .26. praelati [4], et multi doctores et magistri."

25. Aprilis. Idem factum; sententiam dixerunt tres, quorum primus Lainius erat.

26. Aprilis. In congregatione generali Massarellus „articulos Lutheranorum circa tria illa sacramenta, quae examinanda sunt", legit; e quibus 2 erant de extrema unctione, 4 de ordine, 6 de matrimonio. Articulorum illorum exempla singulis praelatis ac theologis minoribus tradita sunt [5].

28. Aprilis 7 theologi, inter quos Alphonsus Salmeron S. J. erat, per 4 horas de sacramento paenitentiae dixerunt, sicque huius sacramenti discussio absoluta est.

29. Aprilis. De „articulis Lutheranorum" supra dictis 5 theologi per 4 horas disserunt coram cardinali Cervino praeside, 24 praelatis, plus quam 80 theologis et magistris.

30. Aprilis. Item. Dicunt 6, inter quos Lainius, per 4 horas, audientibus cardinali Cervino, 22 praelatis, plus quam 60 theologis.

2. Maii. Item, 5 per $3^1/_2$ horas.

4. Maii. Theologi 5, inter quos Alphonsus Salmeron S. J., per 4 horas disputant.

5. Maii. Idem per $3^1/_2$ horas a 6 theologis coram 19 episcopis et plurimis „patribus et magistris" factum.

„6. Maij. Vener. [6]

Hora .19. [7] fit congregatio Theologorum super eisdem .3. sacramentis, loquunturque hodie .V. videlicet Frater Maurus de Rauenna,

---

[1] In hac sessione concilium sanctiones, quae ex decreto sessionis VIII. ea die de sacramentis et de reformatione faciendae erant, ad diem 2. Iunii distulit.

[2] Itali horas diei tunc ab 1 ad 24 numerabant et numerationem incipiebant pridie ad vesperum, cum sol occideret et campanarum sonitu signum salutationis angelicae daretur („Ave"). Bononiae igitur eo anni tempore hora 20 erat fere eadem atque hora 3 pomeridiana nostrae numerationis.

[3] Cf. infra p. 684.

[4] In „Actis concilii" Massarellus scribit 25 praelatos interfuisse.

[5] Hos articulos proponit *Raynaldus* l. c. n. 64. De matrimonio quinque tantum ponit. Similiter *Le Plat* l. c. p. 624.

[6] Die Veneris. [7] Sub horam $2^1/_4$ pomeridianam.

can. regul. Sancti Saluatoris. Dominus Claudius Iaius Sabaudiensis alias Tridenti procurator Reuerendissimi D. Otthonis Cardinalis Augustensis[a], Frater Jo. Baptista Moncaluius ord. sancti Franc. Conuentualium. Frater Clemens de Florentia, eiusd. ord. Conuentualium et Don Petrus Canisius, Germanus societatis Jesu[1]. Deinde soluitur hora .23. cui congregationi .18. episcopi, interfuerunt, multique Theologi, praefuitque Reuerendissimus D. Cardinalis Sanctae Crucis[2], etc."

7. Maii. 4 orationibus habitis, cum de tribus illis sacramentis nemo iam dicere cuperet, ea discussio finita est. Praeerat cardinalis Cervinus, „qui semper supradictis congregationibus praefuit".

[9. Maii][3] congregatio generalis, per $1\frac{1}{2}$ horas, praesidentibus duobus legatis. Intererant 4 archiepiscopi, 23 episcopi. Cardinalis de Monte dixit septem „Canones de Sacramento Eucharistiae" conceptos esse, eosque modo a secretario lectum et omnibus patribus traditum iri, ut de iis sententias aperirent.

„Qui canones", inquit cardinalis, „proponuntur non quasi sint omnibus numeris completi, sed ut patrum iudicio limentur, et aptentur." [4]

12., 13., 14. Maii. Congregationes generales de canonibus eucharisticis.

„15. Maij. Dominica. post prand. fui ad .dd. claud. Jac. et Alf. societatis Jesu[5], quib. ostendi[b] censuras super canonib. de eucharistia, quas censuras discussimus per .4. horas. id quod retuli Reuerendissimo D. meo." [6]

16. Maii. Congregatio generalis de canonibus eucharisticis.

18. Maii. Congregatio generalis; in qua de rebus fidei non agitur.

25., 28., 31. Maii. Congregationes generales de canonibus eucharisticis.

1. Iunii. Congregatio generalis, sine discussionibus dogmaticis.

2. Iunii. Sessio X. concilii oecumenici[7].

„.4. Junij. Sabb. in uigilia Trinitatis Concipiuntur canones super sacramento poenitentiae, examinandi pro futura sessione . quos ostendi 3. patribus refor.[8] DD. Alp. Jac. et claudio et fratri Pet. P.° Aretino ord. praed." [9]

---

[a] *In autographo sequitur iterum:* procurator. [b] ostendidi *Mass.*

---

[1] Canisius de matrimonio sententiam dixit. De qua plura infra p. 684—685.

[2] Marcellus Cervinus.

[3] Hic, cum in archivo vaticano essem, oblitus sum diem ex diario transcribere. Qui tamen exstat apud *Raynaldum* l. c. n. 64.

[4] Canones hi nec a Raynaldo nec a Le Plat ponuntur.

[5] Claudium Iaium, Iacobum Lainium, Alphonsum Salmeronem.

[6] Cardinali Cervino, cui Massarellus tunc ab epistulis erat (*Döllinger* l. c. p. XXIII).

[7] Sessio vel definitio, quae de sacramentis et de reformatione tunc fieri debebat, ad 15. Septembris prorogata est.

[8] Societatis sacerdotes initio saepe, etiam a pontificibus Paulo III., Iulio III., Paulo IV. „presbyteri reformati" vocabantur (*Orlandinus* l. c. l. 15, n. 50).

[9] P. Fr. Petrus Paulus Ianuarius O. Pr., arretinus, theologus concilii erat (*Martène-Durand* l. c. col. 1160).

6. Iunii. Congregatio generalis. Canones de sacramento paenitentiae concepti patribus traduntur.

10. Iunii. Congregatio generalis de iisdem.

13. Iunii. Idem fit, „in loco solito domus Campegiorum".

15. Iunii. Item.

17. Iunii. Congregatio praelatorum theologorum; censurae de canonibus paenitentiae latae discutiuntur.

29.

23. Aprilis et 6. Maii 1547.

Ex actis concilii tridentini, quae *Angelus Massarellus* sua manu scripsit (cod. ms. in 2°; cui titulus: „Acta Sacrosancti Generalis Concilii Bononiensis sub Paulo PP. III.": f. 20ᵃ. 29ᵇ; in archivo vaticano).

Canisius de sacramentis paenitentiae et matrimonii disserit.

[23. Aprilis 1547 in congregatione theologorum minorum]

„Loquitur primus Don Petrus Canisius Germanus Societatis Jesu. confessio probatur praeter alias auctoritates, in prodigo filio [1], qui reuersus ad patrem, ait Peccaui in coelum et coram etc. cui cum pepercisset pater, uitulus saginatus pro eo occiditur [2], id est, christus, et eius passio confitenti et poenitenti applicatur etc."

6. Maii 1547 in congregatione theologorum minorum disseruerunt: 1. Maurus Ravennas de sacramento ordinis, 2. Claudius Iaius de matrimonio, 3. Ioannes Baptista Moncalvius de eodem, 4. Clemens Florentinus de ordine [3]. Tandem

„Don Petrus Canisius, Germanus Societatis Jesu, dixit super Sacramento matrimonij, super quo propositos articulos omnes haereticos censet quia clandestina matrimonia dirimi non possunt [4]. Quaecunque enim sint matrimonia dum contracta [5] sunt, dirimi non possunt a quoquam, neque etiam ab ipsa Ecclesia, iuxta illud Christi, Quos Deus coniunxit homo non separet [6]. Propterea Paulus dicebat, mulier quandiu uixerit, coniuncta erit uiro suo, etc. [7] vltimus articulus

[1] Luc. 15, 11—32.

[2] „Massarellius, concilii secretarius, solebat illa summaria, dum ipsae orationes habebantur, conficere vel saltem eo tempore animadversiones necessarias conscribere; profecto id quidem non semper cum eadem attentione eodemque successu": *H. Grisar* S. J., Iacobi Lainez disputationes Tridentinae II (Oeniponte 1886), 57*.

[3] Cf. supra p. 682—683.

[4] „Impedimentum dirimens clandestinitatis" a concilio statutum est demum in sessione XXIV., 11. Novembris 1563 habita. Ante hanc legem matrimonia clandestina per se valida erant.

[5] Intellege matrimonia Christianorum „rata et consummata". Ceterum vide supra, adnot. 2.

[6] Matth. 19, 6. Marc. 10, 9. (Quod ergo etc.)

[7] 1 Cor. 7, 39: „Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quodsi dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino." Rom. 7, 2: „Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri."

etiam haereticus est, qui de gradibus affinitatis et consanguinitatis[a] loquitur, cum sint gradus obseruandi, quos Ecclesia Sancta obseruat, et quosdam gradus etiam natura ipsa abhorret, ut primum, secundum quod etiam Aristoteles ipse testatur[1] etc. aliquos etiam prohibuit lex ciuilis, aliquos Euangelica . etc.[b][2]"

c) Laurea theologica Canisio collata.

30.

1549.

Ex epistulis autographis, quae sunt Florentiae in archivo regio („regio archivio di stato"), cod. „Carte Cerviniane XVIII."

Canisium, Iaium, Salmeronem examen theologicum subiisse et valde probatos esse[3].

Angelus Massarellus, secretarius concilii tridentini, Marcello cardinali Cervino (qui postea Marcellus II. pontifex fuit), Bononia 18. Septembris 1549:

. . .„Hiersera hebbi da Ferrara l' alligata lettera di maestro claudio[4] . . . . Credo ch' esso maestro Claudio sappia che don Pietro Canisio è gia arriuato qua, et però che ancor lui uogli uenir' a Bologna per spedir il lor Dottorato, l' ho molto caro, accioche possa farli spedir auanti ch' occorra la mia partita" . . . .

Idem eidem, Bononia 2. Octobris 1549:

„Hoggi si è fatto l' esamine delli .3. pretini[5] in presentia d' alcuni Maestri in Theologia. Et si sono portati come era l' opinione che si hauea di loro. Si faranno hora espedir nel resto."

Polancus[6]: „Visum fuerat Patri Ignatio expedire, ut hi tres Patres, qui Theologiam in Ingolstadiensi Academia professuri erant, gradum Doctoratus, in Germania necessarium ad id munus exercendum, Bononiae susciperent. Erat autem tunc Tridenti[c] Cardinalis de Monte, qui brevi in Pontificem electus et Julius III vocatus est. Is curam commisit fratri Ambrosio Catharino, Episcopo Minorensi[7], ut adjunctis duobus doctoribus ejusdem ordinis[8], eos examinaret; et cum pridie puncta

[a] consanguitatis *Mass.*

[b] *Sic prior scriptio. Posteriore autem manu hoc summarium contractum et ad melius orationis genus conformatum est, idque fortasse ea mente, ut prelo subici posset.*

[c] *Sic; sed certe corrigendum est:* Bononiae. *V. supra p. 60—61 et infra p. 686.*

[1] *Aristoteles,* De animalibus historiae l. 9, c. 47. Canisius id hausisse videtur ex Summa theologica *S. Thomae* 2, 2, art. 154, qu. 9 ad 3.

[2] Paulo post aut ipso die 17. Iunii Canisius cum Lainio Florentiam discessit; cf. supra p. 47[4]. 252.

[3] Cf. supra p. 60—62. [4] P. Claudium Iaium significat.

[5] PP. Alphonsi Salmeronis, Claudii Iaii, Petri Canisii.

[6] Chronicon I, 491—492.

[7] Ambrosius Catharinus, episcopus Rheginae minoris (Minori) praeclarusque theologus et canonista, ordinis erat Praedicatorum.

[8] Horum nomina vide infra, p. 686, in diplomate Salmeronis.

quaedam ad legendum et respondendum proposuisset, die sequenti examinati fuerunt; et cum tam Episcopus quam alii Doctores Cardinali retulissent quanta cum eruditione ipsis esset satisfactum, die Sancto Francisco sacra [1], ad doctoratum promoti fuerunt et litterae, quae id testarentur confectae, ad eos in Germaniam, nec enim illas exspectarunt, missae sunt."

Superest apographum antiquum diplomatis, quo Ioannes Maria cardinalis de Monte, episcopus praenestinus et apostolicae sedis legatus „de latere", Bononiae mense Octobri 1549 P. Alphonso Salmeroni (qui concilio tridentino egregiam operam navaverit) in universitate bononiensi per Vincentium Villam placentinum, theologicae facultatis decanum, et Vincentium de Quintiano, studii „regentem", praesentato et „rigoroso ac tremendo" examini subiecto doctoris theologiae dignitatem et iura apostolica auctoritate tribuit [2].

Apographum quidem antiquum huius diplomatis habet Salmeronem 3. Octobris doctorem creatum esse [3]. Sed cum Canisius clare affirmet se 4. Octobris lauream illam accepisse [4] cumque verisimillimum sit tres illos Socios simul promotos esse, existimo, „IIII Octobris" in archetypo Salmeronis diplomate fuisse et a librario parum diligenti in „III Octobris" mutatum esse.

E.

MONUMENTA INGOLSTADIENSIA CANISII.

a) Canisii et Sociorum eius missio, adventus, initia ingolstadiensia.

31.

1548.

Ex apographo, quod saec. XVIII. factum esse videtur et ex collegio S. J. monacensi provenire fertur. Cod. „V. A." n. 17.

De scholis a Canisio eiusque sociis habendis.

In catalogo lectionum, quem universitas ingolstadiensis 1. Iunii 1548[a] *edidit, haec sunt:*

Jn Sacris Literis.

D. Balthasar Fanemanus Suffraganeus Hildesheimensis, uir doctissimus ac facundissimus et fidei Catholicae acerrimus defensor, Procancellarius Uniuersitatis dignissimus, S.S. Theologiam ex ipsis fontibus petitam docebit: et si quae sint inductae opinionum nubes sua diligentia discutiet.

Aderunt praeterea Theologi·tres ex Jtalia accersiti, qui uicissim atque alternis operis noui et ueteris Testamenti scripta declarabunt. Disputationibus etiam crebris, si qua uidebuntur dubia atque incerta, explicabunt.

---

[a] *Sic. Dixerit quis mendum librarii adesse, cui scribendum fuerit 1549; nam hoc demum anno iam exeunte Societatis homines Ingolstadium advecti sunt. At in catalogo nostro dicitur Wolfgangum Hungerum ius traditurum; qui toto anno 1549 ab academia abfuit, ad summum imperii tribunal anno 1548 translatus (Mederer l. c. I, 208).*

---

[1] 4. Octobris.

[2] Cf. *Synopsim* Actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu 1540—1605 (Florentiae 1887) p. 10. [3] Ita et *Synopsis* l. c. [4] Vide supra p. 61.

Quartus eiusdem ordinis et nationis homo Philosophiam, artesque liberales enarrabit, et multorum errores, qui ingenuas disciplinas et Physica Sophistice interpretati sunt, apertissime ostendet . . . [1]

Guilielmus IV. Bavariae dux anno 1548 Societatis theologos petiverat, Leonardo ab Eck Romam misso. Cf. infra, adnot. 2.

32.

1549.

Ex commentario epistulae Guilielmi IV., quod est Monachii in archivo regni bavarici (Reichsarchiv), convol. „Iesuitica, Ingolst. fasc. 71, nr. 1357".

Guilielmus IV. Bavariae dux Alexandro cardinali Farnesio, S. R. E. vicecancellario, Monachio 27. Martii 1549 scribens, conqueritur, quod duo illi theologi, quos pro universitate ingolstadiensi petierit [2], *nondum missi sint, et instat, ut statim mittantur, et ut inter eos sit P. Claudius Iaius S. J., qui iam aliquamdiu Ingolstadii „summa cum laude nec minori fructu omnibus gratissimus Theologiam" sit professus.*

33.

Mense Aprili 1549.

Ex epistula archetypa, a Farnesio ipso subscripta. Ibidem.

Farnesius duci rescribit Roma mense Aprili a. 1549 (die ignoto); ducis pietatem nomine pontificis laudat; eiusdem iussu „propediem" ad ducem „iter maturaturum Iaium, simulque duos eiusdem ordinis et Collegii", „qui et Ignatij, et Claudij [Iaii] ipsius iudicio, probitate, et literis antecellunt".

34.

Mense Maio 1549.

Ex epistula autographa Schorichii. Cod. colon. „Epistt. ad Kessel. I" f. 55 et sq. non sign.

Petrus Schorich, Societatis novicius vel scholasticus, Roma 14. Maii 1549 ad P. Leonardum Kessel S. J. scribit:

Expectamus hic propediem Magistrum Petrum Canisium, qui iturus est cum Reuerendo Patre Claudio et Salmerone in Germaniam Superiorem, vbi maximo cum desiderio expectantur a Duce Bauariae.

[1] Haec ex parte saltem praestiterunt PP. Iaius, Salmeron, Canisius et Fr. Petrus Schorich.

[2] Complures rerum bavaricarum scriptores, qui de Societate sunt, asserunt Guilielmum theologos illos a Paulo III. et ab Ignatio petiisse litteris Romam missis per ipsum Leonardum de Eck, intimum consiliarium suum. Ita: *Raderus*, Can. p. 44; *Andr. Brunner*, Excubiae tutelares etc. (Monachii 1637) p. 517; *Io. Vervaux* S. J. (sub nomine Io. Adlzreitter), Annales Boicae gentis (primum editae a. 1662) P. 2, l. 10, n. 62 (in editione a Leibnitzio curata [Francofurti ad Moenum 1710] col. 259—260); *Agricola* l. c. Dec. 1, n. 144; qui asserit id a. 1548 factum esse. Neque dubium, quin Eckius in eadem legatione tres illas „decumas" a clero Bavariae praestandas petierit, de quibus supra p. 362 [1] etc. *Gothein* asserit litteras illas ducis 6. Aprilis 1548 datas esse (l. c. p. 691. 794).

35.

Inter Ianuarium et Iunium 1549.

Ex „*Monumentis* historicis Societatis Iesu", Vita Ignatii etc. I, 372, adnot. 1; p. 364, adnot. 1.

„Polancus . . . Hieronymo Natali [collegii messanensis rectori], de lectoribus Universitatis Messanensis, de alio, qui Canisio substituatur, quaerendo, 5 Januarii [1549]; . . . idem eidem, de duobus Pontificis jussu in Germaniam mittendis, 23 Februarii [1549]; . . . idem eidem, de Canisio Romam remittendo, 20 Martii [1549]; Cardinalis Farnesius Ioanni de Vega [proregi Siciliae], de Canisio, medio Martio [1549]; idem de eodem juratis et civitati Messanensi, eodem mense; Polancus, ex commissione [S. Ignatii], de iisdem Hieronymo Domenech [S. J.], 20 Martii [1549]."

„Polancus, ex commissione, Natalem reprehendit quod Canisium secum retinere voluerit, et poenam, quam Ignatius injunxit, declarat, 11 Maii [1549]; idem eidem, ut statim Canisium Romam mittat, 18 Maii [1549]; idem eidem, de felici Canisii adventu Romam, 22 Iunii [1549]."

36.

24. Iulii 1549.

Ex epistula archetypa, a Farnesio ipso subscripta. Loco supra n. 32 scripto.

Cardinalis Farnesius Roma 24. Iulii 1549 Guilielmo IV. duci: Pontifici admodum placere, quod dux „tam saepe, et tam accurate Theologos ad se mitti efflagitet". Huius igitur mandato una cum P. Claudio Iaio „duo alij viri, et sacrarum literarum intelligentia, et uitae probitate spectati" ad ducem destinati sunt. „Eorum alter e Sicilia hactenus expectandus fuit." „Sed cum ille iam aduenerit, simul ac se calor, qui nunc uehementissimus est, fregerit", tres illi in Bavariam se conferent.

37.

Augusto vel Septembri 1549.

Ex *Genelli*, Ignatius p. 493—495. Integra epistula est etiam in „Cartas de *San Ignacio*" II, 417—419. 191—193.

S. Ignatius Guilielmo IV. Roma mense Augusto vel Septembri[1] *a. 1549:*

Iussu Pauli III. „cum hac epistola" venire duos theologiae magistros pro academia Ingolstadiensi promissos, Alphonsum Salmeronem et Petrum Canisium. Ambos „cum vitae integritate tum sacrarum litterarum peritia atque omni christiano homine digna eruditione" excellere. Mitti etiam ad tempus Claudium Iaium. „Hoc quidem fratrum collegium omnia studia, omnes curas vigiliasque suas in id unum conferet, ut depravatos horum temporum mores emendet, et cum vitae exemplis tum animarum expiationibus, tum vero eo litterarum ac doctrinae genere, quod pura sinceraque fide et sacrosanctis Iesu Christi praeceptis nititur, a pernitiosis voluptatum illecebris ad bene beateque vivendi rationem, a carne ad spiritum, a mundo ad Deum hominum mentes avocet." Ducem optime meriturum, si per eos „seminarium" quoddam evangelicorum „operariorum" instituat. Quae ut duci „praecipuae curae sint", „maiorem in modum" rogare summum pontificem, „cui gratissimum et optatissimum futurum est intelligere, fratres hos tres, doctissimos ac probissimos viros ab E. V. humanissime ac benignissime fuisse tractatos".

[1] In apographo, ex quo epistula haec a Genellio transcripta est, solus annus adnotatur. Canisius iam ante 19 Septembris Roma Bononiam venerat, et 4. Octobris cum Iaio et Salmerone ibidem doctor theologiae creatus est. V. supra p. 685. 686.

38.

Octobri 1549.

Ex *Boero,* Salmerone p. 33—34; qui Salmeronis epistulam integram ex archetypo primus typis exscripsit.

P. Alphonsus Salmeron S. Ignatio Tridento 15. Octobris 1549 [1]*:*

. . . Nel termine di cinque giorni siamo arrivati quì a Trento sani e salvi. Ci siamo trattenuti tre giorni, sì per far riposare i cavalli che erano stanchi, sì per visitare questi reverendissimi vescovi [2], come pure perchè le strade erano ingombrate da molta gente . . . . Oggi però continueremo il nostro viaggio. Questi vescovi spagnuoli ci hanno accolto con amore e benevolenza, e si sono rallegrati della nostra gita in Germania [3]. . . .

39.

Ab ineunte Octobri usque ad exeuntem Novembrem 1549.

Ex „Svmmario de rebvs Collegij Jngolstadiensis dedicati Societati nominis Jesv Dominj nostrj", anno 1563 vel prius in collegio eodem conscripto. Huius summarii prima pars, quae collegii ingolstadiensis prima semina tractat (ab a. 1548 usque ad mensem Oct. a. 1555) ex apographo recente primum edita est a *Ch.-H. Verdière* S. J., Histoire de l'Université d'Ingolstadt I (Paris 1887), 444—451. Nos archetypum sequimur, quod est in cod. „Antiqu. Ingolst." f. 1—12.

In adnotationibus nonnulla ex Polanco, Orlandino, Sacchino etc. subiunguntur, quae ostendunt scriptoribus illis fontes praesto fuisse, qui nunc latent aut non supersunt [4].

. . . . Ex Bononia uero praedicti Theologi et Doctores tres [5], iter Augustam, inde Monachium et Jngolstadium ingressi sunt 8. die oct. Anno domini M.D.XLIX. salutatis porro Dilingae Cardinale Augustano [6],

---

[1] Quae sequuntur, omnes (quos equidem novi) Canisii biographos fugerunt, atque ipsi etiam Boero, cum Canisii vitam scriberet, ignota fuisse videntur; cf. *Boero,* Canisio p. 66—67.

[2] Hi ex tempore, quo Tridenti concilium habebatur oecumenicum, ibi remanserant.

[3] Etiam ab ipso episcopo tridentino, Christophoro cardinali Madrutio, humanissime excepti sunt (*Polancus* l. c. I, 413).

[4] *Fr. de Löher,* qui archivo regni bavarici diu praefuit, confessus est: quam plurima quidem in eo archivo exstare acta „Iesuitica", atque imprimis archivi provinciae Germaniae superioris partem maximam; neque tamen fieri posse, ut ex actis illis conficeretur tale opus, quale Patres Agricola, Flotto, Kropf perfecissent, historiam eius provinciae quinque voluminibus exponentes: „Ueber handschriftliche Annalen und Berichte der Jesuiten" in „Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Klasse der k. b. Academie der Wissenschaften zu München, Jahrgang 1874, II (München 1874), 155—184.

[5] Salmeron, Iaius, Canisius.

[6] „Dilingae Cardinalis Augustanus etiam cum lacrymis animi sui affectum erga nostros ostendit. Curaverat ille praeter Petrum de Soto . . . et Doctorem Martinum de Olave . . ., qui suam operam ei navabant, aliquem ex nostra Societate a P. Ignatio, et nominatim P. Canisium, obtinere, et litteris enixe admodum id contendebat, ut Collegio, quod Dilingae instituebat ad scholasticos, qui ministri Ecclesiae postea futuri essent, in litteris et pietate informandos, ille praeesset. Nondum enim de erigendo Societatis Collegio . . . Cardinalis cogitaverat. Quamvis tamen ex tribus nullum retinere apud se posset, omnem eis humanitatem exhibuit, et eos Duci Bavariae Guilielmo officiose commendavit": *Polancus* (l. c. I, 413). Harum rerum

et Monachij Principe Guilielmo[1] Ingolstadium peruenerunt .XIII. nouembris, comitante D. Swickero ducali secretario eodemque die in Hospitio Schoberi[2] coenarunt cum illis totius Gymnasij Professores[3] Rectore tunc D. D. Francisco Zoanetto, oratore autem Parocho et Theologiae Baccaulario [*sic*] Georgio Theandro[4], qui Gymnasij nomine orationem ad illos gratulatoriam habuit: cui mox P. Canisius alijs praesentibus pro se suisque collegis duobus respondit gratias agens pro hac amica gratulatione et tractatione[5]. Jamque idem P. Canisius

summam, ex Polanco (ni fallor) haustam, proponunt etiam *Orlandinus* l. c. l. 9, n. 52. et *Sacchinus*, Can. p. 49. Cf. etiam *Agricolam* l. c. tom. I, Dec. 1, n. 160.

[1] Dux „nostros Monachii summa charitatis et benignitatis significatione excepit, et amplexus est, ac suo primo Cancellario, Doctori Ecchio, ne quid ipsis deesset, sollicite commendavit": *Polancus* (l. c.).

[2] Etiam nunc Ingolstadii taberna quaedam exstat, in quam Canisius devertisse fertur.

[3] „Duodecima ergo die Novembris Monachio profecti, duobus itineris ducibus adjunctis, Ingolstadium sequenti die pervenerunt, et magno cum honore ab Universitate (cui Dux Bavariae nostros serio commendaverat) excepti sunt. Universitatis Cancellarius et idem Sacrae Scripturae lector, et Episcopus, ac omnes doctores et professores eodem die quo nostri eo pervenerunt, ad diversorium, eos salutandi gratia, venerunt, et unus eorum congratulatoriam apud eos orationem habuit, qua gratias agebat Deo et Summo Pontifici ac Duci suo quod nostros ad suam Academiam venire curavissent, fuisse magno cum desiderio nostrorum adventum ab eis exspectatum, et omnia se prospera optare, et alia hujusmodi. Patres autem nostri seniores curam respondendi Patri Petro Canisio dederunt; qui, quamvis extemporanea, eleganti tamen oratione eis respondit, nostrorum operam et diligentiam ad Universitatis bonum promovendum offerens": *Polancus* (l. c. I, 414). Peccat autem Polancus in eo, quod professorem illum sacrae Scripturae, quem et episcopum fuisse asserit (idem paulo post clarius dicit his verbis: „Primam [lectionem] ex evangelio Cancellarius et Episcopus erat praelecturus"), cancellarium quoque universitatis fuisse affirmat; hoc enim munus proprium erat episcoporum eystettensium, qui romani imperii principes erant neque in universitate docebant. Tunc autem Ingolstadii Balthasar Fannemann O. Pr., episcopus misiensis i. p., qui suffraganeus hildesiensis fuerat, cathedram theologicam et munus vicecancellarii administrabat; cf. *Mederer* l. c. p. 219—220. Mauritium quoque de Hutten, episcopum eystettensem, Ingolstadii tunc fuisse et ad Socios salutandos in hospitium processisse affirmant *Sacchinus, Orlandinus, Raderus* (Bavaria pia p. 124, nequaquam autem in Vita Canisii multo ante edita), *Agricola, Boero, Prat, Séguin, Verdière.* At falso id quidem; nam et auctor „Summarii" nostri et Polancus, qui testes sunt antiquissimi, episcopi eystettensis nullam faciunt mentionem; cuius nomen etiam *Mederer* et *Riess* merito omittunt. Error ex eo ortus est, quod munera cancellarii et vicecancellarii confusa sunt.

[4] Georgius Gotzmann vel Gottsmann († 1570), vulgo Theander, a. 1548 parochiae B. Mariae Virginis praefectus est, a. 1553 vicecancellarii munus suscepit, a. 1554 doctor et professor theologiae constitutus est, cum antea philosophiam tradidisset (*Agricola* l. c. Dec. 1, n. 163. 164. *Mederer* l. c. p. 208. 212 etc.). Scripta eius recenset *Prantl* l. c. II, 491; qui falso asserit Theandrum iam anno 1549, cum Canisium salutaret, procancellarium fuisse (l. c. I, 222).

[5] „Die sequenti nostros ad praecipuum Universitatis Collegium (quod vetus vocant) conduxerunt et singulis percommodam habitationem assignarunt supellectilibus et libris ac rebus omnibus necessariis instructissimam": *Polancus* (l. c. I, 414). Collegium vetus sub eodem quo publicae universitatis scholae tecto erat. Ex novo

et deinde P. Alphonsus, post orationes siue praefationes suas magna cum laude recitatas, inchoarunt lectiones suas, Ille Magistri sententiarum quartum tractans, hic Paulum ad Romanos explicans. . . .

40.

Mense Novembri vel Decembri 1549.

Ex *Polanci* Chronico I, 415. Cf. etiam *Canisii* litteras 28. Maii 1550 datas, supra p. 316.

Eadem habent: *Orlandinus* l. c. l. 9, n. 54; *Raderus,* Bavaria pia p. 124 (ex Orlandino); *Agricola* l. c. Dec. 1, n. 167; *Imago* primi saeculi p. 670 (ex Radero); *Christ. Gomez* S. J., Elogia Societatis Iesu (Antverpiae 1677) p. 380 (ex „Imagine"); recentes.

Academia ingolstadiensis paulo post Sociorum adventum „his verbis judicium suum . . . . explicavit" [quod typis quoque exscriptum [1] *et valvis affixum est* [2]*]:*

„Nuper quantam laetitiam ceperimus omnes ex adventu trium theologorum, scilicet, Doctorum[a] Claudii Jaii, Alphonsi Salmeronis, ac[b] Petri Canisii, vix dici potest; quorum praesentia non solum famam de ipsis excitatam non minuit, sed auget[c]; quorum singularis in sacrosanctis studiis scientia, tum in omnibus disciplinis exercitatio, postremo sanctimonia vitae exspectationem omnium[d] non solum aequat, sed superat[e]."

41.

Sub initium Decembris 1549.

Ex *Boero,* Iaio p. 163; qui integram epistulam ponit et ex archetypo („lettera originale" [3]; italice scripta ?) transcriptam esse affirmat.

P. Claudius Iaius S. Ignatio Eystadio 2. Decembris 1549 de Societatis initiis ingolstadiensibus haec, inter alia, scribit [4]*:*

. . . . „Alli 26 di novembre . . . Maestro Pietro Canisio diede principio alle sue lezioni . . ., e fece una bella, elegante, e dotta orazione in lode della sacra teologia esortando gli uditori allo studio di essa. Ebbe un bello e attento uditorio, e per quanto ho inteso, satisfece molto bene. Alli 29 . . . partimmo di Ingolstad per venire ad Eychstadt per baciare la mano a monsignor reverendissimo vescovo [5], che ci aveva mandato un carro a questo effetto. Sua Signoria reverendissima ci ha fatto grande accoglienza, e mostra grande allegrezza della nostra venuta. Vuole che stiamo quì con esso fino a Venerdì [6]." . . .

[a] scilicet, Doctorum *om. Orl. Rad.* [b] et *Orl. Rad. etc.*
[c] verum etiam auget *Orl.;* sed etiam *Rad.*
[d] omnium eamque maximam *Orl. Rad. Agr.*
[e] verum etiam superat *Orl. Rad. Agr.*

autem collegio sive seminario georgiano bis cotidie cibos iis missos esse refert *Agricola* l. c. n. 165. 166. Cf. etiam *Mederer* l. c. p. 214.

[1] Typis illud esse exscriptum Canisius ipse testatur (supra p. 316).

[2] Valvis illud affixum esse Agricola addit, idque facile credi potest; maiusculis autem typis atque inscriptionis instar descriptum esse videtur. [3] Cf. supra p. 328[a].

[4] Ea, quae sequuntur, omnes Canisii biographi tacuerunt vel falso rettulerunt.

[5] Mauritium de Hutten dicit, universitatis ingolstadiensis cancellarium; Ingolstadium etiamnunc ad dioecesim eystettensem pertinet.

[6] Proxima feria sexta eo anno in 6. Decembris incidebat.

b) Scholae Ingolstadii habitae et bonae vitae exempla praebita.

1549—1552.

42.

1550.

Ex cod. „Scripta B. P. Canisii X. B.“ f. 1ª.

Canisius, cum anno 1550 Ingolstadii materias theologicas alphabetico ordine ad usus academicos et homileticos in codice quodam colligere inciperet, his verbis exorsus est, quae sua manu nitidissime scripsit:

IESVS CHRISTVS α et ω, principium et finis[1], filius Dei et hominis[2], Saluator mundi[3], Rex coeli et terrae[4], primogenitus omnium creaturarum[5], Dominus dominantium, Rex Regum[6], Deus deorum[7], Princeps pacis[8], Mediator Dei et hominum[9], Caput Ecclesiae[10], Corona Sanctorum omnium[11], Agnus Dei[12], Pastor bonus[13], Propitiatio pro peccatis[14], Summus Pontifex[15], Fons sapientiae[16], Propheta magnus[17] ac potens in opere et sermone[18], Mors mortis[19], Domitor inferni[20], Victor Sathanae[21], Antiquator Iudaismi, destructor Ethnicismi, Interfector Antichristi, Iudex viuorum et mortuorum[22], Speciosus forma prae filijs hominum[23], in cuius vultum desiderant angeli prospicere[24], Via, veritas et vita[25], Iustitia[26], Redemptio[27], Resurrectio[28], Consolatio[29], gaudium et voluptas nostra[30], Legifer noster[31], doctor noster[32], Refrigerium animarum nostrarum[33], Sanctus Sanctorum[34], Diuus Diuorum, Doctor Doctorum, Secundus Adam[35], Lapis angularis[36], Supremus apex sacri aedifitij, Cardo virtutum, pulchritudo rerum, Reparator salutis aeternae[37], Monarcha visibilium et inuisibilium[38], quem adorant angeli[39], tremunt Diaboli[40], praedicant sancti, horrent impij, Lex confitetur[41], Prophetae nuntiant[42], Apostoli

[1] Apoc. 1, 8; 21, 6; 22, 13. [2] Matth. 16, 16; 8, 20 et saepe.
[3] Io. 4, 42. 1 Io. 4, 14. [4] Act. 17, 24. Phil. 2, 9—11. [5] Col. 1, 15.
[6] Apoc. 19, 16. 1 Tim. 6, 15. [7] Ps. 49, 1. [8] Is. 9, 6.
[9] 1 Tim. 2, 5. [10] Eph. 1, 22; 5, 23. Col. 1, 18. [11] Cf. Apoc. 4, 4. 10.
[12] Io. 1, 29. 36. [13] Io. 10, 11. 14. [14] 1 Io. 2, 2; 4, 10.
[15] Hebr. 4, 14 et saepe. [16] Bar. 3, 12. Cf. Col. 2, 3; 1 Cor. 1, 30.
[17] Luc. 7, 16. [18] Luc. 24, 19. [19] Os. 13, 14. Cf. 1 Cor. 15, 54—57.
[20] Cf. Os. 13, 14; Apoc. 1, 18; Phil. 2, 9—11.
[21] Cf. Io. 12, 31; Hebr. 2, 14; 1 Io. 3, 8 etc. [22] Act. 10, 42.
[23] Ps. 44, 3. [24] 1 Petr. 1, 12. [25] Io. 14, 6. [26] 1 Cor. 1, 30.
[27] 1 Cor. 1, 30. [28] Io. 11, 25. [29] Cf. 2 Thess. 2, 15; Phil. 2, 1.
[30] Cf. Hab. 3, 18; Io. 15, 11 etc. [31] Is. 33, 22. [32] Ioel 2, 23.
[33] Ier. 6, 16. Cf. Matth. 11, 29. [34] Dan. 9, 24.
[35] Cf. 1 Cor. 15, 47; Rom. 5, 11—21. [36] Is. 28, 16. Eph. 2, 20. 1 Petr. 2, 6.
[37] Cf. Hebr. 5, 9. [38] Cf. Col. 1, 16. [39] Ps. 96, 7. Hebr. 1, 6.
[40] Cf. Matth. 8, 28. 29 etc. [41] Cf. Col. 2, 17; Hebr. 10, 1 etc.
[42] Cf. Matth. 17, 1—6 etc.

demonstrant, Euangelia describunt, miracula comprobant[1], Martyres clamant, Virgines docent, Philosophi profitentur, Reges agnoscunt, Mundus veneratur, Coelum ac terra testatur[2]. Qui seipsum quidem redimendis omnibus impendit[3], vultque saluos nos in vniuersum fieri[4]: sed qui etiam in reuelatione iusti iuditij[5] sui reddet vnicuique secundum opera eius[6]: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: ijs autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, iram et indignationem[a]. Rom. 2[7]. Ei autem qui potens est nos conseruare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriae suae; immaculatos in exultatione, SOLI DEO SALVATORI NOSTRO gloria et magnificentia, imperium et potestas et nunc et in omnia saecula. AMEN[8]. 1550. †

Hac Iesu Christi laudatione Canisius magisterium illud exorsus est et quasi consecravit, quo per quadraginta fere annos in scholis et templis Germaniae et Helvetiae functurus erat. Hoc autem loco haec ponuntur, quia complures eius temporis Lutherani criminati sunt Canisium Christi ignarum vel adversarium esse. Ita Ioannes Wigand: „Er kennet Christum nicht; das ist gewisslich war.“ [9] Flacius Illyricus in libello contra catechismum Canisii edito: „Plenam perfectamque abolitionem passionis, sanguinis, expiationis ac iustitiae Christi potest ac debet Christianus lector papistis, ut communem eorum religionem ac consensum obicere.“ [10] Ac Canisium eiusque socios saepe „Iesuwider“ sive inimicos Iesu appellabant.

43.

27. Februarii 1550.

Ex epistula archetypa, a Guilielmo ipso subscripta.

Guilielmus IV. Bavariae dux Marcello cardinali Crescentio (Crescenzi) Monachio 27. Februarii 1550:

. . . . . „Tres nuper theologos societatis Ihesu Christi, uiros et doctrina, et uitae integritate probatos Sanctissimus Dominus N. Paulus tertius piae memoriae Pont: opt: maximus ad nos, vt in Jngolstadiensi [*sic*] Ciuitatis nostrae Schola theologiam profiterentur, destinauit: Hi postquam apud nos applicuerunt, non solum nobis satisfecerunt, immo longe omnium expectationem uicerunt: Inde plurimum confidimus

---

[a] *Canisius scripserat:* indignatio. *Quod postea aut ipse aut alius correxit.*

---

[1] Cf. Io. 3, 2 etc. [2] Cf. Matth. 27, 45. 51 etc. [3] Cf. 1 Tim. 2, 6. [4] Cf. 1 Tim. 2, 4. [5] Rom. 2, 5. [6] Matth. 16, 27. Rom. 2, 6. [7] Rom. 2, 7. 8. [8] Iudae 24. 25.

[9] Verlegung aus Gottes wordt, des Catechismi der Jhesuiten (Magdeburgi 1556) f. M 3 b.

[10] Ethnica Iesvitarum doctrina de duobus praecipuis christianae fidei articulis, nempe de expiatione remissioneque peccatorum: ac de iustificatione aut iustitia Christi etc. Sine loco. 1564. 12°.

ipsorum praecepta, doctrinam, optimorumque morum exempla in restituenda collapsa quasi in Germaniae plerisque prouintijs sacrosancta religione, hominumque animis pie informandis, et confirmandis, ualde salutaria fore: Quare etiamsi horum uere religiosorum ordo in Germaniam nondum penetrauerit," *sibi tamen deliberatum esse eorundem collegium, summi pontificis et cardinalis Crescentii ope, Ingolstadii condere, atque eius etiam rei gratia se Henricum secretarium suum ad Iulium III. et Crescentium misisse et eundem cardinalem rogare, ut Henricum sibi commendatum habeat*[1].

44.

5. Martii 1550.

Ex epistula archetypa, a Lipomano ipso subscripta. Florentiae in archivo regio (archivio regio di stato), cod. „Carte Cerviniane, XVII" f. 39. 40.

Socios in universitate ingolstadiensi valde parvum habere auditorium idque fere ineptum, ideoque inde revocandos esse, excepto summum Canisio.

Aloysius Lipomanus, episcopus veronensis et nuntius apostolicus, Marcello Cervino, „cardinali Sanctae Crucis", Romam scribit Dilinga 5. Martii 1550:

. . . . „Ho ueduto la Vniuersita de Jnghelstoc [*sic*] oue sono maestro Claudio, Don Alfonso[2], et maestro Pietro Canisio, li quali certo perdono il tempo, perche loro tre con uno Episcopo Domenicano[3] che leggono, non hanno XIIIj. scolari, de quali .X. non sanno lettere, et uanno ad udirli per che ui sono mandati. Dio perdoni a chi fu causa di leuare Don Alfonso da Verona doue faceua altro frutto che non fa in Engelstoch [*sic*], sepolto in una stuffa, non hauendo con chi parlare et conuersare, per non hauere la cognitione della lingua. Prometto a V. S. Reuerendissima che questi homini qui sono persi, et questa materia non e intesa. Senza la lengua Germana non si fa frutto, oltra che sono fuori della loro uocatione. Et pure quando se n' habbi a lasciare qualch' uno, basteria il Canisio, il quale puo leggere, predicare, confessare, et far ogn' altro bene per essere Todesco. Jo scriuo a S. Santita sia contenta farmi restituire maestro Alfonso, prego V. S. Jllustrissima si degni prestarmi in questo anchora il suo fauore, perche certo l' harra mille beneditioni dal mio populo, et sera di altra utilita che non e qui, Monsignor Reuerendissimo d' Augusta aspetta gli sia mandato maestro Claudio, et dicemi hauerlo ottenuto da S. Santita" . . . . .

[1] Quae Henricus Schweicker mandata habuerit, vide supra p. 324.
[2] Claudium Iaium et Alphonsum Salmeronem dicit.
[3] Balthasarem Fannemann dicit; vide supra p. 690[3].

45.

28. Martii 1550.

Ex apographo litterarum Agricolae, saeculo XVIII. (1730—1740, ut videtur) confecto, quod est Monachii in bibliotheca regia, cod. lat. 1623 (Annales Ingolstad. Facult. Theolog.) f. 48.

Iaium, Salmeronem, Canisium Ingolstadii retinendos esse. Eos in docendo doctore Ioanne Eccio non esse inferiores. Quid salarii iis praeberi possit.

Ioannes Agricola[1], *universitatis ingolstadiensis professor et „camerarius", epistula Ingolstadio 28. Martii 1550 Monachium missa Henricum Schweickerum, Alberti V. Bavariae ducis secretarium, rogat, ut litteras a duce ad Iaium, Salmeronem, Canisium dandas curet,* „damit sie zue Tail animirt, und in die lenge bey seiner fürstl: Gnaden universitet bleiben, dan sie etwas traurig und klainmittig sein worden ex morte illustriss: Principis et domini Eckij[2]. weren aber doch warlich wol bey der universitet zuerhalten, wo sie ihe nit wolten in die lenge hie verharren, das sie doch ain iar III oder IIII bliben. dan in solcher Zeit mochten etlich sovill profitiern, das sie nachmals Professores geben." *Guilielmum IV. ducem diu theologiae professores doctos quaesivisse eiusque rei gratia Parisios, Lovanium, ad alias universitates litteras misisse, nec voti compotem factum esse,* „bis das Bäptlich heiligkeit zu lezst das beste hat gethon welche seiner fürstlichen Gnaden universitet disse III. gelerten Doctores zuegeschikcht und verordnet hat, Dieweiln [?][a] sie fürwar treffliche Menner sein: und nit ybler lesen, wie die gelerten halten, dann doctor hanns Eck der allergelertist Theologus vor Zeiten gelesen hat, und mögen der universitet ain gros ansehen machen. andere gelerte theologi lesen nit gern, wollen lieber werchtäg und Pinguia beneficia haben, so [?][b] schwerlich zubekhomen in den lecturen." *Ac primo quidem anno tribus illis Sociis aliquanto plus salarii dari posse, quam Eccio eiusque socio datum sit,* „gewand und klaider halb, aber hinfiro achte ich, die III Doctores sollen nit yber 300 f.[3] gesten iärlich, welche vnkosten vnser gn. herr wol solte yber ain Theologum müessen gehn lassen,

[a] *Vocabulum obscure scriptum.* [b] *Obscure scriptum.* Wie?

[1] Ioannes Agricola (Ammonius, Peurle, Baürle), ex Gunzenhausen, Franconiae mediae pago, ortus, Ingolstadii a. 1515 graecarum litterarum, 1531 medicinae professor constitutus est, quam usque ad mortem († 6. Martii 1570) ibidem docuit. Diu etiam academiae camerarius sive procurator fuit. Medicus erat suo tempore celeberrimus. Naturae diligens erat observator et de re medica complura scripsit (*Mederer* l. c. I, 322—323. *Fr. Seitz,* „Agricola Iohann A." in „Biographisches Lexikon der hervorragenden Aerzte aller Zeiten und Völker", herausgegeben von Dr. *Aug. Hirsch,* I [Wien und Leipzig 1884], 70).

[2] Guilielmi IV. et Leonardi ab Eck, summi consiliarii eius; cf. supra p. 308[3].

[3] Florenos certe dicit rhenenses; universum igitur trium Sociorum salarium annuum (primo anno excepto) ex camerarii sententia esse debebat 520 fere marcarum vel 650 francorum.

der nit diser art were. dan sie wollen nimmer mit weniger begnüegt sein." *Iterum igitur camerarius Schweickerum rogat, ut parvam epistulam a duce ad tres illos Societatis theologos mox dandam curet; neque vero plura iisdem esse promittenda aut offerenda, quam quae usque ad id tempus acceperint.*

46.

1. Iunii 1550.

Ex commentario epistulae, quod est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I." f. 1 ante 1. et sq. non sign. In extrema commentarii pagina scriptum est: „Nihil", idque, ut videtur, eadem manu, qua commentarium ipsum scriptum est. Quod si praeterea confertur cum epistula Alberti V. 9. Iulii 1550 ad Iulium III. data (infra, monum. 47), cum Druffel dici oportebit priorem hanc Romam non esse missam.

Epistulam integram edidit *Druffel,* Briefe und Akten I, 443—445 [1].

Albertus V. Bavariae dux Iulio III. pontifici Monachio 1. Iunii 1550: Secretarium suum [Henricum Schweicker] paulo ante apud pontificem et cardinales quaedam pro academia ingolstadiensi „sollicitasse". Ex scholarum corruptione totius Germaniae miseriam exortam esse; ideo pro ingolstadiensi universitate Guilielmum IV. ducem tres ecclesiarum decumas a Paulo III. impetravisse. „Et ne necessarijs tantum sumptibus scholae prouideretur: Imo ut eadem etiam [a] doctissimis viris ornaretur: Supradictus Paulus Pont: Max: [b] . . . tres uiros societatis JHesu Christi summae eruditionis et probitatis . . . ad dictum oppidum nostrum Ingolstadiense [c] ablegauit. Qui quantum paruo hoc tempore (nondum enim elapsi sunt octo menses [d] quod applicuerunt [e]) emolumenti attulerint, quae doctrinae Christianae semina iecerint, quos fructus nascentes et indies emergentes iam videant, satis ego commendare non possum, et breui prouincia haec nostra cum summa gloria et laude testabitur." *Ea de re et de decumis illis Mauritium episcopum eystettensem et academiae cancellarium pontifici scripturum esse. Tres ergo illos theologos vel aliquem eorum pontifex ne avocet Ingolstadio neve avocari patiatur. Se „in ipso iam opere" esse, „vt eiusdem ordinis collegium erigatur", atque ad hanc rem Iulium duci suam „operam et confirmationem" promisisse.*

47.

9. Iulii 1550.

Ex commentario epistulae, quod est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I." f. 2 ante 1.

Ex eodem commentario integram epistulam typis exscripsit *Druffel*, Briefe und Akten I, 441—443. Eadem in „Cartas de *San Ignacio*" II, 532—533 exscripta est ex apographo, quod est in „Varia Historia" tom. I, f. 171; sed omissa est extrema pars commentarii monacensis, qua de decumis ecclesiarum agitur. In eadem „Historia" f. 179 est antiqua versio castellana huius epistulae.

Albertus V. Bavariae dux Iulio III. papae Monachio 9. Iulii 1550:

Paulum III. petente Guilielmo IV. Patres Iaium, Salmeronem, Canisium Ingolstadium misisse. „Hi excellenti eruditione et doctrina singulari prauis

[a] *om. Druff.* [b] *Druff. falso:* Paulus pontifex maximus optimus.
[c] Ingolstadiensem *Druff.* [d] *Duo verba sequentia in margine addita sunt.*
[e] *Druff. non recte:* applicuerant.

[1] *Gothein* (l. c. p. 696) falso affirmat has litteras 1. Iunii 1556 datas esse.

opinionibus conuellendis, optimorumque morum exemplis hominum animis ad ecclesiae catholicae preceptorum obseruantiam instituendis summam de se expectationem concitarunt, nec dubium est: quin abundantissimos[a] fructus nascentes modo et jndies crescentes maturantesque tota[b] haec prouincia ipsorum opera sit collectura. Ea[c] de causa a S. V.[d] humillime peto ne dictos tres Theologos vel eorum aliquem ex Academia Ingolstadiensi S. V. auocet... Accedit quod meditatum a parente meo collegium Theologicum[e] eiusdem ordinis iam iam ad[f] effectum deducere accinctus sum."

48.

A 16. Septembris usque ad 10. Octobris 1550.

Ex matricula universitatis ingolstadiensis („Matricvle Vniversit. .To. secvndvs", codex membraneus in 2°, cum foliis non signatis; in archivo universitatis monacensis, sign. D V. 3).

Anno 1550, rectore Erasmo Wolf, regente collegii georgiani, matriculae universitatis ingolstadiensis inter alios inscripti sunt:

Die 16. Septembris:

„Nicolaus Gaudanus[g] de societate Iesu, Theologiae doctor et professor ordinarius . . . . . O." [1]

Die 17. Septembris, proxime a Goudano, inscriptus est Societatis frater laicus, qui Canisii et Goudani res domesticas curabat:

„Ioannes Baptista Brancacius Neapolitanus . . . . O" [2]

Die 10. Octobris:

„Petrus Canisius Nouiomagus theologus et ordinarius professor . . . . O."

Ad nomen Goudani antiqua manu in margine matriculae adnotatum est: „primus Jesuita in hac Vniuersitate". Quod sic accipe: Goudanum omnium Sociorum primum matriculae inscriptum esse. Antea autem Socii hospitum loco habiti esse videntur. Nam et *Agricola* universitatis camerarius ad annum 1550 notavit[3]: „Item dedi Zabelhamero pro hospitibus[h] in Conuiuio theologico Ioannis ante Portam VI fl." [4]

---

[a] *In comm. correctum; scriptum erat:* copiosissimos.
[b] *In comm. correctum; prius scriptum erat:* jndies emergentes tota.
[c] Qua *Cartas.* [d] *Cart. om.:* a S. V.
[e] *Vocabulum in margine additum.* [f] ordinis iam ad *Cart.*
[g] *Sic; scribendum potius erat:* Goudanus. *Vide supra p. 213*[5].
[h] pro duobus hospitibus *scriptum fuit primitus; sed postea* duobus *erasum esse videtur.*

---

[1] Id est: pro inscriptione nihil solvit. Statuta universitatis ingolstadiensis a. 1522 renovata: „A Doctore, Licentiato, vel Magistro alterius Universitatis", cum matriculae inscribuntur, „nihil recipiatur" (*Mederer* l. c. IV, 196).

[2] Ab ipsis universitatis ingolstadiensis principiis pauperes pro inscriptione nil debebant solvere (*Prantl* l. c. I, 64—65).

[3] * „Codex Dati et Acceptj Facult. Theolog. ex Anno 1536" p. 38.

[4] Doctor *Ioannes Eccius* in libro quodam parochiae Marianae ingolstadiensis sua manu scripsit: „Theologj et fraternitas [theologica] S. Ioannis... Commemorationem animarum annuam agunt ipso die S. Ioannis ante portam latinam" [i. e. 6. Maii]

laius, Salmeron, Canisius „hospites“ hic dici videntur. Hoc quoque ante oculos habendum est: Nunc quidem academici ineunte anno vel semestri anni spatio matriculae inscribi debent vel solent; tunc autem Ingolstadii eae inscriptiones per totum annum quasi distributae erant, ita ut singulis fere hebdomadibus aliqui inscriberentur [1].

Neque mirari oportet Ioannem etiam Brancacci in album academicum relatum esse [2]. Illo enim tempore non solum typographi inscribebantur, sed etiam librorum compactores, impuberes, famuli. Ita v. g. in ipsam illam „secundam matriculam“ ingolstadiensem 2. Augusti 1547 una cum Ioanne Cochlaeo theologo doctissimo relatus est Michael Hermann schrobenhusanus, famulus eius; item 15. Ianuarii 1549 „Petrus Wolffart vom Hof librorum conglutinator inscriptus totius Senatus nostrj consensu.“ Quod eo animo fiebat, ut homines illi sub universitatis ius et iurisdictionem reciperentur et privilegiis academicis uti possent.

49.

18. Iulii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 186[a].

18. Iulii 1551 aliqui de universitate et de civibus „ad jnstantiam parcium“ convenerunt, ut Italum quendam cum aliquo ex magistris reconciliarent, qui in „conflictu atroci“ graviter ab illo in capite vulneratus erat; et „fuit facta Compositio“; „domini arbitratores siue amicabiles compositores fuerunt Petrus Canisius sacrae theologie. NIcolaus Euerhardus Phrisius [3], Johannes Baptista weber [4] vtriusque Juris, et Johannes Agricola [5] medicine Doctores et ordinarij Lectores Magister Johannes Lorichius poeta laureatus [6] et Sigismundus krantz et Sebastianus Stahel.“

c) Munus rectoris universitatis ingolstadiensis a Canisio obitum

18. Octobris 1550 — 24. Aprilis 1551.

Actis, quae proxime sequuntur, ea explicantur et illustrantur, quae Canisius sancto Ignatio scripsit Ingolstadio 2. Novembris 1550: Rectoris esse, debitores ad aes alienum solvendum cogere, querelas audire, ebrios comprehendere etc. Et 30. Aprilis 1551: Haereticorum libros notatos, scholasticos varie punitos esse.

50.

A mense Octobri 1550 usque ad Aprilem 1551.

Ex matricula secunda universitatis ingolstadiensis (v. supra p. 697), ad 18. Octobris 1550.

Canisius rector universitatis eligitur. Quot et qui iuvenes Canisio rectore matriculae inscripti sint.

ANNO A NATIVITATE CHRISTI SALVAtoris nostri M. D. L. Decimoquarto Calendarum mensis Nouembris quae dies erat Sancti

---

(*Cod.: „Pfarrbuech ab anno 1525: Von Hh: Doctor. Ekius beschriben“ f. 59[b]. Ingolstadii in archivo ecclesiae parochialis B. Mariae Virginis).

[1] *Prantl* l. c. I, 64. Idem olim in universitate coloniensi fiebat: *H. Keussen,* Die Matrikel der Universität Köln 1389 bis 1559. 1. Bd. 1. Hälfte (Bonn 1892), XVIII.

[2] V. de eo supra p. 313. [3] V. supra p. 339[1]. 353.

[4] Cf. supra p. 339[1]. [5] Cf. supra p. 695[1]. [6] Cf. supra p. 352[3].

Lucae Euangelistae sacra [1] ex [consensu] [a] totius Senatorij ordinis huius laudatissimi Ingolstadiensis Archigymnasij Electus fuit in Rectorem et moderatorem eximius et Clarissimus uir Dominus Petrus Canisius Nouiomagus sacre Theologiae Doctor et eiusdem Ordinarius Lector sub cuius laudabilj administratione Magistratus illius nomina infra scriptorum in Cathalogum studiosorum sunt relata . numero XCIIII. [b]

Sequuntur nomina, quorum primum est (die 20. Octobris inscriptum): „Petrus Scorichius, Magister artium Coloniensis studiosus Theologiae theatinus.“ [2]

Die 27. Octobris hi patricii augustani et artium studiosi inscripti sunt: „Christophorus Relinger, Hieronimus Welser, Emanuel Welser, Gulielmus Relinger“; qui singuli „1 florenum“ solverunt. Ceteros a Canisio in universitatem receptos nominatim recensere longum est; 94 iuvenes ab eo inscriptos esse refert *Valentinus Rotmarus* [3]. In eadem matricula legitur anno 1551, rectore Bartholomaeo Romuleo, Canisii successore, 182 inscriptos esse, et „studiosorum“ numerum excessisse 660, „quod sane aliorum sub regimine minime contigisse liquido constat“. Ex qua re conieceris sub Canisio rectore Ingolstadii circiter 550—600 studiis deditos fuisse.

„Statuta“ academica anno 1522 „renovata“ praescribebant, ut rector bis quotannis, 24. Aprilis et 18. Octobris, eligeretur ab academico senatu sive „consilio“, cui interesse debebant „Rector, Doctores, et Licentiati ordinarie in Theologia, Jure, et Medicina legentes, Decanus Facultatis Artium cum tribus Magistris gravioribus per eandem Facultatem ex Consilio suo eligendis“. Eligi autem non poterat religiosus vel regularis quisquam, sive, ut statuta loquuntur, „nullius Religionis factitie professus“ rector fieri poterat. Attamen Valentinus Rotmar universitatis ingolstadiensis historiographus anno 1580 testari potuit hac in re „dispensatum quandoque ab Academicis, et aliter institutum“ esse [4]. Quod anno 1550 Canisio contigit.

Ipsis electionis diebus mane in aede B. Mariae Virginis sacrum sollemne „de spiritu sancto“ coram universitate cantabatur [5].

„Electus“, habent statuta, „majori eligentium assensu offitium ipsum acceptare tenetur infra spatium unius diei sub sex aureorum pena.“

Rector iusiurandum dare [6] et „habitu quoque ab aliis secerni“ debebat, „capitii scilicet ab extra trium digitorum fimbria ornati delatione, quod ipse suis expensis in valore ad minus quinque florenorum sibi“ comparare debebat.

---

[a] *Hoc vel simile* (sententia, suffragiis) *supplendum est.*

[b] *Hic numerus manu posteriore (attamen et ipsa antiqua) scriptus est.*

---

[1] Festum S. Lucae 18. Octobris agitur. Labitur *Agricola* scribens Canisium „mense Aprili“ a. 1550 rectorem electum esse (Dec. 1, n. 181).

[2] De hoc cf. supra p. 277 [7]. 329 [3] etc. Societas Iesu initio saepe confundebatur sacro ordini „Clericorum regularium“, a Ioanne Petro Caraffa, archiepiscopo theatino (postea Paulo IV.) aliisque sanctis viris instituto; utraque enim religio sub idem tempus apparuerat nec magno discrimine vestium distinguebatur.

[3] Annales Ingolstadiensis Academiae (Ingolstadii 1580) f. 16 [b]; cf. etiam *Mederer* l. c. I, 214—215. A 24. Aprilis 1550 — 24. Aprilis 1551 inscripti sunt 234.

[4] *Mederer* l. c. I, XXVII—XXVIII. Cf. *Verdière* l. c. I, 243—244.

[5] Doctor *Ioannes Eccius* in libro parochiali: „Georgii . . . Hora sexta habetur officium de spiritu sancto pro vniuersitate, cum ministrantibus in viridj. Datur 1 fl. . . . Lucae . . . post primam missam hora quasj septima canitur missa vniuersitatis de sancto spiritu cum ministrantibus, prout Georgij“ (*„Pfarrbuech ab anno 1525“ [cf. supra p. 697 [4]] f. 36 [a]).

[6] Quod vide apud *Mederer* l. c. I, 187—188.

Quamquam Societatis Iesu homines ab anno 1549 usque ad ordinis suppressionem (a. 1773) fere continenter in academia ingolstadiensi docuerunt, nemo tamen eorum (quod equidem sciam), praeter Canisium, rector universitatis constitutus est.

51.

27. Novembris 1550.

Ex cod. monac. „Protocolla“ [1] f. 181[a]; Monachii, in archivo universitatis.

Canisius rector senatum habet academicum [2]. *Duos scholasticos propter delicta ab universitate relegat.*

Consilium vniuersitatis habitum vigesimoseptimo die Nouembris Anno Domini 1550.

Actum est de duobus scholasticis, qui denuo accusati erant „tanquam grassatores et Jnuasores hominum nocturno tempore cum post multa perpetrata mala et crebram admonitionem [a] non resipuerunt sed in atrotia perseuerarunt“, adeo ut vulnerarent „quendam scholarem clericum in chorea publica et loco publico vbi deberet maxime seruari pax nempe vffm tantzhauss“ [3], atque alter eorum „nunquam visitauit lectiones, et accedit vltimo ad grauamen eorundem Criminum quod in festo sancte katherine Martiris [4] Jnuaserunt armis quosdam nobiles et alios studentes absque omnj causa.“ „Eapropter totum consilium vniuersitatis duxit, et decreuit eos omnino relegandos [5] Et relegauit eos ad biennium reseruata tamen eis fama, et ita iudicati sunt et relegati Magistro ciuium et supremo Judicj Ciuitatis. Licet pro eis interuenerunt preces et supplicationes, tamen Domini non potuerunt inclinari sed steterunt Decreto.“ [6]

[a] admonitionem monitionem *cod.*

[1] Haec „protocolla“ non esse conscripta a Canisio ipso ex sermonis barbarismo intellegitur; a notario universitatis scripta esse videntur.

[2] „Habeat autem Universitas Consilium, . . . penes quod sit omnimoda potestas ordinandi, statuendi, decernendi et exequendi omnia et singula . . ., que ad hujusmodi Collegiorum Consilia pertinent.“ Rector tantum „ardua . . . et magna ad Patres referat. . . Decernat autem Rector id, quod a majori parte Consilii percepit decernendum, aut si paria vota concurrerint, in quam partem declinandum decreverit, ea potior habeatur“: Statuta anno 1522 reformata, de consilio universitatis (*Mederer* l. c. IV, 185—186). Senatores quinam fuerint, v. supra p. 699.

[3] Domum dicit, in quam homines saltandi causa veniunt.

[4] 25. Novembris. S. Catharina virgo et martyr alexandrina facultatis artium patrona erat (*Mederer* l. c. I, xxxii).

[5] Scholasticis annis 1523, 1526, 1528 rursus interdictum erat, ne saltatum irent neve arma tractarent (*Prantl* l. c. I, 216).

[6] Infra (monum. 56) videbimus eos tandem patronorum precibus concessos esse.

52.

4. Decembris 1550.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 181[a].

„Consilium habitum quarta die mensis Decembris Anno 1550.“

Doctores Nicolaus Everhardus, Ioannes Baptista Weber, Ioannes Agricola referunt, parochos ingolstadienses a civibus incusari; parochorum alter se excusat [1].

Georgius de „Gumpenberg“ vectigal 23 florenorum, quod universitati quotannis solvere debet, redimere vult pretio in oppido suo persolvendo; decernitur, Ingolstadii illud persolvendum esse.

53.

11. Decembris 1550.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 181[b]—183[a].

Senatus academicus. Professores aliqui in gratiam reconciliantur. Universitas Lutheranismi insimulata quomodo se defendere debeat. De salario quodam, Lutheranorum libris repellendis, logicae professore et parocho constituendis.

Consilium vniuersitatis habitum vndecimo die mensis Decembris nunc currentis anni millesimi quingentesimj [quinquagesimi]. Oblata est „supplicatio in causa Jniuriarum“. Abbas enim quidam Ingolstadium ad aliquem ex medicinae professoribus, a quo curatus erat, porcum misit; qui tamen „casualiter“ in domum alterius medicinae professoris ductus est. Ideo in consilio universitatis prior alteri dixit, „quod sibi detinuerit porcum dolose“, et hic ei respondit, „quod mentiretur per Collum“, atque ita inter se rixati sunt. „Domini perpendendo negotium [decreuerunt][a], quod huiusmodi rixe non sint sustinende sed e medio tollende quia sint ambo de consilio, et ex eorum allegatione comprehenderunt quod non processerunt huiusmodi Jniurie ex Jniuriandj animo, sed pocius[b] ex calore Jracundie et furore, et detentione porcj, Jta domni decernendo sustulerunt inter ipsos huiusmodi Jniuriam putantes quemlibet ipsorum alterum lesisse, Jdeoque compensauerunt huiusmodi Jniuriam inter ipsos absque vnius cuiusque ipsorum praeiuditio et lesione fame mandantes eisdem sub pena viginti florenorum districte ne vnus alterum de cetero Jniuria afficiat siue molestet quod ambo stipulata manu in manus Rectoris[2] promiserunt non attento quomodo conueniant inter se super porco.“

Sequuntur acta et decreta in causa civili, quae agitabatur inter

---

[a] *Hoc vel simile* (iudicauerunt?) *supplendum esse res ipsa patefacit.*
[b] *Haec duo vocabula in codice iterantur.*

---

[1] Uterque parochus professor in universitate erat. Cum qua cives haud ita raro aliquid contentionis habebant.
[2] Petri Canisii.

Doctorem Hieronymum Leucht et eius generum Lucam Müller, civem ingolstadiensem.

„Per istud Consilium tractatum fuit vt Notarius procuraret apud Magistrum Ciuium et supremum Judicem Ciuitatis vt Relegatj [1] amplius in Ciuitate non paterentur." [2]

„Insuper etiam literae ad domnum Stockhamerum [3] mittende sunt eidem jndicando quo modo vniuersitas diffamata sit de Lutheranissmo quae tamen false diffamata [sit] consulendo eundem quomodo debeat se apud sedis Apostolice nunctium [4] [*sic*] et apud alios potentatos [a] excusare."

„Jnsuper etiam de Authoris grammatice Salario constituendo consulitur vt et pariter reuideatur." [5]

„Tipographus [6] informetur quos libros in grammatica et alijs scientijs ex franckfordia [7] [aduehere debeat] [b] vt Lutheranorum [libri] hic amplius non legantur." [8]

„Jtem vt Magister petrus schorickius [9] praelegat Aristotelis Logicam."

„Et precipue in isto Consilio decrete fuerunt literae ad Jllustrissimum Principem, pro domino Regente [10] ad nanciscendam ecclesiam parrochialem [c] Sancti Mauricij hic Jngolstadij et literae doctoris Stockhameri illius in destinatione incluse [?] [d] et misse fuerunt absente Principe ad Consiliarios Camere Ducalis." [11]

---

[a] potentatus *Prot.*

[b] *Hoc vel aliquid eiusdem sententiae supplendum esse Canisii epistulae patefaciunt; vide supra p. 345. 363.* [c] ecclesiam parrochialem ecclesiam *Prot.*

[d] *Hoc vocabulum et tria, quae antecedunt, obscurius scripta sunt.*

---

[1] Scholastici significantur, qui 27. Novembris ex academia relegati erant.

[2] Civitatis ingolstadiensis senatus 29. Decembris 1550 decrevit: „Ain student ist relegirt oder excludirt, derhalb soll der aus der stat gepotten vnd gefuerht werden" (*Cod. „Rats puech Anno .D. des funftzigisten Iars", ad a. 1550, „an heut Montag nach nativitas dominj". Ingolstadii, in archivo urbano).

[3] Georgius Stockhammer consiliarius Alberti V. ducis et curator universitatis erat.

[4] Sebastianus Pighinus, archiepiscopus sipontinus, a Iulio III. ad Carolum V. missus, Augustae Vindelicorum morabatur, ubi comitia imperii habebantur; haud procul igitur ab Ingolstadiensibus erat.

[5] Anno 1551 auctum est stipendium annuum Ioannis Lorichii, hadamarii, poetae laureati ac linguae graecae et artis dicendi professoris (*Prantl* l. c. I, 327). De eius grammatica latina v. supra p. 352 [3].

[6] Typographiam habebant Alexander et Samuel Weissenhorn, Alexandri senioris, a. 1549 mortui, filii (*Mederer* l. c. I, 214).

[7] Francofurtum ad Moenum significatur. Cf. supra p. 148 [8].

[8] Hoc ut decerneretur, Canisius et Goudanus potissimum effecerunt. V. supra p. 345. 363. [9] Fr. Petrus Schorich S. J.

[10] Erasmum Wolf, collegii georgiani regentem, dicit.

[11] Clemens VII. 6. Ianuarii 1524 ecclesiam parochialem S. Mauritii universitati adnexuerat et Bavariae principibus ius concesserat parochum „nominandi", qui a monasterio benedictino Altahae inferioris (Niederaltaich) episcopo „praesentaretur" (Litteras illas Clementis VII. vulgavit *Mederer* l. c. IV, 265—269).

54.

30. Decembris 1550.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 183.

Canisius senatum habet. De universitate in causa „Lutheranismi“ purganda. Casparo Bruschio munus docendi non esse tribuendum. De duobus beneficiis ecclesiasticis.

„Consilium habitum penultima Decembris Anno MDL.“

„Primo propositum fuit quomodo scriptum fuit domino et patrono nostro Stockhamero vt in causa Lutherana in qua vniuersitas Jncusata et diffamata esset consuleret vniuersitati quid in ea agendum. Jtem ad Rescriptum domnj Stockhameri de Bruschio poete [*sic*] quod multum sibi commendatus sit nomine[a] vniuersitatis rescribendum vt js nequaquam in lectorem recipiatur quia sit homo rixosus et semper fuit contra hanc Academiam.“ [1]

„De beneficio Schopperj presbiterj apud omnes sanctos in Cimiterio S. mauricij vt census illius percipiantur quemadmodum Cetaerorum benefitiorum sunt inuestiganda Registra apud quem possint reperirj quemadmodum Magister Wolfgangus Gothart[2] et Notarius missi sunt ad ea perquirendum.“

„De benefitio Domni Theandrj[3] quod habet apud sanctum Mauritium, [decretum est,] quod propter zelum Dei et populi clamorem vitandum[b] singulis hebdomadibus faciat legi vel legat vnam missam.“

55.

8. Ianuarii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 183b.

Senatus. De decumis ludi magistro debitis. Causa porci ab abbate dati dirimitur. Exclusus quidam iterum recipitur. Canisio scyphus datur.

„Consilium vniuersitatis habitum die Jouis octauo Januarij“ [1551]: Balthasar Fannemann vicecancellarius ad consiliarios de lite rettulit, quae de decumis agrorum quorundam intra parochiam S. Mauritii sitorum exigendis erat.

---

[a] *Sic vel simili modo resolvendum erit siglum obscurum, quod hoc codicis loco positum est.* [b] clamarem vitandam *Prot.*

---

[1] Caspar Brusch († 1559), ex Schlackenwald, Bohemiae oppido, ortus, poeta laureatus et historiarum episcopatuum et monasteriorum germanicorum scriptor, in carminibus, quae assidue fundebat, ecclesiam catholicam modo laudibus extollebat, modo petulanter incusabat. Nullo loco diu considebat. Pettendorfi tandem minister lutheranus factus est. Cf. de eo *Janssen* l. c. VII, 232—235. Monachii et Ingolstadii de Bruschio in cathedram academicam evehendo actum esse fugisse videtur eius biographum, *Adalb. Horawitz,* Caspar Bruschius (Prag und Wien 1874) p. 122 ad 127. [2] De hoc v. supra p. 352 [3].

[3] De Georgio Theandro v. supra p. 690 [4].

Idem de habitatione „Magistri Ludi literarij apud Sanctum Mauricium“ rettulit. Decretum est, ex pacto recente hanc ludi magistro illi ab eiusdem ecclesiae parocho subministrandam esse.

Professori cuidam medicinae mandatum est, ut intra octo dies collegae suo „satis faceret de porco“ illo ab abbate misso [1].

Placet, ut „cooperator“ [2] quidam per notarium [3] moneatur, ut debitori intra quattuordecim dies satisfaciat.

Deliberatum est, quibus cum condicionibus unus ex scholasticis, qui relegatus erat, „ad petitionem domni Doctoris Stochamer Patronj iterum debeat recipj nempe quod quottidie ad minus duas Lectiones compleret, Non portaret arma, septima esset in domo et maneret ibidem et non visitaret tabernas sub paena reincidendae exclusionis et hieme octaua semper sit et maneat in domo et non exeat domum.“

„Magister Lucas Guntzner dedit Rectori vnum Ciphum [a] argenteum pro pignore census monialium [4] vt expectet cum solutione ad festum S. michaelis futurum.“ [5]

56.

16. Ianuarii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 184.

Canisius senatum habet. De debitis poëtae cuiusdam „laureati“ et cuiusdam doctoris. Tres relegatos, proceribus deprecatoribus, iterum recipiendos esse; quae condiciones iis ferendae.

„Consilium vniuersitatis habitum die veneris 16 Januarij Anno 1551.“

Actum est cum creditoribus poëtae cuiusdam laureati paulo ante mortui.

„Jtem Casparus kuefer pannicida conquestus fuit de debito 1 floreni 53 dl [6] que debebantur a domno Christophoro Capffer Doctore pro panno sibi credito, allegabat Magistra doctrix Capfferin quod comparauit pro filia quod non recepisset Capfferin dotem a socro jdeoque non teneretur ad solutionem pro marito faciendam, et decreuerunt domini eam non teneri ad solutionem pro marito.

Jnsuper etiam decretum fuit de tribus relegatis [7] quod ad petitionem pro eis factam iterum reciperentur ad communionem et resti-

[a] *Sic; corrigendum dixeris* Sciphum *vel* scyphum.

[1] De hac re v. supra p. 701.

[2] Parochi vicarium vel capellanum communiter ita vocant.

[3] Ioannem Baptistam Lochner? (*Prantl* l. c. II, 188. 189).

[4] Ingolstadii tunc „ad S. Ioannem“ virgines sacrae ordinis S. Francisci degebant (*Mederer* l. c. I, XXIII).

[5] 8. Maii („apparitionis“) vel 29. Septembris („dedicationis“).

[6] 53 crucigeros (Kreuzer) significari puto; 60 cruc. = 1 florenus rhenanus.

[7] Duo ex his erant iidem, de quibus supra p. 700.

tuerentur vnionj vniuersitatis." Pro uno enim ex iis Mauritius de Hutten, episcopus eystettensis, intercesserat; pro altero doctor Georgius „Stockhomer", pro tertio „nobilis et validus vir, domnus Georgius de hasslanggereut", „praefectus" ingolstadiensis[1]. Recepti igitur iterum sunt, „istis tamen legibus et conditionibus quod quilibet det Chyrographum quod velit singulis diebus audire duas lectiones et semper finito mense ferat testimonium de auditis huiusmodi lectionibus et nullus eorum portabit arma, et de nocte non vagentur in plateis sed contineant se hyeme post octauam in domibus eorum et se honeste gerant alias debeant mox expellj iterum."

57.

26. Ianuarii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla" f. 184[b].

„Anno domini 1551 die vero 26 mensis Januarij habitum consilium vniuersitatis Jngolstadiensis."

Magistro cuidam de „noctiuagio et ebrietate" accusato impositum est, „vt abstineret a vino per Carnisbriuium[2], et non vindicando se de vigilibus et excubitoribus."

58.

28. Ianuarii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla" f. 184[b].

Canisius rector senatum habet. Scholastici puniuntur et sponsores quaerunt.

Ex tribus illis scholasticis, qui relegati primum, sed postea iterum recepti erant, duo „fidem datam ad octo dies non seruauerunt Sed in magnis delictis accusati fuerunt", unus per hospitem suum, „Steffanum kneissel sartorem", „quod eum noctu Jnuaserat atrociter", alter per alium quendam, „quod Jnuaserat vnum[a] cum pugione admodum attrociter intulissetque idem[b] magnum damnum, nisi interuenissent aliqui, illud malum auertendo. Et ita ambo confessi fuerunt quod fecerunt contra eorum fidem et promissionem. Decreuerunt Domni eis non esse confidendum et Mancipati [sunt] carceribus quousque darent fideiussores ne amplius velint contrauenire fidei date, Cum autem conquesti fuerunt quòd in carcere non possent Jnuenire fide-

[a] *Sic; sed verisimile est scribendum fuisse:* eum.
[b] *Corrigendum fortasse:* eidem.

[1] Praefectus („Pfleger") ille ducalis alias „Jörg von Haslang" vel „Haslinger" vocabatur (*Druffel,* Briefe und Akten I, 563. 578. *Prantl* l. c. II, 190).

[2] Hoc vocabulo (rectius „carnis priuium") dies Martis significari videtur, qui dominicam „in Quinquagesima" sequitur et diem „cinerum" proxime praecedit, ac fortasse etiam ipsa illa dominica et dies Lunae, qui eam sequitur sive, quae dicimus Saturnalia. Quae anno 1551 erant 8.—10. Februarii.

iussores, si dimitterentur ex carcere tunc statim velint jnuenire testes". dimissi sunt, atque unus sponsores nactus est; alter vero „propter perfidiam suam non potuit Jnuenire fideiussores Jdeoque oportuit eum tamquam relegatum abire et recedere."

59.

28. Ianuarii 1551.

Ex cod. „Rats puech Anno .D. des funftzigisten Iars", ad a. 1551. „Mitwoch nach conuersionis paulj". Ingolstadii in archivo urbano.

De scholasticis, qui Saturnalium tempore personam sibi aptare vel arma tenere velint.

Acta a senatu urbis ingolstadiensis 28. Ianuarii 1551:

„Ain rath hat zu ainem rath der vniuers. geschigkht etc. das verpotten werde das ain yeder der verputzt vnd vermumbt gen will der soll kain wer tragen, der aber gen will verputzt, der soll gen bej tag bis auf 6 vhr, welcher aber vnuermumbt get der meg ain zumbliche wer tragen, vnd ain rath well ob den Irigen halten das dj von der vniuer: ob den Irigen auch halten."

Senatores urbis iam 28. Decembris 1550 de cive quodam vel incola statuerunt: „Die weil der" „vnzucht last treiben jn seinem Haus, vnd studenten bej jm halt, soll Im vrlab geben werden." Ac 9. Februarii 1551 iisdem placuit: „Den wirten zusagen das sy den studenten an beuellich jrer eltern oder preceptorn nit mer porgen . dan man werde nit also schaffen [1].

60.

15. Februarii 1551.

Ex cod. „Matricvle Vniversit. .To. secvndvs", ad a. 1551 mens. Febr. Monachii in archivo academico.

15. Februarii 1551 matriculae universitatis inscriptus est „Andreas Vuolfrum Menptliensis artium studiosus pauper, hic cum esset pauper et grauiter infirmus dedit illi Rector j florenum ex pecunijs vniuersitatis."

61.

19. Februarii et 3. Martii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla" f. 185[a].

Canisius rector senatum habet. De aere alieno. Scholastici inter se reconciliantur.

In senatu 19. Februarii 1551 habito relatum est convenisse patri scholastici cuiusdam cum eiusdem creditoribus.

„Consilium habitum tertio die mensis Marcij Anno MDLj."

„Obtulit se altercatio" inter duos nobiles orta. Unus „conquestus fuit quod" alter „ferme ad noctem et ebrius euocasset ex domo sua

[1] * „Rats puech" ad a. 1550, „Montag nach nativitas dominj", et ad a. 1551, „Montag nach Herrn fastnacht".

et affecisset eum injuriosis verbis de quibus possit habere copiosius testimonium"; alter vero „dixit se prius et antea ab eo Jniuria esse lesum, nam mendacem vocasset et alijs plerisque Jniurijs affecisset eum et concitasset ad Jniuriam quod etiam docere vellet sufficienter petendo ex vtrisque partibus audirj testes. Domni interloquentes [dixerunt] non dum esse locum ad audiendum testes quia non fuit processum in causa vsque ad auditionem testium quia super actionem Jniuriarum oportet procedere in scriptis, sed hic nihil adhuc horum factum sit. Sed consuluerunt domni quod velint interponere partes suas et eos amicabiliter inter se componere et eam Jniuriam tollere absque vniuscuiusque lesione fame. Jdque annuentibus partibus compositj sunt absque lesione fame Et mandata illis pax sub grauissimis penis."

62.

13. Aprilis 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla" f. 185[a].

Senatus. Canisius nobilem quendam carceri mandat. Scholastici „bombardas" emittere vetantur.

„Consilium habitum 13 die mensis Aprilis Anno MDLj."

Actum est „de Bombardarijs qui de nocte in Dominica Misericordia Domini emiserunt Bombardas, et terruerunt homines, propterea inuestigatio fuit facta, verum cum principales Jnuenirj non potuerint propositum [*sic*] fuit Citatio sub pena exclusionis", atque in ea citatione nomen nobilis cuiusdam expressum est; qui „comparuit coram Rectore et confessus [est] facinus et ita seueriter punitus fuit carcere" [1].

„Decretum fuit deinde vt fieret mandatum vt decetero non sagitarent cum Bombardis nec interdiu nec nocte quemadmodum mandatum illud sepius publicatum fuit." [2]

Simile scholasticorum quorundam delictum aliquot hebdomadibus ante delatum erat ad Canisium. Die enim 23. Martii 1551 senatores urbis decreverunt: „Als an der palmnacht sambstag nacht etlich studenten pis nach mitnacht auf der gassen vnzucht [3] getriben vnd mit zwaien waidnern [4] vntter sich geworffen. sollen fragen wer sy sein vnd alsdan der vniuer. anzaigen." [5]

---

[1] Si quis haec cum iis, quae supra p. 355 posita sunt, contulerit, ante 15. Aprilis nec nobilem illum comparuisse neque haec in „Protocolla" a notario relata esse dicet.

[2] Hoc mandatum vide supra p. 354—355.

[3] Hoc vocabulum hic (ac fortasse etiam supra p. 706) non libidines significare videtur, sed insolentiam nimiamque licentiam. „Mittelhochdeutsch und Althochdeutsch die unzuht = zuchtwidriges Betragen. Gewaltthätigkeit, Übermuth, Verstoss gegen den Anstand": *Fr. L. K. Weigand,* Deutsches Wörterbuch (4. Aufl., Giessen 1882), p. 980.

[4] „Waidner" (Weidner) tum venatorem tum etiam cultrum venatorium (Hirschfänger) significat (*I. A. Schmeller*, Bayerisches Wörterbuch II [2. Aufl., München 1877], 853—854).

[5] *Cod. „Rats puech Anno .D. des funftzigisten Iars" ad a. 1551, „an guet Montag nach Palmarum". Ingolstadii in archivo urbano.

63.

11. Iulii 1552.

Ex cod. monac. „Protocolla" f. 194.

Senatus academicus poenis denuntiatis scholasticos admonet, ut litteras serio tractent, iisque interdicit, ne nimios convivas ad nuptias invitent neve officia divina perturbent [1].

Rector et Senatus inclyti Studij Ingolstadiensis.

Funesta illa et Tragica exempla horum temporum, quae summo cum dolore conspicimus, cogunt nos, vt iterum eos qui boni sunt et dicto audientes paterne admoneamus, aduersus alios qui praecepta saluberrima contemnunt et leges optimas maximo suo malo transgrediuntur seuerius aliquid statuamus: Toties iam antea et ad fastidium vsque uobis indicatum est, qua ratione vitare pericula possitis, et quid in studiorum vestrorum curriculo praestare debeatis, Sed surdis illa omnia et tantum surdis decantata esse apparet. Quapropter ob hoc postremo loco ab vniuerso senatu Academico conclusum et decretum est quod omnibus vobis notum esse volumus, quotquot hic degunt qui inter scholasticos numerari volunt, praecipimus et mandamus, vt officio suo et nomini satisfaciant, honeste viuant, audiant lectiones sibi conuenientes, vt professorum testimonijs luculentis se tueri possint, neue sic ociosi vagentur, aut pessimis rebus occupati grassentur, vt non pauci hactenus fuerunt [a], Vnde atrox et inauditum in hac schola facinus nuperrime est consecutum, Jnquiremus autem diligenter et omnium mores graui censura notabimus, quicunque non comprobarint et tales se ostenderint, quales studiosos esse decet, exterminare et quam primum cum turpi infamiae nota, relegare constituimus. Nec quisquam exemptum se arbitretur, quocunque loco et ordine constitutus, nemo ex nobilitate sua aut opibus patrocinium [b] speret, Summos et infimos eodem loco habebimus, et pari iure censebimus, Optabilius est enim et vtilius, paucissimos habere frugi ac honestos homines atque Gymnasij alumnos, quam ingentem sceleratorum hominum colluuiem. Hanc igitur sentinam in Academia nostra

[a] *Sic; sed fortasse legendum:* fecerunt. [b] parocinium *Prot.*

[1] Quamquam haec „reformatio" post Canisii et Goudani discessum promulgata est, aliqua ex parte a Canisio universitatis rectore facta est. Hic enim, cum id munus obiret, scripto, qui scholasticorum mores praecipue corrigendi essent, exposuerat scriptumque universitatis capitibus tradiderat (v. supra p. 345. 363). Ac quod in hac „reformatione" statuitur de scholasticis pigris per „litteras negligentiae" ad parentes deferendis, Canisius iam annis 1550 et 1551, cum universitatis rector esset, facere solebat (v. supra p. 364). Notandum etiam, quod in senatu 9. Septembris 1551 habito decretum est: „Pariter de Corrigendis abusibus vniuersitatis et quomodo emendandj sunt, hoc debet fieri cum bona deliberat. vt quilibet scribat propria vota et postea eligendj sunt aliqui domini ad corrigendum illos" (*Cod. „Protocolla" f. 187 [a]).

haerentem exhauriemus et veluti strumas a sano corpore resecabimus, cum leniori medicina nihil hactenus profectum sit, ad durissima remedia necessario nobis est deueniendum, Si quis ergo in hoc animaduertendi genere, acerbitatis aliquid, aut inclementiae voluerit reprehendere, Cogitet Reipub. causa, Iusticiae amore, et tranquillitatis communis causa susceptum esse, saepe est consultatum, et nunc propositum[a] re ipsa exequemur. Modum vero executionis praesentis Mandati adhibemus sic. Intra octiduum proximum, et singulis mensibus in futurum postea semper, singuli quatuor facultatum Decani in singulos suae facultatis scholares, negligentiae suspectos et sedulam facient inquisitionem, et prout res illorum se habere offenderit [?][b]. Rectori nostro protinus significabunt, Qui quidem rector pro sua vigilantia semel, vbi desidiae accusatos commonefecerit, neque[c] ad meliorem frugem, illos quam primum redire viderit, Ad parentes, vel si opus fuerit ad patriam illorum, Aut ad Collegium Canonicorum, si inde huc missi fuerint, literas eorum negligentiae suo et totius nostri senatus nomine dabit, Subinde relegationem a nostra schola vt dictum est poenae nomine rependet, Datae sub Secreto vniuersitatis nostrae, Die .11. Mensis Iulij . 1.5.52

Volumus pariter et studentes vxores ducentes, seu Matrimonium contrahentes, vt in solemnitatibus nuptiarum nuptijs ciuium se conforment, in inuitando non quatuor mensas excedant[1] nisi sint nobiles et excellentes personae et quibus a domino Rectore et Senatu, permittitur ex speciali gratia. Interdicimus etiam, illas obambulationes in ecclesijs sub officijs diuinis sub grauissimis poenis, qui [*sic*] coeteros pios homines et deuotos eorum strepitu et susurris interturbant[2].

d) Vicecancellarii dignitas a Canisio recusata eiusque munera[3] ad tempus ab eo suscepta.

A mense Iulio 1551 usque ad Martium 1552.

64.

13. Iulii 1551.

Ex cod. monac. „Protocolla“ f. 186[a].

Consilium vniuersitatis habitum in die S. Margarethe 13 die Julij Anno [1551] in quo tractatum fuit cum Clarissimo viro Domino Petro

---

[a] proponitur *Prot.* [b] *Sic; sed fortasse legendum:* ostenderit.
[c] neque neque *Prot.*

---

[1] Anno 1549 hac de re praescriptum erat: „Ne plures quam tribus quatuorve mensis solitis recipi possint, quique numerum 32 non excedant, invitentur“ (*Prantl* l. c. II, 186).
[2] Simile interdictum etiam anno 1549 promulgatum erat (*Prantl* l. c. II, 187).
[3] Cf. supra p. 373[3].

Canisio sacrae theologie Doctore de nouiomago vt acceptaret Vice Cancellariatum. Licet renuit et recusauit [quod] hoc non possit nisi de sententia superioris suj Rome Jgnacij sed conclusum fuit vt scriberetur Principi nostro Jllustrissimo vt intercederet apud superiorem vt permitteret eum fierj Cancellarium vniuersitatis.

65.

25. Iulii 1551.

Ex archetypo, quod apud nos est; Albertus dux nec scripsit nec subscripsit. Integra epistula est in „*Actis Sanctorum* Iulii" VII (Antverpiae 1731), 501, et in „Cartas de *San Ignacio*" II, 564—567.

Albertus V. Bavariae dux S. Ignatio Monachio 25. Iulii 1551: Vacantibus officio vicecancellarii universitatis ingolstadiensis et canonicatu eystettensi, quod cum eo officio coniungi solet [1], „vestri ordinis etiam Dilecto nobis Magistro Petro Cannisio [*sic*] confratrj: qui summa cum laude nec minori fructu sacras ibidem profitetur docetque literas, vtrumque offerri commisimus. . . . Verum excusationi [*sic*] suae rationes attulit obedientiam ac paupertatem." *Cum autem id officium honorem quidem habeat, non vero labores aut peculiaria emolumenta, dux Ignatium rogat, ut eiusdem suscipiendi Canisio potestatem faciat; idem a tota universitate vehementer optari. Ac cum Societatis collegium quam primum Ingolstadii constituendum sit, „alios duos vel tres viros doctos" sibi mittendos esse. Petere se itaque ab Ignatio, ut quamprimum scribat, quot et quales mittere possit; se viaticum iis suppeditaturum.*

66.

20. Septembris 1551.

Ex *Genelli*, Ignatius p. 249, adnot. 9; qui commentarium hoc vel summarium [2] descripsit ex codice „Traslados de cartas, que scrivió nuestro S. Padre Ignacio", tunc Romae in archivo domus professae S. J. asservato.

Idem commentarium (ex Genelli, ut videtur, desumptum) est in „Cartas de *San Ignacio*" II, 469. Cf. „*Monumenta* historica S. J.", Vita Ignatii etc. II, 261, adnot. 1.

S. Ignatius Alberto V. Roma 20. Septembris 1551 [3]*: Se duci assentiri non posse, ut Canisius vicecancellarius fiat. Cuius rei has esse rationes: 1. honorem officio illi adiunctum; 2. eius „prouentus et emolumenta temporalia"; 3. eius stabilitatem, qua Canisius academiae ingolstadiensi affigeretur. Ea omnia Societatis hominibus non convenire. Sacchinus, qui huius epistulae apographum vel commentarium vidisse omnino videtur, haec addit: „Id solum Duci largitus" est Ignatius, „vt (si qui forte*

[1] Vide supra p. 375 [2].

[2] Summarium quoddam hoc esse, non epistulam ipsam, tota scribendi ratio ostendit. Ignatium duci „longam expositionem" misisse asseritur in „*Monumentis* historicis", loco supra commemorato.

[3] Tempus commentario quidem ascriptum non est, sed ex „*Monumentis* historicis" l. c. cognoscitur.

casus vrgeret) ad tres, quatuorue menses, citra honorum insignia, et stipendia, Canisius eas partes suppleret." [1] *Ac Canisium reapse vicecancellarium egisse monumenta proxime secutura probabunt.*

67.

A Iulio ad Septembrem 1551.

Ex epistulis archetypis, quae sunt in cod. monac. „Ingolst. Un. — Sachen" f. 127—128. 133—134.

Epistulas integras edidit *Prantl* l. c. II, 236. 238—239.

Canisius ab Alberto V. Bavariae duce ad canonicatum ecclesiae cathedralis eystettensis praesentatur.

Cum capitulum ecclesiae cathedralis eystettensis 20. Septembris 1561 Ioanni Agricolae, universitatis ingolstadiensis camerario, scripsisset post doctores Ioannem Eccium († 1543) et Leonardum Marstaller († 1546) vicecancellarios neminem sibi praesentatum esse ad canonicatum cum eo munere coniunctum, Agricola Ingolstadio 30. Septembris 1561 Simoni Thaddaeo Eck, Bavariae ducis cancellario, scripsit: . . . „Die Iungen thombherrlen sein aller sach auch nit gar erfaren, sondern irren sich selber so sie schreiben allain Euer Herrlickhait prueder Doctor Johan Eckh seligen vnd d. Marstaller sein presentirt worden ad Prebendam Canonicatus. So doch meine gn. fürst vnd herr Hertzog Wilhelm hochloblicher gedechtnuss vnd mein gn. fürst vnd herr Hertzog Albrecht, haben Doctorem Canisium, Doctorem fanneman vnd Magistrum Erasmum Wolffium auch praesentirt, darumb scripti consensus Reuerendissimi Episcopi Mauritij seligen noch bei vnns verhanden" . . .

68.

Ab 28. Ianuarii ad 5. Februarii 1552.

Ex cod.: „Tomus I Matriculae Collegij Theologici in inclyta Academia Ingolstadiensi ab Anno Christi MCCCCLXXII. usque ad annum MDIXC. inclusive" f. 86ª; acta, quae hic sequuntur, a *Ioanne Imgartth* notario scripta esse ex f. 89ª eiusdem codicis intellegitur. Qui exstat Monachii, in archivo seminarii georgiani III. 11.

Ioannes Fabri O. Pr. et Petrus Vahe doctores theologiae creantur, Canisio vicecancellarii partes agente. Canisius theologicae facultatis decanus.

Religiosus pater et Dominus Johannes fabri ab hailprunna Ordinis Diuj dominicj Jamque per annos Annos [*sic*] aliquot in Academijs approbatus et concionator summae ecclesiae Augustanae [2] promotus fuit in

[1] De vita Canisii p. 60.

[2] Ioannes Schmidt sive Cussius (1504—1558), vulgo Fabri, Coloniae et Friburgi Brisgoviae theologiae operam dederat et a. 1551 in matriculam ingolstadiensem inscriptus erat. Non minus libris, quos germanice et latine conscripsit, quam contionibus Colmariae, Sletstadii, Augustae habitis fidem egregie exposuit et defendit. In sacro illo suggestu augustano Canisius ei successurus erat (*N. Paulus*, Iohann Fabri, in „Katholik" 72. Jahrg. [Mainz 1892], I, 17—35. 108—127. *Fr. Ant. Veith*, Bibliotheca Augustana I [Augustae Vindelicorum 1785], 62—73).

Doctorem theologie. 28 die Januarij fuit tentatus[1] et 29 examinatus Anno 1552, deinde tercio die februarij celebrauit actum vesperialem vna cum disputatione[2], et die sequenti Licentiam recepit et fuit factus Magister et Doctor Theologiae. Et huius modi Licentiam et Doctoream Coronam[3] recepit a Domino Petro Canisio Theologiae Doctore et Procancellario vniuersitatis Jngolstadiensis.

. . . .

Pariter ut[a] ante[4] Licentiam [recepit] Venerandus vir Magister Petrus vahe presbiter Treuerensis[5] qui defendit vesperialem quaestionem[b] praedicti Domini Johannis fabri et promotus fuit per dominum petrum Canisium Sacrae theologiae Doctorem et ordinarium Lectorem quinto die februarij Anno praedicto[c] 1552[6].

De disputatione illa in „*Annalibus Ingolstadiensis Facultatis Theologicae“[7] haec referuntur:

[Anno 1552] Mens: febr: habita est disp: an Eucharist: Sacram: sub utraque specie laicis sit necessarium[d] defendente pro consequendo Doctoratu R: P. Joan: Fabri Cath: Ecclesiae Augustanae Concionatore.

Cum ad Socios, inquit *Polancus* (Chronicon II, 563), ex promotione hac „viginti floreni pro more Universitatis redirent, eidem, prout ipsi solebant, restituerunt. Ut enim, ne saeculares doctores conquererentur, admittere pecuniam cogebantur, ita, ne a nostri instituti ratione recederent, eam restituebant.“

„*Antiquitates* Ingolstadienses“ (f. 2[a]) de Canisio vicecancellario haec habent: „In hoc munere orationes habuit frequentes ad professores et studiosos Academiae praesertim cum decerneretur ab eo munus conferendi, uel suscipiendi Doctoratum.“ Atque hoc quidem constat: tempore, quod inter mensem Aprilem a. 1551 et eundem mensem a. 1552 intercedit, doctorem medicinae creatum esse Ioannem Albinum, silesium ex Iohnsdorf ortum; eodem tempore iuris utriusque doctores facti esse videntur Ioannes Roth naumburgensis, Ioannes Synapius „Wismonensis“, Nicolaus

[a] et *Ingartth.* [b] quastionem *Ing.* [c] praedicti *Ing.*
[d] necessaria *Ann.*

[1] Id est: praevium quoddam examen subiit; cf. supra p. 60[3]. 660[5].

[2] In promotionibus academicis actum illum, qui doctoratus adeptionem proxime antecedebat, „vesperias“ vocabant; qui pridie ipsius promotionis fieri solebat. Una vel plures „quaestiones“ explicabantur; dein iisdem de rebus disceptabatur.

[3] In aula „omnibus congregatis cancellarius vel magister, sub quo vesperiatus incipit [docere], birretum ei imponat in signum magistralis status et honoris dicens ei: ‚Incipiatis in nomine patris et filii et spiritus sancti.‘“ Leges facultatis theologicae ingolstadiensis, anno 1475 latae, „De aula“, apud *Prantl* l. c. II, 70.

[4] Id est: eodem modo, quo Ioannem Fabri licentiam recepisse antehac dictum est.

[5] Petrus Vahe (Phae) parochus postea fuit ecclesiae boppardensis et ecclesiae S. Gangolphi treverensis; contionatoris quoque munus Treveris administravit. Societatem Iesu ingressus, Braunsbergam et Elbingam sacris sermonibus excoluit. Veneno occisus esse fertur (*Reiffenberg* l. c. p. 79. 86—87. *Stan. Rostowski* S. J., Lituanicarum Societatis Iesu Historiarum libri decem, recogn. *I. Martinov* S. J. [Parisiis-Bruxellis 1877] p. 11. 32).

[6] Falso cod. „Antiqu. Ingolst.“ f. 2[a] de Canisio: „Creauit in Rectoratu Doctorem Patrem Ioannem Fabrum Augustanum Catholicorum Ecclesiasten.“

[7] Cod. lat. 1623 bibliothecae regiae monacensis. f. primo post 50.

Reischner halberstadiensis, Ludovicus Christophorus Reinher heidelbergensis, Gaspar Marchardus vormatiensis [1]. Philosophiae autem magisterium quinam tunc assecuti sint, equidem nescio.

Conferenda sunt etiam, quae Canisius ipse his de rebus narrat, supra p. 65. 395.

Index eorum, qui a. 1472—1599 incl. facultatis theologicae ingolstadiensis decani fuerint, matriculae theologicae supra scriptae insertus, in anno 1552 Canisium habet decanum; cuius rei (ut videtur) probandae causa indicis auctor lectorem ad f. 86 eiusdem matriculae relegat, in quo doctorum Fabri et Vahe promotiones narrantur. Atque cum annis 1549—1552 Ingolstadii perpauci theologiae professores fuerint, omnino probabile est Canisium aliquamdiu decani munus tenuisse.

69.

Mense Februario 1552.

Ex cod. „Codex Dati et Acceptj Facult. Theolog. ex Anno 1536. vsque ad Ann. 1574" p. 46—47. Monachii, in archivo seminarii georgiani.

In „Censu Facultatis Theologicae Anno Domini MDLII" Ioannes Agricola medicinae professor et universitatis camerarius haec adnotat:

Jtem [dedi] D Vicecancellario Petro Canisio
XIIj fl.
Jtem domino Nicolao Gaudano
VIj fl
misi eis 20 fl per Ioann. filium quia petebant. [2] fugam adornabant [a] [3].

. . . .

In Valedictione Theologorum Theatinorum [4] [soluta sunt] 1 fl XVIIIj den. [b]

Dubium non est, quin in ea „valedictione" magnum factum sit convivium. Nam etiam anno 1550 discedente P. Salmerone professores convivium non vulgare apparaunt; „solent enim", inquit ipse Canisius, „Germani hoc velut firmum amicitiae symbolum adhibere quo nihil est illis antiquius ad fidei humanitatisque testificationem" [5].

Polancus (l. c. II, 565) affirmat Albertum V. ducem Sociis „omnia necessaria ad iter . . et praeterea centum florenos numerari in viaticum iussisse", idque, ne dux offenderetur, ab iis acceptum esse.

e) Collegium Societatis Iesu Canisii ope Ingolstadii institutum.

70.

1. Octobris 1551.

Ex apographo, circiter a. 1862 a P. *Flor. Riess* S. J. Monachii scripto; archetypum vel apographum antiquum ibidem in archivo regni bavarici (Ies. Ingolst. 1358)

[a] *Hae duae enuntiationes (*misi *etc.,* et *fugam etc.) a camerario postea minoribus litteris scriptae sunt inter* XIIJ fl. *et* Jtem domino *etc.*

[b] *Verba, quae in codice sequuntur, adeo obscura sunt, ut legi non possint.*

[1] *Mederer* l. c. I, 225—226.

[2] Cf. ea quae refert *Polancus,* supra p. 712.

[3] Viennam profecturi erant; v. supra p. 397. 398.

[4] De nomine Theatinorum hominibus Societatis tunc tributo v. supra p. 699 [2].

[5] Cf. supra p. 332.

esse videtur. Particulam edidit *M. v. Freyberg* l. c. III, 225**. Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 699.

Societatis homines laudantur; Ingolstadii collegium esse condendum.

Ferdinandus I. Romanorum rex Vienna 1. Octobris 1551 Alberto V. Bavariae duci:

Quoniam apud universitatem suam viennensem ipse Societati Iesu collegium constituit, „vnnd wir nit annderst befinden, dan das Sy sich in Jrer Leer vnnd Leben cristlich vnnd wol haltt vnnd dan in kheinen Zweifl stellen, dan das Sy bei Deiner Lieb Vniversitaet zu Yngoldstat auch woll vnderzubringen vnnd vill nutzes schaffen werde, wie dan auch derhalben Dein Lieb etlich zu denen, so von vor[a] beruertter Societet zu Yngoldstat sein, hinauf zu ferttigen, wie wir bericht, Jüngstlich selbs begert hat, mit vermeldung, das die so vor oben sein bei taeglich wachsender anzall der Disciplen die beharrlich Arbeit in die Lengg nit erschwingen werden mugen: So ist an Dein Lieb vnnser freundtlichs vnnd genedigs ansynen vnnd vermanen, das Sy bei beruertter Irer Vniversitet zu Yngoldstat auch ain Collegium de Societate Jhesu aufrichten wolle.“ ....

71.

Albertus V. Bavariae dux
Iulio III. pontifici [1].

Monachio 20. Maii 1554.

Ex apographo eiusdem temporis (2° min., pp. 2), Romae scripto.
Commentarium (2°; 2 pp.; in p. 4. inscr.) est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I.“ f. 4. 5.
Epistula usus est *Gothein* l. c. p. 700.

Ingolstadii Salmeronem, Canisium, Iaium theologiam egregie docuisse, ac Canisium et Goudanum magno cum fructu civibus contionatos esse. Haereses per Germaniam horrendo modo grassari; se autem fidem catholicam in ducatu suo diligenter conservaturum ideoque Ingolstadii collegium instituere coepisse et mox absoluturum; rogare se igitur, ut Canisius et Goudanus Ingolstadium redeant et alii etiam de Societate eodem mittantur.

Beatissime Pater, Domine Clementiss:

Cum foelicis memoriae Jllustrissimus princeps Wilielmus Bauariae Dux etc. genitor et Dominus meus Charissimus ea pietate, quae principem uere christianum et gloriae Dej et salutis animarum amatorem decebat, a Summo Pont: Paulo IIj? foel: re[2]: duos de societate Jhesu Theologos petijsset: fuit tunc istius ordinis Praeposito iniunctum vt Magistrum Alfonsum Salmeronem et M: Petrum Canisium ad Jngolstadiensem Academiam destinaret, quod ita factum: illisque duobus M. Claudius Jaius ad menses aliquot, vt Comes (quia[b] in Germaniae

[a] vor von *Riess.* [b] quoniam *comment. monac.*

[1] Cf. supra p. 469—470. [2] Id est: Foelicis recordationis.

diuersis partibus fuerat diutius uersatus) adiunctus fuit, Quj perhumaniter, vt dignj quidem erant exceptj pauculos aliquos menses summa cum laude nec minorj fructu omnibus gratissimj Theologiam sunt professj, Postea uero cum Sanctitati vestrae uisum fuisset, M. Claudium Reuerendissimo Cardinalj Augustano amico nostro chariss: ad aliquod tempus concedere, Js ipse Tillingam est profectus, .M. uero Alfonsus Salmeron statim[a] in Italiam reuocatus. Jn eius quidem locum cum Magister Nicolaus Gaudanus non minus certe, ut alij jdoneus[b] mitteretur, Tandem omnes ante biennium ad instantiam Ro: Regiae Maiestatis Viennam Sedis Apostolicae praecepto recedere iussj sunt, Quandoquidem igitur expertj eramus omnes, ipsos non solum lectorum munere inter eruditos, Sed et Concionatorum ad populum (quod vtrumque maximo uberrimoque cum fructu apud nos prestiterunt) foeliciter fungj, supra modum molestum graueque fuit tales dimittere uiros, Sed fas non erat Sanctitatis Vestrae precepto nos opponere, At me infoelicissimo calamitosissimoque isto seculo Orthodoxae fidej Religionisque nostrae et libertatis ecclesiasticae in Germania prorsus fere[c] oppressarum cura quam maxime sollicitum reddit, Video enim hanc unicam et summam foelicitatem a[d] nobis grauj[e] heresum uirulentia erronearumque doctrinarum confusione, tam armis quam sceleratissimorum et indoctissimorum heresiarcharum pestiferis concionibus et ingentibus[f] vociferationibus[g] propellj profligarique. Vnde nisj tanto malo iam iam obuiabitur misera illa et aeterna nox, luce Christo Saluatore Opt: Max: sublato. irruet et horrenda mors in nos jrrumpet[h], Haec quoties mecum cogito, cogito autem sepissime, totus horreo tremoque et non tam rationes colligo, quibus statum et patriam meam florentem incolumemque conseruem[i], quam anxie curo quibus nam modis quod reliquum mansit fidej Religionis et libertatis Ecclesiasticae in Ducatu meo retineam et collapsa restituam, Scio enim hoc me debere Deo a quo mihj quicquid contigit habeo, et fidej meae a Dilectissimo Genitore et Clarissimis viris meis in ista familia predecessoribus imortalj[k] cum gloria tradite et[l] accepte. A quo ego proposito ne digitum quidem quoad uixero sum discessurus, Jussj

[a] *In comm. mon. hoc vocabulum supra lineam scriptum est.*

[b] *In comm. mon. laus haec Goudani* (non minus — jdoneus) *in margine ascripta est.*

[c] *Sic comm. mon.; apogr. rom. haud recte:* uere.

[d] *In comm. mon. supra lineam scriptum.*

[e] *Sic etiam in comm. mon. correctum est, loco vocabuli:* tanta.

[f] *In comm. mon. supra lineam scriptum.*

[g] *In comm. mon. sequitur:* crebris, *postea deletum.*

[h] *In comm. mon. prius scriptum erat:* mors nos manet.

[i] conseruam *apogr. rom. et comm. mon.*

[k] *In comm. mon. prius quidem scriptum erat:* summa; *postea autem sic correctum est.*

[l] *In comm. mon. haec duo verba supra lineam scripta sunt.*

igitur nuper apud dictam scholam meam Jngolstadianam fundum compararj et nouum extruj Collegium, quod etiam annuis redditibus dotarj curabo, Enixe igitur Sanctitatem vestram rogo, vt clementer hoc concedere[a] uelit, quo liceat predictis magistris Petro Canisio et Nicolao Gaudano ex Vienna ad me redire, Simulque ipsorum preposito Jgnatio mandet, vt adhuc vnum vel duos Theologos[b] et preterea aliarum facultatum professores ad istud Collegium[c] destinare curet[d]. Quibus uero ipsj opus habebunt, uel que dictus D. Prepositus Jgnatius per me vlterius fierj uolet, Cupio ut cum Secretario meo[e] Henrico Schuueykher, quem ea de causa ad vrbem et Sanctitatem vestram ablegaui[f] conferat et comunicet. Js mentem meam fusius exponet quem vt sanctitas vestra benigne audiat, eique fidem adhibeat ualde rogo, Ego Beatissime Pater cum et paternj Sanctitatis vestrae animj et optime erga me voluntatis ea indicia habeam que habere semper concupiuj, dabo profecto operam, idque meo, erga Beatitudinem vestram. et istam Sanctam Sedem incredibilj amore, perpetuaque et singularj obseruantia consequar, vt sanctitatem vestram hoc in me collocasse beneficium nunquam peniteat, Cuj omnia foelicissima opto precorque, Datum ex oppido meo[g] Monachio die[h] vigesima mensis Maij Anno Dominj M.D.LIIIj.[to] [i]

Obsequentiss. filius
Albertus Bauariae Dux
per manum propriam.

Beatissimo in Christo patri et Domino Domino Julio III. S. R. et vniuersalis ecclesiae catholicae[k] Pont: Opt. Max. Domino meo clementiss.

72.

27. Novembris — 8. Decembris 1555.

Ex commentario, quod Henricus Schweicker, Alberti V. secretarius, scripsisse videtur; in eo alia ab ipso scriptore correcta sunt, alia a Wiguleo Hundt, universitatis ingolstadiensis curatore. Cod. monac. „Ingolst. Un. — Sachen" f. 54[a]—55[a].

Quid consiliarii ducis Ingolstadii de collegio Societatis condendo cum Canisio, universitate, civitate egerint et constituerint: Consilio novi aedificii exstruendi ob pecuniae inopiam omisso, statutum esse ut habitatio Sociis in domo universitatis

---

[a] *In comm. mon. prius scriptum erat:* agere.

[b] *In comm. mon. hoc vocabulum in margine ascriptum est.*

[c] *In comm. mon. prius scriptum erat:* ad nos.

[d] *Comm. mon. (quod notatu dignum est) in margine haec habet verba, quae post vocabulum* Collegium *inserenda sint:* quod absolui quam primum curabimus. *In ipsa igitur epistula haec omissa sunt.*

[e] Nostro *comm. mon.* [f] ablegauimus *comm. mon.*

[g] nostro *comm. mon.*

[h] *In comm. mon. sequitur:* xiiij Aprilis, *linea inducta deletum.*

[i] *In comm. mon. nomen subscriptum* (Obsequentiss. *etc.*) *deest; in apogr. rom. inscriptio* (Beatissimo *etc.*) *non exstat.*

[k] *Verba* S. R. — catholicae *supra lineam scripta sunt.*

pararetur. In collegium georgianum 12 novos alumnos recipi oportere, quos dux ex decumis alat. Canisium eos conquisiturum esse.

Relation

Was die von vnnserm gnedigen Fursten vnd herrn hertzog Albrechten etc. verordnete Räthe[1] ghen Inglstat, daselbs bey der Vniuersitet, auch Burgermaister vnd Reth, vnd sonst, vom 27. Nouembris an biss auf den achten decembris des 55ten Jars mit vnderthenigem vleis furgenommen erfarn bedacht gehandelt vnd verricht, das volgt von Articl zue Articl.

Erstlich ist von wegen aines newen Collegij Theologicj mit dem Canisio abgehandelt vnd beschlossen worden, wie sollicher Abred Articl, deren zwo gleichlautende Copeien gestellt, vnd gedachtem Canisio aine mit der verordneten Rathe hanndt zaichen pro Confirmatione vnderschriben gelassen, vnd die ander hergegen vom Canisio vnderzaichnet, hie bei ligt mit .A. mit sich pringt [*sic*].

Gleich wol Ee man zue disem beschluss khommen ist, hatt man den pawmaister Jörgen Stern ain visier stellen vnd abreissen lassen, mit. B.[2]

Darbej seindt zwo verzaichnussen, die Ersten, was fur Inpew in bemelttem Collegio ongeuerlich sein wurden. Die Ander wie weit der pawcossten sich beyleuftig erstreckhen möge, mit C. vnd .D.

Es hatt auch obgedachter Stern den platz oder die grundt zue sollichem Collegio in sonderhait abgemessen, vnd die heuser vnd gärten so man hierzue erkhauffen muesste, Jn den abrifs mit E. pracht.

Dieweil man aber auss disen obgemeltten verzaichnussen allen befunden. das sollicher ansehlicher paw in kurtzer Zeit alls Innerhalb zweyer dreiher vier vnd meer Jaren nit wol verricht mög werden, zue dem das Er ain merckhliche grose Summa gelts gesteen werde, welliche bey disen sorglichen schweren[a] Zeiten, vnd an dem ort alda ain beuestigung[3], auffzewenden hoch bedenckhlich vnd zweiffelig[b] sein wollte, Jst mit meergemelltem Canisio auf obangeuerte Capitulation gehandelt worden: deren Er sich nach vleissiger Erinnerung allerlai hochwichtiger vrsachen wol benuegen lassen, Jnsonderhait nach dem man Jme vertröstung than, wo sich mit der Zeit zuetragen wurde, (wie es sich alberaith ietzt erzaiget) das der parfuesser Closter[4] sollte öd vnd von dem Orden verlassen[c] werden: well man alls dan die

[a] *Vocabulum in margine additum.*
[b] *Haec duo verba in margine addita sunt.*
[c] *Verba* vnd von — verlassen *in margine addita sunt.*

[1] Wiguleus Hundt; Simon Thaddaeus Eck, cancellarius burghusanus; Christophorus a Raindorff, camerae aulicae consiliarius; Henricus Schweicker. Cf. supra p. 569[2]. [2] Cf. supra p. 577.
[3] Ingolstadium urbs munita erat et nunc quoque est.
[4] Franciscanorum monasterium significatur. De quo „*Bavaria*" I (München 1860), 789.

Iesuiten darein ziehen lassen vnd dasselb an statt aines Collegij eingeben,

Vnd nach dem die Jesuiten Jetzt Jm allten Collegio wonen sollen, hatt man nach vleissiger besichtigung[a] dem Stern beuelh geben, ainen anschlag zemachen, was noch fur Jnpew von nöten . vnd mit was vnncossten solliche zuuerrichten[b] den selben alher zeschikhen, well man alls dan daran sein das vnser gn. furst vnd herr guethe Verordnung thue, damit es am gellt nit erwende[1], noch disen winter die stain, holtz[c] vnd andere Materialia herzuzepringen, vnd bei Erster wetter zeit mit disem paw oder pesserung zeuerfarn, wie dan gedachter Canisius vmb sollichen beuelh auch vndertheniglich vnd vleissig gebetten, vnd dieweyl Stern hieuor vnd Jetz von der Iesiten [*sic*] wegen vil Mue ghabt auch gantz willig gwesen. sendt Jme zue verhandlenung [?][2] dismals bey Hern Camerer 10 taler verschafft [?] worden[d].

Damit[e] aber die theologj professores vnd Jesuiten auditores et scholares theologie habere, vnd wie die gross notturfft erfordert, geschikht vnd tauglich Catholisch Prediger vnd seelsorger auffzogen werden, haben die verordenete Räthe vndertheniglich bedacht, das noch zwölff[f] Stipendiaten zue den andern Jn das new Collegium gestifft, vnd wie die andern daselbs von der decimation[3] vnterhalten wurden . welche vnser gnediger furst vnnd herr Jeder Zeit zu praesentiern[g], auf[h] mass vnd weg, wie derhalben ain Concept ainer fundation mag gestellt, vnd vnnserm gnedigen fursten vnd herrn furtragen werden[4].

Vnd ist darauff[i] vilgemellten Canisio beuelh geben, sich mitler weil, die Er zue Jnglstat pleiben wurdet, vmb geschikhte vnd taug-

---

[a] *Haec tria verba in margine addita sunt.*

[b] *Verba* mit — zuuerrichten *in margine addita sunt.*

[c] *Vocabulum supra versum scriptum.*

[d] *Verba* vnd dieweyl Stern — worden *a Wiguleo Hundt addita sunt.*

[e] *Sic Hundt correxit; scriptum erat:* Das.

[f] *Sic, qui „relationem" scripsit, ipse correxit; antea scripserat:* zwanitzig. *Hundt in margine:* Nota di Numeros.

[g] *Ita* (wie die andern *etc.*) *Hundt correxit; prius scriptum erat:* deren Jedem des Jar dreissig gulden zue seiner vnderhalltung gegeben sollten werden; *postea „relationis" scriptor ea ita mutaverat, ut ultima verba essent:* wol zegeben reichen. [h] *Antea scriptum erat:* doch auf.

[i] *Ita Hundt correxit; scriptum erat:* Vnd hatt man dem.

---

[1] Erwende — mangle, ausgehe. [2] „Zue verhandlenung" — als Handlohn.

[3] Decumae significantur, quas dux ex summi pontificis concessione a clero Bavariae exigebat; v. supra p. 362[1]. 372[2] etc.

[4] *Prantl* affirmat duci propositum esse, ut in collegio georgiano 12—20 Societatis candidatis („für 12—20 jesuitische Candidaten") nova stipendia constitueret (l. c. I, 223—224). Sed hae consiliariorum litterae clare demonstrant stipendia illa non iis danda fuisse, qui Societatem ingressuri essent, sed qui aliquando parochi forent et contionatores.

liche Jungen zue disem Christlichen guethen werckh, vmb zesehen, die auf vnsers gn. f. vnd hn. Ratification, zue sollichen Stipendien gefurdert sollen werden[1].

73.

30. Ianuarii 1556.

Ex epistula archetypa, quae Romae exstat in bibliotheca barberiniana, cod. LXI. 23.

Zacharias Delfinus, nuntius apostolicus a Paulo IV. ad Ferdinandum I. missus, cardinali Caraffae Tridento 30. Ianuarii 1556 scribit:

Licet theologus suus nondum advenerit[2], *se recta via in Bavariam profecturum esse*, „con animo poi di ualermi in Bauiera, fino al' arriuo del Theologo, d' un Dottore de li Jesuiti, il quale hò inteso hoggi ch' è là d' intorno."

Canisium significari ex eo patet, quod is mensibus Novembri et Decembri a. 1555 et Ianuario a. 1556 Ingolstadii erat, nec quisquam alius de Societate tunc in Bavaria vel eius vicinia morabatur. Atque Canisius ipse 10. Ianuarii 1556 Schweickero scripserat se adventum nuntii apostolici exspectare[3]. Ceterum Canisius exeunte Ianuario Ingolstadio discessit, neque in posterioribus Delfini epistulis, quas codex ille barberinianus continet, eius fit mentio.

74.

Albertus V. Bavariae dux S. Ignatio.

Monachio 5. Maii 1556.

Ex archetypo, quod apud nos est.

Apographum antiquissimum quidem, sed ab archetypo nonnihil differens est in cod. „Antiqu. Ingolst." f. 4ᵇ, atque eo fortasse usus est *Mederer*, cum epistulam ederet l. c. IV, 286—287; quamquam et ipse aliquibus locis suam propriam habet lectionem. Ex Mederer epistula translata est in *F. I. Lipowskii* „Geschichte der Jesuiten in Baiern" I, 63—65, et in „Cartas de *San Ignacio*" VI, 627—629. Pars epistulae, ex ipso archivo Societatis romano missa, est in *Actis Sanctorum* Iulii VII (Parisiis et Romae 1868), 513.

Se pactionem de collegio ingolstadiensi faciendam amplius non postulare. Canisium Ingolstadium venire debere ad res collegii praeparandas.

Litteras ab Ignatio (Roma 20. Ianuarii 1556) datas sibi „gratissimas" fuisse[4]. „Cum . . . que gratis accepistis, gratis omnino dare satagatis[a]: Jn ea sumus sententia, ut sine utriusque nostrum partis obligatione aut pactis: Articuli tamen illi de quibus conuenimus[5] obligationis instar obseruentur:

[a] gratis omnino satagatis *Ant.;* gratis omnino satagitis, *Meder. etc.*

[1] Sequuntur ea, quae de legibus universitatis reformandis decreta sunt; cf. supra p. 582—584.
[2] Delfinus Bononia 11. Ianuarii 1556 Caraffae scripserat se a magistro generali ordinis Praedicatorum theologum petiisse. [3] Supra p. 591.
[4] Cf. supra p. 600[1]. [5] De his v. supra p. 585—586.

Jta quod nos parati erimus quae in illis venerabili societati singulis annis assignauimus praestare: vestros omni benignitate et gratia fouere ac tueri: quamdiu se Reipub: vtiles exhibebunt: secundum in dictis articulis obiter annotata: A quo si cessabunt aliquando: ne eos quidem redditus illi maneant: Sed quemadmodum et[a] Reuerenda pat: tua recte et pie sentit[b] in vtiliora pietatis opera conuertantur." *Se Sociis trecentos „coronatos aureos" assignavisse itineri impendendos; quos iis, quandocunque voluerint, Romae „mercatores Olgiati" praesente Hieronymo Buslydio, „sollicitatore" suo, persoluturi sint.* „Jnterim Societatis vestrae Theologus Reuerendus pater Petrus Canisius: Quod a Sereniss: Rom: Rege atque Domino Patre et socero nostro[c] clement: iam obtinuimus breui Ingolstadium redibit: reliquaque necessaria ordinabit." *Se Ignatium rogare, ut de omnibus iis rebus summum pontificem certiorem faciat.*

Albertus V. dux litteris Monachio 3. Maii 1556 datis Welsero commiserat, ut per syngrapham (Wechsel) 300 coronatos aureos Ignatio solvendos curaret [1].

Mederer scribit hanc epistulam 11. Maii 1556 datam esse; atque hunc sequuntur Lipowsky, Prantl, Verdière, „Cartas" etc. At epistulae archetypae ascriptus est dies 5. Maii; quem etiam „Acta Sanctorum" habent. Codex „Antiqu. Ingolst." habet: „Die uerò Maij 1556". Item in epistulae huius exemplo, quod in codice eystettensi „Historia Collegij Jngolstad." p. 6—7 (v. supra in descriptione codicis „Antiqu. Ingolst.") cernitur, scriptum est: „Die ûerò Maij 1556." Suspicor Mederer vel librarium eius „uerò" illud in „undecimo" transformasse, idque fortasse propterea, quod putaret antiquum illum librarium ita scribere vel voluisse vel saltem, si sigla in commentario epistulae posita recte resolvisset, scribere debuisse.

75.

Henricus Schweicker,

Alberti V. Bavariae ducis secretarius,

P. Thomae Lentulo,

rectori collegii ingolstadiensis [2].

Monachio 16. Iulii 1556.

Ex apographo, quod circiter a. 1862 a librario ignoto Monachii in bibliotheca regia aut in archivo regni bavarici scriptum et postea a P. *Flor. Riess* S. J. recognitum et emendatum est. Archetypum vel apographum antiquum, ex quo transcriptum est, Monachii non vidi. At ex epistula ipsa facile constat eam suppositam non esse.

Se Ignatii et aliorum epistulas accepisse. Sociis et Bavariae gratulatur, quod Ingolstadium venerint. Se ad officia iis praestanda paratissimum esse. Fortiter esse agendum. Canisium Praga iam evocatum esse.

Salutem ab eo qui omnium est salus: Iesus Christus, Dominus noster.

Accepi Reverende pater uno in fasciculo, quas vobiscum attulistis Reverendissimi patris mei observandissimi D. praepositi Ignatii praepositi

[a] *Ant. Med. etc. om.* et. [b] scribit *Med. etc.*
[c] Rege etc. Domino et Socero nostro *Ant.;* Rege, Domino et Socero nostro *Med. Lip.;* Rege, Domino ac socero nostro *Cart.*

[1] Ex *litterarum illarum commentario, quod est in cod. monac. „Ies. Ing. 1359/I" f. 51[a].
[2] De hoc plura in secundo huius operis volumine scribentur.

[*sic*] venerabilis istius societatis Iesu: ac eiusdem secretarii hominis mihi amicissimi charissimique Ioannis de Polanco binas [1]: Nec non vestras literas, pietatis, amoris candorisque vere Christiani et catholici plenas: Quibus nihil potuisset accidere magis gratum aut jucundum. Gratulor nobis [a] omnibus quam plurimum quod sospites salui foeliciterque adveneritis. Gaudeo quod ista provincia Dei opt. max. immensa benignitate digna sit adventus, magis autem virtutis vestrae. Optoque et praecor divinam ac summam bonitatem, ut nobis nostrisque omnibus gratiam suam affluenter communicet: ut quomodo vos ipsius sanctissimam voluntatem recte docebitis verbo et exemplo: ita nostri sane intelligant: et eandem perfecte exequi valeant. Porro quod in me positum erit (qui certe parum aut nihil possum) persuasissimum habebitis vos nulla apud vestri amantissimum indigere alicuius commendatione: sed mea sponte pro viribus promptum paratissimumque semper eum [b] exhibiturum quo cognoscatur, me vos vere et Christiane diligere: jubete imperate pro ut libet, quicquid possum aut valeo praestabo: eandem invidiam, linguarum impiarum maledicentiam, et persecutionem vobiscum patiar et subibo. Estote modo infracti in eo qui vera est constantia et fortitudo: et vosmet rebus servate vere secundis non istius mali, sed aeterni saeculi. Hec scribo non consolator, qui a vobis consolationem expecto, non fortificator, qui experti et scientes praesentia pericula, adversitates, persecutiones, fortissimi Christi athletae advenistis: sed ut magis constet de animo meo, ut eum erga vos apertius cognoscatis: Convenirem vos ut in praesentia hec declararem, sed propter principis Ill: mandata mihi obeunda commissa iam non licet: et heri peregre domum redii: Adhibebo tamen omnem diligentiam ut quanto citius [c] ad vos veniam omnia coram tractem, ac si quid usui esse possum: una praestem. De libris sollicitus ero, ut quam primum Ill: princeps Ratispona huc redierit [2], quod brevi futurum est, puto infra biduum, ut vel cum sua Illustrissima Excellentia vel cum D. Hundio de eo tractem quo voti compotes fiatis. De aliis quibusdam scripsi ad D. Camerarium universitatis [3], qui sine mora curabit, ne quid ad necessitatem desit, Reverendum Canisium qui ante Adventum vestrum Praga fuit evocatus Ingolstadium, iam certe mihi polliceor majorem itineris partem confecisse: vel Ingolstadii vobis praesentem esse: sin diutius tardaverit praeter omnem spem et opinionem, denuo vocabitur:

Si quid aliud est aut accidet in quo grata vobis sit opera mea, en spondeo semper promptam et paratam meque vestris devotissimis orationibus iterum iterumque commendo, omnes sigillatim ex intimo corde salutari meis verbis valeque foeliciss: dici percupiens optansque.

Monachii XVj. Iulii, M.D.LVj

Reverendae P. v. Deditiss: Amantiss: que

Henr: Schweyckher.

Reverendo in Christo Patri Thomae Noviomago: venerabilis societat: Iesu: Theologo: ac ejusdem Collegii: In Ingolstadio Rectori suo honorando.

[a] *Fortasse legendum:* vobis. [b] *Sic; fortasse legendum:* me.

[c] *Ita Riess correxit;* quanto *librarius; legendumne:* quantocius?

[1] Utraque epistula (Ignatii latina, Polanci italica) ad Schweickerum data erat Roma 8. Iunii 1556. V. supra p. 624 [1].

[2] Albertus V. Ratisbonae 15. Iulii 1556 Ferdinandi I. nomine comitiis imperii sollemni more praefatus erat. [3] Ioannem Agricolam.

76.

Mensibus Iunio, Iulio, Augusto 1556.

Relatio

de primorum collegii ingolstadiensis Sociorum itinere et adventu ab aliquo ipsorum conscripta Ingolstadii a. 1558—1562 [1].

Ex codice „Antiqu. Ingolst." f. 7b—8b, in quem haec relatio Ingolstadii circiter annum 1563 ab ignoto librario (S. J.) transcripta est.

Socii Romae Paulum IV. et cardinales adeunt. Eorum viaticum, vestes, iter. Ab universitate cum honore excipiuntur. Vinum honorarium. Collegii nondum instructi incommoda. Magistrorum convivia. Canisii litterae et adventus.

Die ante digressum ex Vrbe tertio, ut aliquorum bonorum insigniumque virorum, maxime autem Summi Pontificis et Christi in terris Vicarij precibus et benedictionibus adiuti propositum iter faeliciter institueremus, ac faelicius perficeremus, 6.° Junij anno Domini 1556 ad S. D. Papam Paulum quartum accedere iussi sumus qui data post pedum oscula gemina benedictione, non mediocri gaudio affectus nos Deo opt. max. deuotissime commendauit, offerens similiter Viaticum, tametsi id Reuerendus Pater Laynez et Pater Joannes Polancus recusarent, dicerentque satis esse viae impensae [?][a] ab Illustrissimo Duce. Post suam Sanctitatem uisimus Reuerendissimos Patres et S. Ecclesiae Principes Cardinalem de Carpo [2], Cardinalem de Acqueua [b] [3], Cardinalem Moron. [4] apud quos singularis cura tunc fuit, et ingens restaurandae Germaniae desiderium [5], quibus singulis reuerenter salutatis, post duos dies pedibus iter ingredimur, tantorum et praestantissimorum Virorum adiuti suffragijs. Vrbem egressi sumus 9. Junij, induti nouis ac nigris longisque uestibus, quas Sottanas Romani appellant, hoc est tunicas inferiores (summae enim Coronatorum 300. [6] detractum fuit quantum ad peregrinandum in Germaniam designatis pro uestimentis opus erat, Reliquj uero ex dicta pecunia fuerunt 160. Coronati qui conducendis fratribus Jngolstadium in jtinere pro expensis sufficerent). Primum ergo Roma ac Laureto, deinde Marj [?][c] [7], porro Patauio ubi [?][d] salutatis

[a] *Sic; sed certe hoc mendum librarii est. Fortasse legendum:* pecuniae impensum.
[b] *V. infra, adnot. 3.* [c] *Vocabulum obscure scriptum.*
[d] *Sic; sed vocabulum* ubi *delendum esse videtur.*

[1] Confer „instructionem", quam S. Ignatius iis Roma profecturis dedit: Cartas de *San Ignacio* VI, 500; *Pachtler* l. c. III, 461—462.
[2] Rodulphum Pium de Carpi, Societatis „protectorem".
[3] Bartholomaeus de la Cueva († Romae 1562), cardinalis „sanctae crucis", ex familia ducum Albuquerquii ortus, S. Ignatio valde amicus erat eumque tamquam patrem colebat (*Ciaconius-Oldoinus* l. c. III, 698—700. Cartas de *San Ignacio* VI, 409—410). [4] Ioannem Moronum.
[5] Fortasse hic cernitur initium quoddam „Congregationis germanicae", quae anno 1568 a S. Pio V. instituta et anno 1573 a Gregorio XIII. restaurata est (cf. *W. E. Schwarz*, Zehn Gutachten über die Lage der katholischen Kirche in Deutschland [Paderborn 1891] p. x—xxii).
[6] Hanc pecuniam Albertus V. Bavariae dux miserat; v. supra p. 720.
[7] Fortasse Ancona navi vecti sunt Clodiam fossam (Chioggia) et inde Patavium; cf. „instructionem" l. c.

biduo fratribus [1], tandem terra quae post Tridentum Monachium versus est, nullam in via perpessi calamitatem seu aduersitatem, omnes salui, sani et incolumes .7. Julij Jngolstadium appulimus [2]. Quo eodem mense, hoc est pridie Calend. Augustj Beatissimus Pater noster M. Jgnatius naturae debitum exoluit et pone illum Doctor Martinus ollauius, et Doctor Andreas Frusius Theologi clarissimj ac summae eruditionis virj [3]. Huc peruentis, cum in Collegio ueterj [4] habitaturis sedes ac domicilium omnia denique rudia, inculta, et imparata fere apparerent, in hospitio Schoberj paucos dies quibus necessaria pararentur placide quieteque transegimus. Post primum aduentus nostri ni fallor diem, Magnificus Doctor Baptista Weber Vniuersitatis Rector. Doctor Franciscus Zoannettus, Italus. Doctor Joannes Agricola Camerarius. Doctor Nicolaus Frysius humanissime in hospitio adhuc degentes, exceperunt ac salutarunt. Decimo uero Julij, licet multa quae ad necessitatem et vsum instituendae familiae et corporalem [a] spectant, desiderarentur, Collegium ingressi sumus a meridie. Quo exacto biduo Vniuersitas, quae praecipuam in salutandis excipiendisque cum honore hospitibus nouis, laudem meretur, misit quosdam ordinarios Professores utpote Doctorem Georgium Theandrum parochum Beatae Mariae Virginis et procancellarium Vniuersitatis, Doctorem Michaelem [5] Pastorem S: Mauritij, Doctorem Zoannettum et Doctorem Agricolam Camerarium, qui totius Academiae nomine, cantharis aliquot vini praemissis [6], de Aduentu nostro honorifice nobis atque vniuersis congratularentur. Vice muneris oratorij Doctor Theander fungebatur, cui paucissimis uerbis (ex improuiso enim aderant, nec quid facturi essent, morum [b] huius patriae ignaris praenunciatum fuit) pro gratiarum actione respondit Doctor Cuuillonius [7], qui demum apud nos relicto potu abierunt [8]. Praetereundum porro non est nos [c] priusquam omnia in Collegio pro arbitrio nostro fierent ac necessaria adhiberentur, saepe necessitate compulsos apud patronos solicitauisse, ut

[a] *Sic quidem librarius vetus; sed malim legere:* commoditatem *vel:* commoditatem corporalem. [b] morem *cod.* [c] quod *cod.*

[1] Patavii collegium Societatis exsistebat.

[2] Bonis certe auspiciis Ingolstadium advenerunt. Dies enim 7. Iulii sancto Willibaldo, primo dioecesis eystettensis, in qua Ingolstadium situm est, episcopo, sacra est.

[3] Et Olavius, et Frusius Romae mortui sunt, hic 26. Octobris, ille 17. Augusti 1556 (*Orlandinus* l. c. l. 16, n. 89. 90).

[4] Constitutum erat, ut Socii in „collegio veteri" sive domo universitatis habitarent, donec propria iis domus aedificata esset; cf. supra p. 586. Sed Ingolstadienses putabant eos ante autumnum vel hiemem adventuros non esse.

[5] Wagner; cf. supra p. 504 [2].

[6] Vinum „honorarium" („Ehrenwein") id erat.

[7] De eo v. supra p. 646 [3].

[8] *Orlandinus:* „Sexto Idus Iunias [8. Iunii] profecti sunt pedites, nisi quod iumenta quaedam ad sarcinulas ferendas, et leuandos subinde fessos ducebant." 5. Iulii „Monachium peruenere: inde biduo Ingolstadium profecti. . . . Lecti, stanneumque instrumentum ex deserto S. Benedicti Monasterio quatuor Ingolstadio leucis allatum est. . . Sacellum Academiae Diuae Catharinae sacrum assignatum est" (l. c. l. 16, n. 23). Monasterium illud puto fuisse Biburgum (Biburg), quod a. 1589 auctoritate pontificia totum collegio ingolstadiensi attributum est. Ceterum cf. quae posita sunt supra p. 646 [3].

pactis atque promissis, quae literis expressa erant, satisfacerent[1]. Quam enim initio Collegium hoc male instructum fuit, exemplo ipso [*sic*] esse potest quod decem et octo diebus ex Collegio nouo[2] cibus huc deferretur, multoque tempore deessent Vestes Superiores nostris conuenientes, et multa alia quae partim precarie minutatimque a Camerario addita, partim aere nostro, sed maiora et plura comparata fuerunt, primis mensibus duobus nihil tentatum publice fuit in Scholis propter vacationes Caniculares, quae in Septembrim fere extrahi solent. Jnterim ad prandia publica, frequenter uocati sumus, quibus et interfuimus subinde, tum ad demerendum et conciliandum nobis quorundam Professorum animos erga Societatem parum synceros[3], vt etiam Reuerendus Pater Canisius ex Praga per literas hortaretur abstinendum esse ab illorum consortio donec ipse aduentu suo, de his omnibus certiores faceret; tum ut illi congressus indicium[a] aliquod, communis vitae de nobis ferrent, ne aut religiosos[4] aut μισανθρώπους potius nos esse putarent; Licet in tanta conuiuiorum quae hoc tempore promouendis Magistris et Doctoribus accidere solent frequentia singulis parere saepe recusaremus. Quae dum ita gererentur animo quandoque dubio et anxio, tandem diu expectatus adest R. P. Canisius 4°. Augusti ex Praga, ubi propter Collegium recens erectum diutius quam expectabamus manere debuit, qui opera sua et consilio, utpote [qui][b] diu multumque ante in hoc Gymnasio sese aliosque in docendo exercuisset, ac ita mores et consuetudinem huius prouinciae imbibisset, adiumento nobis futurus esset, fecitque ut quae difficilia in exordio uidebantur suauj dej gubernatione, ipsiusque in rebus gerendis dexteritate omnia facilia et iucunda redderentur[5].

77.

Valentinus Rotmar, qui a. 1565 Salisburgo Ingolstadium venit ibique a. 1569 latinarum litterarum, a. 1571 poëseos, a. 1574 artis oratoriae professor constitutus est[6], *in suis „Annalibus Ingolstadiensis Academiae“*[7] *anno 1580 Ingolstadii evulgatis Canisii „multas et prae-*

---

[a] *Sic legendum videtur;* iudicium *cod.* [b] *Vel* utpote cum.

---

[1] De litteris illis v. supra p. 586. Attamen inter Ignatium et Albertum V. convenerat condiciones litteris illis expressas servatum quidem iri, sed absque pacto; v. supra p. 600[1]. 719—720.

[2] Georgiano.

[3] De his nonnulla referentur in voluminibus posterioribus.

[4] Scribendum erat: „monachos“; nam etiam clerici regulares — ex his autem homines Societatis sunt — in „religiosorum“ numero reponendi sunt.

[5] *Ignatius Agricola*, provinciae S. J. Germaniae superioris historiographus: „In proverbium“, inquit, „apud nos abiit, ut Ingolstadiense Collegium S. Patriarchae nostri Benjaminum vocitemus: ultimum enim est, quod in senectute sua genuit, . . . sed initium simul nostrae, quam . . . recentissime instituerat Provinciae“ (l. c. Dec. 2, n. 29).

[6] *Mederer* l. c. I, 296. 317. 330; II, 11. 57.

[7] Annales Ingolstadiensis Academiae, in amplissima Boiorum Ducum provincia iam inde a centum annis in hunc vsque diem praeclarè florentis. Ingolstadii M.D.XXC. Iam anno 1763 *Andr. Fel. Oefele* asseruit hoc opus „summae raritatis“ esse (Rerum Boicarum Scriptores I [Augustae Vindelicorum 1763], 236[1]).

stantissimas virtutes" et „opera et diserte et erudite, et Catholice hactenus edita" magnis extollit laudibus, inter alia scribens: „Lumen est nostro tempore inter Doctores Ecclesiae." [1]

Integra laudatio hic non ponitur, quia sat iam nota est; exstat enim apud *Agricolam* l. c. Dec. 1, n. 184; *Mederer* l. c. I, 219; *Lipowsky* l. c. I, 57—58 etc.

78.

Iohannes Engerd sive Steunechton, neostadiensis, turingus, theologiae baccalarius, qui Ingolstadii anno 1570 albo academico inscriptus, anno autem 1572 artium magister et poëta laureatus creatus, anno 1572—1587 poëticam tradidit [2] *ac poëmata multa neque ignobilia et ipse in lucem emisit* [3], *„Almae Ingolstadiensis Academiae Tomo primo" a Val. Rotmaro conscripto et post huius obitum a se suppleto et Ingolstadii a. 1581 vulgato* [4] *copiosam inseruit laudationem „incomparabilis viri Petri Canisii"; omne in eo virtutum genus esse, „quae Ecclesiasticos ornant et commendant"; quantum libris suis ecclesiae profuerit, „totus pene Christianus nouit orbis"; „vir est diuini propemodum ingenij, et eruditionis incomparabilis, . . . Theologus profundus, et lectionis infinitae, . . . Orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter grauis et iucundus, . . . Lumen Doctorum Ecclesiasticorum amplissimum et clarissimum" etc.*

Pulchre quidem haec dicta sunt; attamen notandum est ab eo dicta esse, qui artis poëticae magister esset, ac tempus, quo diceret, laudationibus (quae hereditas erat a posteriore „humanismo" accepta) abundasse; laudabant et laudabantur.

Integram Engerdi laudationem iterum vulgavit *Mederer* l. c. I, 226—229, fere integram *Raderus,* Canisius p. 47, et *M. Tanner*, Societas Iesu Apostolorum imitatrix p. 288.

Monachii in templo S. Michaelis, quod olim Societatis Iesu erat, antiqua imago pigmentis oleatis picta exstat (in pariete sacelli SS. Cosmae et Damiani suspensa), quae Canisium repraesentare traditur rectorem universitatis ingolstadiensis. Equidem opinor eam Ingolstadio Monachium translatam esse initio huius nostri saeculi, cum universitas ingolstadiensis Landishutum et dein Monachium transferretur.

79.

Ex cod. „Tomus I Matriculae Collegij Theologici" etc. (cf. supra p. 711), in appendice P. 1, n. XX; quae appendix saeculo XVII. scripta esse videtur. Edidit *Mederer* l. c. II, 150—151.

Idem, quod codex noster, epitaphium proponit *Raderus,* Can. p. 272—273, sed nonnihil id amplificatum. Quod fortasse sic explicari potest: Longiorem hanc formulam primum quidem a theologica facultate conscriptam, postea autem, cum in pariete auditorii pingenda esset, in angustum coactam esse, ne nimium spatium occuparet. Raderum secutus est *Sacchinus,* Can. p. 63, atque, paucis verbis fere exceptis, *Seba-*

---

[1] Annales f. 116^b—117^a.

[2] Engerd a protestantismo ad ecclesiam redierat (*Mederer* l. c. I, 319—320. *Prantl* l. c. I, 334—335).

[3] *K. v. Reinhardstöttner* in „Jahrbuch für Münchner Geschichte" 4. Jahrg. (Bamberg 1890), p. 59. 94. 105—106. 157.

[4] F. 108^b—110^a; hoc quoque opus valde rarum est (*Oefele* l. c.).

stianus Strang S. J., in apographo, quod a. 1626 in processu beatificationis Canisii ab episcopo frisingensi instituto proposuit; cuius exemplum, ante a. 1656 scriptum, est in „*Actis beatificationis Canisii“ P. I, X. E[b], fasc. I, 3 a. Typis descriptum est in „*Positione* super virtutibus“ Summ. p. 71.

Ingolstadii in auditorio theologico laudes insignium eius facultatis professorum descriptae vel potius depictae erant[1]. *Inter quas haec erat Canisii laudatio:*

PETRUS CANISIUS S. J.[a]

Neomagensis e Geldria, SS. Theologiae Doctor, primus e Germanis Societatis IESV Religiosus[b]: ob insignem animi moderationem, constantiam, ac prudentiam[c], a Summis ad summa non raro missus, vocatus, postulatus: a Guilielmo IV. Bavariae[d] Duce ad hanc Academiam, in qua Professoris Theologi, Procancellarij, et Rectoris[e] munere functus; ab Othone Cardinale et Episcopo[f] Augustano ad S.[g] Concilium Tridentinum, a Carolo V. Imperatore in causa Religionis Wormatiam, ab Imperatore Ferdinando Augustam, atque ad Episcopatum Viennensem, quem recusavit, a Pio IV. Pontifice Maximo ad Fidem in Germania Poloniaque[h][2] propugnandam[i], non[k] tantum concionibus assiduis, sed variis etiam libris pro Fide, et pietate editis ubique rem Catholicam promovit. Tandem admirabilem Sanctitatis opinionem consecutus Friburgi Helvetiorum innocentem animam Deo reddidit anno 1597. aetatis 77.

Anno 1729 universitatem ingolstadiensem a Benedicto XIII. petiisse, ut Canisius albo Beatorum inscriberetur, testatur *Mederer* l. c. II, 151. Litterae Eystadio 2. Iunii 1729 datae, quibus Franciscus Ludovicus Schenk de Castell, episcopus eystettensis, idem praestitit, editae sunt in „Pastoral-Blatt des Bisthums Eichstätt“ VIII

[a] *Rad. Proc. fris. Med. om.* S. J.

[b] religiosis uere germanus *Proc. fris. Apud Raderum haec sequuntur:* ac deinde eidem Societati in Germania primus Prouincialis Praepositus, ab ipso B. Patre Ignatio ob insignem *etc. Eadem sunt in Proc. fris., nisi quod scriptum est:* ab ipso B. P. Ignatio datus.

[c] constantiam, prudentiam *Rad. Proc. fris.*

[d] vtriusque Bauariae *Rad. Proc. fris.*

[e] Professoris Theologiae et Rectoris *Proc. fris.*

[f] Cardinali, Episcopo *Rad.;* Cardinali Episcopo *Proc. fris.*

[g] SS. *Proc. fris.* [h] Germania ac Polonia *Rad. Proc. fris.*

[i] propagandam etc. *Rad.;* propugnandam propagandam etc. *Proc. fris.*

[k] *Raderus:* Dum et sacris concionibus, etiam apud Imperatores et Duces assidue habitis, et variis libris pro fide, pro pietate editis, rem Catholicam mirifice iuuisset, promouisset, et perpetuam vitae innocentiam, et summam in omni virtute praestantiam, admirabilem sanctitatis opinionem consecutus esset, tandem Friburgi Heluetiorum sanctam animam Deo reddidit die festo S. Thomae Apostoli. Anno CIƆ.IƆ.XCVII. Vixit annos LXXVI. Menses VII. dies XIII. *Eadem sunt in Proc. fris., exceptis his lectionibus variantibus:* Cum et sacris — ob perpetuam — consecutus, tandem — in die — aetatis suae LXXVII. *et haec verba postrema sunt.*

[1] „Monumenta“ illa sive „epitaphia“ picta esse (saltem saeculo XVI.) ex rationibus pecuniarum a facultate theologica a. 1536—1574 erogatarum cognoscitur (*„Codex Dati et Acceptj“ etc. [ut supra p. 713] p. 16 et in a. 1570). In appendice supra scripta 22 eiusmodi „epitaphia“ collecta sunt professorum, qui saeculo XVI. theologiam Ingolstadii tradiderunt.

[2] In Poloniam Canisius missus est non a Pio IV., sed a Paulo IV.

(Eichstätt 1861), 206. Idem a Pio IX. efflagitavit Gregorius de Scherr O. S. B., archiepiscopus monacensis, litteris Monachio 22. Februarii 1859 datis, quae typis exscriptae sunt in „Positione super miraculis“ (Romae 1860), Summ. add. p. 1. Utrique etiam dioecesi a sancta sede concessum est, ut Canisii festum quotannis ageret [1].

F.

MONUMENTA VIENNENSIA CANISII.

1551—1556.

a) Canisius Viennam evocatus.

1551—1552.

80.

Ineunte anno 1552.

Ex *Actis Sanctorum* Iulii VII (Antverpiae 1731), 496. Ex „Actis“ integra epistula transcripta est a *I.-M. Prat* S. J., Le Père Claude Le Jay (Lyon 1874) p. 479 ad 480 et in „Cartas de *San Ignacio*“ III, 475—476.

Ferdinandus I. Romanorum rex S. Ignatio scribit Vienna 4. Decembris 1551: Sibi „ostensum“ esse Patres Claudium Iaium et Nicolaum Lanoium „satis magnos istos labores, qui ipsis incumbunt, tam publice privatimque legendo, quam summam quamdam christianae doctrinae, quae in lucem edita nostrae aetatis hominibus cum magna utilitate proponi queat, componendo, vix ferre“ posse. Ideo se vehementer cupere „adhuc unum aut alterum ejusmodi doctum et pium . . . Societatis theologum“ in collegium Societatis Viennae a se institutum adsciscere. Et iam se audivisse „duos tales insignes theologos ejusdem Societatis . . . et Germanicae nationis in academia Ingolstadiensi esse“, „quos tamen“ Ignatius „alio transferre“ decrevisset. Licet autem ipse Alberto V. consanguineo suo praeiudicium inferre nolit, rogare se tamen, ut, si eos avocare omnino sit deliberatum, Ignatius sibi eos concedat.

Socios viennenses Ferdinando suggessisse, ut Canisium et Goudanum peteret, *Polancus* testatur [2].

Didacus [3] *de Lasso,* Ferdinandi procurator, Roma 3. Ianuarii 1552 eidem scripsit se ea de re cum Ignatio nondum potuisse loqui, locuturum autem proxime. Idem eidem Roma 7. Ianuarii 1552 scripsit: „Yo he hablado con maestre Iñigo de Loyola por los letrados que V. M. pide para el colegio que se ha començado en Viena, y a el se le haze dificultad sacar a quellos de Inglestat, para havellos llevado alli el Señor duque de Baviera, por hazer otro colegio. Ha se dado un medio con el consejo del Reverendísimo de S. Cruz [4], que su S. mande, que entre tanto que el Señor duque no haze el colegio, que vayan adonde V. M. mande. Yo hablare a su S. en ello y negociare que se haga asi. Por aca desta compañia de Iesus no paresce que ay cosa tan al proposito como esos.“ [5]

81.

12. Ianuarii 1552.

Ex *Genelli,* Ignatius p. 502—503; qui epistulam integram edidit ex cod. „Traslados“ etc. (cf. supra p. 710). Eadem est in „Cartas de *San Ignacio*“ III, 389. 31—32.

---

[1] In dioecesi eystettensi 16. Februarii agitur; cf. *Pastoral-Blatt* XII (Eichstätt 1865), 109. [2] Chronicon II, 564.

[3] Alii eum „Iacobum“ vocant. Hispanicum nomen „Diego“ erat.

[4] Marcellum cardinalem Cervinum dicit.

[5] *Druffel,* Briefe und Akten II, 9. 18.

S. Ignatius Roma 12. Ianuarii 1552 Ferdinando I. Romanorum regi:

Acceptis regis litteris se ei obtemperare quam maxime cupivisse: „Cum autem summus Pontifex aliunde non posse" regis „voluntati satisfieri intelligeret, et de duobus nostris theologis Ingolstadium ad Collegii institutionem missis in mentem venisset, placuit ejus Sanctitati, ut hi Viennam dum erectio Ingolstadiensis collegii differtur se conferrent." Se Canisio et Goudano statim id perscripsisse, ac sperare eosdem mox affuturos.

82.

12. Ianuarii 1552.

Ex *Genelli,* Ignatius p. 503—504; qui epistulam integram edidit ex cod. „Traslados" etc. Ex Genellio eam transcripsit *Prat,* Le Jay p. 480—481. Apographum epistulae antiquum est Monachii in archivo regni bavarici, cod. „Jesuitica N° 1357m" f. 4.

Eadem epistula est in „Cartas de *San Ignacio*" III, 389—390. 32—33.

S. Ignatius Roma 12. Ianuarii 1552 Alberto V. Bavariae duci: Se Romanorum regi duos Societatis theologos petenti, respondisse, nullos sibi suppetere[1]. *At summo pontifici placuisse, ut Canisius et Goudanus Ingolstadio Viennam mitterentur, idque „per unum ex Cardinalibus" sibi „significatum" esse. „Significando tamen, quod nostri theologi Ingolstadium missi essent, ut collegii inibi erigendi fundamenta iacerent, obtinui ut quasi mutuo a T. Ex. socero ad tempus concessi, redituri nimirum cum collegium esset inchoandum, mitterentur."*

„Quamvis", inquit *Polancus* (l. c. II, 564), „ipse P. Ignatius omnino Ingolstadio removere nostros cuperet, donec Collegium integrum eo mitteretur, sine offensione Ducis Bavariae id fieri cupiebat, et ideo ab ipsius socero, Imperatore, eos postulari voluerat. Quia tamen charitas exigebat ut auferretur alicujus offensionis occasio, etiam inter generum et socerum, hanc rationem inivit, ut Romae a Summo Pontifice nomine Regis romanorum duo theologi nostrae Societatis peterentur, non Ingolstadienses nominando; et, cum Pontifex satisfieri Regi vellet, suggeri fecit Pontifici non esse alios idoneos quam duos illos Ingolstadienses, qui tamen Duci Bavariae ad inchoandum ibi Collegium missi erant, sed posse Suam Sanctitatem praecipere ut mutuo donarentur Imperatori, interim dum Collegium illud Ingolstadiense fiebat."

83.

13. Ianuarii 1552.

Ex epistula archetypa, quae est Viennae in archivo caesareo (K. K. Haus-, Hof- und Staatsarchiv), Romana, fasc. 6 (1552), n. 2. Eadem edidit *Druffel,* Briefe und Akten II, 27—28.

Didacus de Lasso, Ferdinandi regis orator romanus, eidem scribit Roma 13. Ianuarii 1552: „Yo hable a su santidad para que mandasse, fuessen aquellos dos letrados que tiene el Señor Duque de Bauiera en Jnglestat, adonde v. magestad los quiere, y assi su santidad le ha mandado, y mastre Jnacio selo scriue aqui, hame parescido embiar las cartas a v. magestad porque de ay se podra embiar porellos." *Nil aliud occurrere scribendum*[2].

[1] Regis procuratori ita responderat; v. supra p. 727.

[2] Die 23. Februarii 1552 Ingolstadium cum Ignatii litteris advenit quidam a Ferdinando rege missus, ut Socios Viennam deduceret (*Polancus* l. c. II, 564).

84.

9. Februarii 1552.

Ex archetypo hispanico, quod apud nos est. Integra epistula ex apographo, quod est in „Varia Historia" t. I, f. 288, edita est in „Cartas de *San Ignacio*" III, 476—477.

Ferdinandus I. S. Ignatio Vienna 9. Februarii 1552: Se gaudere, quod Canisius et Goudanus ad tempus Viennam venturi sint. Socios universitatem, immo et Austriam totam multum adiuturos esse. Se Societatem Iesu diligere ab eaque Deo commendari cupere.

b) Quae Canisius in universitate viennensi gesserit.

1554—1555.

85.

17. Ianuarii 1554.

Ex cod. „Ferd. I. Privilegia 1548—1558 n. 7." f. 336^{b}—337^{b}; qui Viennae in archivo aulae caesareae exstat.

Decretum Ferdinandi integrum edidit *R. Kink*, Geschichte der kaiserlichen Universitaet zu Wien Ib (Wien 1854), 164—167.

Salaria, quae Ferdinandus I. Canisio et Goudano universitatis viennensis professoribus dari volebat.

Ferdinandus rex decreto 17. Ianuarii 1554 facto edixit, quos in universitate viennensi professores esse et quae singulis salaria tribui vellet. In eo decreto haec statuuntur:

THEOLOGI.

Primarius .D. Leonhardus Villinus[1] habeat Centum et Septuaginta florenos.

Secundus .D. Petrus Canisius Centum Quadraginta.

Tertius .D. Nicolaus[2] Centum et Quadraginta.

IVRECONSVLTI.

Ordinarius S. Canonum Professor D. Laurentius Kirchamer habeat Centum et Septuaginta.

Primarius Iuris Ciuilis professor . . .

Ferdinandus I. in „reformatione nova", quam 1. Ianuarii 1554 universitati viennensi dedit, constituit, ut facultas theologica tres „ordinarios" haberet professores. „Primus nempe Optimos ac praecipuos quoslibet Veteris Testamenti, tam Moisi quam Prophetarum libros aestate hora sexta matutina, Secundus nouum testamentum ex ordine hora octaua, Tertius autem Methodum ex Magistri Sententiarum

---

[1] Leonardus Villinus (Höfler; apud *Polancum* l. c. III, 253: Felinus), styrus, canonicus ecclesiae cathedralis viennensis, postea (1557) etiam custos eiusdem et officialis episcopi passaviensis, professor Scripturae sacrae veteris Testamenti, † 1567 (*Aschbach* l. c. III, 290—291. *Wappler* l. c. p. 376).

[2] P. Nicolaus Goudanus theologiam scholasticam tradebat (*Wappler* l. c. p. 377); cf. supra p. 410[5].

libris extrahendam, et in his quae per eundem forsan praetermissa ac pro praesentis temporis conditione haeresiumque extirpatione commoda visa fuerint, supplendam locupletandamque hora duodecima pomeridiana, in Auditorio Archiducalis Collegij singulis diebus solitis publice praelegat." [1]

Canisium et Goudanum salaria sua accipere abnuisse litterae proxime subiungendae patefacient.

Ante octo fere annos Monachii venalis erat codex in 4° (152 ff.) saeculo XVI. scriptus, qui continere dicebatur Petri Canisii „Commentaria in epistolam B. Pauli apostoli ad Romanos" et Alpheurii „Excerpta dogmatica" atque in bibliotheca Carthusiae „Buxheim" (in Suebia bavarica) antea asservabatur [2]. Quodsi commentaria illa reapse Canisii sunt, probabile est eum Viennae exeunte a. 1552, cum P. Nicolaus Goudanus graviter aegrotaret [3], eius loco eam epistulam in universitate explicandam suscepisse [4].

Magistrum Iacobum Flandrum (Aldenardum) novicium eodem tempore logicam Aristotelis in universitate interpretatum esse asserit *Socher* (l. c. p. 28); sed fortasse Iacobus id praestitit domi.

86.

Ferdinandus I.

Ioanni Alberto Widmanstadio,

universitatis viennensis „superintendenti", Austriae inferioris cancellario, consiliario suo.

Vienna 21. Octobris 1554.

Ex apographo eiusdem temporis (2°; p. 1), a Sociis viennensibus ad S. Ignatium misso; in cuius pagina altera Canisius scripsit: „Copia literarum Regis ad Superintendentem Vniuersitatis Viennensis de salarijs debitis Societati JESV."

Cum Canisius et Goudanus salaria pro scholis academicis et contionibus sibi debita accipere abnuant, eas pecunias a superintendente colligendas et ex iis libros, et si quae alia iisdem necessaria sint, emenda, reliqua autem liberalis donationis nomine collegio viennensi tribuenda esse.

Ferdinandus Dei Gratia Romanorum Hungariae et Bohemiae etc: Rex etc:

Honorabilis, Docte, Fidelis, Dilecte, Cum habita status et ordinis sui ratione Religiosi uenerabilis societatis Jesu uiri, ad conciones et lectiones publicas habendas, communi more, certa mercede et dicto salario conduci se non patiantur, et nihilominus D. Canisius ad D. Stephanum hic Viennae concionando cooperetur et Ecclesiae suam operam nauet atque vna cum alijs eiusdem societatis fratribus aliquot publicas etiam in Academia nostra Viennensi lectiones habeat, quarum salaria a nobis hactenus expendi consueuerunt, Operae precium nobis facturi visi sumus, si vtriusque et eius quod ad D. Stephanum concionatori pendi solet, et eius quod publicis Academiae professoribus de

[1] *Kink* l. c. II, 376.

[2] Catalogue XLI de la Librairie — ancienne de *Ludwig Rosenthal* à Munich, p. 117. [3] De ea aegritudine cf. *Polanci* Chronicon II, 581.

[4] *Polancus* affirmat Iaio in hac epistula exponenda Goudanum successisse (l. c. p. 573).

nostro tribuitur salarij summam quam ipsam suis concionibus atque lectionibus eius societatis Religiosi nunc promerentur, a te nostrae Academiae Superintendente recipi atque colligi, ac dictis personis si quando librorum vel etiam aliarum rerum comparandarum necessitas exegerit, vtiliter et qua fieri poterit commoditate ministrari et si quid porro residui fuerit, in rem et vsum Collegij Societatis illius expendi cures [?][a]. Dabis ergo operam tuam nobis, et Concionatoris supra nominatae Ecclesiae salarium, itemque lectionum publicarum mercedem ad te recipies, et inde doctori Canisio ac alijs societatis eius professoribus libros, et alia quibus necesse habebunt comparabis, ac si quid residui fuerit, praeposito Religiosorum illorum, muneris et liberalitatis loco, nostro nomine totum tribues atque numerabis. vt hac ratione idipsum in rem et vsum communem Collegij cedat, hoc vno fine principaliter spectato, vt nihil omnino in hac re illis fraudi sit, sed sine scrupulo[b], et ullo suae Regulae praeiudicio hoc totum accipere ac debito laboris sui praemio hoc praesertim tempore vel in communi promouenda sua sustentatione hac saltem via et occasione frui atque gaudere possint. Feceris in hac re voluntatem nostram. Datae in ciuitate nostra Vienna XXI die Octobris anno domini MDLIIII Regnorum nostrorum Romani XXIIII aliorum vero XXVIII

Ferdinandus

Jonas D. Vicecancellarius.

Ad mandatum dominj Regis proprium.

87.

Aestate anni 1554.

Ex commentariis autographis Gasparis a Nydpruck, qui Viennae sunt in bibliotheca aulae caesareae (Hofbibliothek), cod. 9737[i] f. 123. 125.

Disputatio a Canisio habita.

Doctor Gaspar „a Nydpruck", regis Romanorum ac regis Bohemiae consiliarius aulicus[1], *cryptolutheranus, Vienna 23. Augusti 1554 Christophoro a Carlowitz, Augusti Saxoniae principis electoris consiliario lutherano, scribit:*

... Mitto .... propositiones quasdam a Jesuitarum Chorago et Rabi disputatas. Tu ex vngue Leonem iudicato, et si commode licet ei ad quem literas inclusas habes, communicato ....

Idem eodem die Nicolao Gallo (Han), Lutheranorum „superintendenti" ratisbonensi:

---

[a] *Sic;* curaremus? [b] *Sic Canisius correxit; scriptum erat:* molestia.

---

[1] Nydpruck (Nidbruck) Ioannis Sleidani historiographi affinis erat (*Herm. Baumgarten*, Sleidans Briefwechsel [Strassburg 1881] p. 277). Cf. etiam supra p. 489[3].

. . . . Propositiones hic disputatas[a] a Jesuitarum patrono perlege et ex vngue judica leonem . . .

Aschbach: „Peter Canisius“, inquit, „trat auch in öffentlichen Disputationen auf. Er liess sich durch seinen Eifer in der Weise hinreissen, dass bald Heftigkeit und Gezänke in den Vordergrund traten, und veranlasste, dass die Gegner in gleicher Weise leidenschaftlich auftraten, so dass Gefahr drohte, es könne von Worten zu handgreiflichen Conflicten kommen.“ [1] Atque haec asserit quidem ille, sed nullo modo probat.

Fortasse de thesibus illis Nydpruckii collatum est in disputatione, de qua Sebastianus Phauser, Maximiliani regis contionator lutheranus, 13. Martii 1555 Viennae narravit Blahoslao, fratrum bohemorum ministro. Qui: „In publica“, inquit, „disputatione cum Canisio de invocatione sanctorum hanc tollendam esse velut abusum volebat Sebastianus Fauserus. Citatus est locus Augustini multorum corpora siue reliquias veneramur in terris, quorum anime sunt apud inferos[2], negavit Canisius Augustini esse dictum, sed suppositium.“ [3]

Canisius autem Phauserum ad alteram disputationem provocasse videtur. Nam Sacchinus, postquam rettulit P. Hieronymum Natalem 1. Maii 1555 Viennam advectum esse collegii visitatorem, haec addit: „Plurimum acer ille verae laudis aestimator delectatus est virtute, industriaque Canisij; quem beato Ignatio dilaudans, eius praecipue factum laboribus per eos ipsos dies, et concionibus narrat“, ut „praenobilis, et gratiosus concionator, qui et prouocatus ad disputationem erat, non ausus congredi, repentina fuga se eriperet; vnde et magno Vienna periculo liberata erat“ [4]. Atque Orlandinus de eodem Natali scribit: „Quo die Viennam attigit, eo die nobilis quidam concionator abscessit, qui et suis, et alienis fultus opibus praua dogmata libere, impuneque disseminabat.“ [5] Notandum est Natalem Augusta venisse, ubi Ferdinandus rex tunc morabatur, de Phausero graviter indignatus [6]. De eodem Natali P. Ioannes de Polanco, Societatis secretarius, S. Ignatii iussu P. Emmanueli Lopez, collegii S. J. complutensis rectori, Roma 17. Iunii 1555 scripsit: „En Viena se ha hecho una cosa por su medio, que en gran manera nos ha consolado (aunque no tenemos letras del mesmo, pero el Cardenal de Augusta las tiene de dos partes), y es que el Rey Maximiliano tenia un predicador, á quien mucho favorecia; y era luterano, y predicaba públicamente la doctrina tal. . . . Ahora entendemos que se ha habido de tal manera el P. Mtro Nadal, que el predicador ha ido huyendo y con peligro de su vida.“ [7]

---

[a] disputatae *cod. vienn.*

---

[1] Geschichte der Wiener Universität III, 97—98.

[2] Alii hunc locum his verbis conceperunt: „Multorum corpora honorantur in terris, quorum animae torquentur in gehenna“. *Bellarminus:* „Respondeo“, inquit, „locum hunc fortasse non esse Augustini: nusquam enim in eius operibus eum reperire potui: praeterea intelligi posse de impijs, qui honorantur superbissimis sepulcris, cum tamen animae torqueantur in Gehenna: vel de corporibus Sanctorum non canonizatorum: vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus Sanctorum: vel denique de Martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab haereticis vt Martyres, cum eorum animae reuera torquerentur in inferno“ (De controversiis christianae fidei t. II, contr. 4, l. 1, c. 9 [Coloniae Agrippinae 1619], p. 720).

[3] Blahoslaus scribit Phauserum haec subiunxisse: „Item cum D. Nicolao Gaudano in convivio multis contuli et disputavi de Ceremoniis et abusibus in ecclesia“ (Fontes rerum austriacarum 2. Abth., XIX [Wien 1859], 134).

[4] De vita Canisii p. 100.

[5] Historiae Societatis Iesu prima pars, l. 15, n. 28.

[6] V. supra p. 525. 529. [7] Cartas de *San Ignacio* V, 224.

88.

A mense Aprili usque ad Iulium 1554.

Ex apographo nuper descripto ex actis Politae, quae in archivo urbis cuiusdam germanicae asservantur; v. supra p. 462.

Quaestiones de religione a senatu („regimine") Austriae inferioris Nicolao Politae, artium professori viennensi, propositae, cum eius responsis[1]. *Canisius Politem a Lutheranismo ad fidem catholicam reducere frustra conatur. Fabricius.*

1.

Articuli examinatorij circa fidem adiunctis responsorijs in margine .XVI.

[Quaestiones regiminis austriaci.]	*[Responsa Politae.]*
Circa articulum de ecclesia.	
An credat hanc solam ueram esse catholicam ecclesiam in qua est vnanimis et communis professio doctrinae Euangelicae et Apostolicae secundum intellectum et expositionem sanctorum patrum et diiudicationem et determinationem generalium conciliorum ab ecclesia receptorum et in qua est administratio Sacramentorum secundum catholicam traditionem in ecclesia occidentali hactenus pie et laudabiliter obseruata, et quae[a] non in angulo aliquo orbis terrarum conclusa sed in unitate doctrinae et Sacramentorum communione in uinculo pacis diffusa est et propagata per totum orbem. Psal: 15[2].	Credo ecclesiam per totum terrarum orbem diffusam esse, non solum in occidente. patribus[b] plurimum tribuo. concilijs similiter[c]: sic tamen, vt diligens sepe habendum discrimen putem[d] ex scripturarum collatione.
De obedientia Romanae ecclesiae.	
An[e] credat in hac ecclesia catholica nos omnesque alios [esse] qui in hac concordia communione et pace sub obedientia unius summi pontificis et sanctae sedis Apostolicae uiuimus.	Meum non est iudicare, credo omnes uera membra ecclesiae esse, qui et propitiatorem confitentur Christum esse [et][f] filium Dej, eos confitebitur Christus cui iudicium datum est coram patre suo caelesti.
An credat praeter Christum esse caput vicarium uniuersalis ecclesiae et idem esse Romanum[g] pontificem.	Omnes sacerdotes vicarios Christi in administratione Sacramentorum et uerae [fidei] promulgatione credo, unum caput uicarium non credo.

[a] qua et *libr. rec., quem in ipsis actis antiquis (cf. supra p. 462) non ea tantum, quae ipse diserte, signis additis, menda notavit, sed etiam reliqua, quae in eius apographo sunt, omnia vel fere omnia repperisse opinor.*
[b] patris *libr. rec.* [c] tribuo conciliis. similiter: *libr. rec.*
[d] puto *libr. rec.* [e] Ac *apogr. antiquum.*
[f] *Hoc fortasse supplendum.* [g] Romanam *ap. ant.*

[1] Verisimillimum est quaestiones hasce a Canisio conceptas esse. Eas Politae sub 18. Aprilis 1554 propositas esse ex actis eruitur. Cf. supra p. 462[1]. 465.
[2] Cf. Ps. 15, 4: „Non congregabo conventicula eorum" etc.

[Quaestiones regiminis austriaci.]

De ecclesia sectariorum.

An credat ecclesiam esse Lutheranos seu Butzeranos seu similes horum sectarios qui ecclesiam quam nos ut Apostolicam et Catholicam agnoscimus execrantur atque adeo non Christi sed Antechristi regnum uocare non[a] uerentur.

[Responsa Politae.]

Credo multos qui hoc nomine appellantur esse ecclesiae membra, conuicia[b] et contumelias semper detestatus sum, cum his uelim repetita esse quae ad .2. articulum respondi.

De iustificatione.

An credat iustificationem hominis constare ea sola fide qua quis credit sibi non imputari peccata propter Christum an nobiscum credat iustificationem esse communicationem iusticiae Christi, non solum eius imputationem, sed actualem regenerationem et renouationem mentis per spiritum charitatis quo demum per fidem accepto ex iniustis iusti efficimur et quae iusta et sancta sunt operamur peccatis Christi merito condonatis.

Hominis iustificationem credo constare fide per non imputationem peccati et imputationem iustitiae Christi atque hanc imputationem non esse[c] communicationem iusticiae Christi, charitatem et bona opera ab hac fide non segregari sed semper indissolubilium fructuum[d] instar eidem adpendere ita ut si hi non appareant aut sequantur fidem nullam esse putem.

De peccato originali.

An credat concupiscentiam quae in renatis post baptismum manet re uera peccatum esse cuius gratia homo damnatione dignus sit.

Credo re uera pecatum esse et quod ad hominem pertinet damnatione dignum, sed misericordia Dei per Baptismum damnationem sustulit, concupiscentiam interim peccatum originale intelligo.

De libero[e] arbitrio.

An credat liberum hominis arbitrium a Deo excitatum et per gratiam eius praeuentum et adiutum[f] concurrere tanquam partiale agens ad merita et legis impletionem.

Esse agens non credo.

De peccato damnante hominem.

An credat damnationem sequi quodlibet peccatum mortale etiam si non fiat contra conscientiam aut verbum Dei sed contra mandatum ecclesiae[1].

Omne peccatum damnationem meretur.

De ceremonijs baptismi[g].

An credat in administratione[h] Baptismi adhibendas esse solemnes orationes et ceremonias ecclesiasticas quales sunt exorcizatio et exufflatio Diaboli, crebra crucis impressio et quid sentiat de huius modj ceremonijs.

Credo non necessarias esse has ceremonias, si tamen accedant nihilominus Baptismum esse ut in prima confessione protuli.

---

[a] suo *libr. rec.* [b] conicia *libr. rec.*
[c] hanc imputationem non imputationem esse *libr. rec.* [d] fructus *libr. rec.*
[e] libro *libr. rec.* [f] adiunctum *libr. rec.* [g] babtissmi *ap. ant.*
[h] administrationem *libr. rec.*

---

[1] Ex eo quod conscientia hic verbo Dei et mandatis ecclesiae opponitur, conscientiam naturalem, sive quae legem naturae manifestat, significari patet.

[Quaestiones regiminis austriaci.]	*[Responsa Politae.]*
De transsubstantiatione.	
An credat in consecratione Sacramenti Eucharistiae substantiam panis et uini mutari in corpus et sanguinem Domini uirtute uerborum Christi an simul cum corpore domini[a] substantiam panis manere.	Non intelligo mysterium Sacramenti huius aut alterius et permaneo in prima mea confessione et ijs quae in meis reliquis scriptis addidi.
An credat aut sentiat Eucharistiam adorandam esse.	Jdem respondeo quod ad praecedentem articulum.
De sectarijs consecrationibus.	
Circa sectarios consecrantes Sacramentum primo interrogetur quos intelligat ministros ecclesiae an etiam eos qui non sunt legitime consecrati ab Episcopis. Secundo an credat Lutheranos et Buzeranos sacerdotes ministros esse ecclesiae. Tertio an credat posse fieri consecrationem corporis et sanguinis domini. sine[b] forma consecrationis in canone missae expressa[c]. Et quid de ipso canone missae sentiat an possit[d] omitti.	Ministros ecclesiae intelligo sacerdotes, sacerdotes intelligo eos esse qui ab Episcopis ordinati sunt, quosdam etiam qui ab aliqua particulari ecclesia communi consensu ad ministerium sub Dej reuerentia ex piorum et doctorum consilio sunt uocati, credo extra missae celebrationem corpus Christi consecrari posse et canonem omitti posse.
De indissolubilitate matrimonij.	
An ex scriptura sacra credat matrimonium etiam superueniente fornicatione[e] indissolubile esse. An uero ex sola honestatis ratione.	Credo indissolubile [?][f] esse superueniente fornicatione[g].
De inuocatione sanctorum.	
An credat sanctos in coelo cum Christo regnantes rite a Catholicis inuocari.	Quod ad me pertinet non inuoco, reliquos [non] dijudico[h].
De miraculis sanctorum.	
An neget miracula facta esse apud monumenta sanctorum et quid de illis miraculis sentiat.	Non nego facta esse praecipue in primitiua[i] ecclesia[k] ad confirmationem fidei imbecillium, saepe tamen Diabolus similibus se admiscuit.
De ieiunijs et abstinentia a carnibus.	
An credat ieiunia ab ecclesia indicta obligare hominem in conscientia etiam non concurrente mandato magistratus secularis et item de abstinentia a carnibus.	Non credo.
De uotis monasticis.	
An credat uota monastica ex arbitrio uouentis posse rescindi dum presertim ipsius conscientia dictat causam subesse rescindendi.	Credo.

[a] dominis *ap. ant.* [b] sint *libr. rec.* [c] expressae *libr. rec.*
[d] posse *ap. ant.* [e] formatione *libr. rec.*
[f] indissolubilem *libr. rec.;* dissolubile? [g] formatine *libr. rec.*
[h] reliquas dijudico *libr. rec.* [i] primitura *ap. ant.*
[k] ecclesiae *libr. rec.*

[Quaestiones regiminis austriaci.]	*[Responsa Politae.]*
Circa dignitatem status coniugalis et uirginalis explicet utrum credat prestantiorem esse.	Mihi et naturae meae status coniugalis [magis conuenit,][a] si quis peculiariter a Deo priuatus est stimulo carnis[b] ad uerbi Domini promulgationem longe praestantior est uirginitas.
An sentiat recte facere magistratus hereticos puniendo corporalibus poenis.	Nescio, magistratus interim suum officium nouit, puniendi certe sunt qui seditiosi.
De ecclesia.	
Postremo an[c] sentiat idem iudicium esse de ecclesia uniuersali et particularj.	Non sentio.

[Polites haec subiungit:] Haec habui Magnifici atque Amplissimi uiri quae ad mandatum Sacratissimae Regiae Maiestatis super praecedentibus articulis responderem, confirmationem eorum quae respondeo quia addere non licuit, relinquo in eo scripto quod ex scripturis contexui. Commendo me cum omni reuerentia Magistratus mei omnibus et singulis supplicans humilime ut preciosa sit anima mea in conspectu uestro. Quod adhuc scripturis et[d] ijs solis inheream faciunt tumultuosa tempora quibus natus sum. Cum enim uiderem tot sectarum diuersitates[e] putaui nusquam tutius me posse requiescere[f].

Sacrae Romanorum Hung: Boh: etc. Regie Maiestatis in Austria inferiori Regentes uigilantissimi uiri et Dominj Magnifici atque Amplissimi.

Ex sacrae Regiae maiestatis mandato iusserunt vestrae Magnificae Amplitudines ut ad articulos postremo mihi oblatos[g] responderem non per scripturarum contextum sed simpliciter per haec uerba. Credo, non credo, non intelligo, dubito. feci id quatenus articulorum uarie saepe intricatorum natura passa est. Supplico vestris[h] Magnificis Amplitudinibus ut dignentur hoc[i] pro sufficientj obedientia quod ex animo praestare admissus sum suscipere. Dominus Deus sit omnibus et singulis adiutor et pater.

2.

Relatio de congressione, quam Canisius aliique universitatis viennensis professores exeunte Iunio a. 1554 cum Polite in carcere incluso habuerunt.

Reuerendi illustres Magnifici atque Clarissimi Domini Sacrae Regiae Maiestatis consiliarij amplissimi, de consilio Regiminis Austriaci Domini Clementissimi. Conuenerunt heri[1] sicut iniunxerunt M. V.[2] et causam M. Nicolai Politae plenius et de nouo tractarunt Reuerendi D. Doctores una cum duobus de facultate artium deputatis[3], quj omnes quatuor ut sequitur: Cum ad Politam ingressi essent, secundum formam sibi praescriptam negotium inchoarunt. Et primo Reuerendus D. Doctor Petrus Canisius interponere cepit adhortationem, ut consideraret Polites, ut [?] quam pie ac sedulo admonendum curaret Regia Maiestas per excelsum regimen, quantique

[a] *Hoc vel simile supplendum esse, ea, quae sequuntur, patefaciunt.*
[b] carceris *libr. rec.* [c] aut *libr. rec.* [d] ut *libr. rec.*
[e] diuersitatis *libr. rec.* [f] exquiescere *libr. rec.*
[g] oblato *ap. ant.* [h] uiris *ap. ant.* [i] haec *libr. rec.*

[1] 26. Iunii convenisse videntur. Nam in actis paulo ante has litteras scriptum est: „Processus causam Politae continens. Postrema admonitio ut conuerterer. 26. Iunij 54ti." Quae ad ipsas has litteras, licet in actis quaedam interiecta sint, pertinere videntur. [2] Magnificentiae Vestrae.

[3] Andreas Dadius et Georgius Muschler significantur; v. infra p. 737. 738.

referret relictis erroribus, et damnatis olim haeresibus in uiam redire[a], doctrinam amplecti ecclesiae, se ac suos seruare, uxori et liberis prospicere, neque in illa manere pertinatia, quam priores ipsius confessiones ostendant, neque facile negligere[b] Regiae Maiestatis authoritatem, et doctorum hominum iudicium, atque consentientes patrum sententias, nec defuisse tempus et ocium, tot mensibus ut deliberare non potuerit de suis confessionibus.

Ad quam cohortationem D. Doctoris Canisij M: Polita respondit.

·I· Miror me haereticum et schismaticum damnatum esse (videlicet de mandato Regiae maiestatis intelligens)[c].

·II· Magnum pondus apud me Regia maiestas habet, et maius quam quisque putet, vxor etiam mihi chara, liberos Deus[d] abstulit quos dederat, nutritios quinque alo.

·III· Nullius peruicatiae mihi conscius sum, sed quicquid dico, dico salua conscientia.

·IIII· Doctorum hominum iudicium nunquam subterfugi, Dominus DEVS autem promouebit [?][e] istos doctos, secundum id quod in prioribus meis confessionibus dixi. Judicaturum illum qui habet iudicium a Deo patre.

·V· Quale spacium temporis mihi relictum sit ad responsiones meas, quae commoditates, nouit Deus, cum caruerim libris [1], uinctus fuerim, neque semper ad praefixum tempus ea mihi[f] tradita sjnt, quibus poteram causam meam promouere et iuuare. His ita praemissis atque responsis per Politam tandem etiam D. Doctor Canisius ad alios se conuertens, monuit ac rogauit omnes ut secundum dominorum de regimine mandatum suas singuli adhortationes adferrent, et pio christianae charitatis officio M: Politem ad melius reuocarent. Vnde cepit D. Doctor Nicolaus Lanoy proponere et adhortari similiter, ut rediret ad uiam ueritatis neque expectaret alios doctores qui ueritatis uiam ipsi Politae aperirent. Quos alioqui ex superioribus eius dictis apparet illum praestolari et exoptare. Cum alioqui isti quatuor censendi sint ad id officij sufficere, ut pote uia ordinaria et omnino regia ad hoc ipsum destinati. Quibus proinde potius deberet fidem adhibere, quam suo solius iudicio. Nisi autem resipisceret et hanc uiam sequeretur, merito et corpus et animum summo periculo exponeret et praeterea uxorem ac suos in calamitates conijceret, meritasque peruicaciae poenas daret.

Cui respondit Polites.

·I· Quod ad me, uxorem, liberos pertinet, et salutem animae, doctos, peruicatiam, respondeo idem quod superius.

·II· Christum ego expecto examinatorem causae meae, si non hic, tempore oportuno, idque, ut puto, tanquam nomine [et re?][g] Christianus et non Anabaptistico spiritu.

Quo facto deinde rursus admonuit D. Doctor Canisius M: Andream Dadium [2], ut pio suo etiam officio in admonendo [fungeretur. Qui D. Canisio respondit: Non habeo.][h] quod dicam quia Theologus non sum. Ad quae eius uerba respondit iterum

---

[a] rediret *libr. rec.* [b] negligeret *libr. rec.*

[c] *Apographum antiquum in margine:* Parenthesim iusserunt Iesuitae addi.

[d] Deos *libr. rec.* [e] *Sic;* prouidebit? [f] nihil *libr. rec.*

[g] *Haec ex Politae mente supplenda esse videntur.*

[h] *Haec vel similia suppleri oportet. Librarius antiquus integrum archetypi versum videtur omisisse.*

---

[1] Ex actis supra scriptis cognoscitur Politae haec duo opera in carcerem missa esse: a) Libros tres priores Institutionis christianae a Petro de Soto O. Pr. conscriptae, iussu Ottonis cardinalis augustani editos; b) Antonii Florebelli (Fiorabelli, Fiordibello) modenensis opus De auctoritate ecclesiae, cardinali Sadoleto dedicatum.

[2] *I. Aschbach,* universitatis viennensis historiographus, Andream Dadium, philosophiae et postea medicinae professorem, protestantibus adnumerat (l. c. III, 369). Dadius a mense Aprili usque ad Octobrem anni 1554 decanus facultatis artium erat (*Aschbach* l. c. III, 387).

D. Doctor Nicolaus. Omnium esse[a] admonere fratres etiam ancillarum. Cui ille iterum respondit. Se non intelligere causam, nec posse de istis rebus disputare. Sed libenter se interesse ut audiret eorum admonitiones. Subiunxerunt Theologi. Verum id quidem esse. Sed cuiuslibet hominis et praesertim Christiani esse, admonere fratrem erroris sui. Quod minime in hac causa detractandum uideretur. Jubente praesertim excelso regimine. Nihil autem deinde ille in medium protulit.

Deinde rursum D. Canisius a Muslero[1] petijt, ut saltem ipse secundum commissionem acceptam, cum M: Polite[b] ageret[c], illumque moneret Christiane[d]. Qui respondit. Ego libenter aberrantem a uia reducere uellem, si exacte uel causam cognoscerem uel a principio interfuissem, et meae professionis esset, sed quoniam Polites fatetur, se destitutum fuisse, et libris et occasione, idcirco si sibi alicuius erroris aut lapsus esset conscius, in uiam ueritatis, in qua non est error, rediret, admonuit. Respondit Polites.

Quod ad libros et occasionem pertinet non multum modo laboro[e], quandoquidem res eo [?][f] peruenit tam longo temporis spatio, permaneo adhuc in prioribus meis confessionibus, et protestatione de obseruantia erga magistratum. Erroris mihi nullius sum conscius.

His absolutis dedit Doctor Canisius articulos confessionis ultimae quam Polites aedidit, praelegendos Notario, monens ipsum quoque Politam, ut secundum[g] dominorum de Regimine uoluntatem ad singulos articulos bona fide responderet.

Liberum enim adhuc esse eosdem uel retractare, [uel] addere uel adimere ijsdem. Jlle uero suam confessionem scriptam, in manus ultro capiens, non uoluit, ut uel unus articulus prelegeretur, addens expressis uerbis. Quod nihil omnino[h] mutare uellet in omnibus et singulis, nisi quod circa .14. articulum, de inuocatione sanctorum, in confessione germanice traducta, uoluit[i] ut haec uerba adderentur. Venerabilem esse memoriam sanctorum apud se.

Quare his ita finitis dominis uisum est omnibus cum illo latius agendum non esse, circa lectionem dictorum articulorum.

Postremo autem Polites monuit in scriptis addi posse, quod cum ipso actum esset humaniter, et proinde etiam gratias dominis discedentibus egit.

Notarius subscripsit.

3.

Polites ex Austria expulsus.

Paucis diebus post sic statutum est a Ferdinando rege:

Regia Maiestas *etc.* mandat Regimini *etc.:* Quandoquidem Nicolaus Polites permanet in haereticis suis opinionibus a Theologis hic damnatis ut eidem haec denunciet dictum Regimen. Quanquam sua Regia maiestas bono iure posset grauioribus poenis aduersus eum procedere memor tamen suae clementiae maluit mitiorem [partem] sequi, mandatque per Regimen ut post octo dies discedat ex omnibus regnis et ditionibus Regis nunquam rursus ingressurus sub poena capitali siue corporali et nunquam duabus noctibus eodem in loco permaneat.

[a] rem *ap. ant.* [b] Polites *libr. rec.* [c] argeret *ap. ant.*
[d] Christianae *libr. rec.* [e] labore *libr. rec.*
[f] *Sic fortasse legendum; libr. rec.:* ei. [g] secundare *ap. ant.*
[h] omino *ap. ant.*
[i] *Sic corrigendum esse omnino videtur; libr. rec.:* noluit.

[1] Georgius Muschler (Musler) ex Oettingen, Suebiae oppido ortus, Viennae per plus quam 20 annos dialecticam tradidit et aliquamdiu etiam scholae „ad S. Stephanum" praefuit. Qui etiam filios Maximiliani II. instituit. Eum tunc Lutheri dogmata haud improbasse ferunt; postea autem ad fidem catholicam rediisse videtur (*Aschbach* l. c. III, 238—240. *Bucholtz* l. c. VIII, 223).

Cum autem Politae uxor Ferdinando supplicasset, ut ad negotia componenda longius tempus concederet, „regentes" austriaci 3. Iulii 1554 Politae rescripserunt regem in sua voluntate permanere, „vnnd ist der Regierung ernstlicher Befelch, das er Polites, wo er vor dem bestimbten achtesten tag sich von dannen erheben wolt, den selben der Regierung vnnd auch weliche strass er ziechen welle anzaige, vnnd mittler Zeyt weder ausgehe, noch khainen zw Jme einlasse".

Polites 4. Iulii rescripsit, se sabbato (qui dies erat 7. Iulii) curru Cremsium et deinde navi per Danuvium vectum iri; „quo ulterius me res meae deducent nouit Deus".

4.

Exeunte anno 1553 Paulus Fabricius saxo, mathematicus et astronomus, Viennam evocatus, in palatio regio coram Canisio et Postello tentatus, approbatus, universitatis professor et aulae regiae mathematicus a Ferdinando I. constitutus est. Quae Fabricius ipse testatus est anno 1587 in libello supplici, qui Viennae in bibliotheca aulae caesareae superest [1]. Canisius, cum eo tempore facultatis theologicae decanus esset, de fide ac religione eum interrogasse videtur. Fabricius postea Lutheranismum fere aperte professus est.

89.

Ab anno 1553 ad 1555.

Alia quaedam a Canisio universitatis viennensis professore gesta.

Plura, quam ea, quae protuli, de rebus a Canisio universitatis viennensis professore gestis in fontibus non inveni. Inter acta facultatis theologicae nil superest, quod ad annos 1550—1566 pertineat; ex tertio actorum volumine, quod hoc tempus spectat, septem folia exsecta sunt [2].

Sequuntur aliqua ex aliis libris excerpta:

a) De Sociis in universitatem viennensem receptis haec refert *Polancus* (l. c. III, 247. 264. 256):

„Invitati fuerant nostri ut in gremium Universitatis se admitti paterentur: et quamvis recusabant, non tamen evadere id potuerunt, nam Regis voluntate ad id quodammodo compulsi fuerunt." S. Ignatius autem, antequam id permitteret, „discere voluit an utilitas magna spiritualis inde rediret, et demum, si ea [i. e. universitas] invitaret, concessit" Socios admitti ita, „ut nec curam Rectoris nec Cancellarii susciperent". Admissi igitur sunt, „nihil tamen promittentes, quod ad observationem statutorum attinebat, nisi salva obedientia sui Superioris" [3].

b) Ut *Polancus* (l. c. p. 247—248. 256) narrat, Canisius anno 1553 in universitate viennensi (praeter vel post epistulam priorem ad Corinthios [vide supra p. 421]) „evangelium secundum Matthaeum mane interpretabatur". Sed auditores ei „quindecim aut sexdecim ad summum erant, aliquando sex vel septem tantum". Quibus accedebant, numeri augendi gratia, scholastici Societatis; qui tamen „vix inter auditores theologiae computari debebant, cum eodem tempore in collegio nostro in philosophico cursu exercerentur".

c) *Sacchinus* (Can. p. 86—87) haec adnotat anno 1554, quae tamen potius ad annum 1553 referenda esse videntur:

„Hoc tempore" Canisius „Decanus Academiae legitur [4], cum in eius corpus anno superiore cum Gaudano, atque Nicolao Lanoio cooptatus esset. Eodem tem-

[1] *Schrauf,* Nachträge etc. I, 142. [2] *Schrauf* l. c. I, 135.

[3] Hanc quoque condicionem ab ipso Ignatio positam esse ostendunt eius litterae 27. Iulii 1553 ad Lanoium datae (*Monumenta* historica S. J., Vita Ign. etc. III, 247 [2]).

[4] Canisius mense Octobri a. 1553 decanus facultatis theologicae constitutus esse videtur (*Wappler* l. c. p. 475). Lanoius anno 1551, Canisius et Goudanus anno 1553/54 in album universitatis relati sunt (cf. supra p. 414—415).

pore, et Academiae corrigendae, et discentium recognoscendis, emendandisque contubernijs (Bursas vocant) iussu Regis occupabatur. Qua in re nulla maior difficultas incidebat, quam ex administrorum idoneorum inopia, qui, quae prudenter decernebantur, ad vsum mox, et in mores sedulo revocarent".

Posteriores quoque affirmant Canisio sub id tempus a rege commissum esse, ut universitati viennensi reformandae operam daret [1]. Atque hoc constat: Ferdinandus paulo postquam Canisius post medium a. 1553 cum aliquot aliis universitatem „visitavit" [2], et eodem exeunte de eiusdem „instauratione" una cum praecipuis eius viris „in Aula Regia" „diu consultavit" et „in eo negotio vel totos saepe expendit dies" [3], eidem academiae 1. Ianuarii 1554 „novam reformationem" suam dedit [4]. Sed quaenam in ea „reformatione" Canisio suasore statuta sint, quaenam sine eius consilio ac fortasse etiam contra eius voluntatem, difficile fuerit definire [5]. Haud recte *Boero* de Canisio scribit (ad a. 1553): „Valendosi acconciamente della grazia e del favore che godeva presso il re Ferdinando, ottenne da lui, che si stabilisse per legge che chiunque volesse in avvenire essere promosso a gradi e a cattedre, dovesse prima soggiacere a rigoroso esame, e dar prove non dubbie di sana e cattolica dottrina." [6] Nam anno quidem 1546 universitati a rege interdictum erat, ne quem absque eiusmodi tentamine in professorum collegium cooptaret; sed anno 1554 ipsa illa „reformatione nova" statutum est, satis esse, quod quis sine iureiurando confirmaret, se orthodoxum et catholicum esse [7], sicque professoribus lutheranis porta universitatis magis etiam aperta est quam antea [8].

Quod autem ad „bursas" universitatis attinet, iam vidimus Canisium ipsum „collegio archiducali" reformando operam navasse; neque absque Canisii opera factum esse videtur, ut anno 1555, episcopi labacensis admonitu, Societas praefecturam bursae „aurei montis" („Goldberg") susciperet, quae scholasticis pauperibus atque imprimis theologiae studiosis destinata erat [9].

d) Inde a medio fere saeculo XVII. universitas viennensis quotannis Canisii sollemnem faciebat mentionem initio mensis Novembris, cum in templo cathedrali S. Stephani funebria anniversaria pro academicis mortuis ageret; in iis enim „multa aurium suavitate" (ut anno 1725 P. Sebastianus Mitterdorffer S. J. scribit) „hymnus gradualis" ille, dimetris iambicis conceptus, cantabatur, in quo universitas praeclarorum virorum suorum memoriam recolebat; atque hic ita incipiebatur:

„Rudolphus quartus Archidux fundator Athenaei,
Triumphet cum exercitu coelestis aciei.

---

[1] *A. Socher* S. J., Historia Provinciae Austriae S. J. P. I (Viennae 1740), p. 52. *Ios. Othm. card. Rauscher*, Der selige Petrus Canisius (Wien 1865) p. 42. *R. Perkmann*, Die Jesuiten und die Wiener Universität, 2. Ausg. (Leipzig 1866) p. 106. *Drews* l. c. p. 40—41. [2] V. supra p. 434—435.

[3] Ita *Erardus Avantianus* S. J. S. Ignatio Vienna 30. Ianuarii 1553 (Litterae quadrimestres II, 490).

[4] Typis exscripta est a *R. Kink* l. c. II, 373—401. De ea v. *Seb. Mitterdorffer* S. J., Conspectus Historiae Universitatis Viennensis (Viennae 1724) p. 191 ad 192.

[5] Canisio hortante fortasse facta sunt v. g. praecepta nn. 17. et 18: „de visitatione contuberniorum" et „de bibliopolis et librorum pretio".

[6] Canisio p. 98. [7] *Aschbach* l. c. III, 92—93.

[8] Ceterum vide, quae supra scripta sunt de Polita ob haeresim ex universitate atque ex omni Austria eiecto (p. 738. 739). *Schrauf:* „Die Behauptung Aschbachs (l. c. III, 267), Canisius habe sich vom Könige Ferdinand den Auftrag ertheilen lassen, die protestantischen Elemente von der Universität zu entfernen, lässt sich durchaus nicht beweisen" (Nachträge I, 138 [23]).

[9] *Mitterdorffer*, Conspectus p. 196—197. *Aschbach* l. c. III, 55—56. *Bucholtz* l. c. VIII, 188.

O ita post hunc praecipuus immaculatae Matris
Assertor, laetus videat vultum aeterni Patris.
Sic Thomas Haselpachius, et Doctor Argentinas,
Iajus, Petrus Canisius, et anima Becani." [1]

c) Conatus Viennae et aliis Austriae locis ad animas iuvandas a Canisio suscepti: contionibus, sacramentorum administratione etc.

1552—1555.

90.

30. Iulii 1552.

Ex *Gottl. Friedlaender,* Beiträge zur Reformationsgeschichte (Berlin 1837) p. 275—276; qui affirmat epistulam archetypam Berolini esse in bibliotheca regia „Mspt. lat. fol. 239. fol. 50". Eadem ex apographo typis exscripta est a *Menchaca,* (Epistolae S. Ignatii p. 460—461), et ex Menchaca in „Cartas de *San Ignacio*" (III, 395—396) translata. In alias quoque linguas versa est.

A Sociis viennensibus, praesertim Iaio et Canisio, idoneos iuvenes germanos in collegium germanicum Romae institutum mittendos esse.

S. Ignatius P. Claudio Iaio Roma 30. Iulii 1552: Collegium germanicum modo conditum esse Romae, ad iuvenes germanos in bonis moribus et omni doctrina Societatis cura instituendos eosdemque postea Germaniae subsidio mittendos. Quare visum esse cardinalibus collegii protectoribus et maxime augustano, ut Iaio „simul cum D. Canisio et aliis fratribus charissimis de societate nostra qui Vienae sunt, scriberetur, ut primo quoque tempore aliquos Germaniae[a] *nationis et linguae juvenes Romam" mitterent; in quibus quaerendis et mittendis eam diligentiam idque studium adhibenda esse, quae „in re maximi momenti ad Dei gloriam et proximorum salutem"*[b] *adhiberetur.*

Iaius iam e vita excesserat, cum haec epistula in collegium viennense inferretur. Epistula huius simillima a S. Ignatio eodem die data est ad P. Leonardum Kessel coloniensem. Fere autem certum est Viennensibus ab Ignatio simul etiam exemplum litterarum missum esse, quas 31. Iulii ad Colonienses dedit, docens, quot iuvenes mittendi essent, et quales, ac quibus condicionibus. Quae epistula ex codice quodam rhenano transcripta ac primum a me edita est in *„Zeitschrift* für katholische Theologie" 9. Jahrg. (Innsbruck 1885), p. 315—316.

[a] *Sic Friedlaender; sed corrigendum videtur:* Germanicae.
[b] *Ita Mench.; Friedl.:* in re maximo . . . et proximorum salutem.

[1] Hymnus integer typis descriptus est a *Mitterdorffer* l. c. p. 250—251, et iterum ab *Ern. Apfaltrer* S. J., Scriptores antiquissimae ac celeberrimae Universitatis Viennensis P. 1 (Viennae Austriae 1740), p. 15—16.

91.

Martinus Gotfridius (Stevordianus) S. J. [1]
Sociis romanis.
Vienna 6. Ianuarii [2] 1553.

Ex „*Litteris quadrimestribus*" II, 114—116; in quae tota epistula transcripta est ex autographo.

Partem („Ab afflictis et desperatis" — „Matronae nunc veniant confessurae") edidit *Sacchinus*, De vita Canisii p. 68—69. Usus est hac epistula *Polancus* in scribendo Chronico II, 566—581.

Canisius scholas regit; curam agit eorum, qui in carceribus sunt; capitis damnato adest; a sacris virginibus et a senatu urbis ad contionandum accersitur; parochiam pastore orbatam sacramentis et verbo divino recreat; mulierem a daemone obsessam ad sanitatem mentis et corporis revocat.

. . . . Addam de Reverendo Patre Canisio, qui, praeterquam quod inferiorum classium est domi praefectus [3], curam etiam sedulam gerit incarceratorum. Hi, cum vix toto quidem anno semel antea, nunc eidem saepius confitentur, quemadmodum et alii ex plebe complures [4]. Nuper cum e vinculis quidam ad supplicium educeretur, Pater idem fidus illi hortator et consolator adfuit, et sic adiuvit miserum in publico morientem, ut spectanti undique populo non parvae fuerit aedificationi; ubi concionatur, plures ad eum quam antea conveniunt auditores, bonaque nobis simul et aliis spes est fore ut fructus inde redeat amplissimus: adeo ferventem Patris animum et zelum indefessum erga proximi salutem admirari incipiunt modo germani [5]. E monasteriis virginum hic duo sunt, et praecipua illa, quae P. Canisium asciverunt, et iam receperunt patrem atque confessorem, eumdemque sibi cupiunt concionatorem [6]. Sed

---

[1] Martinus Gotfridius, vulgo Stevordianus, ex Stevoort (nunc regni belgici vico) ortus, anno 1548 Coloniae Societatem ingressus, anno 1550 Romae votis se obstrinxerat. Postea Monachii et Augustae Vindelicorum contionator fuit (* Catalogus collegii monacensis in a. 1566, cod. „Germ. Sup. Cat. 1566. 1599" f. 409[a]).

[2] „Die festo Epiphaniae Domini". [3] De his scholis v. supra p. 415.

[4] P. *Nicolaus Lanoius* iam 24. Aprilis 1552 Vienna ad S. Ignatium de Canisio scripserat: „Complurium Germanorum audivit confessiones. In quo negotio cum solus nostrum [i. e. inter sacerdotes nostros] calleat linguam germanicam, non parum laboris insumpsit, praesertim apud incarceratos, quos magna animi sollicitudine . . ., per confessionem praeparatos, ad participationem corporis Christi omnes simul perduxit" (Litterae quadrimestres I, 574).

[5] *Lanoius* in litteris supra memoratis: „Canisius coeptas nuper conciones apud Germanos, dominicis ac festis diebus prosequitur, quas numerosa multitudo, tum nobilium tum popularium, quos continuo post se trahit, gratas sibi esse demonstrat. Modus sane dicendi, ut gentis convenit ingenio, placidus [?], gestus actioque pro ratione regionis accommoda, et caetera quae ad germanicum pertinent ecclesiastem, affatim videntur illi suppetere" (l. c.).

[6] Ex actis „visitationis" 26. Maii 1554 in monasterio S. Iacobi (St. Iacob auf der Hülben) factae intellegitur Canisium monialium illarum tunc fuisse confessarium (*Wiedemann* l. c. II, 75). Alterum, quod hic scribitur, monasterium puto „sororum poenitentium S. Mariae Magdalenae" fuisse, quod S. Hieronymo sacrum erat (*Wiedemann* l. c. II, 35—36). In utraque ecclesia Canisius etiam sermones sacros habuit (v. supra p. 421 [3] et infra, p. 745). S. Ignatius in constitutionibus Societatis interdixit, ne Socii huiusmodi mulierum confessiones ordinarie („por ordinario") exciperent neve eas regendas susciperent (P. 6, c. 3, n. 5: Constitutiones latinae et hispanicae p. 199). Hae tamen Societatis constitutiones anno denique 1555 Viennae promulgatae sunt.

senatus Viennensis rogavit et exoravit per consulem suum ut in alio templo, quod in tota civitate mihi videtur esse post cathedrale divi Stephani commodissimum et pulcherrimum, iam deinceps concionetur [1]. Die sancto Natalis Christi cum idem Pater vix ante lucem sacrificasset (in quo sacro multos habuit communicantes utriusque sexus homines), statim egressus e templo currum expectantem invenit, ut in pagum quemdam et illic sacrificaturus et concionaturus sese conferret. Cum enim multis abhinc mensibus nullum illic Pastorem habuissent [2], enixe rogarunt ut e nostris aliquem per Natalitias Christi ferias loco Pastoris haberent. Quo in loco laete quidem acceptus et retentus est Pater, magnamque sibi messem comperit, tum in visitandis et consolandis infirmis (quorum etiam confessiones audire, et animas Dominico corpore communire curavit), partim in docenda iuventute, quam in templo collegerat, et in admonendis illis rusticis, quos concione quotidiana ad pietatem exhortabatur. Ingressus domum quamdam, reperit ibi senem, ac prorsus decrepitum nonagenarium, qui et lachrymis et gestibus declarabat satis quam grata sibi esset Patris praesentia, de cuius manu posset sacram synaxim suscipere. Diutius quidem illic, quam manere statuerat, detentus est. Abiens autem, vix eos compescere potuit, ut munera, quae offerebant, sibi ipsi retinerent: multumque illi promiserunt pecuniarum, si festivis redire diebus vellet ad concionandum. Viennae ab afflictis et desperatis idem Pater iam coepit visitari [a] et accersiri, quod sparsus de eo rumor videatur, quo pacto quibusdam miserrimis, Christo favente, subvenerit. Ex quibus una, multo iam tempore decumbens, omnem suae salutis spem amiserat, et neque a medicis curari, neque a confessariis consolationem accipere potuit [b], quia [c] se a Deo relictam aiebat, magnisque signis comprobabat se correptam et obsessam a daemone, ut noster etiam medicus de illa iudicavit. Hinc in terram saepe prosterni, et huc illuc violenter nocte dieque detrudi, abripique videbatur; propalabat aperte gravissima prioris vitae peccata, propter quae iuste se damnatam, seque [d] daemoni traditam asseverabat. Quare cum pater ad illam venisset (nullus enim confessorum [e] curam illius habere voluit amplius [f]), eo permovit primum miserrimam, ut integre peccata totius vitae confiteretur; deinde, tum orationibus, tum adiurationibus et exorcismis, sic vires daemonis, illam corporaliter affligentis, repressit, ut iam domo libere exeat, et quotidie Dei templum visitet, atque uti sana domi suae laboret, et singulis mensibus Eucharistiae communicet, magnamque totius vitae mutationem cunctis exhibere possit. Quae res nihil mirum si magnae sit multis aedificationi, ut eo plures etiam matronae nunc veniant confessurae. Hoc vero possumus affirmare, Societatis nostrae institutum magis magisque nunc in dies inclarescere et ut nunquam antea, bonum de nostris odorem in Christo undequaque spargi, ut nunc sentiant tandem non esse nos, uti existimabant prius, Gallos dumtaxat, vel Italos Hispanosque. Auget hunc populi favorem nobis, quod munera constanter a nobis videant refutari, quae sane nec raro nec exigua hic Patribus obtruduntur. . . . [3]

---

[a] Ab afflictis et desperatis Pater Canisius adiri iam coepit *Sacch.*
[b] accipere vnquam poterat *Sacch.*
[c] Quare *Sacch.* [d] atque *Sacch.*
[e] confessariorum *Sacch.*
[f] habere iam volebat amplius *Sacch.*

---

[1] Canisius a senatu rogatus ex ecclesia dominicana in templum S. Mariae ad ripam transiit. Cf. supra p. 421 [3] et infra, p. 745. Haud recte *Polancus:* „Rogavit eum Senatus Viennensis per consulem suum ut in templo D. Stephani, quod post cathedrale commodissimum erat, deinceps concionaretur, quod et praestitit" (l. c. II, 574). Ipsum templum D. Stephani cathedrale fuit et est.

[2] Cf. supra p. 421.

[3] „Quidam vitulum, qui a P. Canisio admissus non fuerat, pro foribus projecit ac recessit; sed mox curatum est ut conductus bajulus ei, qui miserat vitulum, re-

Quae Gotfridius refert de muliere illa ad sanitatem mentis et corporis per Canisium revocata, eadem, etsi aliis verbis, narrantur a *Petro Schorich* S. J. in litteris quadrimestribus collegii viennensis, 29. Augusti 1552 datis, quae partim quidem typis exscriptae sunt a *Sacchino* (Can. p. 66—68) [1], integrae autem exstant in „*Litteris quadrimestribus*" I, 729—735. Ex quibus haec tantum excerpo: Canisius audita mulieris confessione hoc, praeter alia, effecit, „vt domo" illa „post nonum quidem mensem statim ad templum nostrum egrederetur, ibique sanctissimo Christi corpori communicaret . . . Venit iam [a] diligenter ad conciones Patris Canisij mulier illa vna cum Marito, et Matre, quae confessa quoque est eidem Patri Canisio, et communicauit in Ecclesia nostra; elegantemque puerum offert societati filium, ni fallor, suum, licet paulo iuniorem, quam qui possit admitti". In iisdem litteris *Schorichius:* „P. Canisius", inquit, „pergit summo cum applauso [*sic*], et pari cum utilitate docere ac explicare christianae doctrinae methodum illam quam Serenissimus Rex pridem a nostris petierat. Faxit Dominus Jesus Christus ut possit ita et provehere et ad finem tandem perducere pulcherrimum hoc et restaurandae in Germania Catholicae Religioni plurimum adjumenti allaturum opus, ad laudem sanctissimi nominis sui. Amen. Redit igitur fructus ad studiosos non exiguus ex lectionibus Patrum; sed non inde solum; nam et concionibus germanicis P. Canisii, ad quas illi praecipue veniunt, non parum juvantur. Non enim ea tantum, quae ad morum correctionem pertinent, vehementi spiritu ibi monet Pater, verum etiam, quae ad confutandas haereses faciunt, gravissime tractat. . . . Ex studiosis saepe habuimus aliquot, qui domi nostrae et confiterentur et communicarent; immo etiam ex primo professorum ordine. Nuper, in festo D. Virginis assumptae ad coelos, habuit P. Canisius messem mulierum Germanarum valde copiosam, ex quibus octo circiter, et inter eas aliquot nobiles, nobiscum in templo nostro sanctissimae Eucharistiae Sacramentum summa cum devotione receperunt."

92.

Martinus Gotfridius (Stevordianus) S. J.

Sociis romanis.

Vienna 1. Maii 1553.

Ex apographo, sub a. 1884 a P. *I. Eug. de Uriarte* S. J. descripto ex apographo eiusdem temporis, quod est in „Varia Historia" I, 314. Tota epistula in „*Litteris quadrimestribus*" II, 248—251 edita est ex autographo (quod tamen cum apographo illo „ne uno quidem verbo" discrepare „Litterarum" editor testatur).

Viennae a P. Victoria Italos contionibus et catechesibus excoli, Canisium ad Germanos e suggestu dicere. Hunc regis mandatu Austriam inferiorem peragrasse.

. . . De contionibus PP. nostrorum nunc aliquid summatim dicam . . . . Putarem non offensum iri hinc V. P. quasi contra recens mandatum de brevitate litterarum scribendarum observanda aliquid admitterem: sed esto duos tantum habeamus, quorum alter Germanis, alter Italis diebus dominicis ac festis contionetur (non enim praeter P. Canisium est quisquam sacerdotum qui linguam sonet perfecte germanicam, neque praeter unum opus est Italis

[a] *Ita Litt. quadr.; Sacch.:* igitur.

portaret; alii gallinas, confectiones et hujusmodi afferentes" repulsam tulerunt: *Polancus* (l. c. II, 578).

[1] Sacchinus et Socherus subdubitant, an Gotfridius et Schorichius de eadem muliere scribant; equidem dubitare non possum.

contionatore), uterque tamen adeo sollicite ac vigilanter verbo Dei suos instituit auditores ut si fructum respiciamus multo plures duobus possimus asserere. Dominus Ioannes a Victoria praeter contionandi officium festis quoque diebus suos Italos in doctrina christiana erudit, sunt enim nunc postquam curia [1] non adest, fere eius auditores tegularii, lapicidae, fabri murarii et huius generis homines, quorum summa est in fundamentis nostrae religionis ignorantia. Deinde fratres aliqui designati eadem docent eos qui sunt iuniores. D. vero Canisius suas contiones germanicas in templo B. Virginis [2] continuat, quamquam piae importunitati monialium diversorum coenobiorum aliquando in hoc officio morem gerere cogitur [3]. Boni et catholici illum libenter et sequuntur et audiunt: pro maiori parte quadragesimae peragravit Austriam hanc inferiorem praedicationis ergo [4], nam Sereniss. Rex ad nostrum Collegium misit ex Graecio [5] (ubi tota se hieme continuit) exemplaria quatuor aut quinque litterarum cum facultate contionandi et administrandi sacramenta praesertim in iis locis ubi oves Christi pastoribus omnino sunt destitutae: solus ipse sacerdotum explere iussa potuit, qui (ut dixi) solus callet linguam germanicam. Pii homines in iis locis in quibus fuit gavisi sunt de pio zelo Christianissimi Regis nostri, et gavisi sunt tales esse qui ita zelose ac sincere Verbum Dei praedicarent: dura etenim res huiuscemodi illis videbatur ista D. Canisii peregrinatio in tanta nivium abundantia, in tanto gelu ac frigore ac, quod maius est, in tanta hominum barbarorum atque haereticorum passim occurrentium petulantia [6] . . . .

93.

4. Novembris 1553.

Ex litteris archetypis, quae apud nos exstant neque in „Cartas de San Ignacio“ vulgatae sunt.

Ferdinandus I. S. Ignatio Vienna 4. Novembris 1553: Se audivisse, quosdam Ignatio persuadere velle, ut „nonnullos et potiores“ ex suis Vienna avocet et alio mittat [7]. Se quidem pro suo religionis et iuventutis iuvandae studio id aegre laturum, „habita ratione optimi fundamentj, quod iam Catholici isti viri in hac vrbe nostra tum sana et pia doctrina sua in suggestu et scholis, tum probatae atque inculpatae vitae suae exemplo iecerunt“. Eos nullibi fere plus prodesse posse, quam Viennae. Se omne eis patrocinium praestiturum atque

---

[1] Aulam Ferdinandi I. regis dicit.

[2] Templum S. Mariae ad ripam dici videtur. Cf. supra p. 421 [3].

[3] In historia collegii viennensis refertur Canisium anno 1552 contionari coepisse in ecclesiis S. Iacobi et S. Hieronymi (cf. supra p. 421 [3]). Utraque ecclesia monialium erat; vide supra p. 742 [6].

[4] Vide, quae de apostolica hac peregrinatione Canisius ipse scribit, supra p. 421—422. Cf. etiam supra p. 417.

[5] Graz (Gratz), Styriae caput.

[6] Labitur itaque *Séguin* scribens Canisium parochias illas obiisse „avec quelques-uns de ses Frères“ (l. c. p. 78).

[7] Ferdinandus certe hoc potissimum timebat, ne Canisius et Goudanus, qui Ingolstadio „ad tempus“ Viennam venire iussi erant, inde Ingolstadium redire, Alberti V. rogatu, a pontifice et Ignatio iuberentur. Cf. supra p. 425 [3]. 428.

etiam „satis amplum monasterium" proxime traditurum esse. Ignatium potius plures Socios mittere debere, quam aliquos eorum avocare.

94.

Ferdinandus I.

Didaco de Lasso,

oratori suo romano.

Vienna 4. Novembris 1553.

Ex commentario (2°; p. 1), quod Viennae est, in archivo aulae caesareae, „Romana" 1553.

Cum Ignatio sollicite agendum esse, ne Canisium aliosve Socios Vienna avocet.

Ferdinandus etc.

Reuerende Deuote ac nobilis fidelis nobis dilecte. Cum nobis demonstratum sit quosdam apud Praepositum generalem Societatis nominis Jesu vehementer sollicitare et agere ut nonnullos et potiores ex suis fratribus hic existentibus[1] auocet, nos equidem pro nostro singulari iuuandae sanctae catholicae religionis nostrae studio operae precium fore duximus, ad ipsum hac de re per adiunctas literas diligenter scribere, sicutj ex adiecto quoque exemplo abunde cognosces, Volumus itaque et committimus tibi ut redditis ei literis nostris ipse quoque cum eo accurate agas ne quem ex Doctoribus et magistris huius piae societatis suae fratribus ab ista nostra celeberrima urbe et academia Viennensi tollat vel auovet, Quod sane ut eo facilius ipsi persuadeas poteris tum rationibus nostris viua oratione tua maiorem vim et efficaciam addere, tum alias etiam causas adducere, quas pro tua prudentia huc loci opportunas et validas fore cognoueris, Proinde nihil intentatum relinquas donec id quod nos tantopere velle iam intelligis consequare, Quandoquidem facies ita benegratam et expressam voluntatem nostram. Datum Viennae Quarta Nouembris 1553.

Lassum Ferdinandi mandatum exsecutum esse testatur *Polancus* l. c. III, 18. Ignatius Roma 23. Novembris 1553 Ferdinando rescripsit: Esse quidem, qui aliquem Socium (Canisium certe significat) Vienna avocari cuperent; se autem neminem invito rege avocaturum, atque immo Sociorum viennensium numerum suo tempore aucturum. Integra epistula est apud *Genelli* l. c. p. 504 et in „Cartas de *San Ignacio*" III, 444—445. 339—340.

95.

Inter medium annum 1553 et medium annum 1554.

Ex apographo, quod eiusdem fere temporis est. Cod. „Germania 1560—61" f. 5.

De frequenti auditorio Sociorum Viennae contionantium, haereticorum libris sublatis, haereticis captis.

[1] Canisium et Goudanum maxime significat; cf. supra p. 425[3].

Ex literis Viennensis collegij de Societate Jesu Romam missis[1] [vere vel aestate anni 1554?].

. . . . Soli nos propemodum suggestus occupamus Viennae; vt quos antea populus hic non audire solum, sed neque aequis oculis aspicere poterat, usque adeo libenter nostros, eorumque conciones audit [?][a] modo, ut templa repleta uideas quoties ex nostris quispiam est concionaturus. Habuit autem Reuerendus Pater Canisius hactenus frequentes coram Rege totaque curia conciones, nunc uero, Rege absente, in summo templo summo populi applausu concionatur. Pater uero Gaudanus in templo beatissimae virginis maxima cum frequentia Germanorum concionatur[2]. Tantundem praestant tres alij fratres Magister Martinus[3], Lambertus[4] et Dirsius[5], qui suas ad populum habent non sine maximo fructu conciones. . . . . Omnes libri haereticorum, qui in tota vrbe nundinarum tempore sunt reperti de dominorum manibus erepti sunt[6]. . . . Haereticorum autem . . . quinque in uinculis detinentur, quorum quatuor acerrimi sed admodum perniciosi erant concionatores[7], quintus est Polita magni nominis Viennensis professor, quem non ignoratis. . . .

Polites anno 1554 a mense Martio vel Aprili usque ad initium Iulii in custodia viennensi fuit. Hae igitur litterae vere vel aestate anni 1554 scriptae esse videntur. Cf. *Litteras quadrimestres* II, 637—638. Labitur certe *Gothein,* cum scribit unum e praecipuis professoribus (Politen) et quattuor contionatores lutheranos anno 1556 in carcerem inclusos esse (l. c. p. 730).

De Canisii contionibus, a. 1553 vel 1554 habitis, haec refert *Polancus* (l. c. III, 244): „Pervenerat hac aestate [1553] Viennam jubilaeum cum litteris Apostolicis ad Reginam Bohemiae [Mariam, Maximiliani II. uxorem,] delatum, et cum eisdem litteris ad collegium nostrum Roma missum fuerat[8]. At P. Canisius Archipresbytero et aliis, quorum ex officio interest apud populum pias promovere causas, exhiberi et in germanica lingua typisque excudi, valvisque ecclesiarum et locorum aliorum passim affigi curavit. Parochi igitur in suis ecclesiis huius sacri jubilaei indulgentias plebi suae indixerunt, et, ut rogati fuerant a nostris, satis diligenter populo commendarunt; quin et ipse P. Canisius, in concionibus coram Regia Majestate habitis, praeclare de indulgentiarum utilitate atque usu disseruit, deplorans simul negligentiam et socordiam populi germanici, qui hanc et hujusmodi gratias, a divina bonitate per Sedem Apostolicam concessas, fere pro ludibrio habebat. Testabantur autem plerique viri aetate graves numquam se de dignitate ac utilitate indulgen-

[a] *Sic;* audiat?

[1] Aliqua ex illis litteris ab antiquo librario excerpta hic omittuntur.

[2] Templum „S. Mariae ad ripam" significari videtur, in quo Canisius antea dixerat; cf. supra p. 745. [3] Gotfridius.

[4] Auer. [5] Ioannes Dyrsius.

[6] P. *Laurentius Magius* in historia collegii viennensis circiter a. 1570 conscripta: Rex „gravissimo edicto sanxit, ne quid Viennam importaretur librorum Haeresi aspersorum; neu venales, qui importati essent, proponerentur: Canisioque in mandatis dedit, librariis tabernis omnibus singillatim excussis, diligenti cura ereptum iret populo quotquot ejusmodi pestilentes codices reperisset." Apud *Socherum* l. c. p. 49; cf. etiam supra p. 480[3].

[7] Complures archidioecesis salisburgensis parochi, qui uxores duxerant, eucharistiam sub utraque specie ministrabant, Lutheri dogmata spargebant, anno 1551 Ferdinandi iussu Ernesto archiepiscopo traditi et ab eo in arce Hohensalzburg vinculis mandati sunt; anno 1554 fere omnes illi suas haereses retractaverunt (*Wiedemann* l. c. IV, 333. 389). [8] Cf. supra p. 442.

tiarum fuisse instructos; immo quid sibi vellent indulgentiae eatenus ignorasse. Nonnulli etiam, dum haec praedicarentur a lacrymis se temperare nequibant . . . . Et hac P. Canisii diligentia factum est, ut longe plures germanici, quam alias soliti erant, jubilaei praedicti gratiam promererentur, et ex eis copiosior in horrea Domini fructus colligeretur."

Ferdinandus I. ipse in „litteris fundationis" collegii pragensis, Pragae 15. Martii 1562 datis, de primis hisce collegii viennensis annis scribit: Se „de Almae Societatis Iesu insigni pietate aliisque innumerabilibus virtutum meritis, nec non sedula et incomparabili eorum in instituenda Iuventute tam moribus christianis, quam in bonis omnis generis literis diligentia, in habendisque concionibus ad populum ipsum assiduitate, multorum fide dignorum relatione atque experimentis exemplisque Caesarei Collegii Societatis ejusdem" Viennae instituti „edoctum esse" [1].

96.

Anno 1554.

De libro in gratiam aegrotorum, Canisio iuvante aut auctore, edito.

Anno 1554 Viennae editus est liber [2]:

„DE CONSOLANDIS | AEGROTIS, PRAESERTIM VBI DE VI- | TÆ PERICVLO AGITVR, IN VSVM SACERDOTVM | ET MINISTRORVM, QVI CIRCA AEGROS VER- | santur in hospitali Regio Vienne Austriæ | salutaris formula. [Sequitur figura ligno incisa et Samaritanum evangelicum repraesentans; infra eam:] *Curam illius habe, et quodcunque supererogaueris, ego cùm | rediero, reddam tibi. Lucæ 10.*" [3] In pagina altera folii paenultimi: „Mit Röm. Khün. Maÿ. gnad vnd Priuilegien. | Gedruckht zu Wienn in Osterreich | durch Michael Zimmerman | in S. Anna Hof. | im Jar | 1554." 4° min.; ff. 40 non signata. F. A II: „Petri Canisii Sacrae Theologiae Doctoris ad Christianum lectorem de hac formula praefatio"; cui nec locus ascriptus est nec tempus. Canisius vehementer commendat, ut aegroti atque imprimis eorum animae diligenter curentur. Opus a Michaele Khüfringer, valetudinarii superintendente („Superintendent des Neuhofspitals der hl. Barmherzigkeit zu Wien"), Martino Gusman, Ferdinandi I. cubiculario secreto et eiusdem valetudinarii administratori, dedicatum est (f. A IIII. F IIII). Praecipuam libri partem sermones breves ac saepe ipsis sacrae Scripturae verbis concepti constituunt, quibus aegroti summa doctrinae christianae capita edoceantur et ad patientiam ac pietatem instituantur, iique sermones tum latine proponuntur, tum italice et germanice. Quibus complures considerationes et preces ac figurae ligno incisae 19 additae sunt. Michael Denis [4] et Antonius Mayer [5] censent Canisium totum opus composuisse. Certe auctorem ipse multum adiuvit [6].

---

[1] *Bucholtz* l. c. IX, 669.

[2] Accuratius ab *editore* descriptus est in „Zeitschrift für katholische Theologie" 14. Jahrg. (Innsbruck 1890) p. 727—729.

[3] „P. Nicolaus Lanoyus singularem infirmorum in hospitali decumbentium curam gerebat": *Polancus* l. c. II, 575.

[4] „Ich zweifle nicht, dass diese ganze Arbeit aus der Feder des ehrwürdigen Canisius geflossen ist . . . Sie hat Aehnlichkeit mit den ersten Betrachtungen der geistl. Exercizien des h. Ignatius de Loyola" (Wiens Buchdruckergeschicht [Wien 1782] p. 516—517).

[5] Wiens Buchdruckergeschichte I (Wien 1883), 70—71.

[6] In bibliographiam Societatis Iesu hoc opus demum receptum est per P. *Car. Sommervogel* l. c. II, 618.

97.

Ab anno 1553 usque ad 1556.

Quae Canisius in causa calicis sacri laicis concedendi egerit 1553—1556 [1].

Mense Februario anni 1554 Ferdinandus rex severe interdixit, ne quis laicus corpus et sanguinem domini sub utraque specie capesseret [2]. Atque Avantianus eum Canisii contionibus incitatum id edixisse asserit [3]. Hoc saltem probabile est Canisii quoque consilia et monitiones in ea re intercessisse; ac Canisium significare voluisse videntur status Austriae superioris, cum Lincii 11. Iunii 1554 mandatum illud deprecarentur simulque eos incusarent [4], „welche Euer Majestät zu solchem Mandat geursacht und daneben auch den angeregten Bericht gethan, — dieweil sie zur Sättigung ihres verbitterten Gemüths wider die Lehre Christi und die, so sich zu derselben bekennen, uns als Euer Majestät getreuen Unterthanen in annder wege nitt haben beikommen können“ [5]. Quamquam rei actae modum fortasse excesserit Iacobus Focky S. J., scribens Canisium in contionibus coram rege et ad populum habitis nihil maiore studio egisse, quam ut communionem sub utraque specie tolleret [6]. Cum Canisius eiusmodi contionem anno 1555 festis diebus paschalibus in ecclesia cathedrali S. Stephani habuisset, paulo post portae eiusdem ecclesiae dialogus affixus est [7], typis etiam exscriptus cum hoc titulo:

„DIALOGVS | CONTRA IMPIA PETRI CA= | NYSII DOGMATA DE SACRAMENTO | Eucharistiæ compositus, & Viennæ Austriæ in | ualuis Templi sancti Stephani | V. Idus Maij affixus. | M. D. LV. | M. D. LV. | Ad Petrum Canysium Iesuitarum & hy= | pocrytarum Principem.

Quid tibi peruerse tribuis cognomen Iesu |
Quum sua non spargas dogmata sed satanae?“

In extrema libelli parte: „Actvm in Aphannis tempore mobili, die securo mensis sereni.“ 4°; ff. 12, addito folio titulari. Ubi, quando, a quo opus typis exscriptum sit, non indicatur. Michael Denis non dubitat, quin Viennae id factum sit [8]. Dialogus instituitur inter „Canysiophilum“, qui „communionem sub una specie“ defendit, et „Christophilum“, qui calicem postulat. Sacerdotum superbia fieri hic ait, ut calix

---

[1] Canisius posterioribus annis de sacro calice laicis concedendo saepe interrogatus est et multa dixit ac scripsit; quod posteriora huius operis volumina ostendent. Ideo haec quoque, quae quasi initia rerum postea ab eo gestarum sunt, accuratius exponere placuit.

[2] *Bucholtz* l. c. VIII, 195. *Hartl-Schrauf*, Nachträge I, 141.

[3] Litteris 1. Maii 1554 Vienna Romam missis (Litterae quadrimestres II, 638).

[4] *Hartl-Schrauf* l. c. *Bucholtz* l. c.

[5] *Schrauf:* „Es war dies der gewöhnliche Ton, in welchem die Gegner von Canisius zu sprechen pflegten, sobald sie hinter einer neuen landesherrlichen Verordnung seinen Einfluss zu verspüren glaubten; wussten sie ja doch, dass König Ferdinand, wie er ja überhaupt dem neuen Orden herzlich zugethan war, Canisius das vollste Vertrauen schenkte und auf dessen Urtheil in allen kirchlichen Fragen das grösste Gewicht legte“ (Nachträge I, 141—142).

[6] In opere „Scriptores antiquissimae ac celeberrimae Universitatis Viennensis“ etc.; cf. *Denis* l. c. p. 666.

[7] Ex dialogo illo (f. C 3 b) conici potest contionem illam feria tertia paschali habitam esse, qui tunc dies 16. Aprilis fuit. Eam occasionem fuisse „dialogi“ eiusdem f. A 2 a ostendit. Quodsi *De Backer* (l. c. I, 1064), *Wiedemann* (l. c. II, 69—70), *Sommervogel* (l. c. II, 666) asserunt „dialogum“ primum esse librorum, qui contra catechismum Canisii editi sint, id demonstrari vix potest. „Summa doctrinae christianae“ vere demum anni 1555, ac vix ante ineuntem Maium, in lucem emissa est. Cf. supra p. 522. 537.

[8] Buchdruckergeschicht p. 666.

laicis negetur. Clerus valde vituperatur. „O iniquam constitutionem, ubi Neroizantib. (ut ita dicam) potius Cathedralibus consulitur, quam participationi sacramentorum Christi!“ [1]

In „Summa“ quoque Canisius de hac re diligenter disseruit atque ecclesiae usum Scripturae sacrae, sanctorum patrum, conciliorum allatis testimoniis accurate defendit [2]. Quam ob rem anno 1556 ab Ioanne Wigando Lutheranorum magdeburgensium „superintendente“ acriter vituperatus est. „So hat der Antichrist [3] seinen bittern hass wider Christum noch in diesem stücke auch müssen beweysen vnd aussgiessen, das er ein teil, nemlich den gebrauch des Kelchs oder bluts Christi den armen Scheffleyn Christi, Nemlich den Leyen, hat für dem maule hinweggerissen, vnd nur seinen beschornen Plattenhengsten zugeschrieben . . . vnd wirdt solches alles in disem newen Catechismo verteidigt, denn der hundsmünch hat jm einmal fürgenommen, allen Dreck vnd Grewel des Bapstes zu fressen, vnd schmecket jme wol als Zucker, wolt den selben auch andern gerne einreden.“ [4]

d) Catechismi a Canisio Viennae conscripti

1552—1556.

98.

Autumno anni 1555.

Ex apographo totius epistulae, anno 1884 a P. *Ios. Eug. de Uriarte* S. J. descripto ex autographo, quod est in „Varia Historia“ tom. I, f. 353. Epistula integra edita est in „Cartas de *San Ignacio*“ VI, 639—641.

De Canisii itineribus augustano et pragensi ac parvo catechismo germanico italice reddito.

P. Ionas Adler S. J. [5]*, in collegio viennensi magister, P. Hieronymo Natali S. J. Romam scribit Vienna 1. Octobris 1555* [6]*:*

. . . Cum ex Augusta rediens D. Canisius rursus pragam properaret, ut quae necessaria pro uenientibus fratribus essent, otyus praepararet, inter alia etiam hoc mihi mandauit Reuerende in Christo P. ut Cathechismum seu Doctrinam Christianam, quam in templo nostro Scholastici recitare consueuerunt, in linguam Italicam transferrem, eamque quam primum ad R. T. mitterem. Quod sane onus, quamuis difficile mihi utcunque imparque uiribus uideretur, . . . feci tamen quod potui, partemque illam priorem, ceu fragmentum quoddam inchoati operis in linguam Italicam transtuli (nam ita mutilatus nobis et imperfectus a P. Canisio relictus est liber iste). In qua quidem translatione,

[1] Dialogus f. C 2 [a]. *Sacchinus* asserit Canisium libellum hunc tunc primum accepisse, cum Ingolstadii moraretur (Oct. 1555 ad Ian. 1556): „Risit et ille, seu potius defleuit coecitatem Scriptoris, et impudentiam“ (De vita Canisii p. 104).

[2] P. 1, c. 4 de eucharistia; in editione principe f. 77 [a]—81 [b].

[3] Summum pontificem Wigandus significat.

[4] Verlegung aus Gottes wordt, des Catechismi der Jhesuiten (Magdeburgk 1556) f. H 3 [b]. [5] De hoc vide supra p. 415. 446.

[6] Autographum: „Viennae Austriae, Kalendis Octobris. Raptim. 1554“. Si Adler haud ita „raptim“ scripsisset, certe 1555, non 1554, posuisset; nam quae de Canisio scribit (eum Augustae fuisse et Pragam ad collegium parandum properasse), ea certe anno demum 1555 facta sunt. Cf. supra p. 545. 547.

hoc seruauj diligentius ut sensus sensui redderetur quam uerbum uerbo, quod sit magna idiomatis nostri atque Italicj diuersitas, longeque alia uerborum uis et proprietas, ut sepe paucis nos uerbis magnam Italicj sermonis copiam complectamur, breuiores autem simus ubi illi longiores. Mitto autem ad te illa tardius, quod ipse ut T. R. nouit sim tardus Germanus, et scholae meae occupationibus interdum distractus . . . .

Haec clarissime ostendunt Adlerum non „Summam doctrinae christianae" latinam italice vertisse, sed germanicum aliquem catechismum a Canisio compositum. Quod opus a „Summa" diversum fuerit[1] ac, ni fallor, ipse ille catechismus „minimus", quem Canisius anno 1556 Ingolstadii primum typis exscribendum curavit. Versio ab Adlero facta numquam prelum subisse nec iam superesse videtur. Destinata autem certe erat illis „adolescentibus et pueris italicis, qui Viennae permulti erant", atque „vix", inquit *Polancus* l. c. II, 567 „in tanta multitudine, qui sciret orationem dominicam recitare aut symbolum apostolorum inveniebatur; praecepta Dei nullus sciebat; quae ignorantia non tantum in pueris sed in viris etiam erat".

Notanda sunt praeterea, quae *Polancus* (l. c. III, 251) in annum 1553 refert: „Dictabat P. Canisius diebus veneris catechismum pueris nostrarum scholarum, qui latine sciebant; infimae autem scholae idem magister Carolus Grim, qui ejus curam habebat, praestabat."

99.

Edictum primum,

quo Ferdinandus I. Romanorum rex catechismum Canisii in scholis adhiberi iussit.

Viennae 14. Augusti 1554.

Ex *editione principe* „Summae doctrinae christianae" [Viennae 1555] f. a Ij[a] ad a VI[b].

Exemplum edicti, eodem tempore scriptum, superest Viennae in archivo aulae caesareae (Haus-, Hof- und Staats-Archiv), cod. „Ferd. I. Privil. n. 7". f. 196[b] ad 197[b]. Idem edictum in compluribus editionibus „Summae" posterioribus exstat. Hic ponitur, quia et in se gravissimum est et ad religionem catholicam in Germania restaurandam plurimum contulit neque a recentioribus historicis catholicis typis exscriptum est. Maximam partem germanice versum est in *editoris* „Katechismen" p. 32—33. E protestantibus complures edictum hoc operibus suis inseruerunt: *Melchior Goldast*[2], *Bernardus Raupach*[3], *Ioannes Christophorus Koecher*[4].

Edictum conscriptum esse a doctore Iacobo Iona, aulae Ferdinandi I. vicecancellario, iam supra (p. 483) vidimus.

Collatum est cum edicto Ferdinandi I. Viennae 10. Decembris 1560 dato, quod magnam partem iisdem omnino verbis conceptum est ac primum illud, in quattuor vero capitibus ab eo discrepat: 1. Ferdinandus catechismum hunc non aliquibus tantum provinciis suis, sed omnibus praescribit; 2. a Canisio conscriptum esse diserte enuntiat; 3. compendii quoque mentionem facit, quod ex „Summa" extrahendum curaverit; 4. utriusque catechismi evulgandi privilegium Materno Cholino

---

[1] Si enim „Summa" italice vertenda erat, cur non versa est ex latino, qui sermo italico multo similior est, quam germanicus? Et quid sibi tunc volunt querelae illae de „mutilato" libro et „imperfecto"?

[2] Imperatorum ac Regum S. Imperii Romano-Theutonici Recessus, Constitutiones . . . III (Francofurti ad Moenum 1713), 566—567.

[3] Evangelisches Oesterreich (Hamburg 1732) Beil. 2, p. 10—12.

[4] Catechetische Geschichte der Paebstischen Kirche (Jena 1753) p. 275—279.

coloniensi tribuit. Edicti huius loci illi, qui in edicto primo non sunt vel aliis verbis concepti sunt, hic ponuntur; reliqua utrobique eadem sunt, rebus aliquot minimis exceptis, v. g. quod a. 1560 Ferdinandus non iam „Romanorum Rex“ vocatur, sed „electus Romanorum Imperator“. Primum (quod equidem novi) typis exscriptum est hoc edictum in editione „Summae“, quae a. 1564 Antverpiae cura Amati Tavernerii typographi et Ioannis Belleri bibliopolae in lucem emissa est (f. A 3[b] ad A 5[b]). Ego vero in eo proponendo secutus sum editionem „Summae“ a Canisio ipso auctam et emendatam, quae a. 1566 Coloniae ex officina Materni Cholini prodiit (f. 5[a]—7[a]). Edicti exemplum, eodem fere tempore scriptum, Viennae exstat in eo, quod supra nominavi, archivo, cod. „Ferd. I. Privil. 12.“ f. 210[b]—211[b]. Typis descriptum est etiam a *Reiffenberg,* mant. 18—19, et a *Boero,* Can. p. 478—481.

Inter latina haec edicta medium est germanicum illud, quod a Ferdinando Viennae 23. Aprilis 1556 datum et primum evulgatum est in versione „Summae“ germanica: „Frag vnd antwurt Christlicher Leer“, a. 1556 Viennae in lucem emissa (f. A 2[a]—A 7[b]); in hoc edicto ea, quae a. 1554 latine enuntiata sunt, germanice proferuntur, nec tamen praecipitur, ut hic catechismus solus, reiectis ceteris, adhibeatur; cf. etiam supra p. 592[2].

Religionem, firmissimum illud reipublicae praesidium, ita oppugnari, ut maioribus viribus et fraudibus numquam antea oppugnata esse videatur; atque ea in re satanam magnopere pravis iuvari libellis et maxime catechismis, qui summo cum iuventutis periculo spargantur. Ideo se orthodoxum catechismum conscribendum curasse et eius evulgandi privilegium Michaeli Zimmermann tribuisse ac praecipere, ut hic catechismus solus in provinciis Austriae inferioris adhibeatur.

FERDINANDVS Diuina fauente clementia Rom. Rex semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, etc. Marchio Morauiae, etc. Comes Tyrolis, etc. Vniuersis et singulis fidelibus nostris, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, Praelatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Marschalcis, Prouinciarum Praesidibus, Vicedominis, Praefectis, Burggrauijs, Officialibus, Iudicibus, Burgimagistris, Consulibus, et Communitatibus, omnibusque alijs et singulis subditis et fidelibus nostris

Inferiorum Prouinciarum nostrarum Austriacarum [1], et Comitatus nostri Goritiae Principalis,	*[1560]* prouinciarum nostrarum,

cuiuscunque gradus, status, ordinis, conditionis et dignitatis extiterint, Gratiam nostram Regiam et omne bonum. Magno cum animi nostri moerore perpendimus et videmus, quibus hodie, quantisque motibus et periculis orbis Christianus vndique concutiatur: Potissimum vero miserandus ille status neglectae, adeoque contemptae passim Religionis saepe multumque nos et pios omnes discruciat: Qua quidem Religione vt nihil est sanctius in terris, ita praeclarius ac firmius Reipub. ornamentum ac robur esse nullum potest. Atque idcirco malarum artium nefarius artifex, sanctae Ecclesiae, bonorumque omnium hostis atrocissimus Sathan, quantum humano generi praesidij in vera Religione positum sit, minime ignarus, annis abhinc multis causam Religionis passim oppugnat ac perturbat, ita vt maioribus viribus et copijs, frequentioribusque dolis et fraudibus, vno eodemque tempore ipsam antea nunquam oppugnasse videatur. Nec desinit adhuc Satellites quosdam et ministros suos, qui editis suis libellis omnia impietatis studia foueant, disseminent ac propagent, subornare: partim vt, qui a Religione

[1] Vide supra p. 454[2]. 468[2].

orthodoxa semel defecere, in erroribus et sectis, quibus se addixerunt, confirmentur: partim vt, qui etiamnum in tutissimis Ecclesiae Dei castris perdurant, hinc seducti, factionum discipuli et Religionis nostrae Catholicae desertores fiant. Inter hos autem libellos quorum ingens vbique prouentus est, non parum virium ad Religionem euertendam habent Catechismi (sic enim appellant) qui saepe tum breuitatis, tum verborum elegantia[a], et methodi specie commendati, egregie fallunt, et imperitam illam, nobilemque iuuentutem veritatis synceritati natam grauiter vitiant atque corrumpunt. Dum enim ex istorum libellorum lectione, venenum ipsa dulcedine blandum, simplicibus et incautis sumendum praebetur, priusquam id sentiant, eorum animi nouis et pestiferis opinionibus, quas euellere postea sit difficillimum, deprauantur. Vnde fit, vt eo doctrinae fermento semel infecti, Catholicae fidei et sanctae matris Ecclesiae dogmata et instituta veneranda negligant, fastidiant, atque nonnunquam etiam per contemptum oppugnent. Qua quidem in re, si quid consilijs, monitis, iussis et Edictis publicis Rege Christiano dignis profici potuit, Nos profecto, cum ad ista impietatis studia profliganda, tum ad sacrosanctae Religionis nostrae Catholicae iura retinenda, officio nostro minime defuimus. Attamen grassatur indies magis ac magis haec foeda lues, nouique subinde ac nouis illecebris infecti prodeunt Catechismi: sparguntur, leguntur, proponuntur in scholis, maiore sane periculo, quam simplices pueri, et creduli improuidique adolescentes, imperitique homines, et plerique omnes istiusmodi praeceptores sentire aut iudicare queant. Quod igitur in graui morbo boni Medici, in exorta tempestate fidi naucleri faciunt, a nobis alienum non esse existimauimus, vt praesentissima, nobisque ob oculos posita atque prospecta longe grauissima pericula, ratione quadam aut depellamus omnino, aut saltem, quoad DEVS potentem manum suam admouerit, mitigemus.

Quamobrem matura super his deliberatione habita, fidelibus nobis subiectis populis saluberrimum fore duximus, si in tanta dogmatum et sectarum varietate Catechisticae doctrinae librum, qui Orthodoxus sit, conscribi simul et fidelibus nostris populis euulgari, commendarique curaremus. Proinde ad huiusmodi Catholicum opus conscribendum, non dubiae fidei et doctrinae viros delegimus, conscriptumque eorum

[1560] vnice curaremus. Ad quod Catholicum opus conscribendum, inter alios non dubiae fidei et doctrinae viros Honorabilem, religiosum, deuotum, nobis dilectum Petrum Canisium sacrae Theologiae Doctorem delegimus, et cum ab eo fuisset conscriptum, aliorum etiam,

quos non solum sacrosanctae Theologiae scientia, verum etiam vitae innocentia et integritate perspicuos esse constat, iudicio et censurae subiecimus[1]: quo certiores essemus, ne authoritate nostra in lucem quicquam prodiret, quod Euangelicae doctrinae et sanctae Catholicae Ecclesiae vllo modo aduersaretur.

Posteaquam igitur DEI OPT. MAX. gratia iam commemoratus liber ita conscriptus, magnoque Theologorum Catholicorum consensu approbatus fuit,

[1560] Posteaquam vero Dei Optimi Maximi gratia factum est, vt commemoratus liber magno vbique doctorum et procerum quoque Catholicorum applausu

[a] elegantiae *ed. princ.;* elegantia *ed. col. a. 1566.*

[1] In prima hac editione nec Canisii nec Societatis Iesu disertis verbis fit mentio.

eum fideli nostro Michaeli Zimmermanno commisimus typis excudendum: expresse vetantes, atque Decreto nostro, praesentibus hisce literis, modo, via et forma, quibus fieri melius potest ac debet, interposito prohibentes, nequis [*sic*] Typographus aut Bibliopola in sacro Romano imperio ac Regnis et Dominijs nostris haereditarijs existens, eundem hunc librum a primae huius editionis die vsque ad exactum integrum decennium typis aemulari, recudere, imprimere, vel alibi impressum venundare[*sic*] audeat, quocunque id colore aut praetextu fieri possit, Grauissimae indignationis nostrae, et Decem Marcharum auri puri, ac omnium librorum amissionis poena constituta. Cuius mulctae dimidium Fisco nostro inferendum, residuum vero iam dicto Typographo firmiter decernimus statuimusque persoluendum.	exceptus, in varias etiam linguas conuersus, saepeque apud exteros recusus, et in Gymnasijs publicis simul ad docendum et discendum propositus fuerit, existimauimus nos non abs re facturos, si eundem Catechismum ab Authore denuo recognitum, non solum rursus typis euulgari curaremus, verum etiam pro rudiorum captu in quoddam compendium redigi iuberemus [1]: ac fidelibus nostris populis denuo autoritate nostra commendaremus: ac insuper vtriusque tam maioris quam minoris editionem nostro et sacri Imperii fideli, dilecto Materno Cholino Typographo Colonien. demandatam benigno nostro fauore et priuilegio aduersus sinistras aemulorum artes tuendam et fouendam susciperemus. Inhibendo, ne quis alius eundem hunc librum ante exactum integrum decennium imprimere, vel alibi impressum vaenumdare[a] audeat, sub poena decem marcharum auri puri.

Mandantes idcirco vobis praedictis omnibus et singulis, praecipue vero ijs, qui nostro nomine et loco, iuris et iustitiae administrationem in Prouincijs nostris

Austriae inferioris et Goritiae Comitatu exercent,	*[1560]* exercent

ac in magistratu constituti sunt, vt hunc Catechismum solum, nullumque alium per Ludimagistros, Praeceptores, ac Paedagogos pueris in scholis publice aut priuatim proponi, praelegi, ediscendumque tradi magnopere curetis, atque omnino efficiatis: quatenus cum vos, tum ipsi grauissimam indignationem nostram, aliasque poenas delinquentibus, et huius Edicti nostri contemptoribus pro arbitrio nostro irrogandas volueritis euitare. Haec enim est expressa mens et voluntas nostra. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die

XIIII. mensis Augusti. Anno Domini M.D.LIIII. Regnorum nostrorum Romani XXIIII. aliorum vero XXVIII [2].	*[1560]* X. mensis Decembris, Anno Domini 1560. Regnorum nostrorum Rom. XXX. aliorum vero XXXIIIj.

In „diario“ quodam concilii tridentini, quod ab ignoto italice conscriptum neque adhuc typis descriptum est, asseritur: „Ferdinando ordino un Catechismo, come douessero uiuere li suoi sudditi, il che dispiacque al Papa per essersi intromesso à far stampar libri di riforme [di Religione] senza Vescoui, né Papa.“ [3] Haec

[a] vaenumdari *ed. col.*

[1] De compendio hoc in secundo huius operis volumine multa dicentur. Cf. *editoris* „Katechismen“ p. 113—126.

[2] Labitur itaque *Fr. von Krones,* asserens has Ferdinandi litteras 14. Augusti 1552 datas esse: Geschichte der Karl Franzens-Universität in Graz (Graz 1886) p. 220.

[3] Cod. Ottob. 2656 bibliothecae vaticanae, f. 113[a]; cod. ms. 142 bibliothecae urbis tridentinae, f. 37[b].

transcripta et amplioribus verbis exornata esse videntur a Paulo Sarpi [1]; quem secuti sunt Raupach, Koecher, Zezschwitz etc. At diarii illius auctorem magna fide dignum non esse nec Canisii „Summam“ Viennae anno 1555 sine „approbatione ordinarii“ in lucem esse emissam, ab editore copiose probatum est in „Katechismen“ p. 49—55.

100.

Sub annum 1556.

Carmen probrosum, sub a. 1556 in Canisium eiusque catechismum factum.

Ex apographo antiquo, quod est Guelpherbyti (Wolfenbüttel) in bibliotheca ducum brunsvicensium, cod. „64. 11. Extr.“ f. 58 b. Ex carmine ipso cognoscitur compositum id esse Canisio vivo. Circiter annum 1556 scriptum esse ex eo conici potest, quod pleraque, quae codex ille complectitur, eo anno composita sunt.

In Catechismum Canisii [a].

Forte canem genuit sub nigro Cerberus orco,
Per tria partitos qui facit ora sonos.
Forma cani similis rabido sed atrocior ille est.
Namque malum in superos virus ab ore vomit;
Et quod se poeni circumdat pelle leonis
Ac aquilae plumis ora canina tegit;
Sed non ulla datur latranti gloria monstro;
Nosco canem, quamvis pluma leoque tegit.
Affore sic cecinit postremo tempore David,
Provida quae Christus de cruce verba refert.
Namque canum rabida queritur se indagine cingi,
Quod ferus pandat morsibus ora leo,
Quodque sibi immineant cornu feriente [?] [b] Monarchae
Qui praedam tetris dentibus oris agant.
O si rex avium veniat, rex ille ferarum,
Si repetat pellem, caetera risus erunt,
Aut si quod proprium est venator ab arbore celsa
Strangulet emeritum, fune, quod opto, Canem.

[a] *Cum carmen hoc ante 12 fere annos ex codice guelpherbytano transcriberetur, ad nostram scribendi rationem sive „orthographiam“ accommodatum est. Neque operae pretium esse videbatur, veteris orthographiae restituendae gratia codicem illum iterum adire vel mittendum curare.*
[b] *Vocabulum obscure scriptum.*

[1] „Riuscí questa ordinatione con molto disgusto della Corte Romana“ etc.: Historia del Concilio Tridentino. Di *Pietro Soave Polano* (Londra 1619) l. 5 ad a. 1554, p. 377.

e) Episcopatus viennensis a Canisio ter recusatus et aliquamdiu administratus.

1553—1556.

101.

23. Augusti 1553.

Ex „Cartas de *San Ignacio*“ III, 417—418. 280—283; ubi epistula integra habetur.

S. Ignatius Hieronymo Martinengo apostolico nuntio viennensi Roma 23. Augusti 1553 rescribit ad litteras de Canisio ad episcopatum viennensem compellendo datas. Societatis hominibus dignitates ecclesiasticas non convenire, ideoque et Iaium ab episcopatu tergestino, et Borgiam a cardinalatu accipiendo exsolutos esse. „E così in questa cosa . . . mi persuado, non vorria sua Beatitudine sforzarci con obbedienza; ma, senza venire a questa prova, supplico io umilmente a Vostra Signoria Reverendissima che sia contento di non procedere innanzi in questo negozio, anzi esserci protettore ed ajutarci secondo l' istituto nostro.“ Cf. supra p. 426—427. 431. 436. Martinengum Ignatio morem gessisse testatur *Polancus* (Chronicon III, 18).

102.

5. Ianuarii 1554.

Ex commentario epistulae integrae, quod Viennae in archivo aulae caesareae exstat, „Romana 1555“.

Ferdinandus I. Didaco de Lasso, procuratori suo romano, Augusta Vindelicorum 5. Ianuarii 1554:

. . . Jn negocio autem Canisij[1] committimus tibi ut nihil amplius agas donec aliam a nobis commissionem acceperis . . . .

103.

Didacus de Lasso

Ferdinando I.

Roma 22. Augusti 1554.

Ex litteris Lassi archetypis (2° min.; 1½ pp.; in p. 4. inscr. et sig.); Lassus ipse nomen subscripsit. Asservantur Viennae in archivo supremi collegii, quod imperatori a sacris est (Cultus-Ministerium).

Ignatium, ne Canisius episcopus viennensis fiat, summa vi obstiturum. Attamen effectum iri, ut episcopatus administratio Canisio committatur.

†

S. C. R. Maiestas.

Die, XVj. praesentis Mensis accepi literas Vestrae Regiae Maiestatis quibus iubet, ut summopere curem promotionem in Episcopum Viennensem pro Magistro Canisio[2]. Quae res mihi admodum difficilis

[1] Id est: Canisii dignitate episcopali ornandi.

[2] Ignatio Lassus est „ingenue confessus si rem ex Regis voto, animique sententia transegisset, promissam sibi satis vberem sui laboris mercedem“ (*Orlandinus*

uidetur, quam uis [*sic*] ipse Magister adeo[a] conueniens et dignus sit eo munere. Scio enim aperte nullo modo ad id Superiorem suum[1] licentiam daturum, quin potius omni qua poterit[b] repugnantia obsistet, licet Sanctitas sua aliud sibi praecipiat[2]. Nam hi religiosi huius Societatis, et quod dudum[c] florere coeperit et quod adhuc pauci sint, nollent exemplum dare, ut ab ipsis aliquem socium suum etiam pro urgentissimis causis et honoribus separari patiantur[d]. De qua re habetur experientia iam semel quando Maiestas V. Regia nominauit in Episcopum Triestensem Magistrum Claudium ex eadem societate virum[3], quem et si Papa nimis serio et ex animo promouere cuperet, nunquam tamen inducere[e] potuit eorum societatis Magistrum Ignatium, sed omni et qua maxima potuit solertia recusauit et contradixit. Atque ipse postea quadam die cum eum conuenirem, uisus est inter loquendum habere adhuc in memoria se tunc euasisse liberum ex illa uiolentia, quam sibi propterea inferri[f] uolebant. Sed his non obstantibus, uidens hac uia nihil profici posse, cogitaram, ut per uiam Breuis Apostolici, sibi demandaretur: prius tamen, visum fuit, id communicare cum Cardinali de Carpi huius Societatis Protectore, eidemque dare literas vestrae Regiae Maiestatis. Quibus ipse intellectis easdem mihi difficultates opposuit, quas ego putaram, viam tamen posse reperiri, adiunxit, qua posset fere ad Episcopatum deuenire, illiusque administrationi satisfacere, sine eo quod fieret Episcopus. Quae res fiet communicata prius cum altero Cardinale, horum negotiorum ualde intelligenti[4], atque etiam curabo, ut Breue suae Sanctitatis clam ex-

---

[a] a deo *archet.* [b] peterit *archet.* [c] *Sic;* haud dudum?

[d] *Sic Lassus scribere voluisse vel correcturus fuisse videtur, si has litteras diligentius legisset; archetypum:* separetur.

[e] induci *archet.* [f] *Sic; sed malim legere:* inferre.

---

l. c. l. 14, n. 44). Ac *Sacchinus* asserit Lasso „consimilis honoris, vel etiam amplioris" spem esse oblatam (De vita Canisii p. 82).

[1] S. Ignatium.

[2] Ignatium obstiturum non fuisse, si pontifex sub peccato ei praecepisset, ipsae Ignatii constitutiones ostendunt (P. 10, n. 6).

[3] P. Claudium Iaium. Cf. supra p. 332. 408.

[4] Iacobum cardinalem Puteum significare videtur, qui „iuris utriusque doctorum sui temporis longe princeps" fuisse fertur (*Ciaconius-Oldoinus* l. c. p. 773); qui et diploma postea recognovit et approbavit, quo Canisius administrator creatus est. Cf. supra p. 509. Marcellum quoque cardinalem Cervinum Lassus adiit. Huc enim (non ad annum 1552, quem Acta Sanctorum habent) referri oportet, quae ex commentariis Polanci et Ribadeneirae affert P. Ioannes Pinius: „Dixit Cardinalis sanctae Crucis redux a Pontifice . . ., quod Dominus Iacobus Lasso secum fuerit locutus, ut in primo consistorio episcopatum Viennensem pro M. Petro Canisio proponeret dicendo, ut sua Sanctitas sine Societatis consensu, ex reverentia erga regem Romanorum, illum ei conferret; et quod Cardinalis narraverit suae Sanctitati id, quod sibi dixerat dominus Iacobus" etc. (*Acta Sanctorum* Iulii, VII [Parisiis et Romae 1868], 497).

pediatur[1] forsan[a] et hoc proderit [*sic*]. Quam Christus Opt. Max. diutissime seruet, ex Roma XXIj Augusti. M. D. L. IIIj.

Caesareae Maiestatis V. Humilis Seruus
Don di Lasso.

† Sacrae Cesareae ac Regiae Rom. Hungariae Bohemiae Maiestati Domino nostro.

P. *Ioannes de Polanco* Roma 23. Novembris 1554 hac de re ad P. Franciscum de Villanueva scripsit[2]: „Don Diego Lasso . . . vase él mismo al Papa[3], y poniéndole delante la devocion del Rey y la necesitad de aquel obispado, como llegó á suplicar que S. S. mandase en obediencia al Dr. Canisio que le tomase, dícele el Papa: ‚Eso no lo queremos hacer, por no hacer este desplacer á la Compañía', y añadió (como quien da razon): ‚De estos Padres tenemos necesitad: no los querríamos contristar; pero procurad el consenso del Prepósito de ellos, y haráse lo que pedís.' Díjole D. Diego: ‚Eso, Padre Santo, es tanto como no hacer nada; que io sé que el P. M. Ignacio no consentirá'. Finalmente no sacó del Papa más que lo dicho: y pidiendo á lo ménos que le mandase ser administrador, tampoco quiso hacerlo sin que Nuestro Padre consintiese: y así vino D. Diego á Nuestro Padre contándole toda su traicion (que es muy amigo y devoto): y por la grande necesitad de aquel obispado, y por hacer algo de lo que el Rey deseaba, consintió Nuestro Padre en que por un año solamente tuviese el Dr. Canisio aquella administracion."

104.

Ferdinandus I.

Ioanni Morono,

presbytero cardinali tituli S. Laurentii in Lucina.

Augusta Vindelicorum 8. Augusti 1555.

Ex commentario (2°; $2^1/_2$ pp.), quod altera manu eiusdem temporis correctum et ab ipso doctore Iacobo Iona, Ferdinandi vicecancellario, subscriptum est. Viennae in archivo aulae caesareae, „Romana 1555".

Ibidem est alterum commentarium, ea manu scriptum, qua prius correctum est; sed alterum hoc correctiones prioris non habet.

Gaudet pontificem efficere velle, ut Canisius episcopatum viennensem suscipiat. Diploma mittit, quo eundem ad eam sedem praesentat. Quodsi pontifici aliter videatur, curet, ne ipse rex praesentationis ius amittat.

Reuerendissime pater Amice charissime. Accepimus literas Dominationis vestrae Reuerendissimae, quas hisce diebus ad manus nostras proprias ratione Episcopatus Viennensis dedit[4], Et lubenter sane in-

[a] forsam *archet.*

[1] At Ignatium ea res non fugit; cf. supra p. 500—501.

[2] Haec epistula primum edita est in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 376—379. Summam rei etiam refert *Petr. Ribadeneira* S. J. in „Vita Ignatii Loiolae" l. 3, c. 15 (Ingolstadii 1590, p. 214—215).

[3] Iulius III. tunc ecclesiam regebat.

[4] „Ferdinandus rex . . . per suum Legatum Marcum Comitem ab Arcu machinas nouas admonit, instititque vt [novus pontifex Paulus IV.] duobus, tribusue

telleximus, quod Sanctissimus D. N. ratum gratumque habere uelit, si Sanctitati eius honorabilem religiosum deuotum nobis dilectum Petrum Canisium de societate nominis Jesu ad dictum Episcopatum Viennensem nominauerimus et presentauerimus, quin etiam Sanctitatem eius effecturam esse, quod is Ecclesiae illius curam et administrationem Episcopalem non obstantibus hijs [*sic*], quae hactenus impedimento esse uidentur, omnino suscipiat et gerat. Quo nomine Sanctitati eius qua decet reuerentia gratias agimus, et propterea cum hijs [*sic*] Dominationi vestrae Reuerendissimae literas nominationis ac praesentationis pro eo transmittimus, quod Sanctitas eius desuper necessariam confirmationem expedire easque rationes inire dignetur, ut praefatus Canisius huiusmodi Episcopatum prorsus suscipiat, ita tamen, si forte Sanctitatj eius aliter videretur et ipsa putaret rem istam ad effectum deduci non debere[a], quod nos propterea iure nostro patronatus non priuati esse uideamur, sed liceat[b] nobis tunc aliam idoneam et habilem personam nominare ac praesentare, attento quod mora ista prouidendj dictae Ecclesiae non ex inobedientia aliqua vel incuria, sed ex singulari quodam studio nanciscendi virum aliquem probum pium doctum et ad hoc muneris aptum et idoneum proficiscatur[c]. Eaque propter Dominationem vestram Reuerendissimam amice et beneuole hortamur, ne grauetur etiam in posterum operam suam in hoc negocio interponere, idque ad finem, quem iam diximus deducere, prout nobis de Dominationis vestrae Reuerendissimae pietate ac praeclara in nos voluntate pollicemur[d]. Jn quo Dominatio vestra Reuerendissima factura est nobis rem gratissimam, beneuolentia nostra regia eidem rependendam. Quam foeliciter valere optamus. Datum in nostra et Jmperij Ciuitate Augusta Vindelicorum Die VIIj mensis Augusti. Anno Dominj M.D.LV. Regnorum nostrorum Romani XXV Aliorum uero XXIX.

I. Ionas D.
vicecancellarius. M. Singkhmoser.

105.

31. Augusti 1555.

Ex litteris archetypis, a Morono subscriptis, quae sunt Viennae in archivo aulae caesareae, „Romana 1555".

[a] *Sic comm. prius correctum est manu altera; prius scriptum erat:* si forte res ista ad effectum deduci non posset.

[b] licet *comm. prius.*

[c] *Verba* attento — proficiscatur *altera illa manu in margine comm. prioris addita sunt.*

[d] *Hic aliqua sequuntur, quae ad episcopum vacanti sedi gurcensi providendum spectant; sed ea in priore commentario lineis deleta sunt.*

de Societate viris mandaret Episcopatus, et regionum illarum greges committeret": *Orlandinus* (l. c. l. 15, n. 9).

Ioannes cardinalis Moronus Ferdinando I. Roma 31. Augusti 1555:

. . . . Quod ad promotionem domini Canisij ad Episcopatum Viennensem [attinet] res iam pro confecta potest haberi. necesse erit prouidere pro expediendis literis apostolicis qua de re dominus Didacus laxus diligentius perscribet Maiestati V. . . . .

„Quo accepto nuntio", inquit *Sacchinus*, „Ignatius ad Cardinalem Carpensem, quo tum Patrono societas vtebatur, aduolat. Cardinalis bono animo iussit esse. Modo, inquit, Canisius ipse constans in renuendo perstet, in me recipio Pontificem neutiquam vim allaturum invito. Scribat ad Pontificem, quae pro sua causa habebit, antequam munus admittat: cetera mihi curae erunt. Quae cum significata essent Canisio, et immobilem constantiam obtineret, noluit summo iure vti Rex. Itaque seculi eius anno quinquagesimo sexto Iacobum Lassum admonuit, vt tandem, quando de sententia dimoueri nullo modo Canisius posset, vrgendi eius negotij curam omitteret. Iacobus eas ipsas literas Ferdinandi, quas etiam num habemus, Patribus dedit." [1]

106.

De Canisio episcopatus viennensis administratore.

1554—1556.

Eorum, quae Canisius in administrando episcopatu viennensi gessit [2], vix aliqua vestigia in archivis viennensibus superesse videntur. Equidem anno 1889 tum in archivo consistorii archiepiscopalis tum in compluribus archivis caesareis frustra quaesivi. Neque in archivo capituli metropolitani quicquam eius generis exstare, reverendissimus D. Doctor Hermannus Zschokke, qui harum rerum peritissimus est, mense Martio a. 1894 ad me scripsit. Paucula, quae sequuntur, a *Theodoro Wiedemann* ponuntur, qui ea vel eorum partem ex archivo supremae vectigalium curiae utriusque Austriae („Gemeinsames k. k. Finanzministerium") a se hausta esse significat [3]:

„Die Verwaltung führte der Official Freysleben [4], Canisius selbst kümmerte sich wenig um die Angelegenheiten des Bisthumes [?], er lebte rein seiner Aufgabe als Jesuit, dem Beichtstuhle und der Kanzel. Nur einmal trat er hervor und unterstützte in seiner Eigenschaft als Bisthumsverweser am 1. Februar 1556 den Bruder Gabriel, Quardian der Franciscaner bei St. Nicola . . . *[Sequuntur ea, quae supra p. 598 posita sunt]*: 1556 trat Canisius zurück. Die Administration der Temporalien übernahmen Nicolaus Engelhard, Leopold Ofner und Ulrich Hain. 1557 legten sie Rechnung. Aus dieser Rechnung ergibt sich, dass die Verwandten des Bischofes Wertwein mit 1200 Gulden abgefertiget, der Domprediger Wertwein järlich mit 100 fl., 3 Mut Getreid und 4 Klafter Holz honorirt und das Bisthum jetzt schuldenfrei war. Am 26. September 1557 befahl Ferdinand mit dem Ueberschusse der Bisthums-Gefälle die Jesuiten in Rom zu bezahlen." [5]

Anno 1558 Antonius Brus episcopus viennensis constitutus est.

---

[1] De vita Canisii p. 84—85.

[2] Litteras Iulii III., Roma 3. Novembris 1554 datas, quibus ea administratio Canisio ad annum imposita est, vide supra p. 506—509. Cf. etiam supra p. 443 [3]. *Aschbach* falso affirmat Canisium eam administrationem a. 1553 suscepisse et solum usque ad 3. Novembris 1554 gessisse (l. c. III, 111 [3]).

[3] Geschichte der Reformation und Gegenreformation im Lande unter der Enns II (Prag 1880), 82.

[4] Doctor Christophorus Freysleben a 20. Augusti 1547 usque ad 26. Novembris 1558 „officialis" episcopatus viennensis fuit (*Wiedemann* l. c. V, 566—567).

[5] Emendandum igitur est, quod in „Serie Episcoporum" scribitur: Canisium anno 1558 administrationem episcopatus resignasse (*P. B. Gams* O. S. B., Series

107.

Appendix monumentorum viennensium.

Theresia [?][1] van den Bergh, Canisii

matertera,

P. Leonardo Kessel,

Sociorum coloniensium praeposito.

Noviomago vere anni 1554.

Ex autographo (16⁰; p. 1) Colonia vel Vienna Romam ad S. Ignatium misso. Antiqua etiam harum litterarum versio latina apud nos exstat.

Domum suam Societati, per quam Deus tanta efficiat, offert.

genade ende vrede geue ons die her doer syn ewyge guethyt amen erwerdyge vader soe ic ser woel gehoert van die grote vruchten die got die her doet doer die brudyschap ihesu as my m. kanys[2] ser woel vertelt hef en ock m. derck kanys mynre suster soen soe is myn hart ontsteken woerden om soe groete guet mededelechtych te waerden en heb daer om m. deryck myn nef gebeden dat doch — — — —[a] eruerdygen vaderen woelde te kenen geuen dat ic hed een erlyke bequaem wonyge daer myn alden in geuoent hebben en my nu allen toe hoert die ic nu tot die bruderschap gern woelde geuen om die bruder in te voenen[3] en byd oetmoedelyck om die lefte gudes dat u werden alsoedanyge woennyn uan my totter eren gudes wylt ontfangen.

Inscriptio, subscriptio, locus, tempus neque in autographa epistula neque in apographo antiquo comparent. Unde et quando litterae datae sint, ex Canisii litteris eruitur[4]. In extrema paginae prioris parte a P. Leonardo Kessel (ita saltem omnino videtur) scriptum est: „Hanc petitionem scripsit Matertera M. Theodorici Canisij, ante Mortem suam.“ Quae indicant litteras hasce ad Kesselium datas esse. Qui etiam anno 1552 Noviomagi „amicos“ Canisii inviserat et anno 1554 eodem rediit[5]. Quae de Kesselio a. 1554 Noviomagum profecto indeque senatus consulto excedere iusso refert *Reiffenberg* l. c. l. 2, c. 8, a *Gothein* (l. c. p. 754. 795) parum diligenter lecta et ad Canisium perperam translata sunt. Certe epistulis a Canisio a. 1548—1556 datis, quas supra posuimus, evincitur hunc eo tempore in Germaniam inferiorem non venisse.

[a] *Sequuntur verba aliquot obscure scripta. Versio antiqua:* quo hoc animi mei consilium Reuerendiss. patribus aperiret.

Episcoporum Ecclesiae catholicae [Ratisbonae 1873] p. 321). Errat etiam *Philippson* scribens Canisium dioecesim viennensem per 48 menses administrasse (Westeuropa p. 48).

[1] Huic virgini „Theresiae“ nomen fuisse asserit *van den Bergh* l. c. p. 13; unde autem id cognoverit, non indicat.

[2] Versio antiqua: „relatu sororis meae Canisiae“.

[3] *Van den Bergh* (l. c.) refert domum hanc angularem fuisse in via, quae „Ridderstraat“ vocatur. [4] Supra p. 475. 485.

[5] *Litterae quadrimestres* I, 403. *Orlandinus* l. c. l. 14, n. 45.

G.

MONUMENTA PRAGENSIA CANISII.

1551—1556.

a) Collegii pragensis prima sementis a Canisio facta.

1554—1555.

108.

20. Octobris 1554.

Ex epistula Ferdinandi regis, quae integra exstat in „*Actis Sanctorum* Iulii" VII (Antverpiae 1731), 498, et in *Menchacae* „Epistolis S. Ignatii" p. 516—518, atque in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 532—533.

Ferdinandus I. S. Ignatio, Vienna 20. Octobris 1554: Socios Viennae et aliis vicinis locis contionibus, scholis, exemplis vitae plurimum profuisse et in dies magis profuturos, „utpote qui numquam otiari, sed dies noctesque in excolenda vinea Domini occupati esse videntur". Ideo se statuisse, Pragae quoque collegium Societatis instituere[1], *et „in hunc usum . . duodecim fratres, inter quos ad minimum duo sacrae theologiae professores existant", ab Ignatio petere.*

109.

22. Novembris 1554.

Ex epistula S. Ignatii, quae est in „Cartas de *San Ignacio*" IV, 484—485.

S. Ignatius Ferdinando I., Roma 22. Novembris 1554: Se „intra annum" Socios illos Pragam esse missurum.

110.

28. Februarii 1555.

Ex epistula Ferdinandi I. archetypa. Edita est in „*Actis Sanctorum*" l. c. p. 498—499, et in *Menchacae* „Epistolis S. Ignatii" p. 536—537.

Ferdinandus I. S. Ignatio, Augusta Vindelicorum 28. Februarii 1555: Societatem laudat; gaudet de Sociis Pragam mittendis. „Ad cuius sane Collegij erectionem, et necessariam sustentationem, quantos et quales redditus, queue bona assignare et deputare decreuerimus, ... Nicolao de Lanoi Collegii Vienensis Rectori, ac Petro Canisio sacrae Theologiae doctoribus, significauimus." Favorem Societati promittit.

---

[1] Ferdinandus ad hoc consilium capiendum etiam inductus vel in eo confirmatus est a capitulo metropolitanae ecclesiae pragensis, quod eius rei causa Henricum praepositum et Ioannem archidiaconum Viennam ad eum miserat (*Thom. Io. Pessina,* Phosphorus septicornis [Pragae 1673] p. 318—322).

111.

Mense Iulio 1555.

Ex epistulis archetypis, quae sunt Viennae in archivo camerae aulicae („Hofkammer-Archiv"), „Boehmen P. Fasc. $^{5}/_{2}$, Jesuiten".

Canisium monasterium S. Clementis elegisse Societatis sedem. Eius mores et doctrinam omnibus placere. Diutius ei Pragae degendum esse.

a) *Ferdinandus archidux Ferdinando I. Romanorum regi et patri suo, Praga 15. Iulii 1555:*

. . . Zu uolziehung e. khu. Maiestet beuelchs [1] hab jh baide Clösster alhie. als sannd Clemens. vnd Sannd Thomas, durch di vorigen Commissari [2], dem abgesandten der Jesuiter, doctori Petro Canisio. weisen. vnd jme derselben Closster ains zu jrer wonnung vnd vnderhaltung. zuerwelen, furschlahen lassen . . . . . Jme Canisio [will] das Closster zu sannd Clemens darzue am annemblichisten vnd gelegnisten sein . . . . . welcher [Canisius] sich auch in diser handlung vnd besichtigung gantz emsiglich vnd vleissiglich bemueet vnd gehalten . . . . Gleicherweiss hab jh auch auf e. gnaden beuelch obgedachtem doctor Canisio die renntt vnd einkhumen des Stiffts Oybin anzaigen vnd fuerhallten lassen . . . . .

b) *Henricus Scribonius, ecclesiae metropolitanae pragensis praepositus, et Antonius Brus, magister generalis ordinis Cruciferorum cum rubea stella, ac Ludovicus Schradin, iuris utriusque doctor, Ferdinando I. regi, Praga 16. Iulii [3] 1555:*

. . . . Dieweill diesser Erwirdige Vatter Doctor Canisius nue allerley berichtt erfahrenn, auch durch seine nehiste Predigk so er alhie jn der Ertzkirchenn in grosser mennigk der Zuhörer gethann Ein gutten grundttstein geleget hatt, Vnd dem Volck wolgefallenn, Ist vnser vnnderthenigist guttbedunckenn, fur vns selbst gehorsamistes bittenn, Euer Khönigkliche Khönigkliche [*sic*] Mayestet woltten die handlunge allergnedigist dahin richttenn auf das disser hochgelertte man, vnnd andechtige Vatter, zu solchenn Christlichenn wercken hieher widerumb verordentt, vnnd das angefangene löblich Christlich werck, desto schleuniger jn vollzihunge gebrachtt werde, Als wie dan vnsers be-

---

[1] Cf. supra p. 545—547.

[2] Ii erant Henricus Scribonius, Antonius Brus, Ludovicus Schradin, Ioannes de Rensberg. Qui cum vere anni 1555 regis iussu Societati domicilium quaererent, in monasterio S. Clementis prior Dominicanorum initio dixit se Sociis monasterium suum concedere non posse; prioris provincialis vel magistri generalis esse, id permittere; quodsi rex homines doctos habere cuperet, eos a magistro generali ordinis Praedicatorum Roma mitti posse. Postea autem sub certis condicionibus paratum se ostendit ad Socios recipiendos. Haec „commissarii" illi ad regem rettulerunt 23. Martii 1555. Quorum *litterae in archivo camerae aulicae sunt (l. c.).

[3] „Feria III. post festum divisionis SS. Apostolorum"; hoc autem festum 15. Iulii agi solet, quae tunc feria II. erat.

denckens, soviell vormerckenn, Das er mitt seinen wandell vnnd lehr. die alsbaltt menniglich wolgefallenn hatt, jnn der heiligenn Religion ettwas dapffers fur andern verrichten werde . . .

112.

1555—1556.

Canisius Crucigerorum pragensium hospitio utitur.

Pragae antiqua et constans est memoria Canisium, cum collegii pragensis prima initia poneret, „Crucigerorum cum rubea stella" hospitio usum esse in valetudinario prope antiquum et celebrem Moldavae pontem sito, quod illius ordinis hodie quoque sedes est principalis.

Ioannes Beckovský (1658—1725), eiusdem ordinis Cruciger pragensis, in „Chronico Bohemiae" bohemice scripto refert: Canisius anno 1555 Pragam venit et „in valetudinario Crucigerorum cum rubea stella habitavit atque etiam victum accepit, idque in parvo illo cubiculo, cuius locum nunc altare summum ecclesiae Crucigerorum occupat [1] et in quo olim beata Agnes virgo, valetudinarii eiusdem conditrix, habitaverat. Illic igitur Canisius habitavit, donec ecclesiam et monasterium S. Clementis accepit." [2]

Canisium eo tempore a Crucigeris „ad pedem pontis" hospitio exceptum esse refert etiam P. *Georgius Cruger* (Kruger) S. J. (1608—1671), pragensis, in ultima parte „Sacrorum Pulverum", a P. Bohuslao Aloysio Balbino S. J. (1621—1688) aucta [3].

Idem recentiores historiographi pragenses asserunt, v. g. Iar. Schaller, Ord. Schol. Piar. [4], et Io. Nep. Zimmermann, Ord. Crucig. [5]

Ex iisdem fontibus intellegitur cum Canisio alios quoque de Societate liberali Crucigerorum hospitio usos esse; atque ex illo tempore Pragae Crucigeri et Societatis homines peculiari inter se amicitia iuncti erant.

113.

30. Iulii 1555.

Ex epistula Ferdinandi I., quae est in *„Actis Sanctorum"* l. c. p. 499, *Menchacae* „Epistolis S. Ignatii" p. 540—541, „Cartas de *San Ignacio*" V, 583—584.

Ferdinandus I. S. Ignatio, Augusta Vindelicorum 30. Iulii 1555:

Ignatio epistulam 28. Februarii a se missam in memoriam revocat. „Cum itaque nuper Canisius in regno illo . . . Bohemiae fuerit et praesens rationem ac modum erigendi et sustentandi huiusmodi collegii viderit", se iterum ab Ignatio petere, ut duodecim illos Socios ante hiemem proficisci iubeat. Viatici autem curam se „agenti" suo romano committere, „sicuti D. Canisius ad te ea de re latius perscribet".

114.

2. Augusti 1555.

Ex epistula Ferdinandi, quae est in *„Actis Sanctorum"* l. c., *Menchaca* l. c. p. 542—543; *„Cartas"* V, 584—585.

[1] Pulchra haec ecclesia (S. Francisci) a. 1680—1688 aedificata etiamnunc exstat.

[2] Poselkyně starých příběhův českých P. 2, Vol. 1, ed. Dr. *Ant. Rezek* (Pragae 1879), p. 201.

[3] Sacri pulveres mensis Decembris, ed. *Mich. Krammer* S. J. (Pragae 1767) p. 105.

[4] Beschreibung der königl. Haupt- und Residenzstadt Prag III (Prag 1796), 47.

[5] Historisches Verzeichniss aller in der k. Hauptstadt Prag aufgehobenen Klöster, Kirchen u. Kapellen 2. Liefg. (sine anno; circ. a. 1830), p. 112.

Ferdinandus I. S. Ignatio, Augusta 2. Augusti 1555: Se modo cardinalibus Ioanni Morono, regnorum suorum protectori, et Ottoni Truchsessio scribere, ut Romae „primo quoque tempore“ duas dispensationes sibi a summo pontifice impetrent: unam, qua Pragae fratres Praedicatores monasterium S. Clementis Societati tradere ipsique in monasterium B. Agnetis, ordinis S. Clarae, immigrare possint; alteram, qua Viennae monasterium Beatae Mariae Virginis, ordinis Carmelitarum, in possessionem Societatis transeat. Rogare se igitur, ut Ignatius quoque ei rei operam suam interponat.

115.

Ineunte Augusto 1555.

Ex litteris Ferdinandi, quae sunt in „*Actis Sanctorum*“ l. c. p. 499—500, et in „*Cartas*“ V, 586—588.

Ferdinandus I. cardinalibus Morono et Truchsessio, Augusta, ineunte Augusto 1555: Rationes exponit, ob quas duas illas dispensationes petat: Monasterium S. Clementis loco est iuventuti et populo commodissimo; fratres valde paucos habet, „et ex illis concionatorem aut lectorem neminem: deinde ruinam prae vetustate minatur in aedificiis“; fratres ipsi „cupiunt in hac parte suo loco et iuri cedere, quod certam spem concipiant, huiusmodi cessionem tum Pragae, tum Bohemiae in fide et religione valde profuturam“. Vident autem in monasterio B. Agnetis, quod „iam annis abhinc aliquot desertum“ fuit, locum sibi „ampliorem et amoeniorem et spatiosiorem esse“. De altero monasterio v. supra p. 471[2].

116.

28. Augusti 1555.

Ex epistula S. Ignatii, quae est in „*Cartas*“ V, 404—405. 298—299.

S. Ignatius Ferdinando I., Roma 28. Augusti 1555: Litteras, quibus rex de Sociis Pragam mittendis et de dispensationibus impetrandis egerit, ad se perlatas esse; se de iisdem cum regis procuratore contulisse et operam suam ad omnia obtulisse; eum copiosius cuncta relaturum esse.

117.

5. Septembris 1555.

Ex commentario epistulae (nondum editae) Ferdinandi, quod est Viennae in archivo aulae caesareae, „Romana 1555“.

Ferdinandus I. Paulo IV., Augusta 5. Septembris 1555: Refert se Pragae collegium Societatis condere coepisse, et Ignatium duodecim sibi Socios promisisse. Ideo pontificem rogat, ut illos statim mittendos curet.

118.

30. Septembris 1555.

Ex epistula S. Ignatii, primum edita in „*Cartas*“ V, 414—415. 340—342.

S. Ignatius Ferdinando I., Roma 30. Septembris 1555: . . . „Heri me Summus Pontifex, cui nudius tertius litterae M. Vestrae a D. Didaco Lasso de Castilla datae fuerant accersiri iussit, et . . de duodecim collegialibus Pragam mittendis mecum egit . . Consultius fore visum est ejus Sanctitati, si statim post Januarium isthinc [hinc?] proficiscerentur, ut primo vere in Bohemiam pervenirent. Ne autem consolatione et auxilio spirituali, quod a nostris exspectari potest, omnino Pragenses priventur, videbatur eidem Sanctissimo D. N. interim, dum alii se conferunt Pragam, sub-

sistendum esse Doctori Canisio; et revera concionando et collegialibus habitationem et reliqua necessaria praeparando cum sociis, quos secum habet, perutiliter ibi occupari poterit."

119.

17. Augusti 1555.

Ex epistula archiducis, quae est Viennae in archivo camerae aulicae „Boehmen P. Fasc. 5/2, Jesuiten".

Ferdinandus archidux Ferdinando I. regi, Vienna 17. Augusti 1555: Se, quae de domicilio Societati Pragae assignandò rex 2. Augusti mandasset et curatores proposuissent, pridie per Canisium accepisse ac iam ea, quae sibi litteris illis proposita essent, constituisse et decrevisse.

120.

7. Octobris 1555.

Ex litteris Pauli IV., quas edidit *Raynaldus* in „Annalibus Ecclesiasticis" t. XXI, a. 1555, n. 50.

Paulus IV. Ferdinando I., Roma 7. Octobris 1555: Se quam maxime laetari, quod rex Pragae collegium Societatis constituere velit. Sed quia duo illi theologi „ex longinquioribus locis accersendi sunt, et hyems iam subest, eorum missio in proximum mensem Februarium dilata est" [1].

121.

29. Novembris 1555.

Ex epistula Ferdinandi I., quae est in *„Actis Sanctorum"* l. c. p. 500, *Menchaca* l. c. p. 549—550, *„Cartas"* VI, 638—639.

Ferdinandus I. S. Ignatio, Vienna 29. Novembris 1555: Quod ad Socios Pragam mittendos attinet, „decet equidem nos Sanctitatis eius voluntati morem gerere et acquiescere . . .; quin etiam consilii Sanctitatis eius, de retinendo interim Pragae donec ceteri duodecim adveniant, doctore Canisio non obliviscemur".

b) Collegium pragense a Canisio constitutum. Causa religionis ab eodem adiuta.

1555—1557.

122.

Ab anno 1555 usque ad annum 1557.

Ex litteris archetypis, quae sunt Viennae in archivo camerae aulicae, „Boehmen P. Fasc. 5/2, Jesuiten".

De incommoditate aedificii, quod Pragae, Canisio collegium praeparante, Sociis exstructum erat, ac de ecclesiae S. Clementis tenuitate.

Quidam de Societate, Pragae degens (Ursmarus Goisson, collegii

[1] Sermonem a Paulo IV. ad Socios Pragam profecturos habitum „ex Ursmari [Goissonii rectoris] adversariis" a se descriptum ponit *Schmidl* (l. c. I, 86).

rector?) anno 1557 [1] *ad Ferdinandum I. regem litteras dedit, in quibus, praeter alia, haec de collegio Societati Pragae aedificato refert:*

„Aedificium autem illud sic est incommodum ut Vestrae Maiestati placere posse non arbitrarer, quod iudicio illorum sit in ea forma erectum, qui parum nostrum institutum hoc ipso uidebantur intelligere, quibus tunc temporis sese interponere Doctor Canisius consultum esse non putauit [2]. Certus profecto sum ni meum me ingenium fallit, eos qui tunc rem totam dirigebant, nihil animo iniquo fecisse. Verum nihil certe est in eo Collegio commoditatis pro infirmis, et nostri socij uix extra refectorium locum ullum habent, in quo uel diuisj uel simul omnes in hyeme possint studere, nisi in frigidissimis cubiculis . . . . In tecto autem Dormitorij nec unam tabellam appositam esse puto, unde sicut anno praeterito hyemis tempore inter niues et aquam [3], et hoc etiam anno in eo loco ambulare Collegae nostri sunt parati atque degere etiam sj peius aliquid et grauius sese offerat, quod res huiusmodj (nisj forte infirmitatem inde aliquam contraherent) eius conditionis non sit, quae commune spirituale bonum, quod magnopere promoueri semper in melius optamus, impedire possit aut retardare. . . . . Ecclesia uero praeterquam quod est parua nimis, multisque ex causis incommoda atque obscura, est etiam formae inordinatae, et quod peius est atque grauius, adeo ruinam minatur, ut sit timendum, ne bona eius pars cum periculo non minimo eorum qui eo accedunt proxima hyeme decidat."

123.

Utraquista quidam pragensis amico cuidam Lutherano.

Praga mense Maio 1556.

Ex apographo recente, descripto ex exemplo eiusdem temporis, quod inscriptum est: „Ex PRAGA per Thanerium [?] professorem Mathem. 26. Maij 1556" [4] et exstat Guelpherbyti in bibliotheca ducali, Cod. „64. 11. Extr." f. 39^b—41^a.

Iesuitas Pragae considere. Canisium e suggestu invectum esse in eos, qui dicerent: „Christe ora pro me".

Iesuitae apud nos subinde iam suos nidos extruunt, et bullas indulgentiarum spargunt. . . . . Nostri sacerdotes quidam acerrime nunc pugnant de Christi intercessione, damnantes Arianismi eos omnes quicumque dicunt, Christe ora seu intercede pro me apud patrem, ac

[1] Quae de Canisio scribuntur, ad annum 1555 et priorem partem anni 1556 spectant, atque ideo in hoc volumine collocata sunt. Vide infra, adnot. 2.

[2] Illa collegii clementini pars „a templo in occidentem paulum deflexa" significatur, quam postea „Canisianum" vocarunt (*Schmidl* l. c. I, 81). Canisius eo tempore pecuniae inopia laborabat; cf. supra p. 599. 612.

[3] Cf. supra p. 609 [1].

[4] Incertum, utrum dies significetur, quo epistula data, an, quo recepta sit, et utrum professor ille epistulae auctor sit an tantum eam secum attulerit ei, cui inscripta erat.

se hisce tuentur auctoritatibus. [*Sequuntur variorum patrum et theologorum sententiae.*] Ac Canisius nuper in die ascensionis Domini [1] coram rege [2], in concione gravissime invehebatur in illos, qui sic Christum invocant, appellans eos erroneos et impios, eo quod naturas, quae sunt in Christo dividant, peculiariterque [?] [a] velut hominem quendam coram patre procumbentem invocent, cum iam cum patre aequali potentia regnet, in quo duae naturae ita unitae sunt, ut seorsim altera humana videlicet [?] [b] compellari non debeat, ut etiam Nicenum decrevit concilium, inquiens. Quicunque dupliciter Christum adorat, maledictus est [3]. Damnatus est ergo iam olim ille error, quem nunc quidam refricant, non aliam ob causam, quam ut sanctorum invocationem e medio tollant, quorum est proprie intercedere pro nobis apud patrem. Haec sunt mi frater illorum fulcra quibus insistunt. Quomodo subvertenda sint magnopere rogo propter Ecclesiam Dei, quaedam ad me copiosius perscribas, ut illis aliquando respondere possim et colligas aliquot testimonia veterum, qui Christe ora pro me dicere non sunt veriti. Ego nuper unum in Cypriani oratione quae suis operibus in fine adiuncta est inveni. Te rogo plura conquiras et ad me transmittas [4].

Canisius, cum nollet audire „Christe ora pro nobis", S. Thomam secutus est, scribentem: „Ideo non dicimus ‚Christe ora pro nobis', quia Christus supponit suppositum aeternum, cuius non est orare, sed adiuvare; et ideo dicimus, ‚Christe audi nos', vel ‚miserere nostri': et in hoc etiam evitamus haeresim Arii et Nestorii." [5]

Alia vero quaestio est, utrum Canisius cum Ruperto Tuitiensi etc. senserit Christum in caelo pro nobis orare tantum „interpretative" per merita sua, quae in conspectu Dei sunt, per cicatrices vulnerum etc., an cum S. Thoma, Suaresio, Toleto etc. censuerit eum etiam expressa oratione divinae pietatis subsidia nobis petere. In libro, quem multo post S. Pii V. iussu de Beata Maria Virgine composuit, haec de Christo scribit: „Nullum agnoscimus alium communem omnium mediatorem et intercessorem, qui plenam cum Deo reconciliationem sit promeritus, aut vnquam promereri possit. Per hunc omnia sumus assecuti bona, quae a Deo nobis data sunt, vel potius semper dantur, quique non verbis quibusdam et precibus, sicut solent Legati, sed reipsa intercedit. . . Per hunc demum petenda et accipienda sunt omnia, quae Pater aeternus tum Angelis, tum hominibus precantibus donat. Sancti vero mediatores ad hunc ipsum Mediatorem, si ita loqui fas est, ab Ecclesia constituuntur." [6]

[a] *Obscurius scriptum.* [b] *Obscure scriptum.*

[1] 14. Maii. [2] Ferdinando I.

[3] Cf. concilii Nicaeni II., anno 787 habiti, actionem VI., t. 6.

[4] In spuria „Oratione Beati Cypriani martyris, quam sub die passionis suae dixit", hic Christum alloquitur: „Ego in tuo nomine peto, ut tu a patre petas, et detur mihi." Ita quidem in editionibus Cypriani erasmiana (Basileae 1530; p. 505), migniana etc.; in harteliana vero haec verba omittuntur.

[5] In 4. dist. 15, q. 4, art. 6, q. 2 ad 1. *Franc. Suarez* S. J. has S. Thomae rationes probat et confirmat; attamen existimat certa cum condicione posse nos Christum rogare, ut suae orationis nos participes efficiat, orationem suam nostrae coniungat etc.: In tertiam partem divi Thomae t. I, disp. 45, sect. 2 (Lugduni 1608), p. 693.

[6] De Beata Maria Virgine incomparabili (Ingolstadii 1577) p. 659—660.

Philippum certe Melanchthonem illa Canisii contio pragensis magnopere offendit. Ioanni enim Alberto, duci megalopolitano (Mecklenburg), Vitemberga 18. Iunii 1556 scripsit:

„Mitto Celsitudini vestrae pagellas ex quibus cognoscet nobis inferri nova bella de invocatione Mediatoris. Magna contentione pugnat Pragae cynicus, cuius nomen est Canusius [*sic*], filium Dei non invocandum esse ut Mediatorem, cum tamen Cyprianus dicat: Interpello te, fili dei, ut pro me apud patrem interpelles; sed de hac controversia editurus sum, ipso filio dei invocante, refutationem cynici deliramenti." [1]

Idem Flacio Illyrico a Melanchthone relatum 4. Septembris 1556: „Pragensis Cynicus non desinit vociferari, Christum non invocandum esse ut mediatorem." [2] Ac paucis iam diebus post Melanchthon compluribus amicis significare potuit se „scriptum" „in manibus habere" de invocatione Christi mediatoris edendum contra „cynicum Pragensem"; sic enim Canisium appellare solebat [3]. Illyricus quoque censebat „Canisii clamores contra intercessionem filii Dei . . rem magni momenti esse, dignamque quae refutetur." [4]

Quae autem criminationes eadem de causa posterioribus annis contra Canisium vulgatae sint, ab Ioanne Alberto I., duce megalopolitano, a Lutheranorum ministris mansfeldensibus, Martino Chemnitio, Conrado Schlüsselburg etc., in sequentibus huius operis voluminibus exponetur.

Canisii biographos haec fere fugerunt.

124.

Ferdinandus,

Austriae archidux et regni bohemici administrator,

Alberto V.,

Bavariae duci.

Praga 24. Iulii 1556.

Ex commentario (2°; 1½ coll.), quod Oeniponte exstat in archivo praefecturae caesareae („k. k. Statthalterei-Archiv"), „Innsbruck Jesuiten 1560—1624" A VI. 1.

---

[1] Phil. Melanchthonis epistolae, iudicia, consilia etc. (ed. *Henr. Ern. Bindseil*, Halis Saxonum 1874) p. 393.

[2] Corpus Reformatorum. Ed. *Car. Gottl. Bretschneider*. Vol. VIII. (Halis Saxonum 1841) p. 843.

[3] Melanchthon Alberto Hardenbergio, 7. Septembris 1556: „Cum in manibus haberem duo scripta edenda, alterum περὶ λόγου contra Lituanum, qui Serveticas blasphemias revocat, alterum contra Cynicum Pragensem de invocatione mediatoris, ecce adfertur" etc. Idem Hieronymo Besoldo, lutherano ministro norimbergensi, 10. Septembris 1556: „Iam serveticas blasphemias Lituanus quidam ex Italia attulit, et non desinit vociferari Cynicus Pragensis. Horum scripta refutare decrevi, et adiungam responsionem ad Flacii scriptum." Atque eodem die Hieronymo Baumgartnero, senatori norimbergensi: „Institueram refutationes duas, alteram contra Lituanum quendam, qui rursus spargit Serveticas blasphemias, alteram contra Cynicum Pragensem. Sed interrupit hunc laborem Flacius." Item „Petro Vincentio, gubernanti literarum studia in urbe Lubeca": „Iam et Lithuano Conyzae, et Pragensi Cynico et Illyrico simul respondebo" (*Corpus Reformatorum* VIII, 845—847).

[4] Melanchthonis epistolae (ed. *Bindseil*) p. 579.

Canisium collegium pragense optime instituisse. Petere se a duce, ut eum in ingolstadiensi collegio instituendo quam maxime iuvet.

Vnser freundlich willig dienst vnnd was wir mer liebs vnnd guts vermugen seyn E. L. allzeit zuuor hochgeborner Furst frundtlicher lieber vetter Schwager vnd Brueder. Wir geben .E. L. freundtlich zuuernemen. Nachdem der Ersam hochgelert vnser getrewer lieber Petrus Canisius des Ordens Jesuiticj[a] vnd der heyligen schrifft doctor, sich in ordenlicher aufrichtung aines Neuen Colegiumbs seines Ordens dermassen arbeitsam vleissig vnnd Erbar verhallten dasselb in das werch gepracht[b] vnd ainen sollichen guten anfang gemacht. dardurch sich Got zu Lob vnd Ehre vil Christlichs vnd guts ausszurichten gewislichen zuuerhoffen ist, vnnd sich numeer zu E. L. Stat Ynglstat zu aufrichtung aines sollichen Collegiums daselbsten hiemit verfuegen thut. So haben wir Jne in ansehung desselben seines loblichen vnd Christlichen verhalltens gegen E. L. auch zu beruemen nit vnderlassen wellen. Dieselb E. L. freundtlich ersuechend das Sy Jr bemellten Doctor Canisium zum besten beuolhen sein lassen welle, Zweifls one Er werde sich in ordenlicher aufrichtung solches Collegiumbs nit weniger sonder dermassen verhallten das E. L. zu gantz genedigem gefallen geraichen werde, wie wir dann E. L. also erkennen das Sy ain soll [*sic*] Christlich loblich gut werch zubefürdern an Jr nichts manglen noch erwenden lassen werden, vnd wunsche E. L. dero wir freundtlichen zudienen willig[c] allen gluckhlichen Zuestand. Datum Prag den .24. Julij . Anno etc. jm .56. ten

125.

Fr. Petrus Silvius S. J. [1]

Sociis romanis.

Praga 29. Augusti 1556 [2].

Prior epistulae pars (usque ad „tabernaculum, sibi persuadere possunt") descripta est ex *Radero,* „De vita Petri Canisii" (Monachii 1614, p. 65—68); qui sic praefatur:

[a] Jesutj *comm.* [b] *Verba* dasselb — gepracht *in margine addita sunt.*
[c] *Sequuntur verba:* vil gutte Zeit vnd, *quae postea deleta sunt.*

[1] Magister Petrus Silvius (Sylvius, van den Bossche), circiter a. 1535 in pago Hautem-Saint-Liévin (in regno belgico) natus, litteras humaniores, philosophiam, theologiam in variis Italiae et Germaniae collegiis docuit. In pragensis collegii initiis cum Fr. Floriano, italo, „politiores et graecas litteras" tradidit (P. *G. Varus* S. J. in „*Historia fundationis Collegii Pragensis"; cf. supra p. 618 [7]). Anno 1567 Moguntiae in archiepiscopali Societatis collegio theologiae dogmaticae professor fuit; ibidem 10. Iulii 1571 mortuus est (*Delplace,* L'établissement etc. p. 3*. *De Backer* l. c. III, 793).

[2] Data quidem est haec epistula eo tempore, quod ad secundum huius operis volumen spectat; sed quae in ea de Canisio referuntur, ante mortem S. Ignatii gesta deoque huic volumini inserenda sunt.

„In annuis Collegij Pragensis, Anno M. D. LVI. IV. Cal. Sept. a Petro Siluio Romam perscriptis in haec verba lego.“ Altera pars, quae in libro Raderi non est, transscripta est ex eiusdem operis exemplo manu scripto, quod vetustius („Augustae Vindelicorum 1611“) est ac multis locis a libro illo discrepat neque umquam typis exscriptum esse videtur; exstat nunc Romae in bibliotheca nationali (biblioteca Vittorio Emmanuele) „MSS. Gesuit. 1355“ (p. 21—23).

Lutheranos et Hussitas collegium timere. Quas insidias Sociis parent. Hos ad martyrium paratos esse. De Ferdinandorum, regis et archiducis, pietate. Quanti Canisius ab omnibus, etiam non catholicis, fiat, et quae, eo auctore, ad Turcarum furorem reprimendum instituta sint. Quomodo scholae collegii progrediantur.

— — Collegij nostri admoneo paucos esse vel nullos aduersarios, praeter Lutheranos [1]: qui nos timeant, esse plurimos; quippe qui per nos suae sectae auctoritatem minuendam praesagiunt. Iussit nobis indicari praepositus arcis Pragensis [2], quosdam Lutheranos nobis moliri insidias adeo vt non clam fassi sint, se velle nos, cum contingeret pontem transgredi, in flumen praecipitare, et statim aufugere [3]: sed noctu foris non versamur: interdiu vero negotia obedientiae intrepidi obimus. Fuerunt et Doctori Henrico [4] paratae insidiae, et Doctori Tilano [*sic*] [5], alteri domi, alteri foris: aliquando lapidibus Collegium impetitur. Sunt qui et incendium nobis minentur. — —

Archidux Ferdinandus, vt patris nomen sortitus est, ita virtutem imitatur. Publice per praecones proclamari iussit, ne quis huic Collegio vlla in re nocere auderet. Nunc profectus est Chiliarcha in Vngariam [6], et a nobis, vt senior coronam [7], ita et ipse Agnum Dei [8] accepit, quem secum tulit. Vnice nostris orationibus et sacrificiis se commendans. Qui etiam suggerente Patre Canisio instituit, vt per totam Bohemiam innouaretur mos meridie pulsandi contra Christi hostes, ac pro Christianae religionis prospero successu, reuerenter

---

[1] Haec si quis cum reliqua epistula contulerit, ita, ni fallor, explicabit: Ex adverso collegii nostri paucae vel nullae domus sitae sunt nisi Lutheranorum.

[2] Arcem regiam „Hradschin“ dicere videtur, quae trans Moldavam sita est.

[3] Scholae quidem in monasterio S. Clementis habebantur, quod cis Moldavam prope lapideum illum pontem („Karlsbrücke“) situm erat, ex quo sanctus Ioannes Nepomucenus ob servatum sacrae confessionis sigillum in flumen praecipitatus esse traditur. Sociorum autem saltem aliquot trans flumen editiore aliquo Pragae minoris („Kleinseite“) loco habitasse videntur, donec monasterium clementinum plene instructum esset.

[4] P. Henrico Blyssem; qui theologiam dogmaticam et linguam hebraicam tradebat (* *Varus* l. c.; cf. supra p. 770 [1]).

[5] P. Iacobus Tilianus primum quidem philosophiam docebat; sed quia auditores ad eam idonei non suppetebant, paulo post epistulas Paulinas explicandas suscepit (* *Varus* l. c.).

[6] Ferdinandus archidux contra Turcas, quorum exercitus magnus irruperat et arcem Szigetvár capere volebat, 3000 equites et totidem pedites paenultima mensis Augusti hebdomade prope Viennam collectos in Hungariam duxerat (*Hirn* l. c. I. 24—25).

[7] Ferdinandus I. rex a Sociis coronam Beatae Mariae Virginis sive rosarium acceperat.

[8] Agnus Dei = figura cerea, cui imago „agni Dei“ impressa est; quae figurae consuetudine vetere a summo pontifice certis temporibus sollemniter sacrantur. Viennae in bibliotheca caesarea brevis commentarius manu scriptus exstat, cui titulus est: „Virtutes Agnorum Dei soluta oratione authore .P. Canisio Societatis IESV“; de quo in aliquo ex posterioribus voluminibus plura dicentur.

gratias agens Canisio, qui tam honesta petendo Principem Catholicum officij sui admoneret [1]. Effectum est apud eum, vt probatae fidei virum concionatorem haberet in militia [2], et curaret diebus Veneris in tota Bohemia processionem fieri, et missam de sancta cruce cantari, et moneri populum de poenitentia et pietate [3]. — —

Patrem nostrum Prouincialem Canisium mire hae regiones Aquilonares venerantur, vt non solum Catholici, sed etiam Hussitae et alij haeretici, imo et Iudaei illum diligant: quamuis doleant malorum artifices tam multa eius consilio in vniuerso Germaniae statu fieri, (vt mihi a quibusdam indignantibus dictum est) omnia scilicet eius consilio fieri, etc. Maximum de nobis rumorem spargi apud Germanos, ac praesertim apud Marchionem Brandeburgensem [4] et Ducem Saxoniae [5] retulit nobis D. Marschalcus [6] (a regia Maiestate defensor nobis constitutus) vtinam omnium expectationi satisfacere liceat.

Nostrum collegium in Ciuitatis meditullio situm est loco saluberrimo. De persecutionibus breuiter et pauca perstrinxi: Fratres tam viuunt securi ex maximis periculis, quasi iam in paradiso agerent. Nec mirum; cum iam altero pede, nempe affectu ibi sint, et effectu esse sperent in dies assidue domi, et extra domum martyrium expectantes; praesertim cum ad Scholas descendunt, vbi probabiliter secundum humanam rationem, nunquam se redituros ad cubiculum, sed potius ad caeleste tabernaculum, sibi persuadere possunt [7]. — —

Classis Theologica, quotquot auditores habet, aedificatos domum remittit. habet autem plurimos semper, sed pauciores assiduos. Verum inter hos Franciscanos, Dominicanos et sacerdotes, qui sub utraque communicant [8], ac etiam duos haereticorum concionatores celeberrimos, qui a patre Henrico edocti clare ad bonam mentem redire uidentur. Cum in frequentibus Picar-

---

[1] Ferdinandus archidux postea similes preces etiam Tirolensibus praescripsit (*Hirn* l. c. I, 173). — Supersunt litterae, a metropolitano capitulo pragensi Praga 24. Iulii 1556 ad clerum illius archidioecesis datae, quibus edicitur: Regem Romanorum et Ferdinandum archiducem velle, ut periculosis iis temporibus per totam Bohemiam preces fiant, ideoque „renouetur tempore meridiano mos pulsandi per campanam in memoriam Dominicae passionis“, atque ita omnes coniunctim Deum precentur, ut ecclesiae suae misereatur et imperium romanum ex periculo turcico eripiat. Simul praecipitur, ut campanae sonitu audito omnes, ubicumque exsistant, genua flectant ac genibus nixi Deum precentur; quod si neglexerint, a magistratu regio puniendos esse. Harum litterarum exemplum, typis exscriptum et ab Henrico Scribonio praeposito capituli subscriptum, exstat Pragae in archivo capituli metropolitani (XVII, 1).

[2] Antonius Brus (de Müglitz), „Crucigerorum cum rubea stella“ magister generalis, id munus administrabat simulque totius exercitus sacris praeerat.

[3] Haec quoque a capitulo pragensi in litteris 24. Iulii 1556 datis praescribuntur; in quibus etiam magistratus civiles sacris illis caerimoniis interesse iubentur.

[4] Ioachim II., marchio brandenburgensis et imperii elector, ab ecclesia catholica ad Lutherum defecerat. [5] Augustum, imperii electorem.

[6] Ladislaus Popel de Lobkowitz; cf. supra p. 607 [7].

[7] De collegii pragensis initio et primo progressu confer dissertationem a P. *Ios. Svoboda* S. J. bohemice scriptam „Památky kolleje Klementinské v Praze“ (Historia clementini collegii pragensis) in „Časopis katolického duchovenstva“ (Libellus periodicus in usum cleri catholici) 1875, p. 1—16.

[8] „Communicant“ hic = sacram eucharistiam laicis praebent.

ditarum et aliorum haereticorum conuentibus pristinis contraria eaque Catholica dogmata publice profiteantur . . . . .

Gaspar Schlauus [1] unus omnium linguam boëmicam ita intelligit, ut infimos puerorum ordines instruere ualeat, Germanicam optime callet . . . . Centum uiginti pueros habet . . . . Gaudent autem pueri discere Catechismum nostrum [2]. — —

Raderus haec subicit [3]: „Hussitarum odium in Canisium, quem maxime formidarunt, ostendit monostichon, quod in illum jactarunt:

‚Hinc procul esto canis: pro nobis excubat anser.'

Cuius hic est intellectus. Allusum est ad historiam veterem et Virgilianum carmen, quo Gallorum ad Capitolium duce Brenno per noctis tenebras grassantium ab ansere, sopitis canibus, proditas insidias canit, simulque in Dilogia nominum *canis* et *anseris* vis posita est: cum per *canem* Canisium, per *anserem* infelicem Hussium sectae suae architectum vellent intelligi, *Huss* enim Bohemis anserem valet. Ne ergo per subitum populi aut improborum impetum Canisius opprimeretur, dum aulam Regis peteret, praesidio principis ducendus ac reducendus fuit." *Sacchinus* [4] adnotat fuisse, qui „operoso hexametro senarium pedestrem subscriberet":

„At, qui Canem odere, haud oues sunt, sed lupi."

---

[1] Caspar Conger Labaco (Laibach, Carniolae caput) ortus erat, in qua civitate etiamnunc plerique sunt Sloveni, ideoque hic „Slavus" vocatur; cf. supra p. 619 [1].

[2] Catechismum Canisii eumque (ut videtur) minimum; cf. supra p. 611. 635.

[3] De vita Canisii p. 68—69. [4] De vita Canisii p. 108.

XI.

INDEX ALPHABETICUS EORUM,

quibus Canisius scripsit.

Numeri sunt epistularum, non paginarum.

XII.

INDEX ALPHABETICUS EORUM,

qui Canisio scripserunt.

Numeri sunt epistularum, non paginarum.

XIII.

INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM HUIUS VOLUMINIS.


Numeris maioribus paginae, minoribus adnotationes significantur.
C. = Canisius.

[68.

Date Due

11-57	Fr. C[illegible]		
8/24/53	Fr. Thayer, S.J.		
8/31/61			




BOSTON COLLEGE
3 9031 01236350 3

